1619 P

n

DVX SPIRITVALIS,

IN QVO AGITVR

De Oratione, Meditatione, & Contemplatione:
De Visitationibus Diuinis, Gratijsq; extraordinarijs:
De Mortificatione, Heroicisq; actionibus, siue operibus, quæ illas omnes comitantur.

AVCTORE

R. P. LVDOVICO DE PONTE VALLISOLETANO, è Societate IESV.

INTERPRETE

R. P. MELCHIORE TREVINNIO EIVSDEM Societatis IESV *Presbytero.*

Editio secunda cum Indice copiosissimo rerum, Locorum S. Scripturæ, & Capitum.

Summaria Tractatuum ponuntur in proxima pagina.

Ex legato Ill.mi Coccini



COLONIAE AGRIPPINAE,
Sumptibus IOANNIS KINCHII sub Monocerote.
ANNO M. DC. XVII.

Permissu Super. cum Gratia & Priuil. Sacræ Cæs. Maiest.

Contenta Totivs Operis.

Tractatus Primus, *de Familiaritate cum DEO in Oratione, & eiusdem Dei in eadem visitationibus per suas inspirationes.*

Tractatus Secundus, *de Sacra Lectione, & Meditatione, quibus obtinetur cognitio sui ipsius, Christi D. N. eiusq; Sanctorum, ac Dei ex rebus creatis: ac de feruentibus affectibus, qui hac omnia comitantur.*

Tractatus Tertius, *de perfecta Contemplatione, & Vnitione cum DEO.*

Tractatus Quartus, *de Mortificatione, & operibus heroicis, quæ sunt fructus vitæ Contemplatiuæ, aut ad eandem disponunt: ac de considerationis praxi quæ illas comitatur.*

Ipsi Tractatus in certa capita diuiduntur, in quibus aliquæ Diuinorum Mysteriorum Meditationes inseruntur, ipsaq; Orationis praxis cum variarum virtutum exercitatione.

REVE-

REVEREND.mo ILLVSTR.mo AC GENEROSO DOMINO, D. ITELIO FRIDERICO, COMITI IN HOHENZOLLEREN, SIGMARINGEN

gen & Veringen, Domino in Haygerloch & VVehrstein, Sacri Rom. Imp. Camerario, Metropolitanarum & Cathedralium Moguntinens. Coloniens. & Argentinensis, Ecclesiarum Præposito respectiuè, & Canonico, Domino suo.



BONVM DVCEM offero Illustr. DOMINO Bono COMITI, simul & DVCI, Illustr. inquam, D. Vestræ. nam cui melius? quàm ei, qui præter COMITATIVAM auitæ hæreditatis dignitatem, factus multorum DVX Spiritualis, virtutum radiis viam DVCIT, quâ cum ipso alij Christum COMITENTVR.

Accepit nuper à benigna SERENISSIMI PRINCIPIS atq; ELECTORIS N. tutela, primum R. P. LVDOVICI DE PONTE fœtum Germania: accepit, inquam, nec sine gaudio, nec sine fructu. & quis secundum dabit? nisi is, qui à tanto PRINCIPE Secundus. quē cùm iam pridem, cum gratulatione bonorum omnium, Sacratissimus ARCHIEPISCOPATVS COLON. Clerus MATRICI Ecclesiæ suæ videret Præpositum, ex viuo pietatis vestræ semine cœpit populo suo vberiores virtutum messes promittere: Nempè *in vulgus manant exempla Regentum*, qui ex superiori loco, omnium oculis, vel serenam spargunt virtutis lucem, vel densas nubilant vitiorum tenebras. habent enim ex authoris sui maiestate splendoris non minimum Virtutes: habent & vitia tantò conspectius crimen, *quantò, qui peccat, maior habetur.* Vt inter prima Diuinæ erga homines beneuolentiæ signa, meritò iam olim posita fuerit PRINCIPVM RECTORVMQVE PIETAS, atq; in turbido hoc impendentium tempestatum metu, felix Colonia, cui tales dederit Deus, in quos ceu morum magistros vniuersi intueantur. Neq; hæc ego temerè: absit istud à Christiano candore; sed Sacratissima Passionis Dominicæ Sodalitas pridē apud Religiosissimos PP. Capuccinos instituta (quantorum virorum!) commune Reip. totius de Illustr. V.D. suffragium, nouo sæpius suffragio approbauit: dum quem Metropolitanus Clerus sibi Præpositum, illa consentientib. omnium votis elegit Prȩfectum. Quo in gradu Reuer.me & Illustr.me D. tot iam dedisti virtutū specimina, vt non vnus noster Archiepiscopatus, neq; vna Germania; sed Italia quoq; & Hispania nomen, laudes, & promptissimā tum Illustr. D. V. tum totius huius Fraternitatis erga eos, qui ad pientissimȩ matris suȩ, Ecclesiȩ inquā Catholicȩ gremiū redeunt, misericordiam admiretur, & exēplo tanto ad similia prouocari se gaudeat.

Nempè optimum est, vt qui genere, iidem & virtute præluceant; damnant, fateor, picti

Maiores, stantesq; in curribus AEmiliani

posteros degeneres: sed; quantum illustrant imitatores! Approbauit re ipsa Illustriss. V. D. quæ conceptam omnium bonorum spem nō solùm nihil fefellit, sed egregiè superauit; dum Sacerdos consecratus, quantum inter alios nobilitate generis, tātum quoq;, imò sublimiùs multò sacri Ordinis dignitate rutilas, pro illius populi salute Domino supplicaturus, cuius tenebras virtute illustras; qui vt exaudiat, cum Illustriss. V. D. orat omnis Ecclesia. Liceat ergo Illustr. Domine, vt eum, qui ad virtutem ducit verbo, tueatur is, qui docet exemplo. Argumentum hoc omnibus Christianis est dignum, Illustriss. verò V. D. officio dignissimum; quo tanquam Duce, vtantur non illi, qui iam adhuc virtutis semitam tyrones terunt: sed, qui ad vlteriora prouecti, solido pascuntur diuinarum illustrationum cibo. Magnum est in his discernere spiritus, si ex Deo sint: & multorum ex his præcipitia luximus, qui iam non profecisse solum: sed & perfecisse cursum videbantur. DVX si desit, eadem timenda fouea. DVCIT scripto hoc R. P. LVDOVICVS; quòd si ad omnes Illustriss. Cels. V. D. DVCIT: ego & à me, & à REP. Christiana REDVCEM spondeo gratiarum, cum perpetua obseruantia, actionem, beneficio hoc quasi vinculo (sed grato) Illustr. V. D. ad maiora deuinctus. Vale Illustrissime Domine, & cum opusculo hoc me tibi clientem deuotum suscipe: *Ex officina nostra 2. die mensis Augusti. Anno salutis.* M. DC. XVII.

Illustriss. V. D.

deuotus

IOANNES KINCHIVS
Ciuis & Bibliopola Colon.

ADMODVM
REVERENDO IN CHRISTO
PATRI P. CLAVDIO AQVAVIVA SOCIETATIS IESV PRAEPOSITO GENERALI.



VONIAM *Patris Ludouici de Ponte sacras Meditationes iussu tuo, Admodum Reuerende Pater, elapso anno à me latinè redditas, multorum teri manibus non sine fructu intelligo, animum adieci eiusdem Auctoris* DVCEM SPIRITVALEM *latinitati donare: tum, quia admodum R.P.T. id placuit, tum, quia liber reuera est religiosissimus, spiritualibusq; considerationibus, documentis, & ad perfectionem cohortationibus refertissimus: vt non minorem ex eo Lector; quàm ex Meditationibus vtilitatem relaturus videatur. Nihil æque frequenter, fateor, suis in commentariis Sancti Patres inculcant, atq; illud quod à Magistro didicerunt:* Estote perfecti sicut & pater vester cœlestis perfectus est. *nihil tamen vereor, ne cuipiam hoc volumen superuacaneo labore, aut conscriptum ab Auctore, aut à me translatum possit existimari. Duæ enim ferè sunt hodie de vitæ spiritualis perfectione opiniones, ac sententiæ, duo genera classesue hominum: alij diuiniore lumine collustrati, & ardore succensi, inflammatiq;, eam, quã suo exemplo Patres, Sanctioris vitæ semitam præmonstrarunt, sibi omni studio, constantiaq; terendam arbitrantur: atque vt, quò tendunt, eò aliquando pertingant, nulli parcunt labori. Alij vitiis excæcati, & naturæ corruptioris pondere depressi aiunt, perfectionem, & exactiorem illam vitæ sanctimoniam, horum nec morum esse, nec temporum; & præclarè secum agi autumant, si diuinis quoquo modo præceptis obtemperent. Sed quemadmodum priores illi ex huius libri lectione confirmabuntur, stabilienturq;, vt felicius faciliusq; posthac in via perfectionis progredi valeant: ita posteriores, quanto versentur in errore, manifestè intelligent: &, quod optamus, mutata mente, videbunt Dei* nec manum esse abbreuiatam, *nec imminutam esse charitatem: vt hodie ad perfectionem vocare, vocatosq; virtute & gratia prouehere, aut nolit, aut nequeat.* Deus Opt. Max *Admodum R.P. Tuam diutissimè nobis conseruet incolumem: cui si laborem hunc meum, quem imperauit, non improbari intellexero; vel hoc nomine Deo me valde obstrictum confitebor.*

Matt. 5. 4[8]

Isaiæ 59. 1

Admodum Reuerendæ Patern. Tuæ minimus in Christo seruus

MELCHIOR TREVINNIVS.

PRIVILEGIVM CÆSAREVM.

CVM Sacræ Cæsareæ Maiestatis decreto, omnibus, & singulis Typographis, & Bibliopolis, ac aliis quamcunque librariam negotiationem exercentibus, seriò firmiterque inhibeatur, ne quisquam vllos libros à nostris Patribus hactenus editos, vel in posterum edendos, intra Sacri Romani Imperij regnorum, & dominiorum Suæ Cæs. Maiestatis hæreditariorum fines simili vel alio characteris genere, aut forma, siue in toto, siue in parte recudere, vel aliò recudendos mittere, aut alibi etiam impressos adducere, vendere & distrahere, clam seu palam, citrà iudicium ac testimonium supradictorum Patrum audeat, vel præsumat: concedo ego Henricus Scherenus, Societatis IESV per Rheni prouinciam Prouincialis, Ioanni Kinchio Bibliopolæ Coloniensi, facultatem excudendi Ducem spiritualem R.P. Ludouici de Ponte Vallis-Oletani; è Societate IESV Theologi, Per R. P. Melchiorem Treuinnium, eiusdem Societatis, ex Hispanico in Latinum translatum. In quorum fidem hoc ei testimonium propriâ manu subscriptum dare voluimus. *E Collegio nostro Coloniensi*, ANNO 1613. 19. *Martij*.

HENRICVS SCHERENVS.

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS *Prouinciæ Castellæ.*

EGO Christophorus de los Cobos, Societatis Iesu Præpositus Prouincialis, ex commissione R.P. Claudij Aquauiuæ Præpositi Generalis, concedo, vt Dux spiritualis R.P. Lud. de Ponte eiusdem Societatis, qui fuerit à viris grauibus & doctis Societatis nostræ examinatus, & probatus, excudatur. In cuius rei testimonium has signari, & sigillo officij mei ordinarij muniri curaui. Vallis-Oleti 14. *Septemb. Anno* 1608.

CHRISTOPHORVS DE LOS COBOS.

APRO-

APROVACION.

POR mandado de los Sennores del Conseio he visto y leydo todo este libro, que se intitula Guia espiritual, compuesto por el Padre Luys de la Puente de la Compania de Iesus: y aunque consigo trae la censura en ser desta sagrada religion, en particular el autor cumple con su titulo, pues en todo el discurso del libro enciende tantas lues para guiar al hombre, y ensannarle oracion, meditacion, y las demas virtudes que nos traen a la perfecta vnion con Dios que por ninguna parte puedes errar el camino que aqui se le propone, por ser doctrina Catholica, sana y solida de los Sanctos, y muy conforme a ellos Por donde iuzgo ser digno de que todos le gozemos, y que se de la licencia que pide. Fecha en este Conuento de la SS. Trinidad de Madrid à 27. Nouiembr. Anno 1608.

El Padre præsentado Fr. Iuan. Baptista.

R. P. PETRVS RIBADENEIRA IN CATALOGO Scriptorum Societatis Iesu.

LVDOVICVS Pontanus, natione Hispanus, patriâ Pincianus, ab ipsis incunabulis factus, atque educatus videtur ad pietatem. Societatem nostram expetiuit annum agens xx. atque admissus est anno salutis M. D. LXXV. cùm iam & philosophicis disciplinis esset instructus, & duos annos in sacra Theologia vtiliter posuisset. Deinde prosecutus est studia litterarum, in quibus longo post se interuallo condiscipulos omnes reliquit, propter ardorem animi, ingenium, atque acre iudicium: Itaque Aristotelis cursum (vt vocant) docendo confecit, & sacram etiam Theologiam professus est acutè, grauiter, eruditè. Sed cùm non minùs vitæ integritate, ac religione, quàm ingenio, atque doctrina excellat, Magistri Nouitiorum, atque Rectoris partes Ludouico sæpè mandatæ sunt, easque peregregiè obiuit. sed tenui, vel potiùs nulla valetudine, quâ semper conflictabatur, coactus est interrumpere, & gubernandi, & docendi cursum, & animum ad ea scribenda transferre, quæ longo vsu, assidua meditatione, perpetua sui mortificatione didicit, & non tam ex aliorum libris hausit, quàm in se ipse expertus est. Scripsit materna lingua pias, doctas, perutiles *Mysteriorum fidei Meditationes*, quas duobus Tomis complexus est.

Præterea insigne volumen, cui titulus est Hispanicè *Guia espiritual*, latinè DVX SPIRITVALIS;

Quatuor item tomos *De perfectione spirituali*;

Quos omnes ex Hibericis Latinos fecit R.P. Melchior Treuinnius, Societatis nostræ.

INDEX

INDEX CAPITVM DVCIS SPIRITVALIS.

INTRODVCTIO. *In qua ostenditur excellentia scientiæ spiritualis, quæ per Orationem & reliqua vitæ Contemplatiuæ opera, de quibus in hoc libro agitur, obtinetur.*

TRACTATVS PRIMVS.



CAP. XII.


INDEX CAPITVM TRACTATVS SECVNDI.

DE SACRA LECTIONE, ET MEDITATIONE.



INDEX CAPITVM TRACTATVS TERTII.


DE PERFECTA CONTEMPLATIONE, ET VNITIONE CVM DEO.





INDEX CAPITVM TRACTATVS QVARTI.

DE MORTIFICATIONE, ET EXCELLENTIBVS OPERIBVS, QVAE VEL SVNT FRVctus vitæ Contemplatiuæ, vel ad eam disponunt.





AVCTOR PIO LECTORI.



HIc Liber, Christiane Lector, est compendiaria quædam scientia rerum omnium, quæ ad vitam spiritualem pertinent; & ad vtramq; eius partem: vitam scilicet ACTIVAM, & CONTEMPLATIVAM, in quarum Actionibus perfectio nostra consistit. Est etiam DVX quidam SPIRITVALIS, non tam eorum peccatorum, qui malum peccati statum deserere, & per opera pœnitentiæ seipsos iustificare contendunt; quàm eorum, qui omnem diligentiam adhibuerunt, vt veram iustitiam consequerentur: in qua perseuerare, ac proficere contendentes, feruenter pergunt per tres illas vias, quas PVRGATIVAM, ILLVMINATIVAM, & VNITIVAM appellant, donec ad singularum earum supremum culmen perueniant. Et quoniam Intellectus dux est Voluntatis, quæ ex seipsa est potentia cæca: ideo Spiritus scientiæ, quæ perficit Intellectum, Fidei lumine donisq; Spiritus Sancti illustratum, dux est certissimus omnium affectuum, actionumq; à voluntate virtutum habitibus exornata, promanantium. Huius itaq; scientiæ summam, siue Epitomen quandam continet hic liber, vt spiritualis perfectionis obtinendæ cupidi, in omnibus dirigantur, quæ ad eam obtinendam præstare oportet, ab ipsis vitæ Actiuæ & Contemplatiuæ rudimentis & tyrocinio, vsq; ad perfectorum in vtraq; statum. Quare si TYRO sis in vtraque, modum & rationem hic inuenies vacandi scientiæ COGNITIONIS tui ipsius: in libro scilicet conscientiæ tuæ, a miserias tuas meditando: iudicium examenq; tuarum actionum instituendo, quo ab omni malo, & imperfecto, quod in eis est, purgeris. Inuenies etiam quicquid pertinet ad b MORTIFICATIONEM tui ipsius, rationemq; aduersus carnis insultus pugnandi, & aduersus proprium iudicium voluntatem, superbiam, inanem gloriam, acediam siue pigritiam, & alia his similia vitia, quæ præcipuæ sunt recidiuæ radices, maximiq; puritatis, quam obtinere desideras, hostes. Quod si in PROFICIENTIVM iam sis classe, inuenies hic quoque partem illam eius scientiæ, quæ te in eo statu constitutum concernit: incumbendo nimirum ac meditando in viuo libro c VITAE Christi Domini ac Saluatoris nostri, Sanctorumque eius, ad clarissimas ipsorum virtutes imitandas: multaque documenta ad felicem in eisdem progressum, præcipuè in magis heroicis; quales sunt d Charitas, Spes, Obedientia, Puritas intentionis, Cordis custodia, & similes aliæ: e variosque modos ORANDI, agendique cum Deo, qui omnibus vsui esse possint. Quod si ad statum PERFECTORVM iam perueneris, inuenies & hic perfectissimum, quod est in scientia Mystica, quæ attollit mentem ad f CONTEMPLATIONEM, & VNITIONEM cum Deo: fructusq;

a Tract. 2. c. 4. & sequentibus

b Tract. 4. à c. 3.

c Tract. 2. à cap. 9.

d Tract. 4. toto.

e Tract. 1 à c. 12.

f Tract. 3. toto.

operum


operum heroicorum, quæ ab ea proueniunt, tam ad perfectionem propriam, quàm ad eandem in proximis procurandam. Et quoniam cognitio sui ipsius, propriæque mortificationis studium etiam pertinet ad PERFECTOS licèt modo quodam excellentiori, & ipsa quoque meditatio imitatioque Christi Domini Nostri, eiusque virtutum, & continuatus in eisdem progressus, simul inuenies supremam, quæ in his omnibus est, perfectionem: quæ instar sit Ducis, siue, cùm eam pro teipso contendis assequi, siue, cùm alios diriges, qui de eadem obtinenda seriò agunt. Quamobrem hic liber, vt qui personarum adeò diuersorum statuum, & in via virtutis adeò inæqualium Dux esse debet, materias complectetur etiam varias, & inæquales: dum extollet interdum eas ad altiorem perfectionem, quàm soleant assequi Tyrones iuxta suum statum & gradum, licet non altiorem, quàm poßint, & verò meritò debeant desiderare, & ad eam aspirare: nisi cùm perfectio ad id, quod rarissimum est, & extraordinarium altius assurgit, quod solet Deus ex priuilegio singulari suis Electis concedere. Omnibus tamen expediet, omnia etiam talia legere, vt ea statim amplectantur, quæ statui, & conditioni suæ sunt proportionata; contendant verò ad ea, quæ illam excellunt, admirantes rariora illa; & venerantes, quæ non intelligunt, quia non deerunt qui intelligant, & eis fruantur, dantes verò operam, vt tales sint, qui non censeantur indigni, quibus tales fauores communicentur: siquidem manus Domini non est abbreuiata; sed potens iis, qui nunc sunt, easdem gratias, donaque conferre, quæ prædecessoribus contulit. Nec vlla est anima, quæ sit incapax boni, gratiæque, quam Deus alteri confert, modò illa se ad eam recipiendam disponat per ea media, quæ diuinus Spiritus suggerit, sicut in huius libri decursu indicabitur. Cuius quidem libri dispositio, ac distributio potuisset esse, quam hic insinuabimus, vt scilicet primùm ageretur de iis, quæ ad Tyrones in vtraque vita Actiua & Contemplatiua spectarent: Deinde verò gradus fieret ad ea, quæ sunt propria Proficientium; ac demum ad ea, quæ Perfectorum: sed, ne, quæ ad singulas virtutes spectarent, separarentur, decreui eam methodum tenere, quam in subiecta mox Introductione indicabo.



INTRODVCTIO,

IN QVA OSTENDITVR EXCELLENTIA SCIENTIAE SPIRITVALIS,

QVAE PER ORATIONEM ET RELIQVA vitæ Contemplatiuæ opera, de quibus in hoc libro agitur, obtinetur.



Lib. de orando Deum, in principio.

DVPLICI nomine, ait S. Chrysostomus, plurimùm teneri nos omnes, laudibus euehere ac suspicere Sanctos Patres, qui nos præcesserunt: tum, quòd exemplo suo nos orare docuerint; tanti facientes orationem, vt salutis ac perfectionis suæ spem in ea collocarint: tum quòd doctrinam directionemque à Deo ipso, circa excellentem hanc virtutem, acceptam intercidere passi non sint: sed scriptam reliquerint, vt eorum posteris vsui, & vtilitati esset, more parentum, qui suas diuitias thesaurosque filiis suis relinquere consueuerunt. Et, ne soli propriæ experientiæ fiderent, confirmarunt, quæ scripta reliquerunt insignibus testimoniis sacrarum litterarum, in quibus huiusmodi thesauri sunt absconditi. Nam ingressi illi huius immensi maris altitudinem, in quo veritatum, virtutumque cœlestium gemmæ inueniuntur, in lucem eas produxerunt, quò & seipsos, & cæteros ditarent, atque exornarent. Ex altissimo verò huius maris, scientiam quoque spiritus hauserunt, quæ viam docet perfectæ sanctitatis & occultiorem, magisque familiarem cum Deo, & occultis eius mysteriis tractationem: propter quam causam appellatur Scientia mystica, secretaque siue occulta, quæ sensim comparatur actionibus vitæ contemplatiuæ, quam S. Bernardus appellauit *Lectionem* sacrorum & piorum librorum: *Meditationem* diuinorum mysteriorum; *Orationem*, qua diuina dona à Deo petuntur; & iucundam magnitudinum eius *Contemplationem*, in qua altissimæ huius scientię perfectio consistit. cuius scientię excellentiarum breuem hic summam ponam, vt omnes ad eam procurandam alliciamur. Omni enim dubio procul, reliquas scientias omnes, artesque huius mundi incomparabiliter excedit: quia omnibus illis excelsior est, nobilior, sanctior, vtilior, delectabilior, durabilior, ac finis denique vltimus, in quo huius vitę beatitudo, ad quam omnes illę diriguntur, consistit.

Lib. 2.

Initio Scalę claustralium.

Scientiæ mysticæ excellentiæ.

1. Cunctis est altior.

ALTIOR est, quia proprium eius obiectum est ipse Deus: & quidquid hęc scientia pertractat, versatur circa altissima eius Diuinitatis & humanitatis mysteria: quòd si etiam de nostris miseriis agit, id facit, vt nos ab eis eruat, extollens materiam hanc ad altissimum finem ęternę nostrę beatitu-

dinis.

dinis. Ideoque diuina sapientia iubet, vt ipsam audiamus: a *quoniam de rebus* inquit, *magnus locutura sum,* imo de maximis, quæ vel in terra, vel in cœlo esse possunt.

a Prou 8. 6.

Est etiam omnium scientiarum NOBILISSIMA, quia eius origo & principium, à quo suam ducit nobilitatem, est Spiritus S. qui præcipuus est eius Magister, vt à cum infusæ sapientiæ dono: qui non eam docet, nisi eos, qui nobilitatem habent filiorum Dei, aut quibus simul cum eâdem doctrinâ nobilitatem communicat, vt ita impleatur, quod scriptum est in Prophetis, quod b *vniuersi filij* Ecclesiæ *docti essent à Domino,* siue c *docibiles Dei.* Ex quo fit, vt eminenter appellari posit hæc scientia SANCTA: quia eam addiscentes, sanctos facit, heroicisque virtutibus exornans, (vt Sapiens ait) d *amicos Dei constituit,* arctâ valde & perfectâ amicitiâ: ideoque illam appellat e *scientiam Sanctorum*: quia reliquæ scientiæ sunt communes etiam peccatoribus: qui esse possunt sicut Cherubini propter scientiæ plenitudinem, qualis fuit Lucifer: sed hæc scientia constituit Seraphinos, non solum eos illustrando, sed inflammando etiam igne charitatis, quæ (teste Hugone de S. Victore) eò penetrat, quò scientia non pertingit, eò quod plus diligat, quàm intelligat, magisque feruentibus affectibus quàm subtilibus ratiocinationibus innitatur. Hinc etiam prouenit, vt eadem sit summè VTILIS, eò, quod sit mater f *omnium bonorum quæ cum illa pariter veniunt,* cum innumeris diuitiis, valoris & pretij inæstimabilis. & quamuis præcipui eius thesauri sint spirituales, quamobrem sapiens g *infinitum eius thesaurum hominibus* appellat; ex commodis tamen, quæ spiritus accipit alia etiam plurima valde honorifica, corporique salutaria deriuantur: Quia ingenti lætitia, quiete, & solatio gaudet. quare qui illam possidet, pluris multò eam facit, ac h *diligit, super ipsam salutem & speciem,* siue corporis pulchritudinem: *præponit illam regnis, & sedibus: & diuitias nihil esse ducit in comparatione illius non illi comparat lapidem pretiosum: omne aurum tanquam arenam exiguam, & argentum tanquam lutum reputat.*

2. Est Nobilior.
b Psal 54 13
c Ioan 6 45
3. Sanctior.
d Sapi. 7. 27
e Sap 10. 10
Plus diligitur Deus, quam intelligitur. Dilectio intrat, vbi scientia foris stat.
in c 7 Ang. Hierarchiæ.
4. Vtilior.
f Sap. 7. 11. 14.
h Sap. 7 8. 9. 10.

Huc accedit quod eadem scientia DVLCISSIMA sit, & præ omnibus aliis scientiis maximè oblectet. i *Non enim habet amaritudinem conuersatio illius, nec tædium conuictus illius, sed lætitiam, & gaudium.* Nam contemplatio (teste S. Greg.) est ipsamet dulcedo, adeò amabilis, vt animam supra seipsam eleuet, eique secreta reuelet cœlestia, ac delicias charitatis præbeat degustandas. Et teste Diuo Thoma, Contemplationis voluptas tãtum excedit omnes reliquas humanas voluptates, quantum ipse spiritus carnem excedit; & gaudium, quod oritur ex amore Creatoris, excedit omne illud, quod vilis Creaturæ amor efficere potest.

5. Dulcior.
i Sap 8 16.
Hom l. 14. in Ezech.
2. 2 q 180. ar. 7.

Huc accedit alia Contemplationis excellentia, quòd sit valde *diuturna,* diuque duret. k *pars enim, quam elegit Maria, & optima est, & non auferetur ab* ea; Et

6. Diuturnior
k Luc. 10 42
vbi supra. D Thom. supra a. 8.

ea; Et (vt ait S. Greg.) Contemplatio, quæ in hac vita inchoatur, in altera perficitur: quia l *charitas*, (teste Apostolo,) *nunquam excidit*: & quæ in hoc exilio & peregrinatione Deum diligebat, obscura eum fide contemplando:
7. multò ampliùs diliget in cœlo, eundem claro lumine intuendo. confirmat verò hæc omnia, quod beatitudo, quæ in hac vita tanquam pignus æternæ illius, quam in ipsa gloria speramus, obtineri potest, consistat in exercita-
8. tione sanctæ huius, ac delectabilis Scientiæ & Sapientiæ altissimæ: quia cum amore contemplamur ipsummet Deum, in quo omnis nostra quies solatiumque consistit.

Ac deniq; cùm tanta sit sapientiæ huius celsitudo, est adeò infinita magni nostri Dei liberalitas, vt omnibus iustis dona habitusque cõmunicet. à quibus nobilissimę eius actiones exercitationesq; proueniũt, quas omni hominum generi in omnibus statibus, & officiis largitur, ne vllus à tam excelso bono se iudicet exclusum, modò illud desideret, magnoque affectu à Deo petat: sunt enim desideriũ & oratio potissimũ medium ad illud obtinendũ, vt sapiens ipse fassus est dicens: m *optaui, & datus est mihi sensus intelligentiæ, & inuocaui* Deum, *& venit in me spiritus sapientiæ*. O felix desideriũ, quo ad tantum bonum recipiendũ disponimur! O beata oratio, quæ talem Spiritũ obtinet! Quis adeo in agendo remissus erit, vt tantas Diuinę huius scientiæ excellentias audiens, nõ eius amore accendatur? non clamet? nõ spirans gemat, vt illam obtineat? magno Spiritus feruore dicens: O sapientia æterna, quæ absque vlla inuidia te creaturis tuis communicas, tuosque filios, & dilectos amicos, tui participes facis, veni ad Spiritum meum, tuoque illum reple: quò ita te cognoscat ametque, vt ex vtroque vnus fiat. O Pater supreme, n *mitte* diuinam hanc sapientiam *de cœlis Sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret: vt sciam, quid acceptum sit apud te: scit enim illa omnia, & intelligit, & deducet me in operibus meis sobriè*, vt mihi expedit. o *Si difficile æstimamus, quæ in terra sunt: & quæ in prospectu sunt, inuenimus cum labore: quæ in cœlis sunt* abscondita, *quis inuestigabit? sensum autem tuum quis scit, nisi tu dederis sapientiam, & miseris Spiritum Sanctum tuum de altissimis?* eum ergo mitte, qui ea nobis reuelet, vt quod tibi placitum est, semper faciamus, procurantes ita implere, quidquid nobis præcipis, vt etiam obtineamus, quod promittis. Amen.

m Sap. 7. 7.
n Sap. 9. 10.
o vers. 16.

Partitio huius libri.

QVONIAM verò Spiritus S. qui huius scientię Magister est, non excludit nostram diligentiam & hominum instructionem, ac directionem, pręcipuè Sanctorum, quos ipse eam docuit, quò alios illi doceant, hanc inquam ob causam ex iis, quę in suis libris scripta reliquerunt, à Diuino hoc Magistro instructi, qui vsq; in hunc diem non cessat hoc officio erga

paruulos fungi,excepi ego hunc librum,qui sit quasi Dux spiritualis omnibus illis,qui hanc scientiam addiscere, & in vitæ contemplatiuæ actionibus proficere cupiunt.quem librum partimur in 4.partes, in quarum

PRIMA agetur de familiari animæ cum Deo tractatione per ipsam Orationem,Deiq; cum anima per Diuinas suas inspirationes. In qua parte colligemus quidquid excellentissimum, & defæcatissimum est ipsius spiritus, id,quod est tanquam flos vitæ contemplatiuæ, & quod ordinariè illi experiuntur,qui excelsæ huic mentalis Orationis exercitationi se dedunt: siue illud respicias,quod ipsi præstant;siue quod à Deo, dum illos visitat,accipiunt.

SECVNDA pars erit de sacrorum, piorumq; librorum lectione, & Meditatione Diuinorum mysteriorum, adhibita lectione & studio librorum mysticorum huius scientiæ, qui sunt, propria conscientia;creaturæ spectabilis huius mundi;vitæ Sanctorum, & ipsius Sancti Sanctorum: quò perfecta sui ipsius cognitio Christiq; Domini,ac Dei obtineatur, quatenus ex ea ratiocinatione creaturarum elicitur;& simul feruentes affectus concipiantur,qui ex hisce cognitionibus,cum perfectæ sunt,enascuntur.

TERTIA pars erit de perfecta contemplatione & vnitione cum Deo Domino nostro,quæ pertinet ad VIAM VNITIVAM; ac de arcanis scientiæ mysticæ occultissimis, tam ordinariis, quam extraordinarijs,eo modo,vt intelligi possint:quibus addentur etiam admirandi alij affectus coniunctionis,& amoris erga proximos, qui ipsam Mysticam scientiam comitantur. Et quamuis harum rerũ nonnullę positæ fuerint in libro,ante paucos annos edito Meditationum,circa sanctæ fidei nostræ mysteria, & praxis orationis mentalis circa eadem:ibi tamen valde summatim id factum est, quia anim⁹ erat,materiam tantùm,& argumentum Orationis,ac Meditationis, practicamq; earum exercitationem proponere, fusiori declaratione virtutum, quæ comitantur orationem, & reliquarum rerum, quæ in actionibus vitæ contemplatiuæ eueniunt,in hunc librum reiectâ:in quo, Deo bene fauente, supplebimus,quidquid in illo altero defuit, theoriam ipsam praxi coniungentes,docentesq; orare & agere cum Deo, quò simul vtriusq; exercitium conspiciatur. Ideoq; singula ferè capita, Meditationum loco esse queunt, cum distinctione punctorum, quæ possint in ipsa orationis collectione expendi.

Sed, quoniam perfecta oratio & contemplatio non potest esse sterilis, quartum his Tractatum addemus,de præcipuis vitæ ACTIVAE actionibus in omni genere virtutum:quæ actiones, cùm sunt in quodam minùs perfecto gradu,disponunt ad vitam contemplatiuam;in gradu verò perfectiori, sunt eiusdem fructus. Agemus autem de eisdem in vtroq; gradu, vt perfectionis cupidi in eo gradu eas inueniant, in quo illas desiderant. Simul etiam

TRACTATVS PRIMVS

DE FAMILIARI MODO CVM DEO AGENDI IN ORATIONE, ET IPSIVS DEI IN EADEM VISITATIONIBVS PER ſuas inſpirationes.

CAPVT I.

QVOD *perfecta* ORATIO *ſit quidam aſcenſus noſtri ſpiritus ad Deum, ad colloquendum familiariter cum eo: complectitur autem ſex actus Heroicos: declaraturq́; ſummatim quod pertinet ad ſingulos, quod eſt veluti fundamentum huius libri.*



OT ſunt adeoq; eminentes perfectæ ORATIONIS actus; adeò variæ excellenteſq́; proprietates eius: vt ad integram earum notitiam tradendam, neceſſe ſit multis vti definitionibus, quas SS. Patres nobis reliquerunt. Sed omnes ferè illi fundamento nituntur, quod ipſa ORATIO (vt ait Sanctus Gregorius Nyſſenus a) ſit conuerſatio ſermocinatioq; animæ noſtræ cum Deo, in negotio noſtræ ſaluationis ac perfectionis; miſcendo ſcilicet ſermones cum diuina Maieſtate, nunc verbis externis ore prolatis, quæ vocatur oratio vocalis; nūc internis ſolùm, quæ ab ipſo ſpiritu ſiue mente procedunt; & hæc dicitur mentis oratio. Non tamen exiſtimandum eſt huiuſmodi colloquium fieri verbis duntaxat; ſed complectitur etiam excellentiſsima interna opera, quæ ſpectant ad vitam contemplatiuam, & ad id, quod in ea eſt ſupremum, vnitionem ſcilicet ſpiritus noſtri cum Deo: conferendo cum eo, & inſtando, vt ea nobis largiatur: adhibita quoq; ex parte noſtra omni induſtria ad ea obtinenda & poſsidenda. Et ſicut manus ad res aliquas capiendas, & opera ſua facienda quinq; digitos habet, licet potiſsimum eius robur in tribus primis conſiſtat: ita anima noſtra ad prædictas has actiones, vtitur quinque internis ſuis facultatibus, ſed præcipuè tamen tribus ſpiritualibus, memoria videlicet, qua rerum recordatur; intellectu, quo eaſdem cognoſcit; & voluntate, qua vel diligit, vel odio habet: quibus facultatibus duæ aliæ in-

Oratio eſt conuerſatio ſermocinatioq; cum Deo.

a *Lib. de Orat. dominic.*

c ſ *li. 1. de orando Deum, & Homil. 30. in Geneſ. eſt colloq. um cum Deo.*

feriores ſubſeruiunt, vis ſcil. imaginandi, qua imagines & figuras rerũ, quæ ſenſib. externis percipiuntur, formamus: quæ vis ſuo quoq; modo fert de illis iudicium; & vis appetitus ſenſuũ, à quib. procedunt actus amori odioq; ſenſibili; gaudio, & triſtitiæ; deſiderio, & timori, & ſimilib. alijs conſentanei. Quæ omnes facultates conuenire ſolent in oratione mentis, eleuantes actus ſuos ad altiſsimum & ſupremum obiectum, quod habere poſſunt, qui eſt ipſe Deus: innitentes præcipuè virtutibus, quas Theologicas appellamus: quia reſpiciunt Deum, quà is eſt ſumma veritas, cui propterea ſit adhibenda fides; ſuprema beatitudo, quam debeamus ſperare; immenſa bonitas, quã debeamus diligere; & infinita excellentia, quam adorare, & cui ſeruire ac obedire oporteat. Quare oratio præcipuè innititur viuæ fidei rerum, quas Deus reuelauit; ſpei certæ rerum; quas promiſit; & accenſæ charitati eius Domini, qui eas reuelauit, ac promiſit, ſimul cum feruenti deſiderio eundem honorandi ac eidem obediendi in omnibus, quæ præcipit: vt hac via conſcendamus ad videndum, quod credimus; & poſsidendum, quod ſperamus; vniendo nos per amorem ſummæ illi bonitati, quam amamus. quod totum plenè obtinetur in cœlo, quamuis delibari incipiat in terra.

Lib. 3. fidei c. 14. S. Thom. 2. 2. q. 83. a. 1. Eſt Aſcenſus mentis in Deum.

Ex quo apparet, quòd ORATIO ex ſententia S. Ioan. Damaſc. ſit *aſcenſus quidam ſpiritus noſtri ad Deum*, ad ſuauia hæc iucundaq; colloquia cum eo committenda, & heroica iſta opera exercenda. Qui aſcenſus benè intelligetur, fietq; rectè, ſi ſtatuamus, quis ille ſit, qui aſcendit: vnde & quò aſcendat, per quos gradus aſcendendum ei ſit, quem finem in eo aſcenſu ſibi præfigere debeat, quidq; tandem in eo facere.

I. Cuius Aſcenſus. Spiritus.

QVI aſcendit non eſt corpus ſed ſpiritus: neq; enim aſcenſus ipſe corporalis eſt, ſed ſpiritualis; nec corporis paſsibus fit, ſed ſpiritus, *cognitione* videl. & *affectu*. COGNITIO pertinet ad intellectum, illuſtratum fide, donisq; ſpiritus ſancti, quæ illum perficiunt. AFFECTVS pertinet ad voluntatem deuotionis amoriſq; igne accenſam, & alijs virtutibus, quæ illam comitantur, adiutam. Hos (ait S. Bonauentura) eſſe animæ noſtræ pedes, de quibus loquitur Dauid, cùm ait, a *Deus perfecit pedes meos tanquam ceruorum & ſuper excelſa* diuinorum ſuorum myſteriorum *ſtatuit me*. Et ſicut vnico tantùm pede nec ambulare quis, nec currere poteſt, ſed vtrumq; adhibere neceſſe eſt, nunc vni nunc alteri innitendo: ita non aſcenditur in oratione aut ſola cognitione, aut ſolo affectu, ſed vtroq; nunc ſcil. cognoſcendo, nunc amando: nam abſq; cognitione non poteſt eſſe amor; abſq; amore verò cognitio clauda erit ac debilis: interdum tamen ſimul aſcendunt pari paſſu, quiete, & concordia: & tunc cenſentur eſſe tanquam alæ, quas Dauid b *pennas colũbæ* appellat; Iſaias verò c *pennas aquilæ*, quib ſpiritus in contemplatione eleuatur, volans ad requiem, quæ eſt in coniunctione cum ſummo bono, quod contemplatur.

Opuſc. de 7. itineribus, prologo itineris tertij. a Pſ. 17. 34. Habac. 3. 19. b Pſal. 54. 7. c Iſa. 40. 31.

VIDEA-

VIDEAMVS nunc, vnde & quo spiritus ascendat, quem deserat locũ, & in quẽ festinet volet ve? ascendit. n. è terra in cœlum, à creaturis ad Creatorẽ, à seipso ad Deũ, & à reb. visibilib. & temporalibus, ad inuisibiles & ęternas; abstrahens cogitationem & affectũ ab illis, vt eum in has transferat, quò suã d *conuersationem*, vt ait Apostolus, habeat *in cœlis* cum beatis spiritibus, multoq; magis cum ipso omniũ Domino. Et hoc est quod Hieremias ait e *leuauit se super se*, exiens vid. à seipso, quoad corpus & sensuum actiones; & eleuando spiritũ ad res, quæ supra ipsum sunt, quò suas facultates cũ Creatore suo coniungat. Quam ob causam oratio cõparatur odorifero fumo ex thure ascendenti, iuxta illud Dauidis: f *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo*; & ex myrrha, iuxta illud: g *quæ est ista, quæ ascendit sicut virgula fumi ex aromatib. myrrhæ & thuris*? sicut. n. thus in ignem conjectũ, non totũ in altũ ascendit, sed subtilior tantũ ac delicatior eius pars in fumum cõuersa, reliqua magis terrestri crassaq; parte in cineres redacta remanente: ita in oratione, ignis diuini amoris corpus ipsum mortificat, sensuumq; carnaliũ actiones, vt solus spiritus cũ suis cogitationib. & affectibus spiritualib. nubes penetrans, perueniat ad conspectũ & thronũ Dei, quẽ h *adoret in spiritu & veritate*. Ideoq; reipsa potiùs quàm verbis, sensibus, qui corpus ducunt, dicit, quod i *Abraham dixit ad pueros suos: expectate hic* in crepidine montis *cũ asino, ego & puer illuc vsq; properantes, postquam adorauerimus, reuertemur ad vos.* Et quoniã ipsi spiritui graue est, talẽ sociũ relinquere, solũq; montẽ ascendere, ideo ille ascensus comparatur etiã myrrhæ odorifero fumo, qui notat perfectissimam mortificationẽ, quæ orationem recollectissimã comitatur.

> 2. Vnde? à terra.
> d Phil. 3. 20.
> e Thr. 3. 28.
> f Ps. 140. 2.
> g Cant. 3. 6.
> h Ioan 4. 23.
> i Gen. 22. 5.

Hoc ipsum adhuc intelligetur clariùs ex Mystica illa Iacob k *Scala quæ stans super terram, cacumen illius tangebat cœlum*, iuxta quã Iacob dormiens corpore, spiritu vigilabat, *& Dominus innitebatur ipsi scalæ* in modũ eam sustentãtis, ne rueret aut laberetur; & *Angeli Dei* per eandẽ *ascendebant*, à Iacob ad Deũ, ac *descendebant* à Deo ad Iacob. Et quę (inquit S. Aug.) hæc est scala, nisi perfecta oratio, quæ suis veluti gradib. è terra ascendit ad conspectũ Dei viuentis? & quid est, Iacob ad scalæ extremitatem dormire, adeoq; diuinum somnium somniare, nisi te monere, quod si perfectè oras, debeas dormire quoad corporis & externorum sensuum actiones, earum videl. pro eo tempore ita oblitus, atq; si tantùm esses spiritus, diceresq; cum sponsa: l *ego dormio & cor meum vigilat*. Solus enim spiritus & cor ipsum per hanc scalam ascendere debet, relicto corpore dormiente, & ad extremitatem scalæ expectante. Et quid est, Deum cacumini scalæ inniti, instar illam sustentantis, nisi te instruere ac docere, quod Deus singulariter assistat orationi tuæ, confortans actiones tuas in ea iuuansq; te ascendere vsque ad cacumen diuinæ vnitionis, in qua tuus spiritus cum eius spiritu coniungitur & vnus efficitur.

> 3. Quo? Ad Deum.
> k Gen. 28. 12.
> Septuaginta Interpretes addunt, Firmant, seu erigens illam.
> In scala Paradisi Tomo 9.
> l Cant. 5. 2.

4. [P]er quos [g]radus. QVOD si adhuc nosse desideres, quibus gradibus ad cacumen illud sit ascendendum? scias, ordinariè ascendi per sex actus valdè heroicos, quorum breuem hic summam proponemus, tanquam fundamentum eorũ, quæ fusiùs de singulis dicenda sunt in progressu horum Tractatuum.

§. I. *De memoria præsentiæ Dei, & Angelorum eius.*

PRIMVS ergo gradus pertinet ad memoriam, in quo eleuandi sunt oculi mentis ad intuendam Maiestatem Dei, quocum es locuturus, cogitans esse tibi præsentem, aspicientem quæ facis, & quæ dicis audientem. Quando igitur te ad orationem recipis, in quocunq; loco, quantumuis solitario & separato, nunquam existimes te esse solum; sed verè adesse tibi sanctissimam Trinitatem Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, cum quibus miscendi sint tibi sermones, quos tanta fidei viuacitate ac certitudine intuearis, atq; si oculis corporis illos a cerneres. addenda verò est primò huic aspectui profundissima quædam reuerentia, & interior exteriorq; adoratio. Quam diuinæ præsentiæ memoriam necesse est toto orationis tempore ita conseruare, vt omnes tuos in ea actus ad Deum tanquam præsentem dirigas, ad imitationem Dauidis, dicentis: b *Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper:* ostendit enim suam Meditationem, cordisq; affectus, quos illi coniungebat, semper cum Deo esse, & in eius præsentia.

a Hebr. 11. 27. [I]nuisibilẽ [e]nim tan[q]uam vi[d]ens susti[n]uit.

b Psal. 18. [1]5.

NOMINATIM verò ad animum & spiritum resumendum, eleuandus spiritus est, sicut faciebat Iacob, ad aspiciendum DEVM Trinum & vnum scalæ innixum, eiusq; officium, quo porrigit tibi manum, iuuatq; per scalæ gradus ascendere. Licebit itaq; Patrem æternum intueri tanquam fontem bonarum cogitationum, quæ nostram memoriam replent; & sua omnipotentia assistentem, ad eam tranquillandam; & à distractionibus, quæ illam turbant, liberandam. Filium Dei licebit intueri, tanquam primum principium veritatum, quæ nostrum intellectum illustrant; & infinita sua sapientia assistentem, ad eum docendum, & liberandum à deceptionibus & erroribus, qui solent ibi se insinuare. Ipsum deniq; Spiritum Sanctum licebit intueri, tanquam primam originem feruentium affectuum, qui nostram voluntatem accendunt; & immensa sua charitate assistentem, ad eandem voluntatem permouendam, & in eius affectibus dirigendam; & à tepiditatibus & ariditatibus, quæ molestiam illi adferre solent, liberandam. Ab vnaquaque autem harum diuinarum personarum demissè petere licet perfectionem eius operis, quod illi attribuitur, in hunc modum. O Pater supreme, imple meam memoriam sanctis cogitationibus, roburq; & constantiam in eis mihi præbe: O fili Dei vnigenite, illustra meum intellectum lumine tuarum cœlestium veritatum, tribueq; mihi altissimum earum sensum: O Spiritus sanctissime, accende cor meum feruentibus tuis affectibus; eosq; ita semper foue, ne vnquam in eis tepescam. Amen.

NEC

Nec tamen in hoc ipso primo ad magnum hunc Deum ingressu, eum, quasi solus esset, aspicias; sed, vt S. Bernardus ait, Angelorum Hierarchijs stipatum, qui summa reuerentia eius præsentiæ assistunt, dicesque cum Dauide: b *in conspectu Angelorum psallam tibi, adorabo ad templum sanctum tuum.* Interdum itaque aspicere Deum poteris, supremis tribus Angelorum Choris stipatum, in quibus elucent tres prædicti affectus trium diuinarum personarum, ad perfectam habendam orationem. In Thronis splendet firmitas memoriæ in Deo: In Cherubinis lux sapientiæ: In Seraphinis ardor charitatis. Interdum aspicies tremorem potestatum, vt tremas & tu in præsentia tanti Dei: sed magis adhuc in particulari conijcies oculos, sicut Iacob, in Custodes Angelos, ascendentes & descendentes per scalam: qui, dum ascendunt, præsentant Deo tuas orationes, adiungentes suas, vt tuæ exaudiantur; moxque descendunt ad te, cum felici earum expeditione. *sursum* ergo *cor tuum* eleua, vt ait Ecclesia in Missæ Præfatione, & inserens te angelicis illis spiritibus, ora cum eis, iuxta illud eiusdem Præfationis, *cum quibus & nostras voces vt admitti iubeas deprecamur*; siquidem voces & clamores tui, soli, & per se non merentur admitti.

Serm. 7. in Cant.

b *Psal. 137.*

Nec sine mysterio priùs ait scriptura, Angelos ascendere, & postea descendere: sic enim insinuat, priùs Iacob illos apud se in terra vidisse, vt tu intelligas, sæpè re ipsa & verè illos esse apud te, dum oras; tecumque, dum ascendis, ascendere, &, vt ascendas, iuuare: cum illis itaque colloqui licet in ascensu: quia tale colloquium non turbabit illud, quod habes cum Deo; sed iuuerit potiùs, vt ad cacumen vsque sine defatigatione ascendas, dicesque illis: O Angeli Beati c de *quorum manibus ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum,* assistite mihi oranti, vt oratio mea tanto feruore in cœlum ascendat, ne in medio itinere tanquam fumus euanescat; sed eam manibus vestris accipite; vestraque obsequia Deo exhibita allegantes, eam ponite in igne thuribuli aurei; qui est Christus Dominus noster, vt eius vestrisque meritis coniuncta, obtineam quod meis ego non promereor, Amen.

c *Apoc. 8. 4*

§. 2. *De pura intentione & oblatione.*

Constitvtvs itaque in Dei præsentia, id secundo loco facies, vt intentionem huius actionis, quam aggrederis, eleues supra omnia terrena, peritura, & quæcunque creata, ac supra te ipsum, dirigendo illam purè rectaque ad ipsummet Deum, qui scalæ summitati innixus est: solam ipsius gloriam & honorem quærendo, absque malæ vllius intentionis admixtione; & reijciendo, si fieri poterit, etiam imperfectam: quia, vt ait Sapiens d *Dei sermocinatio est cum simplicibus, & abominatio Domini est omnis illusor,* qui peruersas huiusmodi intentiones piæ huic actioni admiscet.

De hac re agetur in *Tract.* 4 c. 15.

d *Prou. 3. 31.*

Mortificanda ergo est in primis omnis vanitatis admixtio,

memor quod Christus Dominus noster reprobauerit Pharisæorum orationem,e *qui amabant in synagogis & in angulis platearum stantes orare, vt viderentur ab hominibus*; instruxerit verò te, dicens: *tu aũt cùm oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito:* ita, vt, quamuis oratio sit publica, intentio sit secreta ad gloriam ipsius Domini illã audientis. Et siquidem ipsa oratio est fumus suauissimus, qui in cœlum ascendit, ne illam coniungito vanitatis fumo, qui apud Deũ non benè olet, & ipsos Angelos fugat, excæcat intellectũ, exsiccat affectus, fructusque oẽs eorum corrumpit.

e Matth. 6. 5

2. MORTIFICANDA est etiam intentio curiositatis aut sensualitatis spiritualis, aut proprij commodi: non enim est ad scalæ summitatem ascendendum, vt curiosè noueris Dei arcana, aut eius delitias consequaris, aut quò magnis te ille fauoribus prosequatur: nam licet tibi hæc omnia cõmunicet Deus, non tamen vult, hunc esse præcipuum nostræ ascensionis finem, quò illa sit perfecta. quodammodo enim qui hæc ex principali instituto quærit, minoris ipsum Deum facit, quàm ipsa dona, quæ quærit: cùm tamen illa finita sint, eorum verò largitor infinitus; quare ea ratione te minus dignum eorum reddis.

Ascende itaque ad Deum, vt ipsummet Deum quæras, petasq; vt seipsum tibi det, idq; non proprij interesse aut delectationis causa, sed maioris illius gloriæ, & quia id illi placet: tunc enim oratio tua bene excipietur, obtinebitque quod in hunc finem petieris. Propterea enim Dauid dixit: f *exquisiui Dominum, & exaudiuit me.* O Pater cœlestis, qui te quærentium orationem exaudis, purifica intentionem meam in ea, quam nunc aggredior, ne aut quæram aut petam nisi te, donaque tua, vt eisdem magis tibi seruiam.

f Psalm. 33. 5

PVRAE huic intentioni adiungenda est aliqua oblatio, cogitans iussisse Dominum in lege sua: g *non apparebis in conspectu meo vacuus*, absque aliquo videlicet munere donove, quod illi offeras. cùm itaque ad eius conspectum nunc accedas, offer illi ingenuè cogitationes omnes, affectusque cordis tui, & labores, quos in ipsa oratione sustinebis, vel ex corporis defatigatione, vel ex distractionibus, ariditatibus aut aliis spiritus molestiis; amplectens quamcunq; afflictionẽ absq; tua culpa euẽturam, ex eo quod in diuino eius conspectu verseris. Offer illi animo generoso, quod ipse maximè desiderat petitq;, iuxta illud sapientis: h *Prabe fili mi, cor tuum mihi,* vt de te pro libitu suo disponat in hac orationis hora, & in reliqua vita tua, ac denique per totã æternitatem, subijciens te ipsum omninò eius de te ordinationi: quia nulla alia dispositione magis illi placere potes: id quod indicauit Dauid, cùm dixit: i *subditus esto Domino, & ora eum.* quasi diceret: incipe ab hac subiectione, & benè excipietur oratio tua. O Deus æterne, hoc vas cordis mei totum tibi offero, subijcioq; tuæ voluntati & dispositioni in rebus omnibus: imple illud tuis diuinis donis, vt eo spiritu ac feruore orem, quo tu vis. Amen.

g Exod. 23. 15. & cap. 34. 20.

h Prou. 23. 26.

i Psalm. 36. 7.

§. 3. *De considerationibus intellectus.*

HANC oblationem proximè sequitur tertius actus, Eleuatio scilicet intellectus, ad eorum considerationem, quæ ad colloquendum dignè cum Deo sunt necessaria. In quo gradu impingere statim solent, qui per scalam orationis ascendere incipiunt. Alij, quod non sciant meditari, aut mente discurrere, quantum desiderant: ex quo oritur, vt aridos se inueniant, nec sciant, quid dicere, aut cùm Deo tractare debeant: Alij ad alterum inclinantes extremum, adeò habenas curiositatis laxant in suis discursibus, vt eo excessu affectuum ignem suffocent, nec locum colloquijs relinquant. Vtriq; autem necessariò aduertere debent, Meditationes ac discursus nō esse substantiam orationis, sed media & gradus, per quos ad eam ascenditur: ideoq; fieri non debent ea ratione, qua quis studeret ad veritatē inuestigandam, quam assequi desiderat; sed qua quis cupit colloqui cum Deo, vt magis illi placeat. nam lingua spiritus (teste Diuo Thoma) est eius intellectus, verba autem sunt bonæ eius cogitationes directæ in Deum, qui illas intelligit: & hac ratione ipsum meditari, erit etiam orare, fietque multò facilius atque fructuosius. Quamobrem tria præcipuè consideranda sunt genera veritatū, quæ exercitium cum Deo colloquendi exacuunt, feruentiusq; reddunt, de quibus dicetur fusiùs in subsequentibus tractatibus, quibus præsupponuntur plurima, quæ de eisdem dicta sunt in libro Meditationum.

1. part. q. 1c a. 1.

S. Bonauen. de 7 itinerib 2. dist. Os cordis est meditatio.

PRIMVM considerandum est, & exacuenda fides circa veritates ad ipsummet Deum spectantes, quo cum es collocuturus: neque enim commodè tua negotia transigere poteris cum eo, quem non noueris, nec eius ingenium, nec virtutem & facultatem, qua pollet, ad ea feliciter expedienda. Cùm igitur in oratione accedas ad colloquendum cum cœlesti Rege de negotijs tuę salutis, necesse est benè attendere, quis ipse sit Rex, cum quo loquaris; esseque infinitam eius magnitudinem atque perfectiones, ob quas summa sit reuerentia dignus. 1.

PERPENDE itaq; ipsum esse infinitè sapientem, cui nihil sit occultū; infinitè potentem, ad faciendum quidquid voluerit; infinitè misericordem, ad reparandam quamcunq; miseriam; infinitè bonum, itaque amabilem ac beneuolum, vt infinitam humanitatē cum Maiestate infinita coniūgat, quò, absq; suæ magnitudinis incommodo, possit arctam familiaritatē cum suis creaturis contrahere. Exacuenda quoq; est tibi fides, quod idē sit tuus conditor, qui de nihilo te cōdiderit; tuus conseruator, à quo tota tua vita depēdeat; tuus gubernator, qui te sua prouidētia gubernat; & vltimus finis tuus, in quo tota beatitudo consistit. Hæ & similes aliæ veritates benè perpensæ te permouebunt ad colloquendum cum Deo, eo respectu, amore, & fiducia, quæ ab eis procedunt.

DEINDE sunt considerandæ aliquæ veritates, pertinentes ad Chri- 2.

stum

memor quod Christus Dominus noster reprobauerit Pharisæorum orationem,e *qui amabant in synagogis & in angulis platearum stantes orare, vt videren-* Matth. 6. 5
tur ab hominibus; instruxerit verò te, dicens: *tu aũt cùm oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito:* ita, vt, quamuis oratio sit publica, intentio sit secreta ad gloriam ipsius Domini illã audientis. Et siquidem ipsa oratio est fumus suauissimus, qui in cœlum ascendit, ne illam coniungito vanitatis fumo, qui apud Deũ non benè olet, & ipsos Angelos fugat, excæcat intellectũ, exsiccat affectus, fructusque oẽs eorum corrumpit.

2. MORTIFICANDA est etiam intentio curiositatis aut sensualitatis spiritualis, aut proprij commodi: non enim est ad scalæ summitatem ascendendum, vt curiosè noueris Dei arcana, aut eius delitias consequaris, aut quò magnis te ille fauoribus prosequatur: nam licet tibi hæc omnia cõmunicet Deus, non tamen vult, hunc esse præcipuum nostræ ascensionis finem, quò illa sit perfecta. quodammodo enim qui hæc ex principali instituto quærit, minoris ipsum Deum facit, quàm ipsa dona, quæ quærit: cùm tamen illa finita sint, eorum verò largitor infinitus; quare ea ratione te minus dignum eorum reddis.

Ascende itaque ad Deum, vt ipsummet Deum quæras, petasq; vt seipsum tibi det, idq; non proprij interesse aut delectationis causa, sed maioris illius gloriæ, & quia id illi placet: tunc enim oratio tua bene excipietur, obtinebit-
Psalm. 33. 5 que quod in hunc finem petieris. Propterea enim David dixit: f *exquisiui Dominum, & exaudiuit me.* O Pater cœlestis, qui te quærentium orationem exaudis, purifica intentionem meam in ea, quam nunc aggredior, ne aut quæram aut petam nisi te, donaque tua, vt eisdem magis tibi seruiam.

PVRAE huic intentioni adiungenda est aliqua oblatio, cogitans iussisse
Exod. 23. 5. & cap. 4. 20. Dominum in lege sua: g *non apparebis in conspectu meo vacuus*, absque aliquo videlicet munere donove, quod illi offeras. cùm itaque ad eius conspectum nunc accedas, offer illi ingenuè cogitationes omnes, affectusque cordis tui, & labores, quos in ipsa oratione sustinebis, vel ex corporis defatigatione, vel ex distractionibus, ariditatibus aut aliis spiritus molestiis; amplectens quamcunq; afflictionẽ absq; tua culpa euẽturam, ex eo quod in diuino eius conspectu verseris. Offer illi animo generoso, quod ipse maximè desiderat
Prou. 23. 6. petitq;, iuxta illud sapientis: h *Præbe fili mi, cor tuum mihi,* vt de te pro libitu suo disponat in hac orationis hora, & in reliqua vita tua, ac denique per totã æternitatem, subijciens te ipsum omninò eius de te ordinationi: quia nulla alia dispositione magis illi placere potes: id quod indicauit David, cùm di-
Psalm. 36. xit: i *subditus esto Domino, & ora eum.* quasi diceret: incipe ab hac subiectione, & benè excipietur oratio tua. O Deus æterne, hoc vas cordis mei totum tibi offero, subijcioq; tuæ voluntati & dispositioni in rebus omnibus: imple illud tuis diuinis donis, vt eo spiritu ac feruore orem, quo tu vis. Amen.

§. 3. De considerationibus intellectus.

HANC oblationem proximè ſequitur tertius actus, Eleuatio ſcilicet intellectus, ad eorum conſiderationem, quæ ad colloquendum dignè cum Deo ſunt neceſſaria. In quo gradu impingere ſtatim ſolent, qui per ſcalam orationis aſcendere incipiunt. Alij, quod non ſciant meditari, aut mente diſcurrere, quantum deſiderant: ex quo oritur, vt aridos ſe inueniant, nec ſciant, quid dicere, aut cum Deo tractare debeant: Alij ad alterum inclinantes extremum, adeò habenas curioſitatis laxant in ſuis diſcurſibus, vt eo exceſſu affectuum ignem ſuffocent, nec locum colloquijs relinquant. Vtriq; autem neceſſariò aduertere debent, Meditationes ac diſcurſus nō eſſe ſubſtantiam orationis, ſed media & gradus, per quos ad eam aſcenditur: ideoq; fieri non debent ea ratione, qua quis ſtuderet ad veritatē inueſtigandam, quam aſſequi deſiderat; ſed qua quis cupit colloqui cum Deo, vt magis illi placeat. nam lingua ſpiritus (teſte Diuo Thoma) eſt eius intellectus, verba autem ſunt bonæ eius cogitationes directæ in Deum, qui illas intelligit: & hac ratione ipſum meditari, erit etiam orare, fietque multò facilius atque fructuoſius. Quamobrem tria præcipuè conſideranda ſunt genera veritatū, quæ exercitium cum Deo colloquendi exacuunt, feruentiuſq; reddunt, de quibus dicetur fuſiùs in ſubſequentibus tractatibus, quibus præſupponuntur plurima, quæ de eiſdem dicta ſunt in libro Meditationum.

1. part. q. 1[illegible] a. 1. S. Bonauent. de 7 itinerib 2. dist. Os cordis eſt meditatio.

1. PRIMVM conſiderandum eſt, & exacuenda fides circa veritates ad ipſummet Deum ſpectantes, quo cum es collocuturus: neque enim commodè tua negotia tranſigere poteris cum eo, quem non noueris, nec eius ingenium, nec virtutem & facultatem, qua pollet, ad ea feliciter expedienda. Cùm igitur in oratione accedas ad colloquendum cum cœleſti Rege de negotijs tuę ſalutis, neceſſe eſt benè attendere, quis ipſe ſit Rex, cum quo loquaris; eſſeque infinitam eius magnitudinem atque perfectiones, ob quas ſumma ſit reuerentia dignus.

PERPENDE itaq; ipſum eſſe infinitè ſapientem, cui nihil ſit occultū; infinitè potentem, ad faciendum quidquid voluerit; infinitè miſericordem, ad reparandam quamcunq; miſeriam; infinitè bonum, itaque amabilem ac beneuolum, vt infinitam humanitatē cum Maieſtate infinita coniūgat, quò, abſq; ſuæ magnitudinis incommodo, poſsit arctam familiaritatē cum ſuis creaturis contrahere. Exacuenda quoq; eſt tibi fides, quod idē ſit tuus conditor, qui de nihilo te cōdiderit; tuus conſeruator, à quo tota tua vita depēdeat; tuus gubernator, qui te ſua prouidētia gubernat; & vltimus finis tuus, in quo tota beatitudo conſiſtit. Hæ & ſimiles aliæ veritates benè perpenſæ te permouebunt ad colloquendum cum Deo, eo reſpectu, amore, & fiducia, quæ ab eis procedunt.

2. DEINDE ſunt conſiderandæ aliquæ veritates, pertinentes ad Chri-

ſtum

ſtum Dominum noſtrum, cum quo etiam eſt tibi colloquendum; quia tuus eſt Deus, & quà homo, etiam Aduocatus: quem niſi noueris, non poteris cum eo, ſalutis tuæ negotium benè tranſigere: propterea enim dixit ipſemet: a *hanc eſſe vitam æternam, vt cognoſcant Deum verum, & quem miſit* Ieſum Chriſtum filium ſuum. Hunc Saluatorem, ſtudendum tibi eſt, cognoſcere, conſiderando infinitas ipſius excellentias, heroicas animæ eius virtutes, ſpecies ac figuras adeò varias & beneuolas, quas in ſuo corpore accepit & expreſsit; aſpiciendo illum nunc infantem in præſepio, nunc in monte Thabor transfiguratum, nunc omni ex parte vulneratum, ac deformatum in monte Caluario; ac denique glorificatum in cœlo Empyreo. Exercendus quoque eſt actus fidei, qui idem ipſe ſit tuus Redemptor, tuus Medicus, Aduocatus, Protector, & vnicus tuarum neceſsitatum Reparator, vnica porta ad ingreſſum in cœlum, ad aſcendendum ad Patrem, ad te cum Deo coniungendum, & in eius virtutes transformandum. Ille denique tuarum orationum principium eſſe debet & coronis. in eius enim nomine ſunt tibi inchoandæ, & cum eodem concludendæ; & agendum cum Patre, mediante filio, de re, quam filius ipſe cum eodem vult tranſigere.

Ioan 7.3.

3. CVM his conſiderationibus coniungendæ ſunt aliæ, rerum, quæ ad teipſum ſpectant, ad cognoſcendum, inquam te ipſum, & quis tu ipſe ſis, qui accedis ad colloquendum cum Deo; perpendendo multitudinem & fœditatem tuorum peccatorum, vehementiam tuarum paſsionum; periculum in quo verſaris, incidendi in grauiſsima damna temporalia, & æterna; debiles vires tuas, vt illa effugias; Nihilum, quod ex te ipſo habes, & quòd in omnibus tuis rebus à Deo omninò dependeas. Attende item extremã tuam neceſsitatem, qua premeris rerum, de quibus cum Deo ſit tibi agendum, quas ipſe ſolus dare tibi poteſt, & niſi obtineas, ſine omni remedio peribis. in hunc finem perpendere licebit vitæ huius breuitatem, mortis terribilitatem, diuini iudicij ſeueritatem, & cruciatuum Inferni æternitatem; virtutum quoque pulchritudinem, valorem bonorum operum, dulceſque fructus ab eiſdem prouenientes, & æterna præmia, quibus tandem afficientur. nam ſi rectè perpendas extremam tuam neceſsitatem, ac ſimul debilitatem, quantumque tua referat, quæ deſideras & quæris, obtinere, non prætermittes de eodem cum Deo agere ita feruenter ac ſeriò, ſicut tanti momenti negotium requirit.

4. SED quoniam interdum noſter intellectus obſcuratus valdè eſt, atque deiectus, expedit modum aliquem alium inire, dirigendo ſcilicet cogitationes ad te ipſum, inſtar illius, qui ſecum ipſe loquitur per modum interrogationum, vt obſtringat ſe ad cogitandum & attendendum, quid debeat reſpondere: ſicut Iob faciebat, cùm diceret, b *non parcam ori meo; loquar in tribulatione ſpiritus mei, confabulabor cum amaritudine animæ meæ, conſolabitur me*

Iob. 7. 11.

lectulus

lectulus meus, releuabor loquens mecum in strato meo. Et Apostolus exhortatur, dicens: c *implemini Spiritu sancto, loquentes vobismet ipsis in Psalmis, psallentes in cordibus vestris Domino:* Hac enim ratione solet noster intellectus excitari in suo discursu. Sic ergo in tua recollectione constitutus, has omnes interrogationes proponere tibi poteris, non simul, sed singulas seorsim. Cur te in hunc locum colligis? quid cogitare intendis, & facere? vbi est ille Deus, cum quo es collocuturus? Quis ille est, & cuius ingenij? de quibus negotijs, vt cum eo hic ageres, venisti? quanti sunt illa momenti? qua ratione te geres in ipso ingressu, & postea in eius præsentia? In hoc mysterio, quod audiuisti, aut legisti, quid est, quod te scire ad salutem tuam referat? Quæ verba expedit tibi apud Deum vsurpare, vt ad te exaudiendum permoueatur? Ac denique quid æquum est, te in posterum in eius gratiam & obsequium præstare? ad singulas has quæstiones respondebis tibi ipsi iuxta ea, quæ aut sancta fides te docet, aut naturalis ratio dictat; atque si quispiam alius eadem à te quæreret, & tibi incumberet illi respondere. Et hic modus interrogandi ac respondendi est ratiocinatio, & collocutio, quam tecum habes: ex qua gradus fiet ad colloquendum cum Deo, & Christo Domino nostro, inserendo his considerationibus aliquid trium prædictarum cognitionum: nam ex omnibus tribus fortis funiculus conficitur, quo noster spiritus cum Deo coniungitur, eique, vt oportet, loquitur: sicut eas coniunxit Abrahamus, cùm dixit d *loquar ad Dominum meum, cùm sim puluis & cinis.* O Deus infinite, quis ego sum, vt loquar tecum? nisi quod ipsa mea vilitas, tuaque magnitudo ad tecum loquendum inuitant, quò magna tua misericordia reparet magnam meam miseriam.

c Ephes. 5.19

d Gen. 13.27

§. 4. *De actibus & affectibus voluntatis.*

Excitato prædictis considerationibus intellectu, exercendus in oratione est quartus actus, eleuatio scilicet voluntatis super omnes affectiones terrenas, & super teipsum, ad actus affectusque puros & feruentes rerum cœlestium, Deique tui ac Saluatoris; plus eum amando, quam teipsum, & omnia creata; firmiterque & efficaciter statuendo seruire illi feruenter in omnibus, quæ præcipit aut inspirat. Hi affectus debent semper ipsam Meditationem comitari: alioqui erit illa parum vtilis, eo quod intellectus suis discursibus non colligat, nisi veritates; voluntas verò actibus suis virtutes: ille cibum in ore accipit, hæc eundem delibat, ipsique animæ coaptans incorporat: ille absconditum thesaurum patefacit, hæc eundem amplectitur, eiusque diuitiis fruitur: ille te facit sapientem, hæc sanctum: & vterque simul te in sanctitate stabilient: virtus enim in sola cognitione cum exiguo affectu, est quasi coacta; & quæ est ex solo affectu,

cum exigua cognitione, est etiam vmbratilis: si autem coniungatur vtrumque, erit virtus iucunda & stabilis, & colloquia cum Deo erunt feruentiora: deuotio enim (teste S. Bernardo) est lingua animæ, & absque illa manet muta, nec scit cum verbo diuino loqui, cum qua tamen loquitur eidem, magno feruore & spiritu.

Serm. 45. in Cant.

Ex his satis constat, quantoperè decipiantur qui totum orationis tempus, solis ratiocinationibus etiam curiosissimis tribuunt, immemores, voluntatem excitare ad prædictos inflammatos affectus; quorum deceptionem retegunt illi Seraphini, de quibus ait Isaias, quod stantes coram Deo, a *duabus alis velabant faciem eius. & duabus velabant pedes eius,* toto pectore, in quo est sedes amoris, discooperto remanente: *& duabus* quas in lateribus habebant *volabant, & clamabant alter ad alterum, & dicebant, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum: plena est omnis terra gloria eius.* Quid enim aliud hæc figura volebat, nisi te docere, vt cum accedis ad conspectum diuinæ Maiestatis, si velis accendi sicut aliquis Seraphinus, merito debeas alas complicare ratiocinationum, quibus ad cognitionem altissimarum & profundissimarum Dei rerum volatur; velando scilicet oculos velo fidei, omnemque excessum in eis circumcidendo; vt tibi satis esse existimes, si credas quod de excellentiis ipsius Dei & profundissimis eius iudiciis est reuelatum: te autem sic dispositum decet volare alijs duabus alis, cognitionis scilicet simplicis & affectus beneuoli, coniungendo pectus tuum cum ipsius Dei pectore per intimam vnitionem; cantando diuinas eius laudes, ab eoque petere, vt suis te impleat misericordiis, demissè ei dicens: O DEVS æterne, agnosco fateorque, te esse sanctum sanctorum, me autem omnium peccatorum maximum: te esse ipsam misericordiam, me autem ipsam miseriam. quid ergo amplius scire volo? aut cur amplius ratiocinando pergam? huc accedo ad tuum conspectum, vt miseriæ meæ consulas, diuinis tuis misericordiis me replens. Quod si ob b *Meditationis* tepiditatem non *exardescit* horum affectuum *ignis*; da operam, vt voluntas tua, libertate sui arbitrij vtens, permoueat te ad eosdem quo modo poteris exercendos: solet enim euenire, quod ait Sapiens, vt c *à scintilla vna augeatur ignis*; & à paruo aliquo affectu, alius prodeat magis accensus; accedente diuinæ inspirationis flatu, vt flamma ipsa augeatur, qua cor inflammetur.

a Isa. 6. 2.

b Psal. 38. 4

c Eccl. 11. 34

HI affectus conformes esse debent tribus prædictis cognitionibus, DEI scilicet, Christi Domini, tuique ipsius: exercendo internos omnium virtutum actus quibus Deus diligitur, & in eximiis suis operibus glorificatur: Christum verò Dominum in suis imitamur, magnique facimus: addendo etiam actus odij contemptusque tui ipsius, ob tua pec-

cata & miserias, ea ratione & forma, cuius in horum Tractatuum progressu praxis exprimetur.

§. 5. *De Petitionibus & Colloquiis.*

HIs affectibus coniungendus est quintus actus, eleuatio scilicet totius d *animæ & cordis* tui, vt illud iuxta consilium Dauidis *effundas coram Deo*, tuas illi aperiens necessitates ac desideria, piisque petitionibus & colloquiis tenerrimis, fiduciaque plenis ab eo contendens, vt te exaudiat; & quod desideras ac petis, tibi concedat. Cuius quinti actus ratione *Oratio* (vt dixit S. Ioannes Damascenus) *est petitio decentium à Deo*, in qua varij tituli & motiua adferenda sunt, non tam ad eius diuinam voluntatem inclinandam, quàm ad tuam permouendam, ad ita feruenter confidenterque petendum, vt sis dignus accipere, quod ipse desiderat tibi dare. Hi tituli sicut affectus ipsi deducendi sunt ex fontibus diuinitatis & humanitatis Saluatoris nostri, & ex alto miseriarum nostrarum puteo, & ex ipsa nostra necessitate, qua omninò indigemus Deo & Christo Domino nostro, qui eas reparet. Qua autem forma hi tituli sint deducendi, ostendemus postea. Nec tamen existimes, huiusmodi petitiones esse in finem orationis reiiciendas; sed potiùs cæteris actibus ipsius orationis esse inserendas, sicut hactenus vidimus. Nominatim autem in duplici opportunitate sunt exercendi. *Prima* est, quando cæteræ facultates disperguntur, aut in suis actionibus sunt remissiores: tunc inquam petendum à Deo Domino nostro est, vt eas colligat excitetque dicendo cum Dauide e *cor meum dereliquit me, complaceat tibi Domine*, illud ita colligere, vt mecum maneat, & in quiete oret: & iterum, f *expandi manus meas ad te, anima mea sicut terra sine aqua tibi: velociter exaudi me: defecit spiritus meus*: conforta illud gratia tua. *Altera* est occasio, cum voluntas est iam permota pio aliquo affectu: tunc enim post illam iucunditatem ac dulcedinem, opportunum est petere à Deo Domino nostro efficax auxilium, ad exequendum bona proposita, quæ tunc nobis communicauit: proderunt enim tunc petitiones feruentiores, & confidentiores, ideoque facilè exaudiuntur & expediuntur. Nec solùm cum Deo est colloquendum, vt aliquid ab eo petamus; verum etiam, vt pro collatis gratias eidem agamus: ac denique in quemcunque finem, cuius causa filius cum Patre, discipulus cum suo Magistro, vt amicus cum amico loqui consueuit, cui animæ suæ secreta communicat, eo modo quo postea dicetur.

d *Psal.* 61
1. *Reg.* 1. 1[5]
Lib. 3. *fide*[i]
e *Psal.* 39
f *Psal.* 14[2]

SED cupis fortè nosse, quam ob causam hanc hominis cum Deo conuersationem sancti appellent nomine Colloquij, quod significat conuersationem duorum inter se colloquentium, altero alteri respondente, instar illorum, qui iucundè inter seipsos conuersantur. Num ita & in eum

finem Deum alloqueris, vt te ipse alloquatur, aut tam diu in loquendo persistes, donec tibi respondeat? si enim hoc ita est, commodè potest colloquium appellari: & dulcis proculdubio erit conuersatio, quam Deus ipse fouet. Attende itaque, quod sicut tu in oratione Deum alloqueris; ita ipse te alloquetur, si tu loquaris, vt oportet, licèt cum discrimine. Nam (vt ait S. Thomas) tu loqueris cum Deo, non vt ipsi manifestes, quod ipse non nouit, aut des aliquid, quod ipse non habet; sed potius vt ab eo accipias scientiam, aut virtutem, & gratiam, quam tu non habes. Quando autem Deus te per suas inspirationes alloquitur, non id facit, vt aliquid à te accipiat, quod ipse à te non habeat; sed vt aliquid tibi communicet ex his, quæ ipse habet: magnisque (vt ait S. Bernard.) te fauoribus prosequatur: quibus nouos spiritus recipias, ad colloquendum cum ipso, & orationem magna cum voluptate continuandam: quo nomine licet ab illo petere, vt alloquatur tibi ad cor, magnoque affectu illi dicere: ô Amator animæ meæ, siquidem dicis mihi: h *sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis*: Supplico, vt tua etiam vox sonet in auribus meis, quia dulcissima illa est mihi: i *loquere Domine, quia audit seruus tuus,* & loquere tu prior, vt aptè sciam tecum ex voto loqui.

1 part q. 107 a 3.

Serm 45. in Cant.

h *Cant. 2. 14*

i *1 Reg 3. 10*

§. 6. De quieta vnitione & perfecta cum Deo familiaritate.

POSTEAQVAM quinque gradus conscenderis scalæ mysticæ orationis, inter alia dona quæ supremus Dominus in ea tibi communicare potest, illud est, vt ad sextum vltimumque gradum te eleuet, cui ipse innititur, dicens tibi ad cor dulce illud verbum Apocalypsis: a *Ascende huc,* & coniungere mihi: ingredere portam huius cœli, quæ tibi patet, vt videas & contempleris diuina mea mysteria: b *abscondere* aliquo temporis spatio, *in abscondito faciei* meæ, & in intimo diuinitatis meæ, quò non accedit *conturbatio hominum.* Et quoniam vox Dei efficax est, quid aliud eam consequetur, quàm quòd S. Ioannes in eodem loco subiunxit: c *& statim fui in spiritu,* quasi diceret: mox relicto corporis eiusque sensuum vsu, superioribus animæ meæ facultatibus coniunxi me supremo spiritui, qui est Deus, factusque d *sum vnus spiritus cum eo* transformatus omninò in amorem eius, & particeps hac vnitione effectus splendorum, virtutum, ac donorum diuinitatis eius, quale manere solet ferrum, cùm est in magnum ignem iniectum.

a *Apoc 4. 1.*

b *Psal 30. 21*

c *Apoc. 4. 2.*

d *1 Cor. 6. 17*

Tunc autem conceditur perfectè donum illud, quod familiaritatem cum Deo vocamus, quod quidem non est semel aut iterum orare, sed frequentissimè, valdè amicè, ac fiducialiter Deum alloqui, sicut magnus aliquis amicus cum alio sibi intimo colloqui solet, & aliquis maximè familiaris cum suo principe, filius cum suo Patre, ac denique sponsa cum dilecto

ſuo ſponſo: ac propterea ſanctus Bernardus perfectam orationem definit, quod ſit, *hominis ad Deum adhærentis affectio, & familiaris allocutio, & ſtatio illuminatæ mentis ad fruendum quamdiu licet.* Verba, quæ ibi dicuntur, ſecreta quæ manifeſtantur, deliciæ, quæ guſtantur, vires quæ recipiuntur, & ſpirituales diuitiæ, quæ ibi comparantur, ſentiri potiùs poſſunt, quam explicari. Contende per ſacram hanc ſcalam tanto feruore aſcendere, vt ad eius culmen peruenias; & ita fortè ſenties. Ad fratres de Monte Dei, poſt medium.

Attende verò, quos S. Iacob vidit, e *aſcendentes & deſcendentes*, fuiſſe Angelos Dei; qui non volando aſcendebãt, nec vno paſſu plures gradus tranſgredientes; ſed ab vno ad alterum proximum gradum, cum debita mora & grauitate aſcendentes; eadem forma deſcendebant abſq; interruptione talis exercitij. Quid autem hoc totum eſt, niſi quod te doceat. e Gen. 28. 12.

Primvm, eos, qui per excelſa huiuſmodi exercitia ad ſupremum vſq; eorum culmen aſcendunt, debere eſſe Angelos, quod attinet ad vitæ puritatem: exuentes ſcilicet omnes affectus terrenos, & optantes imitari purorum ſpirituum ſanctitatem. 1.

Deinde, non debere præſumere vno volatu ad contemplationis culmen, & ſupremam cum Deo vnitionem aſcendere; ſed prius debere in quiete exercere te in cæteris actibus, quæ ad eam diſponunt, hærendo in ſingulis, quantum opus eſt ad eos perfectè eliciendos. 2.

Tertiò, vt eadem mora, per omnes eius actus deſcendas, examinando quid in ſingulis egeris; & ſuper eos ita reflectendo, vt, quod imperfectum deprehenderis, corrigas, & quod decreueris, exequaris. 3.

Qvartò quod oporteat hæc exercitia abſq; ceſſatione aut intermiſſione continuare; ita tamen vt nunquam animo deficias, propterea quod procul omninò te eſſe videas, vt ſis ſicut Angelus, & ad ſcalæ culmen peruenias. Nam ipſa oratio eam virtutem habet, vt homines in Angelos conuertat, iuuetq; per omnes hos gradus conſcendere. Et quamuis ad ſummum eius non perueneris, non tamen magna vtilitate defraudaberis. Quia etiam in imo eſt vtilitas maxima, vt licebit videre in ijs, quæ de ſingulis gradibus huius ſcalæ in huius libri progreſſu dicentur. 4.

In quo ita ſunt regulæ ac documenta legenda, quæ tradentur, vt præcipuè inniti oporteat Spiritus S. directioni & Magiſterio: pluris omninò faciendo, quod ea exerceas, quam vt ſcias; nec te ſemper alligando ordini, quo illa proponuntur. Etſi enim magni referat, hoc totum noſſe, & in initio etiam exactè ſeruare; poſtea tamen euenire ſolet, vt ſicut, qui Muſicam diſcit, eius exercitatione eò perueniat, vt cantet, pulſetve inſtrumenta valdè dextrè abſq; reflexione ad artis præcepta; aut attentione, quomodo mouere digitos debeat: ſic, inquam, qui perfectè orat & contemplatur, exercet reipſa hanc artem, non attendens ex inſtituto ad regulas & documenta, tra- 5.

dita ſibi ad eam exercendam. Nam nimium ad ea attendere, ſolet impedire illud præcipuum quod quæritur, ſicut S. Antonius Abbas dicebat: non eſſe perfectam Orationem eius, qui reipſa cogitat ſe orare. Perfecta enim oratio ita ſpiritum rapit, vt ad hæc non reflectatur; nec aliud cogitet, quàm ipſum Deum, quocum agit. Et ob hanc inter alias cauſam, qui minus ſunt literis inſtructi, ſolent magis eſſe deuoti: quia minus his reflexionibus aſſueuerunt, orantq; ſimpliciter, non attendentes quomodo diſcurrant: eoq; amplius oblectantur cæleſtis huius Muſicæ ſuauitate, quò minus tunc occupantur, attendendo ad regulas artis. O Deus æterne, cuius f *vnctio docet de omnibus*, doce nos aptum medium in his altiſsimis exercitijs ſeruare; ne vel nimium induſtrijs noſtris confidamus, vel omninò eas negligamus; ſed tuæ infinitæ miſericordiæ confidamus, quæ defectus ſupplebit induſtriæ noſtræ, quò ad ſummum vnitionis tecum apicem aſcendamus: vbi Spiritus noſter tuo coniungatur in æternum.

Caſsian. col. 9. c. 30.

Gerſon. de myſtic. Theol. ſpecula conſider. 43.

f *1. Ioan. 2.*

CAPVT II.

PONITVR SVMMA QVAEDAM EXCELLENTIArum & Vtilitatum perfectæ Orationis, & Virtutum, quæ in ea exercentur, & rerum, quæ in eadem tractantur, extracta ex Precatione Dominica, & ſeptem eius petitionibus.



EX præiacto in proximo capite fundaméto deduces primũ, quanti momenti ſit Oratio, quæ eius vtilitates & Excellētiæ, vt magis ad illam afficiaris, quæ nulla re alia magis laudari poteſt, quàm ſi benè declaretur, quid ipſa ſit, quidq; in ſe complectatur. Ex eo autem quod breuiter dictũ eſt intelliges, hunc orandi modum, & cum Deo familiariter agendi, principium eſſe, medium, & finem vitæ ſpiritualis, & Chriſtianæ, ac religioſæ perfectionis. *Principium* eſt, vnde in via purgatiua tibi ſit inchoandum, vt à vitijs & imperfectionibus tuis omnibus purgeris. *Medium* eſt, cui inniti oportet, ad creſcendum & proficiendum in via illuminatiua, in virtutum omnium augmento. Eſt deniq; *finis*, ad quem peruenies in via vnitiua, vt dulcibus eius fructibus fruaris, cõiungens te Creatori tuo per excellentiſsimam charitatem, & impetrans beatitudinem, qua poſſis in hac vita gaudere.

QVOD totum, vt in lucidiſsimo quodã ſpeculo videas, non tamen à ſcopo noſtro declinans, conijce oculos in Dominicam precationem, in qua excellentiſsimus huius virtutis Magiſter Chriſtus D.N. eas res oẽs delineauit, quæ eius Excellentias, vtilitates, & neceſsitatem nobis poſſunt manifeſtare.

Matth. 6. 9. Luc. 11. 2.

MIRA aũt diſpoſitione, in ipſo ſtatim Orationis veſtibulo, iuſsit Deũ appellare PATREM NOSTRVM. Sic nos docens, Orationẽ, quam ipſe nobis

Pater noſter.

commendabat, esse familiarissimā quandam cum ipsomet Deo tractationem, colloquendo scil. cum eo, non sicut mancipia aut famuli cū Dominis suis; aut subditi cū suis Principib. colloqûutur: sed sicut filij cum parentibus; valdè scil. frequenter, magno amore & fiducia, infundente ad hoc ipso nobilissimū filiorum eius a *Spiritum, in quo clamamus, Abba pater*, bis scil. imò millies quotidie illum Pater Pater appellātes. Vult aūt & alterum illud verbum addi, Qui Es In Coelis, vt intelligas, in hac Oratione ascendendum tibi esse Spiritu in cœlos; ibiq; cum cælesti tuo Patre, ita familiariter agendum, sicut ipsi beati agunt: eo scilicet modo, quo licet illos hic in terra imitari.

a *Rom.* 8. *Gal.* 4 6.
Qui in cœlis.

1\. Hanc (ait S. Chrysostomus) summā esse excellentiam, & hoc esse omniū maximum: & hunc honorem, etiam Angelorum superare maiestatem, quod Creatura loquatur & familiariter cum suo Creatore agat. Nam licet omnes possint imaginari, quanta hæc sit dignitas; nullus tamē id sufficienter declarare potest. Exuperat enim ipsorum Angelorum dignitatem: quod ipsimet agnoscunt, indignos se tanta maiestate reputantes. Nam ideo b *Seraphini* cū Deo loquentes, *faciem suam & pedes duabus alis velant, alijs verò volant*. Velando faciem significantes sanctum Timorem & respectum ad Maiestatē diuinam. volantes verò, quia sic inquieti sunt, tremorem, quo in eius præsentia manentes afficiuntur. O diuinæ charitatis altitudinem, quæ huius terræ vermiculos ad tantam extollis dignitatem, quæ cœlestes Angelos excedat? Et quid hoc est Domine, nisi velle illos facere sicut Angelos in vita, quos ad eorum admittis munus? Minores illi sunt Angelis in natura; quos tamen oratione illis facis æquales in puritate & sanctitate. *Quid enim* (ait S. Chrysostomus) *potest inueniri sanctius iis, qui cum Deo commercium habent*? Quid iustiùs & quid sapientiùs? si is, qui cum sapientibus agit, est sapiens, qui agit cum Deo, quantam habebit sapientiam? & quantas obtinebit spirituales diuitias? Si qui Regibus sunt chari & familiariter cum eis agunt, pauperes esse non possunt, nec abiecti quin potiùs ex ea familiaritate proueniunt illis Diuitiæ, Honores, ac Dignitates, magnaq; facultas ad suis amicis benefaciendum: Quanto magis qui cœlesti Regi charus est, cum eoq; familiariter in oratione agit, diues erit, in magna donorum cœlestium abundantia, sibi ipsi in primis, deinde, vt aliis benefaciat?

Lib. 2. *de orando Deū*
Colloqui cum Deo, omnium maximum est.
Hic honor Angelorū superat maiestatem.
b *Isa.* 6 2.
Lib. 1 *de orando Deū*
2.

3\. Hinc prouenit etiam alia excellentia orationis, cuius causa dirigitur ad Patrem nostrum, qui est in cœlis: quod scilicet eius sit officium, ad illas Empyrei cœli Indias ascendere, indeque earum thesauros huc afferre, quibus anima adhuc in terra degens, conuertatur in cœlum. Quamobrem dicit S. Augustinus, etiam iustos esse cœlos, in quibus Pater cœlestis latet, quorum cor est instar cubilis aut viui tēpli, aut cuiusdam Empyrei cœli, in quo illi cum Deo colloquuntur; ipseq; eos audit, in ijs conquiescit, & oblectatur: cuius c *deliciæ sunt esse*, & conuersari *cum filiis hominum*. Et hoc

De serm. Dom. in monte c 9.
c *Prou* 8. 31.

bonum (ait S.Chrysostomus) ex oratione illis prouenit: illa enim animam efficit templum, & habitationem Dei; exornans illam tapetibus & lapidibus pretiosis admirabilium virtutum, quò digna sit tanti Domini habitatio, quem nec cœli, nec terra capere possunt; exercetq; in ea admiranda illa opera, quæ ciues cœlestes exercent. O supreme Pater, quas tibi gratias referemus, quod nos ad tantam dignitatem extuleris, vt liceat nobis tanquam filijs, ad tuum conspectum accedere, tecumq; in hac terra conuersari, sicut faciunt Angeli in cœlo: concede nobis, ita ea dignitate vti, sicut tibi placet; vt altissima obtineamus dona, quæ nobis ob eam offers.

4. SED accedamus nunc ad peculiares excellentias & vtilitates altissimæ huius virtutis declarandas, quæ in septem illis rebus continentur, quas Christus D.N. tanquam argumentum & materiam designat petitionum nostrarum, & omnium colloquiorum cum Cœlesti nostro Patre, cum quo solum decet agere, de nominis eius sanctificatione, de regni eius mysterijs, executione eius voluntatis, de quotidiano corporis & animæ nostræ pane, de nostrorum peccatorum venia, de victoria tentationum, & præseruatione à malis. Quis vero ea magnalia sciet declarare, quæ in singulis harum septem rerum continentur? mirum enim in modum non solum eas in oratione petimus; sed exercemus etiam, & impetramus, sicut in progressu apparebit.

§. I. DEVM *per Orationem glorificari.*

Sanctificetur nomen tuum.

PRIMVM, in quo excellentia & necessitas orationis elucet, est quod illa sit medium quoddã, quo Dei nomen sanctificetur, agnoscatur, & glorificetur à nobis, & in nobis; ita vt linguæ nostræ, multoq; magis ipsa viuendi ratio, instrumenta sint glorificationis eius, inter omnes creaturas. Oratio enim illustrationes impetrat cœlestes, quibus *a Pater luminum* instruit, permouetq; homines, vt in ipsum credant, eum agnoscant & venerentur: ipsa impetrat splendores virtutum, & operum heroicorum, & ipsa prodigia, quibus Deus in toto orbe terrarum glorificatur: eadem in lucem producit gratiarum ac donorum claritatem, quam Deus in æterna sua prædestinatione absconditam habet, manifestando eam ad ipsius & electorum eius gloriam: sicut cernere licet in oratione, quam Christus D. N. ad æternum suum Patrem habuit, dicens: b *Nunc glorifica me tu Pater apud temetipsum claritate, quam habui priusquam mundus esset, apud te.* Quasi diceret; fac palam & manifestam gloriam, quam de me decretam habes: & alibi, c *Pater clarifica nomen tuum.* & statim, *venit vox de cœlo, & clarificaui & iterum clarificabo:* ita indicans, se ob ipsius orationem, ipsum clarificaturum.

a *Iacob. 1. 17.*

b *Ioan. 17. 5.*

c *Ioan. 12. 28.*

Ex quo infert S. Gregorius, expenditq; valdè S. Thomas, orationem esse præcipuum medium diuinæ prouidentiæ, ad exequendum quod in sua

Lib. 1. Dial. c. 8.
2. 2. q. 83. a. 2.

æternitate ſtatutum habet; adeoq; interdum oratio eſt neceſſaria, vt decreuerit ipſe non aliter illud exequi, quam oratione mediante. Oratione impetrarunt antiqui Patres executionem incarnationis Filij Dei, quæ illis erat promiſſa: & Filius ipſe oratione impetrauit, quod ait Dauid: d *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſsionem tuam terminos terræ.* Per orationẽ Apoſtoli impetrarunt dilatationem gloriæ Chriſti IESV in mundo; & conuerſionem eorum, qui erant aliàs ad cœlum præordinati. Quod ſi tu vnus es ex præordinatis, per quem Deus glorificabitur, per Orationem impetrabis prædeſtinationis ipſius executionem. e *Orando* ſcilicet (vt ait S. Iacobus) *vt ſaluemini.* Quid itaq; excellentiùs eſſe poteſt, aut maioris momẽti, quàm ipſa oratio? per quam duo illa excellentiſsima bona impetrantur? glorificatio ſcilicet nominis Dei in ſuis Creaturis; & animæ tuæ, per gloriã, ad quam eſt præordinata, & per gratias, quæ à diuina prouidentia illi proueniunt. O Deus æterne, clarifica me hoc orationis dono, vt te ita clarificem, ſicut tu dignus es: & ego clarificer in te, & tu in me per illa dona, quæ ſtatuiſti mihi dare, antequam ego eſſem, & antequam mundus conderetur.

d *Pſal. 2. 8. Coloſ. 4. 3.*

e *Iacob. 5. 16.*

NEC verò ſolum in oratione petimus, vt nomen Dei ſanctificetur, ſed in eadem etiam ipſum ſanctificamus multis modis: nunc gaudentes de ſanctitate, quam in ſe habet, & propter eam illum laudantes, dicentes cum Seraphinis; *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth:* Vtinã tota terra impleretur gloria tua, ſicut eſt plena tua miſericordia! Nunc ex totis viſcerib. optantes eius ſanctitatẽ imitari, vt ſimus ſancti ſicut ipſe eſt; qui id ita iuſsit. Nunc ipſam ſanctitatẽ exercentes actib. heroicarũ virtutũ, in quib. illa cõſiſtit, vt ſanctitas Dei, ex noſtra cognoſcatur. Ibi copioſæ interdũ lacrymę fluunt, cum aduerto, me non ita ſanctificare Deũ, vt par eſt, eiuſq; nomen blaſphemari inter gentes; ibi cordis exultationes ex charitate, cum video, Deum à iuſtis ſanctificari: ibi pura intentio eundem ſanctificandi in omnibus quæ cogitauero, dixero, aut fecero per totam vitam; ibi odium ſæpè adeſt propriæ meæ glorię, quo diuina augeatur; & propoſitũ efficax, illam promouẽdi, quamuis cum proprię meæ detrimento. O ſanctiſsima oratio, vera mater ſanctitatis, quæ Deum habes patrem. O pater ſanctiſsime, ſiquidẽ me cupis eſſe ſanctum, concede mihi donum orationis, quæ adeo eſt potens ad hoc, vt fiam ſanctus; ne ſepares orationem à me, ne etiam ſanctitas ſimul recedat.

§. 2. Quod per orationem impetretur, & nunc etiam delibetur Regnum Dei.

ATQVE hinc oritur ſecunda orationis excellentia, in qua etiam apparet, quanti ſit illa momenti. Quia eſt mediũ, per quod veniat ad nos Regnum Dei, tam illud, quod promittit nobis in hac vita, quod iuxta Apo-

Adueniat regnum tuum.

a Rom. 14. 17. stolum, a *Est Iustitia & Pax, & Gaudium in Spiritu S.* quàm illud, quod in futura speramus, ad conregnandum cum Deo in paradiso. Oratio itaq; adfert b Luc. 17. 21. nobis primum Regnum, b *quod*, vt ait ipse Christus, *est intra nos*, & ingreditur cor nostrum, nosq; postea deducit in cœlum, vt ingrediamur in secundum; illa ostendit nobis vtriusq; pulchritudinem, & copiosam communicat sapientiam, sapidam scil. spiritus scientiam; & iustitiam, quæ tam altè ascendit, sicut montes Dei; & c *pacem, quæ exuperat omnem sensum*; & d *gaudium in Spiritu sancto*, qui est e fructus eius, qui per suum prophetam dixit: f *Adducam eos in montem sanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ.* Vocat orationem suam, tum ob amorem suum erga illam, tum vt intelligatur, fructus, qui ex ea proueniunt, non esse nostros, sed ipsius; ac proinde esse fructus dignos Deo? ac deniq; lætitia, quam oratio affert, (vt ait sanctus Ioannes Climacus) sufficiens est, ad reddendum centuplum huius vitæ; & nos vrgendos, ad festinandum, vt perueniamus ad regnum alterius vitæ. In cuius rei testimonium Christus D. N. inter orandum aperuit nobis duorum horum regnorum amplitudinem. Nam vbi legimus illum primum orasse, g *apertum est ei cœlum, & descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut columba in ipsum: & vox de cœlo facta est, tu es filius meus dilectus, in te complacui mihi.* Quid autem fuit hoc totum, nisi quod nobis significare voluerit orationem esse clauem ad portas cœli, easq; aperire, vt eo ingrediatur spiritus noster ad secreta cœlestia cognoscenda; efficereq; vt Spiritus Dei inde descendat, qui habitet in cordibus nostris, fabricetq; in eis nidum, in quo diuina hæc columba resideat, implens nos donis gratiæ suæ, adoptionisq; filiorũ Dei per eam. Et iterum h *Orans* idem Dominus, *transfiguratus est* magno splendore & gloria, quem splendens *nubes obumbrauit*, & eadem *vox* æterni Patris *audita est*: Ita nobis significans, orationem nostram eleuare nos ad montem gloriæ; in diuinitatis nubem introducere, & ad perfectam filiorum Dei adoptionem prouehere, efficereque nos hæredes ac possessores regni eius. quare si vis cœlum tibi sicut Redemptori tuo aperiri, ora; si vis beneuolam æterni Patris vocem audire, verumque filij spiritum impetrare, ora. Si vis, sicut i *Moyses* obscuram *nubem intrare*, contemplando fidei lumine secreta diuinitatis, ingressurus postea claram, sicut Christus D. ingressus est, vt eadem claro lumine gloriæ contempleris, ora feruenter. Nam oratio petit regnum Dei, atque etiam impetrat; illa illud meretur, atque prægustat; illa nos beatos facit, spe primùm, deinde etiam possessione. O Rex supreme, adueniat mihi donum orationis, vt per eam etiam perueniam ad tuum Regnum, & inæstimabiles gratiæ gloriæque tuæ diuitias. Amen.

Marginal notes: c Phil. 4. 17. d Rom. 14. 17. e Gal. 5. 22. f Isa. 56. 7. Gradu 28. g Luc. 3. 21. h Luc. 9. 29. i Exod. 24. 16.

§. 3. *Orationem facere nos similes ijs, qui sunt in cœlo.*

HVIC

HVIC orationis excellentiæ coniungitur tertia, quod ſcilicet oratio ſit efficaciſsimum medium, ad voluntatem Dei ita exequendam in terra, ſicut fit in ipſo cœlo: in qua executione (vt Tractatu quarto oſtendetur) conſiſtit ſumma totius perfectionis, quæ poteſt in hac vita deſiderari, quam ipſa oratio impetrat, non ſolùm cœleſtem hanc obedientiam petendo, ſed eandem etiam actu valdè eminenter exercendo. Feruenti enim oratione exuimus propriam noſtram voluntatem, vt nos totos diuinæ ſubijciamus; ipſumque amorem exacuimus, ac perficimus, vt ſoli Deo coniungatur, exercendo ſex illos actus, in proximo capite indicatos. Facimus in terra, quod faciunt beati in cœlo. Et propter has excellentias affirmant SS. Patres, (vt cœpimus dicere) perfectam orationem efficere iuſtum Angelis æqualem, animamque ipſam à vinculis corporis expedire, Spiritum in altum eleuare, & efficere vt ſuperfluas omnes ſuſtentationis curas abijciat, & ita in carne viuat, atque ſi in illa non eſſet. Quod (ait S. Chryſoſtomus) efficit *miris modis* & prodigioſis mutationibus; commutando ſcilicet corda carnalia in ſpiritualia, tepida in feruentia, humana in diuina: quæ miro etiam modo communicat illis proprietates Seraphinorum, qui exiſtentes in diuina præſentia, eiuſque laudes decantantes *aſtant* ſimul quatientes alas, tanquã exire inde ad aliquid aliud vellent: vt intelligamus (quod perpendit S. Dionyſius) promptitudinem ac velocitatem, qua accedunt ad obediendum, & exequendum, quod Deus iubet. Ipſa enim Dei præſentia & arcta cum diuina illa Maieſtate familiaritas eos inclinat mouetque ad exequendum, ſi opus eſt, ex ipſo cælo: ipſi Deo obediendi gratia. Quod ſi oratio ſit perfecta, ipſa te impellet ad voluntatem diuinam ita in terra exequendam, ſicut Seraphini, qui ipſum habitant cœlum, taleſque alas tibi præbebit, vt laborem in præcepti executione non ſentias, ex quo fit, vt oratio ſit excellentis meriti. Et quoniam exerceri poteſt quocunq; tempore, ideo (ait S. Bonauentura) poteris per illam in quacunq; hora id promereri, quod præualet toti mundo. Fodiant itaq; filij huius ſæculi in cauernis & mineris terræ, vt ſuum aurum & argentum multæ ſcoriæ admixtum eruant, magno timore, ne fures illud deprædentur, aut ipſa mors rapiat; Tu autem, ſi filiorum Dei ſortem deſideras, in his potiùs orationis mineris fodias, in quibus theſaurum inuenies, qui nec auferri, nec conſumi poſsit: quin potiùs eo frueris abſq; moleſtia, coniungendo ipſa oratione media, voluntatem tuam cum diuina.

Fiat volũtas tua ſicut in cœlo & in terra. c. 12.

Lib. 1. de orando Deũ.

a Iſa. 6. 3.

De Cæl. Hier. c. 15.

Opuſc. de perfect. Vit. c. 5.

§. 4. *Orationem impetrare nobis refectionem ſpiritualem & corporalem.*

NE verò exiſtimes, omnes orationis diuitias eſſe inuiſibiles, audi quartam eius excellentiam, quod ſcilicet illa ſit medium, ad quotidianum

Panem noſtrũ quotidianum da nobis hodie.

panem corpori & animæ impetrandum. Verbum est enim ipsius Christi D. quod a *amico petenti tres panes* liberalissimè *sit daturus quotquot habet necessarios*. Qui autem sunt hi tres panes, nisi Spiritualis, Sacramentalis, & corporalis? Oratio autem impetrat spiritualem gratiæ ac deuotionis panem, qui spiritum & sustentat & corroborat; Et panem sacramentalem, in quo latet ipsemet Christus, panis viuus, qui descendit de cœlo, vt alat comedentem; & panem corporalem, hoc est quidquid ad vitam corporis sustentandam, est necessarium.

Luc. 11. 8.

SED vlterius adhuc progreditur orationis eminentia & præstantia. Nam ipsamet (teste S. Thoma) tanquam proprium effectum efficit actualem spiritus refectionem, in magna abũdantia & voluptate eius, per sex illos actus, quos complectitur. Et eisdem (teste S. Bernardo) prospicit nobis de tribus panibus, de pane scil. veritatis ad refectionem intellectus cum sanctis meditationibus: de pane charitatis, ad sustentandam voluntatem feruentib. affectibus; ac de pane fortitudinis, ad corroborandã infirmam carnem, quę ex reliquijs spiritus plurimum animatur, ad quiduis aggrediendum, quod spectat ad obsequium diuinum. Conuoca igitur omnes tuas facultates, vt audiat beneuolas excelsæ huius virtutis orationis voces, quæ (vt ait S. Ioannes Climachus) instar Reginæ sedet in suo Throno, nosq; vocans ingenti clamore, dicit: b *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos*, quò labor vester subleuetur, & onus alleuetur vestrum. *Tollite iugum meum super vos, & inuenietis requiem animabus vestris*, & corporibus. Sine me enim onus legis est valdè graue: mecum autem factum leue, tolli facilè potest. sine me mortificatio est res amara; mecum autem est dulcis. Crux sine me est intolerabilis; per me autem fit valde iucunda. O dulcissime IESV, qui per os orationis hæc mihi verba dicis, Aperi meas aures, vt audiam, eamq; in sociã fidelem mihi accipiam. tu es verè c *panis vitæ*, qui tamen absq; oratione nõ ita comedi poteris, vt in sumentis vtilitatem cedas. Illa enim te recipit in memoria, & ruminat meditatione; affectu te degustat: amore te sibi ipsi incorporat. Deniq; imitatione facit nos tibi similes. d Si *esuris* ac *sitis iustitiam* anima mea, recurre ad orationem, in qua *satiaberis*. e *nec obliuiscaris hunc panem comedere, ne areat cor tuum.* Quid si corporis panis tibi desit, accede etiam ad orationem, f *qui enim dat escam pullis coruorum inuocantibus eum*, cùm à parentibus deseruntur, attentius audiet orationem filiorum suorum, panemq; quotidianum liberaliter dabit.

2. q. 83 a. 1.
Serm. de tribus panibus in rogationibus.
Gradu 28.
Mat. 11. 28
Ioan. 6. 53.
Matth. 5. 6
Psal. 101. 5.
Psal. 146. & Iob 38.

§. 5. Orationem liberare nos à tribus magnis miseriis.

CONIVNGAMVS nunc reliquas tres orationis excellentias, quod scilicet sit medium efficacissimum, ad nos liberandos à tribus nos circumstantibus miserijs, quarum remedium tribus vltimis dominicæ oratio-

mitte ... bis de... a no... i.

orationis petitionibus petitur: à *peccatis* scilicet, à *tentationibus*, & ab æternis ac temporalibus *malis*. Est enim oratio potentissima ad impetrandam veniam omnium peccatorum, quamuis innumerabilium & grauissimorum. Quid a *iustificauit Publicanum* nisi *oratio*, quā habuit *in templo*? Quid nisi oratio, b *patrem filij prodigi* emolliuit, & ad eum tanta facilitate recipiendum permouit? Quid regis iram placauit contra c *seruum, qui debebat ei decem millia talenta: quem quod non haberet vnde redderet, iussit* tanquam mancipium *vendi*, nisi humilis oratio, quam *procidens* habuit, vt propterea *debitum totum ei dimiserit, quoniam* (inquit) *rogasti me*. Quod si debitum fuisset decies millies maius, totum condonassem, si ita me rogasses, neque enim tales preces despicere possum. O infinitam orationis virtutem, ad quam omnis peccatorum numerus est paruus, omnisque eorum grauitas est leuis: eo quod possit ipsa remissionem impetrare cuiusque debiti, etiam infiniti. Et quoniam ipse Christus Dominus tanquam conditionem ad nostra debita dimittenda, apponit, vt nostris quoque debitoribus nos dimittamus: ipsa oratio hanc quoque conditionem adimplet, emolliens corda etiam indurata, vt pro suismet inimicis orent, dimittendo illis sicut ipsi cupiunt sibi dimitti. Fornax enim orationis est ignis immensus, in quam etiamsi instar ferri durus ingrediaris, emollesces instar ceræ, cùm exis ab ea.

a Luc 18.
b Luc. 15.
c Matth 18. 26. 32.
Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

QVID autem dicam de virtute orationis, ad circumstantes nos tentationes, ne nos summergant, quincendas? Illa enim triumphat de suggestionibus dæmonis, de persecutionibus mundi, & de carnis passionibus. Quoties (inquit S. Isidorus) tetigerint te tentationes vitiorum, toties recurre ad orationem, quæ vnicum est remedium ad illas superandas. Propterea siquidem Saluator dixit suis Apostolis in nocte passionis: d *Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem*. Quod si illi sicut ipsorum Magister orassent, non fuissent victi; sed sicut Magister vicit, quia orauit: ita illi fugerunt, quia dormierunt, & non orarunt. Homines (ait S. Bonauentura) consueuerunt clamare, & auxilium petere, cūm vehemens aliquis ignis domum inuadit, aut violenta venit inundatio, aut obsidentur à potente aliquo exercitu. Si te vrit concupiscentiarum ignis, ora: sic enim, e *orante Moyse ad Dominum, absorptus est ignis, qui accensus fuerat in castris*. Si te affligit inundatio & tempestas curarum huius sæculi, ora: f *orantibus* enim *Apostolis*, cessauit tempestas maris, *factaq; est tranquillitas magna*, nauisque appulit ad portum. Si cernis te ab innumeris hostibus obsideri, ora: potius enim g *Moyses* orando, *manusque suas leuando* in cœlum, quàm Iosue pugnando, hostes vicit. Potens est oratio impetrare h *duodecim legiones Angelorum*, qui pro nobis pugnent contra Dæmones. Et quid dico Angelorum? ipsemet eorum Dominus venit in nostrum auxilium: adeò enim orationem amat, vt statim, vbi illa est, accedat, liberetque ipsum orantem: quia id petit, & pulsat.

Et ne nos inducas in tentationem.
Lib. 3. de sum. bono c. 7.
S. Bonau opusc. de perfect. vitæ c. 5.
d Matth. 26. 41.
In dieta salutis tit. 2. c. 5.
e Num 11. 2.
f Matt. 8. 26.
g Exod 17. 11.
h Matth. 26. 53.

panem corpori & animæ impetrandum. Verbum est enim ipsius Christi D.
Luc. 11.8. quod a *amico petenti tres panes* liberalissimè *sit daturus quotquot habet necessarios.* Qui autem sunt hi tres panes, nisi Spiritualis, Sacramentalis, & corporalis? Oratio autem impetrat spiritualem gratiæ ac deuotionis panem, qui spiritum & sustentat & corroborat; Et panem sacramentalem, in quo latet ipsemet Christus, panis viuus, qui descendit de cœlo, vt alat comedentem; & panem corporalem, hoc est quidquid ad vitam corporis sustentandam, est necessarium.

2. q. 83 a. SED vlterius adhuc progreditur orationis eminentia & præstantia. Nam ipsamet (teste S. Thoma) tanquam proprium effectum efficit actualem spiritus refectionem, in magna abũdantia & voluptate eius, per sex illos actus, quos complectitur. Et eisdem (teste S. Bernardo) prospicit nobis de tribus panibus, de pane scil. veritatis ad refectionem intellectus cum sanctis meditationibus: de pane charitatis, ad sustentandam voluntatem feruentib. affectibus; ac de pane fortitudinis, ad corroborandã infirmam carnem, quę ex reliquijs spiritus plurimum animatur, ad quiduis aggrediendum, quod spectat ad obsequium diuinum. Conuoca igitur omnes tuas facultates, vt audiat beneuolas excelsæ huius virtutis orationis voces, quæ (vt ait S. Ioannes Climachus) instar Reginæ sedet in suo Throno, nosq; vocans ingenti clamore, dicit: b *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos,* quò labor vester subleuetur, & onus alleuetur vestrum. *Tollite iugum meum super vos, & inuenietis requiem animabus vestris,* & corporibus. Sine me enim onus legis est valdè graue: mecum autem factum leue, tolli facilè potest. sine me mortificatio est res amara; mecum autem est dulcis. Crux sine me est intolerabilis; per me autem fit valde iucunda. O dulcissime IESV, qui per os orationis hæc mihi verba dicis, Aperi meas aures, vt audiam, eamq; in sociã fidelem mihi accipiam. tu es verè c *panis vitæ,* qui tamen absq; oratione nõ ita comedi poteris, vt in sumentis vtilitatem cedas. Illa enim te recipit in memoria, & ruminat meditatione; affectu te degustat: amore te sibi ipsi incorporat. Deniq; imitatione facit nos tibi similes. d Si *esuris* ac *sitis iustitiam* anima mea, recurre ad orationem, in qua *satiaberis.* e *nec obliuiscaris hunc panem comedere, ne areat cor tuum.* Quid si corporis panis tibi desit, accede etiam ad orationem, f *qui enim dat escam pullis coruorum inuocantibus eum,* cùm à parentibus deseruntur, attentius audiet orationem filiorum suorum, panemq; quotidianum liberaliter dabit.

[Margin: ...rm. de ...ibus panibus in ...gationibus. — ...adu 28. — ...at. 11. 28 — ...oan. 6. 53. — ...atth. 5. 6 — ...sal. 101. 5. — ...sal. 146. & Iob 38.]

§. 5. *Orationem liberare nos à tribus magnis miseriis.*

CONIVNGAMVS nunc reliquas tres orationis excellentias, quod scilicet sit medium efficacissimum, ad nos liberandos à tribus nos circumstantibus miserijs, quarum remedium tribus vltimis dominicæ oratio-

[Margin: ...mitte ...bis de... ...a no... ...i.]

nis

orationis petitionibus perituг:à *peccatis* ſcilicet,à *tentationibus*, & ab æternis ac temporalibus *malis*. Eſt enim oratio potentiſsima ad impetrandam veniam omnium peccatorum, quamuis innumerabilium & grauiſsimorum. Quid a *iuſtificauit Publicanum* niſi *oratio*,quã habuit *in templo*? Quid niſi oratio, b *patrem filij prodigi* emolliuit, & ad eum tanta facilitate recipiendum permouit? Quid regis iram placauit contra c *ſeruum,qui debebat ei decem millia talenta: quem quod non haberet vnde redderet, iuſsit* tanquam mancipium *vendi*, niſi humilis oratio,quam *procidens* habuit,vt propterea *debitum totum ei dimiſerit,quoniam*(inquit)*rogaſti me*. Quod ſi debitum fuiſſet decies millies maius,totum condonaſſem, ſi ita me rogaſſes, neque enim tales preces deſpicere poſſum. O infinitam orationis virtutem, ad quam omnis peccatorum numerus eſt paruus,omniſque eorum grauitas eſt leuis: eo quod poſsit ipſa remiſsionem impetrare cuiuſque debiti,etiam infiniti. Et quoniam ipſe Chriſtus Dominus tanquam conditionem ad noſtra debita dimittenda,apponit,vt noſtris quoque debitoribus nos dimittamus:ipſa oratio hanc quoque conditionem adimplet,emolliens corda etiam indurata,vt pro ſuiſmet inimicis orent,dimittendo illis ſicut ipſi cupiunt ſibi dimitti. Fornax enim orationis eſt ignis immenſus, in quam etiamſi inſtar ferri durus ingrediaris,emolleſces inſtar ceræ,cùm exis ab ea.

a Luc 18.13
b Luc.15.19
c Matth 18. 26.32.
Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.

QVID autem dicam de virtute orationis, ad circumſtantes nos tentationes,ne nos ſummergant, quincendas? Illa enim triumphat de ſuggeſtionibus dæmonis,de perſecutionibus mundi, & de carnis paſsionibus. Quoties(inquit S.Iſidorus)tetigerint te tentationes vitiorum, toties recurre ad orationem, quæ vnicum eſt remedium ad illas ſuperandas. Propterea ſiquidem Saluator dixit ſuis Apoſtolis in nocte paſsionis: d *Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem*. Quod ſi illi ſicut ipſorum Magiſter oraſſent, non fuiſſent victi; ſed ſicut Magiſter vicit,quia orauit: ita illi fugerunt,quia dormierunt,& non orarunt. Homines(ait S.Bonauentura)conſueuerunt clamare,& auxilium petere, cũm vehemens aliquis ignis domum inuadit, aut violenta venit inundatio,aut obſidentur à potente aliquo exercitu.Si te vrit concupiſcentiarum ignis,ora:ſic enim,e *orante Moyſe ad Dominum,abſorptus eſt ignis,qui accenſus fuerat in caſtris*. Si te affligit inundatio & tempeſtas curarum huius ſæculi,ora: f *orantibus* enim *Apoſtolis*, ceſſauit tempeſtas maris.*factaq; eſt tranquillitas magna*, nauiſque appulit ad portum. Si cernis te ab innumeris hoſtibus obſideri, ora: potius enim g *Moyſes* orando, *manuſque ſuas leuando* in cœlum,quàm Ioſue pugnando,hoſtes vicit.Potens eſt oratio impetrare h *duodecim legiones Angelorum*,qui pro nobis pugnent contra Dæmones. Et quid dico Angelorum? ipſemet eorum Dominus venit in noſtrum auxilium: adeò enim orationem amat,vt ſtatim, vbi illa eſt,accedat, liberetque ipſum orantem:quia id petit,& pulſat.

Et ne nos inducas in tentationem,
Lib.3. de ſum. bono c.7.
S Bonau in opuſc. de perfect. vitæ c.5.
d Matth.26. 41.
In dieta ſalutis tit 2. c 5.
e Num 11 2.
f Matt 8.26.
g Exod 17. 11.
h Matth. 26 53.

DENIQVE oratio liberat nos ab omni malo culpæ & pœnæ, æternæ, ac temporalis, in eo gradu, qui nobis expedit, vt à malis temporalibus liberi simus, ne incurramus spiritualia. Oratio liberauit i *Iacob* ab ira fratris sui Esau, & à multis alijs periculis, in quibus fuit, vt mox videbimus. Hæc liberauit k *tres pueros de Camino ignis* Babylonici: l *Ionam de ventre Ceti*; m *Susannam* à morte, quæ ex falsa calumnia ipsi imminebat. Et ipse Christus D.N. orando sanabat infirmos, à dæmonibus liberabat, mortuosque suscitabat: non quod ipse, ad ea pręstanda, oratione opus haberet (vt ait S. Ambrosius,) sed quod nos ea opus haberemus, ideo suo exemplo, ad eam animabat. n *Fili* (ait Sapiens) *in tua infirmitate ne despicias teipsum, sed ora Dominum, & ipse curabit te.* o *Oratio* enim *fidei* (ait S. Iacobus) *saluat infirmum. & alleuiat eum Dominus.* Si tristis es & afflictus, ne desperes, sed ora: oratio enim tristitiam expellit, & ab omni afflictione liberat. Et si te videris ad ipsas inferni portas, ne prætermittas orare. Oratio enim stabit coram te, & os eius crudele occludet, ne te deuoret, nec cruciet. Et in quacunque te calamitate & miseria positum videas; intellige, orationem esse medium quoddam omnipotens, quod te ab omnibus malis liberet, omniaque adferat bona, solicitè vrgens diuinam omnipotentiam, vt consueta sua in te misericordia vtatur. Propterea enim dixit Dauid: p *Benedictus Deus, qui non amouit orationem meam, & misericordiam suam à me.* Insinuans (vt benè expendit S. Augustinus in eum locum) esse initum pactum inter orationem, & misericordiam diuinam, vt neutra ab altera separetur. O Pater misericordiarum, largire mihi donum orationis, quæ certum est medium, per quod illas ad nos dirigis: nec permittas orationem meam separari à me, ne tua misericordia me deserat. Certus sum etenim, si oratio me semper comitabitur; tuam quoque misericordiam me semper protecturam, & ab omni miseria liberaturam.

[Margin: ...ed libera ...os à ma... ...o. i Gen. 32. 9. k Dan. 3. 24. 50. l Ionæ 2. 2. m Dan. 13. 42. Lib. 5. in Luc. n Eccl. 38. 9. o Iacob. 5. 15. S. Bonauent. in medit. vitæ Christi c. 36. p Psal. 65. 20. S. Aug. in d. Psal.]

§. 6. *Orationem esse necessariam.*

EX omnibus prædictis sequitur, Orationem adeò esse necessariam ad conseruationem vitæ spiritualis, & ad nos eruendos à malis, & hostibus, qui eam pessundant, vt (teste S. Thoma) præceptum sit naturale & diuinum, quo ad eam habendam sub reatu noui peccati teneamur: cum videlicet nos videmus in arcto labendi periculo, nisi ad Deum recurramus, vt suam nobis porrigat manum. Si enim a *est genus dæmoniorum, quod non eiicitur nisi in Oratione & Ieiunio*, necesse omninò erit orare, vt ab eius tyrannide liberemur. Et propterea dixit Christus D. N. quod b *oportet semper orare & non deficere.* Si enim oratio deficit, defecerint omnia bona prædicta, & ipsa vita spiritus, quæ ab ea dependet. Et sicut corpus sine anima est cadauer deforme, fœtidum, & vermibus scatens; ita (ait S. Chrysostomus) anima, quæ orationem contemnit, eò deuenit; vt peccatis moriatur, vitijs


[Margin: 2. 2. q. 83. a. 3. ad 2. a Matt. 17. 20. b Luc. 18. 1. Lib. 1. de orando Deū.]

defo-

deformetur, malisque exemplis fæteat, & conscientiæ remorsibus repleatur. Quod si es prudens, maius detrimentum reputabis, oratione priuari, quam ipsam mortem obire: sicut ille Propheta potius voluit exponere se periculo mortis, quam orandi exercitium prætermittere, existimans quod exponeret se periculo amittendi vitam animæ, si orationem relinqueret: ideoque maluit vt corpus moreretur, quàm spiritus. Magna, (inquit S. Laurentius Iustinianus) est vis orationis, quæ Deum placat, Angelos lætificat, Sanctos oblectat, penetrat cœlos, impetrat quæ petit, terret dæmones, hostes vincit, homines permutat, vires reficit, spiritum corroborat, animam Deo coniungit, deuotionem generat, ac dulcedine replet, colligit dispersas cogitationes, facitque vt intra nos ipsos cum voluptate habitemus. & audeo (inquit) affirmare, absque ea te non consecuturum salutem æternam. Diuina enim misericordia, à qua illa dependet, per orationem applicatur, suosque operatur effectus, qui vitam æternam promerentur. O gratia gratiarum sacra oratio, quid amplius de te dicam, vt tuam declarem excellentiam; & quàm sit mihi necessarium tuum subsidium! Ego sum fons omnium miseriarum, tu mihi fons omnium misericordiarum; tecum viuo, sine te morior: tecum fortis sum & robustus, sine te debilis & infirmus: tecum repletus sum bonis, sine te repleor malis. O spiritus diuine, qui septem tua dona nobis largiris, vt sciamus tecum loqui, & septem has petitiones proponere: Da mihi donum sapientiæ, quo sanctificem tuum nomen: donum intellectus, quo tui regni occulta penetrem; donum consilii, quo rectè possim voluntatem tuam in terra exequi, sicut in cœlo: donum scientiæ, vt nouerim quærere quotidianum spiritus panem: donum pietatis, quo inclinem, & alliciar ad dimittendum meis debitoribus, sic vt tu mihi mea peccata dimittas: donum fortitudinis, ne tentationibus succumbam: donum denique timoris, vt omnia mala fugiam. Da etiam magnam orationis opinionem & æstimationem, per quam hæc omnia bona impetrem ab infinita tua liberalitate, ad gloriam sanctissimi tui nominis in æternum.


Amen.

S. Bona. li de perfect. vitæ c. 5.
Dan. 6. 10.
Lib de gradib perfectionis c. 12



CAPVT III.

DE ADMIRANDA ORATIONIS VI AD VINCENdum in Spiritus palaestra, luctante ipsa cum ipsomet Deo. & quam magna bona in ea lucta ipsa lucretur, & hac ratione tum ipsos Daemones, tum quatuor internos hostes vincit, quae illam oppugnant: declaratur etiam, qui illi sint, & qua ratione vincendi.



NTER septem orationis excellentias hactenus numeratas, illa maximè eminet, quod sit medium necessarium valdeque efficax ad vincenda omnia certamina & pugnas Spiritus: tam eas, quae contra opera vitae actiuae exsurgunt, quàm quae contemplatiuam, & ipsammet orationem distractionibus, ariditatibus, aliisque mille modis à daemonibus excitatis perturbant: de quibus dixit Apostolus: a *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus Principes & Rectores tenebrarum*, qui nostra bona opera conantur impedire. Et inter alios fines, ob quos Deus D.N. terribiles adeò luctas nobis permittit, vnus est, vt manifestetur admiranda orationis efficacitas ad illas vincendas: & gloriosi fructus, quos ex huiusmodi victoriis illa profert. iuxta id, quod scriptura diuina refert de Patriarcha Iacob, quod b *certamen fortè dederit illi Deus, vt vinceret*, & ipsa experientia *sciret, quoniam omnium potentior est sapientia*. Duplicem enim luctam valdè insignem habuit Iacob: alteram horrendam & valdè prolixam cum fratre suo Esau; quae incepit ab ipso vtero matris, vbi c *collidebantur in vtero eius paruuli*, contendêtes vter priùs nasceretur. exiens autem tunc Esau, priorque nascens, ob eam victoriam ius ad primogenituram patrisque benedictionem sibi vendicabat, quam cum Iacob d *surripuisset*, aucta omninò est Esau rabies in eum, statuitque magno furore eum persequi. Existenti autem Iacob in hoc periculo, obtulit Dominus secundam aliam stupendam luctam. Nam per totam vnam noctem e *vir luctabatur cum eo vsque mane*, Angelus scilicet qui ipsius Dei personam gerebat, *qui* vir *cùm videret, quod eum superare non posset, tetigit neruum femoris eius, & statim emarcuit*, nec tamen propterea Iacob à lucta destitit, dicens: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi*: sicut reipsa benedixit, mutando nomen *Iacob in Israël. Quoniam* (inquit) *si contra Deum fortis fuisti, quantò magis contra homines praualebis*? Quibus verbis omnem illi ademit metum, reddiditque securum, quod in virtute illius victoriae esset fratris sui Esau furorem victurus, & de omnibus suis hostibus triumphaturus.

a Ephes. 6. 12.
b Sap. 10. 12
c Gen. 25. 22
d Gen. 27. 35.
e Gen. 32. 24.

§. 1. De

§. 1. *De lucta orationis cum Deo D. N.*

HAEc insignis est illa lucta, de qua loquitur Propheta Oseas cùm dixit; Quod a *Iacob in fortitudine sua directus est cum Angelo*, pugnansque cum eo, *inualuit ad eum & confortatus est.* Modus autem & ratio illum vincendi fuit, quia *fleuit & rogauit Deum.* Sic nobis significans, nos cum Deo D.N. & Angelis eius luctari flendo & rogando: qua ratione illos vincimus, quia feruens oratio non aliud est, quàm lucta quædam spiritus cum ipso Deo, ad illum ita vincendum, & inclinandum, vt nobis subsidio sit: quia tot titulos rationesque ad eum permouendum adducimus, vt cogamus quodammodo nobis largiri, quod petimus. estque eius charitas adeò infinita, vt cum in aliis luctis constitutos nos & afflictos videt, ipsemet & in hanc secum luctã deducat, vt in ea ipsum vincamus. Valdè enim delectatur, cum nostra oratione vincitur: vt ipsa experientia discamus, quãtum ex ipsius gratia possimus, ad vincendum in reliquis pugnis & certaminibus. O diuinæ misericordiæ altitudinem! ô vim orationis inuincibilem! te laudent, Deus meus, infinitæ tuæ misericordiæ ob eam vim, quam in oratione posuisti, ad graues & difficiles pugnas euincendas. a *Oseæ* 12.3. Certamen fortè dedit illi, vt vinceret.

TREMENDA est procul dubio pugna inter spiritum per Iacob significatum, & carnem, eiusque amorem proprium, per Esau expressum, quę ab ipso vtero matris nostræ inchoatur, vbi caro primam obtinuit victoriã, deiiciens animam in originis culpam, à quo tempore valdè mansit in visceribus radicata, mutua inter ipsos contradictio: b *concupiscit* enim (ait Apostolus) *caro aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem.* Quæ quod antiquior sit (c *non* enim, ait Apostolus, *prius quod spirituale est, sed quod animale, deinde quod spiritale*) prima illa victoria erecta, horrendè persequitur spiritum, cogitque gemere & clamare; d *infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius, captiuante me in lege peccati?* nullus est, qui liberare me possit, nisi *gratia Dei per Iesum Christum.* Sed quis hanc gratiam ad carnem meam in hac lucta superandam impetrabit? Hoc præstat excelsa hæc orationis virtus, quæ præuenitur & iuuatur à gratuita ipsius Dei voluntate per Iesum Christum filium eius, cuius virtute viriliter cum vtroque luctatur, & gemitibus ac petitionibus ita illos vincit, vt largiantur, quod illa petit, si fortè non eo e *quod amicus sit,* saltem *propter improbitatem eius:* sicut Moyses cum Deo luctatus, & Cananæa cum Christo, victores tandem euaserunt. Si itaque afflictum te & calamitate aliqua oppressum videris, surge iuxta consilium saluatoris etiam media nocte, & accede ad domum veri tui amici, qui est Deus; & quamuis fores clausas inuenias, ipsumque quasi occultatum, inclusum ac dormientem; pulsa, & precibus ac orationibus opportunè importunè clama, donec vincas, & seipsum tibi dedat. Luctare sicut b *Gal.* 5. 17. c 1 *Cor.* 15. 46. d *Rom.* 7. 24. e *Luc* 11.8.

Iacob tota nocte cum hoc magni consilij Angelo, flens & rogans eum. Nam
qui vinci cupit, manus omninò tradet, vt vota ac desideria tua expleat.

Qvis verò bona illa enumeret, quæ vincenti tibi in hac lucta obue-
nient?

1. Primvm enim Deus hic inuincibilis, efficacissimo suæ omnipotentiæ
ictu, neruum tanget carnis tuæ, amorem scilicet proprium, eumque aresa-
ciet, & vires eius ita debilitabit, vt non possit spiritui resistere: tunc com-
2. mutabit nomen Iacob in nomen Israel, & luctatoris nomen, in nomen vi-
ctoris fortisque contra Deum: certa tibi indicia & pignora præbens, quod
sis victurus reliquas carnis passiones, & mundum, ac dæmonem: eo quod
c Gen.32.28 viceris ipsum Deum, qui omnibus est maior. c *Quoniam si contra Deum fortis*
fuisti, quid mirum, si contra homines præualeas, tibique infernales potesta-
tes subijcias? si enim Dei voluntatem obtineas, tecum etiam habebis eius o-
mnipotentiam, cuius virtute quascunque alias obtinebis victorias: & tunc
f Gen.25.23 etiam implebitur in te, quod ait Scriptura, f *quoniam maior seruiet minori*:
Rom 9.13 quia caro rebellis subijcietur spiritui, qui iunior est ætate, licet maior di-gni-
Philo lib. de tate, obedietque ei tanquam ancilla Domino suo. Dabit tibi præterea Deus
Abraham nomen Israel, quod etiam significat videntem Deum: communicabit enim
Orige hom. tibi donum contemplationis, quæ præmium est eorum, qui vincunt in hac
2. in Num. vita; simulque coniunget in tuo spiritu vtrumque nomen & opera vtrius-
4. Chrys. hom. que vitæ, actiuæ scilicet & contemplatiuæ, vt hæc cum illis mutuò sese ex-
14 in Ioan. hilarent & corroborent. Tunc denique copiosam suam benedictionem im-
Cass. 8 Greg & partietur, non g *in pinguedine terræ*, sed *in rore cæli*, ditans te gratiis ac do-
alii. nis suis cœlestibus, iureque ad æternam primogenituram. Hæc omnia im-
Vide Tract petrat oratio: ipsa enim petit, & accipit: ipsa quærit, & inuenit: ipsa pulsat
seq. c.2. ad Portas cœli, donec ei aperiantur, & inde omnia descendant: ipsa cum Deo
5. pugnat, donec ipse illa mittat.

g Gen 27.28 Qvamobrem si velis, omnipotentem vincere, eiusque omnipo-
tentiæ esse particeps, esto vir orationis: si carnem tuam cupis mortificare,
eiusque neruos, quibus illa innititur, aresacere, esto vir orationis: si cupis
triumphare de mundo & pompis eius, & nec homines nec eorum calum-
nias timere, & potius ipsis dæmonibus timorem incutere, esto vir orationis:
si vis, vt nomen tuum Deus commutet, & fortitudinem, tribuatque tibi
quietæ & tranquillæ contemplationis donum, vt eum eo modo in hac vita
Ephes.1.3. videas, quo videri potest, & eo frui, esto vir orationis. Denique si cupis à
patre luminum cœlestes omnes benedictiones impetrare, quas per Iesum
Christum filium suum communicat, esto vir orationis. Hæc enim est o-
mnipotens ad eas impetrandas. O Pater misericordiarum, qui *certamen hoc*
forte mihi offers, *vt vincam*: ne, quæso patiaris, mea culpa me vinci. O
Deus inuicte, da mihi donum orationis, quo te vincam. Nam, si ego te

vinco

vinco tu es qui vincis in me: ideoque tua erit gloria victoriarum, quas ego in illa obtinebo: tecum luctabor tota huius tristis vitæ nocte, nec dimittam luctam, donec aperiens manum tuam impleas me tua copiosa benedictione, imponens tu ipse mihi nomen Israel, quo te videam fruarque in æternum. Amen.

§.2. *De lucta Orationis contra Dæmones.*

Veniamvs nunc ad certamina & pugnas, quas habemus cum ipsius orationis hostibus internis; siue domesticis, & externis hoc est dæmonibus, qui omnibus viis & modis, quibus possunt, oppugnant ipsum orantem, vt eius orationem, eiusque fructum impediant.

Adeò autem procul suum cursum auspicantur, vt (teste sancto Nilo) in eum finem omnes suas tentationes dirigant, quas interdiu suggerunt. Nam si gulæ tentationem dæmon suggerat, id facit, vt grauatum corpus cibis, reddatur ineptum adorandum: si suggerit iram aut impatientiam, aut dormienti inepta ingerat somnia, id facit, vt cor perturbet tempore orationis? Accedente autem tempore, qui prius molestus erat, incipit (vt ait Cassianus) esse multò molestior, & importunior: & si prius dormitabat ad hoc, tūc ipse excitatur, vt in oratione dormire nos faciat, somno culpæ, aut pigritiæ: aut spiritum ita turbet, vt quid faciat, non attendat, vtens ad id passionibus & humoribus corporis, infirmitate & lassitudine carnis, temporum iniuriis & negotiis domesticis; idque eo vsque facit, vt (quod ait sanctus Nilus) cyniphes & animalcula commoueat, vt sint nobis in oratione molesta, aut timorem incutiat & terrores, horrendis aliquibus imaginibus, aut loci solitudine, & noctis obscuritate, aut timores confingens illusionum & fraudum, quæ abhorrere nos faciant ab hoc excelso orationis exercitio, ne in illa impingamus. Et (vt sanctus Bernardus ait) cùm feruentiores nos in in oratione animaduertit, maiori impetu rabieque adhibet impedimenta. Quamobrem aliqui ex sanctis Patribus dixerunt, orationem, quò est excellentior, eò esse difficiliorem: eo quod totus infernus contra illam coniurasse videatur. Neque est nouum quid, quod grandia opera, valdè sint difficilia. Quod si difficultas terret pusillanimes, granditas animat fortes. Sed hic tamen vtrosque decet magno esse animo: necessitas enim orationis vrget illos, vt eam studiosè procurent: & conatus, & solicitudo dæmonis illam impugnantis, satis clarè indicant, quanti illa sit æstimanda, quæ meritò nos vehementer impellent, ad resistendum ei, & cum eo, donec vincamus, pugnandam. Magna laus est orationis, quod crudelis adeò hostis eam persequatur, magnaque est gloria eiusdem, talem hostem in hac pugna superare. Quare eousque progressus est sanctus Chrysostomus in hac re, vt dixerit, Dæmones tremere ac timere animam feruenti

Marginalia: 1. *Lib. de orat. c. 48. 49. & 50.* — *Lib 2. de institutis c. 10.* — *c 105.* — *Serm. 4. de Quadrag.* — *D Diadoc. lib. de perfec. spir c. 68* — *S. Chrys in psal. 116.* — *Agatho Abbas in vitis PP.* — *Oratione nihil maius: nihil difficilius.* — *Lib 1. & 2. de orando Deum.*

oratione munitam, nec audere propè ad eam accedere territos vi & fortitudine, quam oratio ad ipsos vincendos illi confert: & quamuis illi adeò sint feri, vt ipsos Christi Apostolos aggredi audeant, oratione destitutos, a *illa* tamen *& ieiunio* facilè superantur. Indue spiritum tuum his Dei armis, & iunge illis eorum sororem Mortificationem, per ieiunium significatam. Si enim hæc duo simul adhibeantur, nullus Dæmonum resistere poterit, nec vlla potestas illis contradicere.

a Mat. 17. 20

Mortificatio iuuat orationē.

§. 3. De lucta Orationis cum internis hostibus.

2\. ET quamuis pugna hæc, & certamen sit forte, aliud tamen est periculosius, quia domesticum, in quo Dæmones totam spem suam collocant. Agitur enim intra nos in ipso corde, quod est domus, in qua ipsa exercetur oratio. In qua propterea domo, quatuor esse solent interni hostes, qui orationem persequuntur, quos cum S. Bernardo nuncupare licet, *culpam mordentem, sensum egentem, curam pungentem, & irruentia imaginum corporearum phantasmata,* quæ perturbant. Ex quibus quatuor conflatur tristis illa & obscura nubes, de qua Ieremias: *opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio.* Nam sicut è terra ascendunt crassi vapores ad aëris regionem, in qua condensati, fiunt nubes, quæ solis aspectum impediunt, eiusque splendore & calore nos priuant: Ita (ait S. Gregorius) permittit Deus ex miseriis, quæ in corde nostro terreno sunt, ascendant ad spiritum vapores & nebulæ cogitationum & affectuum inordinatorum, quibus ille obscuratur, & ita torpet, vt nec possit contemplari solem iustitiæ, nec radiis lucis eius & amoris diuini frui: nec eius oratio ascendit ad tribunal cœli, vt bonum impetret, quod petit.

Serm 23. in Cant ad finem.

Thren. 3. 44

Lib. 28. Mor. c. 9.

HORVM quatuor hostium siue impedimentorum orationis incommoda, mirè explicat S. Augustinus hac iucunda quamuis domestica comparatione. Atqui (inquit) sunt sicut illi homines, qui infeliciter matrimonium contraxerunt, eo quod vxor sit terribilis ac difficilis ingenij: qui tota die, magna sua voluptate occupantur in negotiis, aut per plateas deambulant: timent enim in propriam domum ingredi, cum experientia sciant, si ingrediantur, molestias, amaritudines, murmura, & euersiones se perpessuros. Quia non potest domus esse composita, vbi inter virum & vxorem pax nulla est. Meritò igitur nostri lamentantur, seque iudicant infelices: siquidem ipsa domus propria, in qua laborum suorum leuamen essent habituri, in continuum conuertitur cruciatum. Multò tamen sunt infeliciores, qui ita ad res huius sæculi effunduntur, vt cordis sui domū ingredi perhorrescant, ob intolerabilem, quam in sua conscientia inueniunt, turbationem. Peccata enim eos mordent, effrenes carnis passiones valdè turbant. Superfluæ sæculi curæ pungunt, & inordinata imaginationum phantasmata illos cruciant,

Cont. 2. in illud Psal. 33 Exquisiui Dominū.

& cùm volunt in cor suum intrare, vt orent, strepitus hic adeò molestus & importunus ex propria eos eijcit domo, vt fugiant ipsam orationem, ob grauem & molestam vitam, quam illis adfert mala conscientia, aut rebellis sensualitas. & sicut fumus & stillicidia hominem ex cubiculo expellunt: Ita hæc turbatio ab ipsa recollectione expellit, vt quærat homo res externas, in quibus tempus expendat.

Sed quamuis in adeò misera constitutione te positum videas, ne propterea abijcias animum & fiduciam, liberum te & expeditum ab ea videndi. Est enim tanta efficacitas, quam Deus in ipsa oratione posuit, vt per importunas eius preces hæc tandem nubes; & vapores, eius euanescant, domusque cordis, sedatis eius turbationibus tranquilletur. Cogita itaque, cum de oratione agere instituis, Deum D.N. exhortari te, ad quatuor hæc impedimenta remouenda. verbis illis quæ dixit Ieremiæ: a *Ecce constitui te hodie, vt euellas & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes.* quasi dicat: si collectæ orationis domum constituis ædificare, & plantare nemus excellarum cogitationum, & operum fructuosorum, stude priùs omnes eius obices remouere: destrue peccata, quæ mordent; euelle passiones & cupiditates, quæ te turbant; dissipa superfluas curas, quę te pungunt; & eradica inanes imaginationes, quę te inquietant; neq; id obiter & perfunctoriè efficias; sed altiùs fodiendo, vt radices extrahas tuorum incommodorum. Valdè enim altè ascensurum est ædificium orationis & contemplationis, quod cogitas ædificare, nec timeas laborem aut virium defectum in hac expeditione, quia ipsamet oratio eas tibi impetrabit, luctabiturq; cum hisce hostibus, donec victoriam de eis obtineat.

a *Ier* 1 10.

§. 4. *De lucta orationis contra peccata & passiones.*

I.

Primvm colluctandum est aduersus peccata, quæ remordent conscientiam, eo quod illa non defleueris, aut eorum affectiones, radices, & occasiones non auferas. Hæc enim (vt ait Isaias) a *diuiserunt inter nos & Deum nostrum, & absconderunt faciem eius à nobis, ne exaudiret.* Et Dauid, b *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* Si enim aspicis iniquitatem in corde tuo, eamq; remouere possis, nec tamen remoueas, signum id est, quod tibi in ea complaceas, cum qua complacentia non es dignus aspectu & contemplatione Dei, quæ promittitur c *mundis corde:* quin potiùs horrorem senties vocis illius dicentis, d *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei,* nec eius magnitudinem contempletur. Esto semper memor, e *discedat ab iniquitate omnis qui nominat* & inuocat *nomen Domini.* Et f, *Volo viros orare leuantes puras manus sine ira & disceptatione.* nec sine causa (ait S. Chrysostomus) iuberis in oratione leuare puras manus, quæ sunt operum instrumenta, vt cogitatio de eis leuandis contineat te, ne eas macules, ne

a *Isaiæ* 59.2.
b *Ps* 65. 18
c *Matt.* 5 8.
d *Isa.* 26. 10 iuxta LXX.
e 2. *Tim.* 2. 19.
f 1. *Tim.* 2. 8.
Hom. 76. *ad pop.*

Iſaiæ 1.15. tibi dicat Deus, quod dixit Iſraelitis: g *cum extenderitis manus veſtras, auertam oculos meos à vobis; & cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam: manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt*, multarum ſcil. culparum. Cùm igitur liberum tibi ſit, cum diuina gratia, tollere remorſus culpabiles, qui animum
Prou. 18. 7. iuxta LXX. & cor deijciunt, conſilium Sapientis amplectere: h *Iuſtus in principio orationis accuſat ſeipſum*, & ſtatim atq; orare incipis, ſimul etiam luctari contra peccata incipias, eliciendo actus doloris, & firma propoſita emendationis concipiendo, & petitiones ad Deum coniungendo, quo poteris optimo modo. Oratio enim importuna talem tibi impetrabit gratiam, vt nubes diſſoluat tuorum peccatorum, & conuertat in aquam lacrymarum. O Deus
Iſa. 44. 22 æterne, qui per tuum Prophetam dixiſti, *ideleui vt nubem iniquitates tuas, & quaſi nebulam peccata tua*: aufer quæſo ac dele nubem, quam ego habeo, nullo eius veſtigio relicto: vt oratio mea in tuum conſpectum ingrediatur, dignuſq; efficiar gloriam tuam contemplari.

2. EODEM hoc zelo pugnandum tibi eſt in ipſo orationis ingreſſu, contra effrænes carnis tuæ paſsiones, & inordinatas ſenſuum tuorum cupiditates, quę ita ſpiritum ipſum turbant, vt non ſinant attendere ad conſiderationem rerum æternarum, niſi prius reprimantur & mortificentur. Etſi enim ad k
Exod. 3. 2. *Rubum* deſcenderit Deus, cupiens ſe videri, & aliquem propterea lucis ſuæ radiũ emittat, vt à longè videri poſsit, non patietur tamen vt *appropies*, & familiarem cum eo conuerſationem ineas, niſi prius *ſoluas calceamentum de pedibus tuis,* & teipſum mortifices, relinquendo carnis tuæ delicias; & tolerando dolorem, qui propterea tibi proueniet. Cogita itaq; cùm ad orationẽ accedis, dicere tibi Deum, quod Moyſi, ad rubum ardentẽ accedere volenti: *ne appropies huc, ſolue calceamentum de pedibus tuis:* Exue terrenas omnes affectiones, eijce deſideria omnia rerum periturarũ: dedecet enim cum huiuſmodi calceamentis ad meum conſpectum intrare. Qua voce audita, conſtituas apud te, velle mortificare quicquid in te diſplicet Deo; qui mox te ꝑmittet appropiare, & familiariter cum ipſo loqui, niſi autẽ ſic te diſpoſueris, non accedas ad eius contemplationẽ: ipſe enim dixit. l *Non videbit me ho-*
Exod. 33. 20. *mo & viuet*, quaſi diceret (vt ſanctus Gregorius interpretatur,) Nullus Deũ
Lib. 8. Mor. c. 28. ſpiritualiter videt, & mundo carnaliter viuit. Moriatur itaq;, moriatur ſuis cupiditatib. caro tua, & ſtatim licebit magnalia diuina contemplari. Quod ſi difficultatem in hac executione ſentis, incipe orare. Oratio enim impetra-
Solilo. c. 1. bit tibi bonum deſiderium, vireſq; ad exequendum, dicens cum S. Auguſtino: O fons vitæ, *moriar, vt te videam*; mortificem me, vt te fruar; abnegẽ me, vt liceat loqui tecum: ſiquidem tam felix viſio, & iucundum colloquium non impetratur ſine hoc genere mortis, in qua vera conſiſtit vita. verum, *videam* etiam te Domine *vt hic moriar*. niſi enim orare & contemplari incipiam, & ſic te videre, non poſſum mori, vt te fruar.

§. 5.

§. 5. *De lucta orationis contra superfluas curas, & importunas cogitationes.*

I.

TERTIA pugna, quam aggredi oportet, est contra superfluas curas, quæ spinarum instar pungunt, & suffocant sementem inspirationum diuinarum, & torporem quendam spiritui adferunt, vt non sciat cum suo Creatore colloqui; qui te monuit illis verbis, a *attendite vobis, ne fortè grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate & curis huius vitæ.* Sicut enim nimius cibus & potus, corpus onerant: ita multæ superfluæ curæ turbant spiritum, orationemq; impediunt. Nõ voco multas eas, quæ sunt cõuenientes; sed quæ magnam adferunt anxietatem, quamuis sint de rebus bonis, qualem curam habebat b *Martha* cum nostro Redemptori *ministraret.* Quod si tempore orationis hæc te anxietas & curæ aggredientur, pugna contra eas rationibus & clamoribus in cœlum, cogitans, dici tibi, ab ipso Redemptore, quod Marthæ fuit dictum. O anima anima, c *sollicita es & turbaris erga plurima, porrò vnum est necessarium.* placere scil. Deo, vt animam tuam saluam facias; cuius curæ comparatione reliquæ ita tibi esse debent, atq; si non essent. In hac enim vnica cura omnes includuntur: nam si curæ tibi sit placere Deo, ipse recipiet in se bonam rerum tuarum expeditionem. maior itaq; ac præcipua cura vincat minorem. Attende itaq; nunc illi vni, quod pluris tua refert, dimittendo multitudinem, quæ te distrahit. Scriptum est enim: d *Vacate & videte, quoniam ego sum Deus.* quasi diceret, reijcite curarum multitudinem, quæ vos conturbant, & sic licebit magnalia mea contemplari. O Deus infinite, seda in anima mea turbationem Marthæ, ne sit impedimento quieti Mariæ; euelle ex corde meo spinas, quæ illud pungunt, vt producat sanctas cogitationes & affectus tibi placentes.

a Luc. 21. 34.
b Luc. 10. 40.
c Luc. 10. 42.
d Psalm 45. 11.

TRIBVS hisce hostibus deuictis, superest vltima lucta, & quidem cæteris acrior, contra irruentia imaginum & cogitationum inordinatarum phantasmata, quæ nos in ipsa oratione inuadunt. Nã imaginatio natura sua est inquieta, ac tumultuosa, seseq; proripit, absq; nostra licentia, ad eas res cogitandas, quæ illi arrident; rapitq; simul ipsum intellectum, vt in eisdem occupetur. Quæ si extra se res nouas non inuenit, confingit intra se varias imagines & figuras, aut quas habebat prius commouet, seipsam in eis aspiciendis oblectando, & ab his ad illas transeundo, absq; vlla in vllis earum alia constantia, quam quæ est in ipsa mutabilitate, qua torquet, cruciatque cor iusti, se ad orandum colligentis: de quo sanctus Iob conquerebatur dicens: e *cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meum, noctem verterunt in diem*, tempusq; orationis, quieti destinatum, conuerterunt in laborem & pœnam distractionis; quæ adeò solet esse pertinax, vt

e Iob. 11. 17.

llat. 7. c. & 5. aliqui parùm experti, diffidant se posse victoriam in hac pugna obtinere: è quorum numero fuit Cassianus in sua iuuentute, cuius deceptionem sanctus quidam Abbas hac similitudine retexit. Si interrogaremus (inquit) hominem aliquem ignarum natandi, qui nec alios natantes vidisset, num corpus humanum grauissimum sustentari ferriq; possit super aquam, vt non submergatur? certum est eum attendentem ad corporis sui grauitatem & experientiam, qua vidit se in aqua mergi, responsurum, id esse impossibile; qui tamen, si videret alios natantes, & industria & arte sustineri super aqua, nec mergi, mox sententiam mutaret, & priorem suam sententiam iudicaret errorem. Ita igitur Tyrones aliqui experti suæ imaginationis mutabilitatem, vitium reputant naturæ irreparabile, nec esse possibile eam stabilire. Verùm exigua eos experientia fallit: & consulentes magis expertos, inuenient, multos impetrasse quietem, quam ipsi desiderant, habentes in virtute Dei supra suas cogitationes imperium & potestatem, sicut ille Centurio Euangelicus, qui dixit: f *Ego sum homo sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic vade, & vadit; & alij veni, & venit; & seruo meo, fac hoc, & facit.* In hunc itaq; modum si tuus spiritus viriliter constituit esse Deo subjectus in omnibus, & per omnia, qui est supremus tuus gubernator, eò peruenire poteris, ipso fauente, vt in potentias tuas domineris, quæ sunt tui milites; & sensibus corporis, quod est tuum mancipium. Et si oculis dixeris claudimini, & linguæ, conticesce; statim id facient; &, si tuas appetitiones efficaciter iusseris aliquid amare, aut odisse, parebunt tibi. Et, si imaginationem ipsam atq; intellectum iusseris hac de re cogitare, & non de illa, id exequentur. Hæc enim excelsa mentis nostræ pax, qua fruebatur in statu innocentiæ, potest aliquo modo reparari in hoc statu, efficacitate diuinæ gratiæ, ob perfectam obedientiam & subjectionem Dei, & mortificationem tui ipsius, per exercitium ipsiusmet orationis: quæ eo tandem peruenit, vt hanc possideat quietem, quæ ipsa oratione media est impetranda. Sicut feruens illa anima indicauit, quæ orans dicebat suo sponso: g *indica mihi vbi pascas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum*, vt fusiùs dicemus in Tract. 3.

f Matt. 8. 9.

g Cant. 1. 7. & 6.

INTERIM tamen, dum hoc non experiris, contende tria propria impedimenta remouere, quæ fouent hoc vltimum; nec cesses, confidenter omninò & perseueranter orare: nihil est enim impossibile oranti, & confidenti, sicut oportet; & in ipso medio strepitu, quem sustines in oratione, clama, sicut poteris, ad Deum tuum, vt illum tranquillet, dicens ei cum Dauide: Aspice Deus omnipotens, quia h *cor meum dereliquit me*: exijt ex mea domo. tum quod ego, ex ignauia illud non custodiui; tum, quod vaga mea imaginatio, mihi non obtemperat; tum deniq; quod dœmon ad fugiendum, illud induxerit. *complaceat tibi Domine vt eruas me* ab hac violen-

h Ps. 39. 13.

tia,

tia, quam sustineo. Et siquidem iubes me destruere, euellere, dissipare, & exstirpare quatuor hæc vitæ contemplatiuę impedimenta, da mihi gratiam, ad exequendum quod iubes, vt quietem obtineam, quam promittis. *Peculiaria remedia contra hæc impedimenta in capitibus sequentibus ponentur.*

CAPVT IV.

QVOD ORATIO SIT DEI DONVM, ET QVOD aliud sit omnibus commune, aliud aliquibus particulare; & cui hominum conditioni communicetur: & qua ratione ad hoc percipiendum, nosq; ad rectè in orationem incumbendum præparabimus.



VM hactenus indicauerimus externos & internos hostes, qui orationem destruere conantur, indicemus nunc principia & causas, quæ illam in anima generant, quasdam ex parte Dei, quasdam ex parte nostra. Præcipuè sunt aũt ex parte Dei, cuius oratio est donum, vt fusè ostendit sanctus Augustinus, & reliqui Patres fatentur. Sicut ergo est donũ quoddam fidei, & donum sapientiæ: Ita est donum orationis, quod ab ipsomet Spiritu sancto procedit: &, vt absq; Spiritu fidei non potest credi sicut oportet; ita absq; Spiritu orationis, non potest orari sicut expedit, ob causas quas Apostolus Romanis insinuat: a *Spiritus sanctus adiuuat infirmitatem nostram: nam quid oremus sicut oportet, nescimus sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* in quibus verbis duplicem causam innuit Apostolus ex nostra parte, cur non oremus sicut oportet; infirmitatem scilicet; & ignorantiam. Nostra enim infirmitas tanta est, vt (Apostolo teste) b *non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis.* quare solis nostris viribus nec bonam quidem cogitationem quæ principium est orationis, habere, nec c *sine Spiritu S. Iesus dicere possumus,* quod est nomen, in cuius virtute oramus; nec vincere impedimenta aut difficultates, contra orationem occurrentes. Accedit autem ignorantia nostra, quod d *non sciamus quid oremus, sicut oportet.* Nam, etsi in genere id sciamus, sicut est in Dominica oratione expressum; ignoramus tamen in particulari, quid hoc tempore & hac occasione petere nos conueniat: sæpeq; dicere nobis poterit Christus, quod dixit filijs Zebedæis: e *nescitis, quid petatis.* Multò verò magis petendi formam & modum ignoramus, non tàm ignorantia speculatiua, quàm practica. Nam esto, notæ sint nobis conditiones reuerentiæ ac fiduciæ, quas in petendo oporteat adhibere; non tamen in ipsa praxi nouimus modum, quo id sit faciendum, nec tangemus recta punctum cum tali

ep. 107. ad med & lit. de perseuer. c. 23 vbi citat S. Ambros.

Laur. Iustin de grad perfec. c. 12. & S Tho 2 2 q. 83 ar. 5 ad 1.

a *Rom.* 8. 26.

b 2. *Cor.* 3 5

c 1. *Cor.* 12 3.

d *Rom.* 8. 26.

e *Mat.* 20. 22.

ſpiritu petendi, vt ipſum Deum, ad concedendum quod petimus, pertrahamus. Quod totum ad commiſerationem excitat ipſum ſpiritum S. Qui recipit in ſe, vt ſit noſter adiutor & Magiſter in præſtanti hoc exercitio, adeò vt ipſe *poſtulet pro nobis*. Quia videlicet docet nos, quid petere debeamus; permouetq; atq; adiuuat, ad id faciendum, illuſtrationibus & efficacibus ſuis inſpirationibus, quæ ſunt potentiſsimæ ad reſiſtendum dœmonibus, & vincenda impedimenta, quæ in oratione nobis obijciunt. Quare ab eiſdem potius inſpirationibus prouenit vt rectè feruenterq; in excelſo hoc exercitio nos habeamus, quàm à noſtra induſtria. Per illas enim Spiritus Sanctus operatur in nobis, & nos cum ipſo, ſex illos actus, in quibus oratio perfecta conſiſtit. Ille nos in ſua præſentia collocat, intentionem noſtram eleuat, meditationes noſtras ordinat, affectus accendit, petitiones dirigit, ordinatq; colloquia; quod totum operatur gemitibus quibuſdam ac ſuſpirijs, deſiderijs ac ſenſibus adeò admirandis, vt, licet eos ſentire, eiſdemq; gaudere poſſit, qui eos habet, non tamen ſciat, nec poſsit declarare. Et quandoquidem duplex hæc noſtra miſeria Spiritum ſanctum permouet, vt hæc officia internè nobis præſtet: plurimum refert, orationem ipſam auſpicari ab vtriuſque confeſsione, & vtramq; tanquam titulum & cauſam afferre, vt nos dirigat adiuuetq; in ipſa oratione, dicendo ei: O Spiritus ſanctiſsime, fateor me ignorantem eſſe atq; infirmum, nec ſcire orare ſicut conuenit; nec vires ad id faciendum habere. Aſsiſte ergo mihi in hac hora, doce me orare, inſtiga me ad petendum, inſpira quid mihi ſit faciendum, & accende affectus, excita gemitus, quos tu ſolus potes communicare.

SED aliam rationem ſiue titulum dulciorem nobis adfert Apoſtolus, dicens ad Galatas; f *Quoniam eſtis filij, miſit Deus ſpiritum filij ſui in corda veſtra clamantem, Abba pater.* Quaſi diceret, non tam ad veſtram ignorantiam, & infirmitatem reparandam, quam quod ſitis filij adoptiui Dei, voluit ex miſericordia ſua infinita infundere in corda veſtra Spiritum vnigeniti filij ſui, qui eſt Spiritus Sanctus, & inſpirationem, & impulſum internũ, qui ab eius præſentia procedit, clamatq;, hoc eſt clamare vos facit, & orare feruenter veſtrum Patrem. Nam cùm Dei opera ſint perfecta, eo ipſo quod nobis dat Spiritum filiorum, dat etiam Spiritum orationis, ad petendum quod nobis eſt neceſſarium, ſicut filij à ſuis parentibus petunt. Et ſicut ipſius eſt donum quod eleuat nos ad dignitatem filiorum; ita etiam eſt donum eius Spiritus orationis filiorum propriè. Hunc ergò titulum coniungemus alijs prædictis, vt nos ad fiduciam habendam excitemus, dicentes: ô Pater ſupreme, ſiquidem ex tua miſericordia accipis me in filium, largire mihi donum orationis, qua tecum loqui, & agere tanquam cum Patre poſſim.

[Margin: Gal. 4 6.]

[Margin: ib.2. de orando Deo.]

DENIQVE ipſa orationis excellentia (ait ſanctus Ioannes Chryſoſtomus)

clamat, quod nostras facultates excedat, nec possimus cum ipso Deo colloquia inire, nisi suo Spiritus Sancti fauore illis adsit. Et quamuis possint homines regulas ac documenta ad id proponere; omnia tamen parum proderunt, nisi diuinus spiritus, tanquam principalis Magister & adiutor adsit ad opus adeò excelsum. Esto constans (ait S. Ioan. Climacus) in tua oratione, & habebis Deum Magistrum ac directorem eius. Nam sicut nemo potest verbis docere, quomodo oculi videre debeant: quia id oculi naturaliter faciũt; Sic nullus poterit sola alterius doctrina, discere pulchritudinem & excellentiam orationis. Nam illa habet in seipsa Magistrum Deum, h *qui docet hominem scientiam*; donatq; orationem, ipsam donanti. Et sicut absq; oculis non potest esse visio: ita absq; Spiritu orationis nemo potest dignè orare.

Gradu 29.

h *Psal* 39. 10.

§. I. *De recipientibus donum Orationis.*

1. EX dictis intelligitur, neminem debere existimare se exclusum esse ab orationis dono recipiendo. Cùm enim omnes eo indigeamus, ob nostram ignorantiam & infirmitatem, simusq; filij Dei ob naturam, quam nobis ad suam imaginem dedit, cum titulo ac iure, vt possimus eiusdem esse filij per gratiam; ita omnes huius doni capaces sumus, quod ipse cœlestis pater noster omnibus offert: nec iussisset, aut consuluisset, vt oraremus; nisi etiam voluisset dare nobis Spiritũ, quo orare deberemus. Liberalius tamen eundem Spiritum largitur in lege gratiæ, eo quod sit lex filiorum, & ipse in ea delectetur magis cum hominibus, quos etiam vt fratres accepit, quando pro eisdem factus est homo, sicut promiserat per Prophetam. i *Effundam super domum Dauid & super habitatores Ierusalem Spiritum gratiæ & precum.* Prælati itaq; & Ecclesiæ gubernatores per domum Dauid significati, eorumq; subditi & populi significati per habitatores Ierusalem, accipient, (nisi ipsi desint) Spiritum, quo Deo placeant; & aptè, vt oportet, orent. Et cùm dicit *effundam*, significat, in magna abundantia & excessu se illum communicaturum omnibus, nemine excluso, qui accipere illum velit. Sicut neminem excludit ab spiritu gratiæ suæ, quam semper comitatur Spiritus orationis; Habitus scilicet supernaturalis virtutis, aut virtutum & donorum Spiritus S. quæ nos inclinant ad orandum, simul cum ordinarijs auxilijs, quæ Deus communicat talem habitum habenti; vt eo quandocunq; voluerit rectè apteq; vtatur.

i *Zach.* 12. 10.

VERVM est tamen, esse alium spiritum orationis, magis particularem, qui supra ordinarium & omnibus communem, addit maiorem illustrationum & cœlestium inspirationum copiam, quibus Spiritus sanctus perficit hoc opus valdè frequenter & eminenter intra corda nostra; & ipsemet excitat nos ac prouocat, vt ad eius conspectum accedamus, verbaq; ipsa suggerit, & in ore nostro ponit, quæ illi dicamus; & ipsam fiduciam, reueren-

tiam,atq; instantiam,qua petere debeamus; efficitq́;,vt tota nostra oratio, spiritualis sit sicut est Spiritus ; à quo illa procedit. Hoc autem donum orationis (vt ait Laurentius Iustinianus) nec omnibus conceditur:nec omnes ad tantam altitudinem ascendunt, nec tam arcta cum Deo familiaritate vtuntur:quamuis id ordinariè à culpa nostra proueniat, eo quod ordinario dono, quod omnibus conceditur, non rectè, vt par est, vtamur. Et cum Deus non sit parcus ad sua dona largienda : nec tu parcus esto in eis petendis, in ea excellentia, qua ille solet communicare.

Vbi supra.

NOMINATIM autem hoc donum largitur Deus triplici hominum conditioni : ijs videlicet, quos ipse ad insignem sanctitatis gradum in sua Ecclesia elegit, aut quos posuit Duces aut Magistros aliorum in ea, sicut Moysi, Dauidi, alijsq́; insignibus Prophetis, Apostolis, & Religionum Fundatoribus, magnisq́; alijs Sanctis, quos facit quasi Regios Cubicularios, dans eis clauem auream, Spiritum videlicet orationis, vt frequentissimè ingredi possint ad agendum cum ipso de mysterijs secretissimis, quæ nonnisi amicis intimis communicantur.

ET hinc est, quod etiam communicet idem donum Religiosis;& ijs, qui omnia sua reliquerunt, vt se totos internæ cum DEO familiaritati dicarent. Nam (vt ait sanctus Thomas) manifestum est indicium insignis erga Deum amoris, si quis omnia relinquat, quò se totum diuinæ contemplationi, & quietæ orationi dedat, quæ nos cum Deo coniungit, & quæ(teste Cassiano) finis & scopus est religiosorum exercitiorum. Cùm itaq; Deus D.N. vnicuiq; det suæ vocationis gratiam, quæ possit ad eius finem peruenire, non negabit illi donum tractationis familiaris cum ipso, quem ad eum statum, & vitæ genus vocauit, in quo ille se totum dicat, ad illam procurandam.

2.2.q.182.a. 2. ad 1.

Collat.9.c.1.

IDEM donum solet Deus largiri personis valdè exercitatis, variisq́; calamitatibus afflictis, quas magna tolerantia sustinent : hac ratione eos refouens, præmiumq́; patientiæ eis reddens, imò solet ipse huiusmodi tribulationum fluctus permittere, vt sint illis occasioni ad orandum ; & suauissimum hoc orationis donum impetrandum. Siquidem in huiusmodi tribulationibus feruentius oratur; sicut euenit b *Anna* Samuelis matri, & c *Tobiæ*, ac nurui eius *Sara*. Et vniuersim cùm donũ hoc cum hac particularitate sit ad modũ gratię gratis datæ, illud largitur Deus cui vult, & sicut vult ; vt manifestet thesauros inæstimabilis suæ charitatis; & quas suis amicis seruet delicias in cœlis, erga quos adeo se humanum ostendit in terra. O amice vere, d *cuius deliciæ sunt, esse cum filiis hominum* ; idq; multò magis postquam factus es vnus eorum, effunde super me copiosè spiritum gratiæ & orationis, quæ me facient intimum tibi amicum, valdeque tecum familiarem. Amen.

b 1.*Reg* 1. 10.
c *Tob*. 3. 1. 11.
d *Pro*. 8. 31.

§. 2.

§.2. De præparatione diligenti ad hoc donum recipiendum.

SED erit operæ pretium multiplicem diligentiam quoque explicare, quam ex parte nostra posimus adhibere, ad hoc donum in tota sua perfectione impetrandum: quæ ad duo capita reuocantur.

1. PRIMA, eaque summi momenti est, vt quando Deus D.N. speciali sua inspiratione, & hoc feruoris genere, nos ad orandum permouerit, eam occasionem ne negligamus, sed in vsum nostrum sedulò conuertamus; vt iuxta Ecclesiastici consilium, a *non defraudemur à die bono, & particula boni doni nos non prætereat,* quod Deus nobis offert: progredientes in oratione toto tempore, quo fauor ille cœlestis perdurauerit; quod est insigne donum orationis, & indicium, quod sit illud daturus constanter & perseueranter. Quia bonus aliquis horum dies, sufficiens est profectum nobis adferre per totam vitam. Et hoc voluit nobis Spiritus Sanctus significare in admirando illo Elisæi Prophetę cum Rege Ioas euentu: b *dixit enim Regi Elisæus: Affer arcum & sagittas & cùm Rex posuisset manum suam, superposuit Elisæus manus suas manibus Regis, & ait: Aperi fenestram orientalem & iacias sagittam, & iecit; & iterum ait illi, percute iaculo terram: & cum percußisset tribus vicibus, & stetisset, iratus est vir Dei contra eum; & ait: si percußisses quinquies aut sexies siue septies, percußisses Syriam vsque ad consumptionem: nunc autem,* quia remisiùs egisti, satis tibi esse existimans, quod ter percusseris, *tribus tantum vicibus percuties eam.* Quid enim totum hoc est, nisi te monere, quid facere debeas, quando Spiritus diuinus, sancta sua inspiratione tibi suggerit, vt arcum tuarum potentiarum sumas ad iaciendas sagittas orationum, contra hostes dæmones, & ad transfigendum ipsius Dei cor, & ab eo impetrandum, quod desideras? Quid est, quod iubeat aperiri fenestram orientalem, nisi vt aperires tuum intellectum cœlesti eius illustrationi, vt videas & contempleris solem iustitiæ iam iam orientem, & in tuam animam ingredi volentem? Quid est manum suam super tuam ponere, nisi specialia auxilia tibi offerre, quibus tuæ potentiæ, opus hoc suauiter excellenterque perficiant, supplente illo infirmitatem tuam abundantiæ suæ gratia? Quid est dicere, vt iacias hastas & sagittas, nisi te instruere, vt hac opportuna occasione diligenter vtaris, orando cum eo toto feruore, quem Deus tibi inspirat, nec cesses ab orando, donec Deus cesset, nec remittas, ex ignauia & negligentia, quamdiu adest tibi Deus. Verum ô infirmi nostri cordis miseriam: ô cor timidum, vix tres iecisti sagittas, & statim defatigaris, remittis, & ab orando & contemplando desistis, eo tempore, quo Deus paratus erat eleuare te ad culmen contemplationis, & victoriam dare tuarum pasionum perfectisimam, votaque tua plenisimè explere. Meritò potest Spiritus diuinus irasci, tibique dicere: ô homo ignaue, cur cessasti? ô timide, cur te abiecisti? si quinquies aut sexies,

a Eccl. 14

b 4. Reg. 13.

siue septies sagittas iecisses, percussisses Syriam vsque ad consumptionem: mansissesque pacificus in corde tuo, vt iucunda mea præsentia fruereris, nemine te amplius molestante; sed quia timidè egisti, quamuis aliquas obtenturus sis victorias, non tamen deerunt, qui multas tibi afferant molestias, vt in pugna contra illas verseris & exercearis. O diuine Spiritus, cuius opera sunt perfecta, adiuua infirmitatem meam, ne ob negligentiam amittam dona, quæ mihi offers ex tua gratia.

2. Altera diligentia, quam possumus ac debemus adhibere, ad obtinendum adeo singulare donum, est, vt ipso generali ac ordinario vtamur, quod offert Deus omnibus ad orandum, qui.n. fidelis est in paruo, dignus est quem Deus ad summum extollat. Nam ipsemet Dominus dixit, c *qui habet dabitur ei, & abundabit:* quod erit præmium boni vsus donorum prius acceptorum, cum alia maiora ei conferuntur. Et propterea ait S. Nilus, ipsosmet Sanctos experiri, cum ad orationem accedunt, interdum se omnia peracta inuenire, ipso Spiritu sancto ita omnia disponente: qui tamen aliàs vult magno id labore ipsos impetrare, & adhibito suo studio, cum auxilio ordinario, disponere se ad speciale & copiosius obtinendum. Et vniuersim lex est ordinaria Domini nostri, vt ex parte nostra cooperemur ipsius gratiæ, ad eamque recipiendam nos disponamus. Nec maius aliud indicium est, quod velit Deus hoc particulare donum nobis conferre, quàm si desiderium vehemens nobis suggerat illud quærendi; nosque ad illud recipiendum præparandi. & eò dirigitur solenne illud Ecclesiastici consilium, dicentis: d *Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum.* Quid est enim Deum tentare, nisi eius dona prætendere, non adhibita necessaria diligentia ac dispositione ad ea recipienda? Et quid est Deum in oratione tentare, nisi ad eam imparatum accedere? Hoc enim est, etsi non verbis, opere tamen ipso dicere, experiar, num Deus adeò sit liberalis, vt orationis donum mihi largiatur, me non faciente quod possum ex parte mea; aut, num daturus sit mihi, quod peto, quamuis non debito petam modo: aut, num hic vincam meos hostes, etiamsi imparatus ad victoriam obtinendam accedam. Qui hac ratione Deum tentat, dignus est, quem Deus deserat: nec donum aut fructum orationis impetret, siquidem ad eam se præparare neglexit. Exitus enim præparationi respondet. & ideò Dauid, e *Desiderium*, inquit, *pauperum exaudiuit Dominus, præparationem cordis eorum audiuit auris eius.* & sanctus Bernardus. *Qualem te* (inquit) *parauerīs Deo, talis tibi apparebit Deus.* f *Cum sancto* enim *sanctus erit: & cum innocente innocens erit*, & cum solicito solicitus, & recollectus cum eo, qui quærit recollectionem. Et *quantum apposuerimus ad diligentiam* (ait sanctus Eusebius Emisenus) *tantum ille addit ad gratiam.* Propterea enim Dauid dixit, quod g *posuerit Deus adiutorium in potente*; quasi diceret, adiuuat Deus adiu-

Matt. 3. 12.
cap. 29. de orat.
d Eccl. 18. 23
e Psal. 9. 17
Serm 69 in Cant.
f Psal. 17. 26
Hom. 3. ad Religiosos.
g Psal. 88. 20.

uantem

uantem se, recentesque vires & facultatem addit benè vtenti ea, quam prius habebat. O *anima* (ait sanctus Augustinus) *esto solicita cum solicito, cum mundo munda, cum sancto sancta, cum vacante vacans: qualis apparueris Deo. talis oportet vt appareat tibi Deus.* Et si valdè fueris diligens, te præparando, antequam ad eius conspectum ingrediaris, admittet libenter te, & præmio afficiet tuam præparationem, explendo tua desideria. *In Manu. c. 24.*

§. 3. *De duplici præparatione ad Orationem.*

HAEC præparatio (teste sancto Laurentio Iustiniano) duplex est: altera quæ dicitur remota, altera proxima. *De ligno vitæ Trat de Orat. c. 3*

1\. REMOTA præparatio siue dispositio est vita ordinata & composita per totum decursum diei, discens ex tui hostis astutia ita vitam tuam ducere. Si enim dæmon (vt supra diximus) omnes suas tentationes per totam diem eò dirigit, vt orationem tuam eiusque fructum impediat; æquum est, vt tu earum victorias & reliqua bona opera ad eandem orationem cum fructu habendam, dirigas: ita vt in victu sis temperans, quò sit corpus benè dispositum in oratione; & studeas sedulò, cor tuum & sensus custodire, vt sis in ea tranquillus: mortificans interdiu (vt ait Cassianus) quicquid turbare te potest tempore orationis: dans operam, vt qualis orans velles inueniri, talem ante orationis tempus te præparare contendas, luctando contra quatuor impedimenta in proximo capite indicata. Si enim illa interdiu admiseris, non poteris ab eis te in illa hora defendere. *cap. 3. §. 2.* *Coll 9 c. 2. Coll. 10. c. 1*

2\. STVDENDVM præterea est, insignibus virtutum operibus teipsum exornare, vt sis dignus apparere absque pudore coram Deo: hoc enim est, quod Ecclesiasticus dixit: a *Qui timent Dominum, præparabunt corda sua, & in conspectu illius sanctificabunt animas suas:* ea sententia insinuans, præparationem consistere in fuga vitiorum & ornamento virtutum. id quod pulcherrimè declarauit S. Dionys. dicens: Moysen peruenisse ad tantam familiaritatem cum Deo, ob suam magnam mansuetudinem ac sanctitatem. *Sciebat enim* (inquit) *oportere colloquentem Deo bono, quàm maximè conari, ei pro viribus simillimum fieri, ac sibi esse conscium Deo amabilium operationum:* Eas videlicet studiosè exercendo. Hæc enim similitudo talibus operibus exornata, dignum eum faciet, quem Deus ad suam familiaritatem admittat. b *Omnis enim* (vt ait Sapiens) *diligit similem sibi,* & libenter cum eo versatur. *a Eccl. 2. 21* *Epist. 5. ad Demoph.* *b Eccl. 13. 19*

3\. QVOD, si de tractatione familiari cum Rege cœlesti ita sentias, vt par est, non existimabis magnum, quemcunque laborem in hac præparatione posueris. Nam c *virgines ad Regis Assueri præsentiam ingressuræ,* & d *pueri corã Rege Nabuchodonosor,* multis mensibus se præparabant variis & magnis or- *c Ester. 2. 12. d Dan. 1. 5.*

namentis, Regum suorum expensis: quantò iustius erit, se præparare eos, qui ad Regis æterni præsentiam sunt ingressuri, vt familiariter illi assistant? siquidem ipsemet Dominus expensas facit, & facultates exponit sufficientes ad talem præparationem.

4. DENIQVE ipsamet præparatio adeò sapidam feruentemque reddit orationem, vt vel hoc ipsum censeatur sufficiens laboris præmium. Si ingressus in templum (ait S. Augustinus) voluntate ac desiderio orandi, videasque illud incompositum, immundum, confractas imagines, altaria indecenter præparata, & magnum audias negotiantium & transeuntium strepitum: mox inde te corripis, quia non potes, vt optas, orare. Si autem templum sit mundum, ornatum, & quietum; imagines piè beneque exornatæ, hæc omnia te ad orandum inuitant, diutiusque hærendum in tua oratione. Sic igitur, si templum cordis tui sit peccatis immundum, passionibus confractum, fœdis vanisque imaginationibus turbatum, quomodo ibi poteris orare, aut vel ad momentum manere? Munda igitur hoc templum, exorna & pacifica: & *ipsa mundicies cordis tui delectabit te, facietq; te orare*, & sicut Dauid e *perambulabis in innocentia cordis tui*: & delectaberis *in medio domus tuæ*, & cum gaudio intra illam orabis. O Saluator dulcissime, qui magno f *zelo omnes eiecisti de templo*, qui negotiationibus illud prophanabant, cum illa g *domus, domus esset orationis*, ideoque ab omni tali strepitu immunis esse deberet, eiice ex templo cordis mei, quidquid illud turbat, & exorna illud donis tuæ gratiæ: vt liceat mihi dignè intra illud orare, tecumque colloqui.

In Psal. 33. conc. 2 in id, Exquisiui Dominum.

e *Psal. 100. 2* *Vide Aug. ibid.*

f *Ioan. 2. 15.*

g *Mat. 21. 13*

5. PRAETER hanc præparationem totius diei, alia accedere debet, tempore quo instat oratio: præuidendo scilicet argumentum & puncta, quæ in ipsa oratione sis cogitaturus: siue legendo in aliquo libro, siue memoriam eorum reuocando. Quod si oratio mane sit habenda, præparatio hæc nocte fieri debet, paulò antequam incumbatur, ad instar illius qui nocte ligna adfert, componitque in fornace, vt statim atque surrexerit, ignem supponat: aut sicut is, qui summo mane iter sit aggressurus, nocte præparat, quidquid est ad illud conficiendum necessarium. quod si cum hac cura & cogitatione eorum, quæ sis meditaturus, aut oraturus somno te dedas, fortè eueniet tibi (quod ait Sanctus Bernardus) vt iucundum habeas somnium de eo ipso, quod antea cogitaueras: idemque primùm occurret, cùm euigilaueris: vt bona hac cogitatione cor occupatum, non admittat aliquam malam: & hac ratione benè paratus eris, vt idem prosequaris, postquam è lecto surrexeris. Propter hoc enim dixit Isaias: h *anima mea Domine desiderauit te in nocte, sed & spiritu meo in præcordiis meis, de mane vigilabo ad te.* Insinuans, feruentem affectum, quem mane habuit, promanasse ex eo, quem nocte habuisset. Quæ præparationis forma celebris fuit, & in vsu apud Sanctos, qui vtroque hoc

Ad fratres de monte Dei.

h *Isa. 26. 9*

tem-

tempore orationem frequentabant, vt inferius fusiùs dicetur, cùm de loco & tempore ad orationem deligendo agemus. c. 20.

6. ACCEDAMVS iam ad proximas dispositiones ipsius orationis, cùm scilicet iam ipsa est inchoanda, quas (ait suprà sanctus Laurentius Iustinianus) insinuari ac comprehendi in executione illius consilii Christi D. N. dicentis; i *cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito.* Quod, licet intelligi possit de ingressu in locum, siue cubiculum exterius, vt illud sit quietum, clausum, ac secretum: (Sic enim multum confert ad orationis collectionem) præcipuè tamen illud intelligunt SS. Patres de ingressu in cubiculum interius cordis nostri, intra quod orandus est Deus: præparando scilicet illud ad hoc ipsum opus. Memor esto quid fecerit Christus D. N. celebraturus vltimum Pascha cum discipulis suis. Præmittens enim duo ex eis, k *Petrum & Ioannem*, dixit illis, *Ite in ciuitatem*, &c. & inuenietis l *cœnaculum stratum*: benè scilicet præparatum: & nihilominus addit: *illic parate*, quæcunque ad Pascha celebrandum ibi desunt: hac ratione significans, cœnaculum cordis debere multò ante esse præparatum, vt possit in eo Pascha orationis celebrari: quæ meritò Pascha, hoc est transitus appellari potest; cum non aliud sit, quàm transitus nostri Spiritus in cœlum, & aduentus Dei ex cœlo, ad ipsum Spiritum nostrum, vt cum eo maneat, licet obiter, communicando scilicet illi sensum mysteriorum cœlestium. Sed præter illam primam præparationem, præparandum est in hoc cœnaculo, quicquid amplius est necessarium, à Petro & Ioanne, à fide scilicet & charitate: extimulando valdè ipsam fidem, circa ea, ad quæ cum Deo tractanda accedis, & accendendo desideriũ viuum manendi ibi in eius societate, sicut oportet: claudendo in hunc finem, huius cœnaculi ostium omni generi cogitationum impertinentium: efficaci quodam animi decreto, nullam admittendi spontè distractionem, nec terrenam affectionem, aut intentionem minus rectam: ad quod solidiùs præstandum, adhibendi sunt cordis tui custodes, zelus Petri, & prudentia ac sapientia Ioannis: & inuocandus ac rogandus exercitus Angelorum, vt tanquam m *viri fortes ambeant* & custodiant sapientissimi *lectulum Salomonis*, ne hostes tuam orationem perturbent. Hoc feruens ac vehemens propositum maximi est momenti: firma enim & efficax animi resolutio ac decretum, est tanquam n *fortis armatus, custodiens atrium suum: & in pace conseruans omnia, quæ possidet.* Iuuat quoque claudere eo tempore portas sensuum, non effundendo visum ad aliquid, quod ipsum cor etiam effundat. Ita enim Elias collocuturus cum Deo o *operuit vultum suum pallio.* quod si oculos aperueris, id fiat ad configendos illos in terram, aut aspiciendum cœlum, aut piam aliquam imaginem, quæ conferat ad attentionem, & non illam effundat.

7. NVLLA denique efficacior est ad orationem præparatio, quam sit ipsa-

i Matt. 6. 6.
S. Hil. c. 5. in Matth. S. Ambr. Instit. ad virg. c. 1 & lib. 6. de Sacram. c. 3 Aug. tom. 2. in Psal. 33 Cass. coll. 9. 1. 35.
k Luc. 22. 8.
l Mat. 14. 16 Mar. 14. 3.
Tract 4. c. 16.
m Cant. 3 7
n Luc. 11. 21.
o 3 Reg. 19 13.

c 7. de diuin nomin. met oratio. Quamobrem dixit S. Dionysius: omnem actum Theologicum, omne videlicet opus & exercitationem quæ de Deo agit, & cum Deo, inchoandam esse ab ipsa oratione, inuocato scilicet eius auxilio, ad eum actum ita præstandum, vt ipsi Deo placeat. Cùm ergo te præparas, dicere poteris cum Dauide: d *Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo Domine:* quia valdè ab eo est remota, *iuxta eloquium* & promissionem tuam *da mihi intellectum,* vt sciam, & valeam implere, quod tu iubes. Et post hanc præparationem licebit addere cum eodem Dauide: *intret postulatio mea in conspectu tuo;* & gratia tua me adiuua, vt dignè in ea perseuerem. Et certa firmaque spe adfuturi huius diuini auxilij, inchoare poteris tuam orationem, progrediendo per sex illos actus, in primo capite indicatos, & obseruando documenta, quæ de singulis inferius tradentur.

d Psal. 118. 169.

Ibid. n. 170.

CAPVT V.

VARIOS ESSE MODOS ORANDI ET AGENDI cum Deo: omnes fundari in memoria diuinæ præsentiæ. admirandam esse huius memoriæ efficacitatem, ad bonum orationis euentum, progressumq; in tribus viis, Purgatiua, Illuminatiua, & Vnitiua.



QVAMVIS noster Spiritus, per sex gradus in primo capite indicatos, ad perfectam orationem ascendat: in singulis tamen est peculiaris aliquis modus cum Deo agendi, ex quibus varij proueniunt modi habendi orationem: excelsum enim hoc donum, & a *Spiritus* orandi, *est vnicus & multiplex.* Vnus in substantia, & multiplex in modo. Omnes autem fundantur in aliqua memoria præsentiæ Dei, cum quo est nobis loquendum & agendum: nullus siquidem loquitur cum eo, quem existimat absentem, aut non intelligere. In hanc igitur diuinam præsentiam varias ob causas ingredi possumus.

a Sap. 7. 22.

1. PRIMVM, vt videamus & cognoscamus Deum, eiusque magnalia, & perfectiones, sicut qui accedunt ad palatium Regis, quem nunquam viderunt, vt eum videant, & experiantur, quæ de illo dici audiuerunt. Et quoniam infinita sunt, quæ fides nos docet de Deo & eius operibus, quotidie licet intrare ad noua semper in eo cognoscenda, aut in iam cognitis, nos magis confirmandos. Et hinc proueniunt varij modi orationis, per discursus videlicet, & meditationes circa diuina mysteria, quę remittimus ad sequentem tractatum; ob causam in præfatione nostra insinuatam.

SECVNDVS finis ingrediendi ad conspectum Dei est, ad fatendum & protestandum subiectionem, & promptitudinem obedientiæ, quam debet creatura suo creatori, tanquam supremo Monarchæ: sicut qui interdum accedunt ad manum sui Principis osculandam; & seipsos de nouo offerunt ad eius seruitium. Et hinc duo proueniunt orandi modi. Alter per viam & modum orationis; Alter per modum oblationis cum actibus substantialis deuotionis. 2.

TERTIVS finis est, ad laudandum & glorificandum Deum, ob tot magnalia, quæ in se continet, & ob gratias ac beneficia, quæ nobis confert: ex quo etiam procedunt duo alij modi orationis valdè excellentes: Alter per viam & modum laudis & exultationis de Deo; Alter per viam gratitudinis aut gratiarum actionis. 3.

QVARTVS finis est, ad nostras omnes necessitates illi proponendas; earumque remedium petendum: in quo etiam varij includuntur modi orandi, pro varietate modorum petendi. 4.

DENIQVE possumus ad diuinum conspectum accedere, vt eius felicissima visione fruamur, doctrinam audiamus, ipsique assistamus in terra, sicut Angeli assistunt in cœlo: & vt in amoris vnitione cum eius bonitate conquiescamus, sicut lapis in suo centro. Et hinc oriuntur modi orandi ipsius contemplationis proprij, de quibus in tertio tractatu erit sermo. in hoc autem dicemus de reliquis, qui sunt omnibus communes, faciles, & mirum in modum vtiles, atque excellentes: qui etiam inter se magnam habent connexionem, & ferè semper inueniuntur permixti, quamuis interdũ aliquis eorum emineat, interdum verò alius maiori feruore eluceat: & primi sint veluti gradus ad posteriores. Quam ob causam declarabimus quidquid est cuiusuis proprium, & materiam copiosam indicabimus, quam habet quisque ad loquendum & agendum cum Deo D. N. & sic plures horæ expendi possunt, antequam desit quid dicatur: aut negotia, quæ tractentur. in qua re dexteritate opus est. Nam vt in hoc seculo multi sunt homines, qui non sciunt diutius conuersationem aliquam protrahere, nisi alij materiam offerant, ad eam producendam; imò & tunc interdum se inueniunt valdè impeditos & aridos, alij verò sunt in hac magis exercitati, sciuntque suis sermonibus alios absque tædio continere. Ita proportione quadam solet in oratione euenire: in qua multi sunt adeò steriles, vt statim atque verbum vnum, quod præcogitauerant, Deo dixerunt, aut precationem vnam Dominicam; nihil sciunt aliud quod dicant, & ibi subsistunt: non vlterius progredientes, nisi Deus ipse occasionem afferat deuotionis alicuius sensibilis, cùm recenti alicuius mysterij sensu, quo progrediantur in oratione: quod quia rarius euenit, hærent ibi otiosi. Ne autem hoc detrimentum eueniat, expedit nosse spatiosum campum, copiosamque materiam, quam aperiemus 5.

in variis orandi modis, quos iam insinuauimus, incipientes semper à memoria diuinæ præsentiæ, qui primus gradus est ad omne genus orationis, in qua impetrari etiam solet gradus vltimus perfectæ contẽplationis. Et quoniam eius sphæra est, sicut ipsemet Deus, immensa, non adstringitur ad solam orationem; sed extenditur ad omnia vitæ actiuæ opera, & cætera Christianæ perfectionis exercitia, ad quam est dulce quoddam compendium. Et quamuis communiter dici soleat, non esse compendium sine dispendio aut labore, hoc est adeò amœnum, vt reddat suaue, quod ex seipso graue fuisset & molestum: quod expertus fuerat Dauid, cum dixit: b *renuit consolari anima mea: memor fuit Dei & delectatus & exercitatus sum, & defecit Spiritus meus*: verbis illis insinuans, memoriam Dei omnem ab eo tristitiam repulisse, & repleuisse lætitia: qua adeò permotus est ad varias virtutes, tanto spiritus feruore exercendas, vt halitus eum deficeret. Per hoc compendium deduxit Deus intimum suum amicum Abrahamum, dicens illi: c *ambula coram me, & esto perfectus*: quasi diceret: si in mea præsentia ambulaueris, tuasque actiones ita feceris, sicut qui in conspectu meæ diuinitatis existit, eris in omnibus illis perfectus. Horum omnium causam & rationem mirificè tetigit Salomon, cum dixit: d *In omnibus viis tuis cogita illum, & ipse diriget gressus tuos.* In quibus verbis continetur quoddam genus pacti, & conuentionis inter Deũ & hominem: qua, si homo se obstringit, vt contendat & conetur, Deum habere in omnibus suis viis præsentem, Deus quoque recipit in se, illum dirigere in omnibus eius greßibus; vt neque ab itinere aberret, nec curuè aut cum defatigatione circumeundo pergat; sed recta breuique via, ad sui itineris finem perueniat, qui est ipsemet Deus. Et, vt omnes ad præclarum hoc exercitium afficiãtur, declarabimus hoc, discurrentes per tres illas vias perfectionis, quas vocamus Purgatiuam, Illuminatiuam, & Vnitiuam: & per gressus, quibus in eis ambulatur: quales sunt actiones, quibus vitiorum mortificationem, virtutum splendorem, & amoris cum Deo vnionem obtinemus. in quibus si fideliter præstemus, quæ ad nos pertinent, in prædicto pacto, Deus proculdubio partes suas in eodem pacto seruabit: sicut ipse dixit sanctæ Catharinæ Senensi: Esto memor mei, & ego ero tui: stude tuas actiones præstare, cogitans quod te aspicio; & ego operam dabo, vt illæ dirigantur in tuum commodum: quod experta sponsa dicebat. e *Ego dilecto meo; & ad me conuersio eius.* Ego intendo in meum dilectum, & ipse in me: ego studeo progredi in eius præsentia, vt illi placeam; & ipse attendit, vt vias meas dirigat, quibus etiam illi placeam.

b Psal 76. 4.
c Gen. 17. 1.
d Prou. 3. 6.
e Cant. 7. 11.

§. I. Memoriam Dei conferre ad fugienda peccata, & tentationes vincendas.

INCIPIENDO à greßibus viæ purgatiuæ, quibus orationis impedimenta remouẽtur, certum est, si illis in præsentia Dei ambulemus, ipsum

cos

eos ita directurum, vt fiant cum excellenti puritate.

EIVS enim præsentię memoria, potenter omninò retinet ac frenat, ne carnis nostræ propensiones sequamur; efficitq́; vt peccatum non secus atque Basiliscum fugiamus. Quis enim peccare auderet, si aduerteret Deum esse præsentem, ipsumq́; aspicere? Quis adeò temerarius est latro, vt furari audeat, si attẽdit se à iudice videri, qui poßit è vestigio ipsum capere, & supplicio afficere? Quomodo ergo coram Deo meo peccare audebo, qui meus est iudex, & potest pœna me afficere temporali, & æterna. Et ideo sanctus Thomas dixit: *Si Dominum præsentem & omnia videntem, ac iudicantem semper cogitaremus, aut vix, aut nunquam peccaremus.* Quasi diceret, vix hæc duo se compatiuntur: attendere, quod respiciat nos Deus iudex noster supremus, & peccare in eius præsentia. Quod si peccamus, id fit, quia huius obliuiscimur, & ipso opere protestamur hanc obliuionem & deceptionem, dicentes, cum magnis illis peccatoribus: a *Non videt Dominus nos, dereliquit Dominus terram.* in quæ verba ait sanctus Hieronymus: si cùm tentamur, cogitaremus Deum nos aspicere, esseq́; præsentem, nunquam, quod illi displiceret, faceremus. Quamobrem pius ille senex Tobias, cum filium, qui iuuenis adhuc erat, instituerct, præ omnibus alijs hanc præsentiæ Dei memoriam ei tanquam efficax medium ad peccata fugienda, Dei verò præcepta seruanda, commendat; quam instructionem ita ipse connectit: b *Omnibus* (inquit) *diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum; & caue ne aliquando peccato consentias, & prætermittas præcepta Domini Dei nostri.* Id ei significans, si primum impleret, facilè reliqua duo seruaturum, ob excellentem efficacitatem, & vim quam ad id habet: sicut apparet in sancta illa Susanna, quæ cùm ab impudicis senibus vrgeretur, minantibus mortem, nisi ipsis consentiret, animosè respondit: c *melius est mihi absq; opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini.* quasi diceret: Etsi me homines non videant, scio quod me Deus aspiciat, in cuius præsentia nolo admittere peccatum, etiamsi propterea sit mihi moriendum. Quod si hæc diuinæ præsentiæ memoria, tantum valuit ad culpam impediendam in tantis angustijs, vt necesse esset, aut eam admittere, aut vitam & honorem perdere: quanto magis impedire poterit ordinaria nostra peccata, quæ aliàs admittimus, in tantis angustijs non constituti?

1\.

Opusc. 58 c. 2.

a *Ezec. 8. 12.*

b *Tob. 4. 6*

c *Dan. 13. 23.*

HINC fit, vt hæc memoria sit medium efficacißimum, ad vincendas tentationes dœmonis, mundi & carnis; non solùm ob sanctum timorem, quem nobis incutit præsentia nostri iudicis, cuius est castigare eos, qui illis consentiunt; sed etiam, quod magnum nobis addat animum, cùm videamus adesse nobis omnipotentem Deum, qui ad eas vincendas iuuare nos poßit, sitq́; noster patrinus & protector in huiusmodi pugnis. Et propterea Dauid, d *Prouidebam* (inquit) *Dominum in conspectu meo semper: quoniam à dex-*

2\.

d *Psal. 15. 8.*

tris est mihi, ne commouear, nec vincar. circa quæ verba ait Cassianus: ille solus vim atq; intellectũ huius versus efficaciter assequitur, & in praxim deducit, qui intelligit, se cunctis momentis huius vitæ, à Domino in corporis & animæ puritate conseruari: quam ipse conseruare non posset, nisi Deus ad dexteram eius assisteret, confortando opera, quæ ab ea manu procedunt, contra furentes impetus, qui à manu hostis illi eueniunt, ad ipsum prosternendum. Sed hoc adiutorio munitus; confidenter cum S. Iob dicet: e *Pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me.* Nullius enim manus adeò erit potens, ad me proijciendum, atq; tua est ad me defendendum, & quamuis f *Diabolus, tanquam leo rugiens circumeat, quærens me, vt deuoret*, non timebo: quoniam g *Dominus est in circuitu meo*, vt me protegat. Et siquidem potentior & h *maior* (vt ait sanctus Ioannes) *est, qui est in me*; hoc est, Deus, *quam qui est in mundo*, hostis videlicet Diabolus, certa erit nostra victoria, cum illius præsentia & auxilio.

Coll. 12. c. 5.
e Iob. 17. 3.
f 1. Pet. 5. 8.
g Ps. 124. 2.
h 1. Ioa. 4. 4

3. DENIQVE, si cupis præparationem tuam ad orationem, esse perfectam, & examen tuæ conscientiæ, confessionem peccatorum, eorumq; dolorem, vitiorum mortificationem, reliquasque actiones ad perfectam puritatem impetrandam necessarias, in omnibus his fies compos voti, si ea peregeris, tanquam in Dei præsentia constitutus. Id enim voluit Deus, cùm dixit: i *reduc me in memoriam, &* k *iudicemur simul: narra, si quid habes, vt iustificeris.* Si enim teipsum coram Deo iudices, ita iudicium facies, vt ex gratia eius iustificeris; &, si in eius præsentia culpam tuam confitearis, tantum concipies dolorem & pudorem, vt statim eam tibi remittat.

i Isa 43. 26.
Ex D. Greg 25. mor. c. 5.
k Iob. 35. 14.

O DEVS æterne, remoue quæso densum illud velum, quod mea peccata, inter me & te constituerunt, ne te videam. Scio enim, si te aspexero vt debeo, statim acturum me, vt omnia quæ admisi, deleam; & operam daturum, vt nunquam ad eadem reuertar, ne mundissimos tuos oculos offendam, qui vident, ac detestantur.

§. 2. *Eandem Memoriam Dei plurimùm conferre ad veras solidasq; virtutes comparandas.*

1. EADEM præsentiæ diuinæ memoria plurimum iuuat, ad comparandas virtutes viæ illuminatiuæ; virtutes non in specie, vanas & pueriles; sed veras, solidas, vereq; viriles. Bonum enim opus, quod fit in præsentia hominum, potest esse merè vmbratile, & cum sola externa forma probitatis: quia illi non intuentur corda; sed quod fit in præsentia Dei, vt illi placeat, verum est atq; solidum. Ille enim non solum exterius videt in cortice, sed penetrat ad interiora; nec illi satisfit sola apparentia, nisi vera adsit existentia. Quare idem est *coram Deo ambulare*, & ambulare in veritate absq; fictione; in lumine, & non in tenebris: sicut dixit Dauid: a *Accedite ad Deum,*

& illuminamini, & facies vestra non confundentur. quasi diceret: Constituite vos coram isto sole iustitiæ, & illuminabimini à splendoribus gratiæ eius, & radijs verarum eius virtutum; & quando b *Deus illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium,* vos non erubescetis; eò quod vestra virtus erit interius, qualis exterius apparet; talisq; erit intentio occulta, quale est opus publicum. Deus enim dirigit gressus ambulantis in eius præsentia; & intentionem, vt rectà eum aspiciat, quem præsentem habet, nec eam inclinet, aut vertat ad rem aliam creatam. Et hinc est, quod Scriptura sacra exhortatur nos, vt c *modestia nostra,* temperantia d *lætitia* & cæteræ virtutes, *innotescant omnibus* hominibus, non quod illi sint præsentes, sed quoniam *Dominus prope est.* hinc enim prouenit illis bonitas, quam habent, iuxta illud Ecclesiastis: e *Ego cognoui; quod erit bonum timentibus Deum; qui verentur faciem eius,* & præsentiam. Quia fruentur vero & solido bono, & & impetrabunt veras f *virtutes,* quia secum habebunt *earum Dominum.*

a Psal. 33.6
b 1.Cor.4.5
c Phil.4.5.
d Psal 67.4
e Eccl. 8 12.
f Ps 79.20.

2. Praeterea, sicut Imperatoris præsentia, milites animat, ad insignia facinora aggredienda. Ita Dei præsentia, animum iustis addit, ad excellentia opera patranda: aspectus Christi D. N. ad g *Patris dextram stantis,* magnum adiecit animum protomartyri *Stephano,* vt vitam pro eo daret, qui è cœlo ipsum pugnantem aspiciebat. Et cùm Christus suos Apostolos, ad prædicandum Euangelium misit ad omnes gentes, dixit: h *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi;* vt eius præsentiæ memoria, solicitos eos faceret ac sedulos, in tanta expeditione. Et quando Iacob suum iter incepit, in quo magnos labores erat toleraturus, apparens illi Deus mysticæ scalæ innixus, vt animum illi adderet, dixit: i *Ego ero custos tuus, quocunque perrexeris.* Quod tantam admirationem & animum ipsi Iacob attulit, vt euigilans, statim dixerit: *Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam: non est hic aliud, nisi domus Dei & porta cœli.* Et statim *surgens tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum,* & altare, *fundens oleum desuper,* obtulitq; *vota* sua ei, qui reuelauerat locum, in quo erat. O si Deus oculos tibi aperiret, vt immensitatem eius agnosceres, qua cœlum implet & terram, nullo relicto loco à sua præsentia vacuo, vbicunque esses, dicere posses: *Verè Deus est in loco isto, & ego nesciebam,* aut id non attendebam. sed cùm iam id animaduertam, videamq; esse præsentem, non debeo illum hoc in loco offendere, quia *terribilis est locus iste:* potius volo hic eum adorare, & præstare obsequium, quia verè locus est iste venerabilis. Hic licet orare, quia domus Dei est; hic licet pulsare, quia est porta cœli; hic promam, & offeram vota, & proposita mea: quia ipse aspicit me. Hic magna ei obsequia exhibebo, siquidem auxilia mihi promittit ad ea præstanda.

g Act. 7. 15.
h Matt. 28. 20.
i Gen. 28. 14.
Ibid. n. 16. 17.

3. Hac viua fide oēs virtutes exacuũtur, nouũq; splẽdorẽ recipiũt, ad heroicos suos act⁹; cũ magna excellẽtia exercẽdos. Humilitas in Dei pñsẽtia abijcit se vsq;

ad abyssum Nihili: Obedientia est ad nutum, læta, prompta, ac diligens; Fortitudo, magna aggreditur pericula. Patientia exultat in laboribus; Religio pia offert sacrificia laudis, & gratitudinis, & in oratione colligit omnes animæ facultates, vt festum diem suo agant Domino. Quare concludit sanctus Basilius, maximam nostram curam esse debere, vt cor nostrum diligenter custodiamus; quò memoria continuata Dei, cum perpetua meditatione rerum mirabilium quas fecit, sculpta sit in animis nostris, tanquam signum, quod deleri non posit, illudq; nobiscum portemus, quocunque tandem nos conferamus. Hinc enim, ait, orietur perfecta charitas, puraq; intentio soli Deo placendi, nulla ratione habita inanis opinionis & iudicij hominum. Nam si quis (ait idem sanctus Doctor) concionatur, aut grande aliquod opus, in præsentia magnæ multitudinis præstat, totam suam curam ponit in eo, vt præcipuè Regi, si præsens est, placeat, non habita ratione multitudinis popularis. Quod si defectum aliquem admittat, tristatur, ob iacturam honoris; si feliciter cedat, exultat ob honorem, quem inde acquirit. Hac ergo ratione, vir spiritualis, siue loquatur, siue agat coram vniuerso mundo, solum conijcit oculos suos in æternum Regem, qui præsens est, in cuius comparatione Reges & Principes terræ, sunt tanquam vulgares, & turba plebeja. Ideoq; illi soli studet placere in eo, quod agit: si in aliquam culpam labitur, tristatur propterea, quod Deo, qui illam videt, displiceat; si quid boni præstet, lætatur, quia Deus videt, & illi placet, non habens maiorem rationem hominum præsentium, quàm si abessent. Nam in supremi huius principis præsentia, adeò cæteri videntur viles, vt vile sibi existimet, quærere illis placere; aut timere, ne displiceat; nisi hoc ipsum aliquid conferre posit ad honorem aliquem apud ipsum Deum obtinendum: qui gaudet, quod studeamus hominibus placere, vt benè illis faciamus, & ob solam Conditoris ipsorum gloriam. Hac ratione magnanimitatem tibi comparabis adeò heroicam, vt sub tuis pedibus ponas res omnes huius mundi, ita viuens in ciuitate, atq; si esses in deserto; & inter multos atq; si esses solus; nullos honores quærens aut laudes hominum, nec eorum timens calumnias, aut opprobria; eo solo contentus, quod sis apud tuum Deum, & fruaris thesauris sanctitatis, gaudij & pacis, qui à iucunda eius præsentia procedunt. O Rex æterne, k *deduc me*, sicut Iacob, *per vias rectas & ostende mihi regnum*, quod l *intra nos est*, te ipsum videlicet Regem gloriæ; & protectionem, quam habes eorum, qui te respiciunt, aspiciam ego te semper ijs oculis, quibus penetrem & comparem mihi Regnum tuum, quod est m *Iustitia, Pax, gaudium in Spiritu S.* crescens in tua præsentia, & proficiens in virtutibus, donec earum præmium consequar. Amen.

Reg. 5. fus.

Sap. 10.

o Luc. 17. 21.

1 Rom. 14. 7.

§. 3. Dei

§.3. *Dei præsentiæ Memoriam etiam conferre ad opera viæ Vnitiuæ.*

PRAE omnibus, quæ hactenus diximus est admirandum auxilium, quod ex memoria diuinæ præsentiæ nobis prouenit, ad actiones & opera viæ Vnitiuæ, quibus coniungimur Deo D. N. per actualem cognitionem, amorem, & vitæ conformitatem. Quamobrem dixit Ecclesiasticus: a *Beatus vir qui in sapientia morabitur, & qui in iustitia sua meditabitur, & in sensu suo cogitabit circumspectionem Dei.* Quod scilicet Deus ipsum per omnes partes aspiciat: in quibus verbis tria cogitationum genera exprimit, quæ faciunt hominem beatum, eo modo quo beatus esse potest in hac vita, cum magna spe, quod erit plenè beatus in futura. a *Eccl.* 14. 22.

PRIMVM genus est, quod moretur cum sapientia, in quadam scilicet cognitione Dei beneuola ac iucunda; dulces cum eo sermones miscens, arctamque familiaritatem contrahens, cum vnione perfecti amoris.

SECVNDVM est, quod meditetur in sua iustitia, frequenter cogitans de diuina lege, & virtutum pulchritudine; vt eas amet, & per earum conformitatem, cum suo creatore vniatur.

TERTIVM genus est, quod intra se ipsum & profundo quodam sensu cogitet, Deum esse præsentem, ipsumq; omni ex parte circumspicere.

Et hic actus priores duos adiuuat ac perficit: memoria enim præsentiæ Dei reprimit cordis distractiones, acuit discursus intellectus, inflammat affectus voluntatis, componit totum hominem interiorem & exteriorem in oratione, eleuatque Spiritum eum magnis desiderijs vniendi se cum Domino, quem præsentem habet; qui in præmium huius diligentiæ ac desiderij, rapit illum vt sibi vniat, iuxta eius vota. Id notat sanctus Gregorius cum declarat verba illa cuiusdam amici Iob: *si direxerit ad Deum cor suum, spiritum illius, & flatum ad se trahet.* Quod est dicere: cùm homo cor suum ad Deum direxerit, attendens, eum esse præsentem, omnesq; suas cogitationes & affectiones in eo collocans, intentione pura, desiderioq; illi placendi, Deus Spiritum eius, & respirationum siue flatum ad se trahet. Vi, inquam, & efficacitate suarum inspirationum ita ad se rapiet internas Spiritus facultates, & externas corporis, vt spiritus hominis coniungatur cum ipsius Dei Spiritu, b *fiatq; vnus Spiritus* cum eo, vt corpus hanc quietem & iucundam vnionem non impediat. Et pari ratione liceret eadem verba sic explicare: quod cum homo cor suum modo prædicto ad Deum dirigit, trahet ad seipsum Spiritum & flatum Dei, sanctam scilicet inspirationem, donaq; Spiritus sancti, quibus cum Deo vnitus maneat, insigni deuotionis facultate & facilitate, ad ea, quæ sunt obsequij Dei. Præsentia itaq; iucunda huius Domini, causa est, cur Deus sibi coniungat Spiritum hominis; & homo animum recipiat, Spiritum suum cum Deo coniungendi, concurrenti- 4. *Mor. c.* 11. *in Iob. c.* 34. 14. b 1. *Cor.* 6. 17.

bus Deo & homine ad hanc vnionem,& vtroq; vi magna, ob ipsius Dei virtutem & inspirationem.

Ex quibus intelligitur,eum,qui per viam hanc Vnitiuam ambulat, magnum studium curamq; adhibere debere, in exacuenda hac fide, & memoria diuinæ præsentiæ, qua reprimat, auertatq; quicquid potest concupitam eam vnionem impedire. Si enim (vt sanctus Basilius expendit)qui cum magno aliquo Principe, de graui aliquo negotio agit, magno timore ac reuerentia attendit oculis corporis & animæ, quid faciat; quantò maiori timore ac tremore decet nos esse in præsentia Dei viui, colligentes totam nostram animam, vt attendamus, quid faciamus, absq; digressione vlla ad rem, eius præsentia indignam? præcipuè cum pateat DEO, non solum externum opus,quod vident homines; sed interna quoq; cópositio, quam illi videre non possunt. Cùm autem senseris,tuas cogitationes, te inuito,distrahi & effundi; opponas te vi magna, configendo tuum Spiritum firmiter in DEVM,clauis timoris,amoris, & confidentiæ:timens scilicet eius iram,si digrediaris; sperans eius auxilium, vt non effundaris; & amans eius bonitatem,vt de ea cogites,cum animi tui voluptate. Nam (vt ait Cassianus) non est leuis culpa,existentem in oratione cum Deo, effundere sponte suas cogitationes ex eius præsentia: id enim est, opere ipso protestari, quod te Deus non videat,nec audiat; & indicium tepidi erga eum amoris. Nam qui multum amat, plus est cogitatione & affectu suo in re amata, quam in seipso.

In constit. monast.c. 2.

Coll.23 c.7.

3. DENIQVE hac beneuola & amica Dei præsentia, remouentur cætera internæ huius quietis impedimenta,mortificatis sensuum appetitionibus,cupiditate,ac superbia,ex quibus mentis nostræ distractiones, cordisq; ariditates proueniunt. Ac propterea amicus ille sanctus Iob,priori illi sententiæ: c *si direxeris cor tuum ad Deũ,* hanc adiecit: *deficiet omnis caro simul, & homo in cinerem reuertetur.* caro enim deficiet ob mortificationem sensuum carnalium,& homo conuertetur in cinerem,cognoscendo ex vera humilitate nihilum illud,quod ex seipso habet:& his manebit Spiritus liber,vt suo conditori plenè coniungatur. O beatum virum, qui semper Deum sibi præsentem habet? ô felicem animam, quæ dulcis eius præsentiæ nunquam obliuiscitur? ô anima mea, attende, quod te Deus aspiciat,in omnibus viis tuis, publicis & priuatis; vt ille dirigat, & d *perficiat omnes gressus tuos in semitis suis; vt non moueantur vestigia tua. Prouideas Dominum in conspectu tuo semper;* vt cor tuum lætetur, lingua exultet, & requiescat caro, ea spe, quod sit futura particeps huius gloriæ,donec ea fruaris præsentia; non,vt nunc,obscura fide, sed clara ipsius Dei visione,per æterna secula, Amen.

c Iob 34.15.

d Psal. 16 17.

Psalm.15. 8.

CAPVT

CAPVT VI.

IN QVO PONVNTVR SVMMATIM VARII MODI, *quibus Deus nobis est præsens; & modus quidam orationis circa illos, ad frequentem Dei memoriam habendam, & in eius conspectu ambulandum.*



EXERCITIVM orationis, quæ fit assistendo in præsentia Dei, pro materia habet varios illos modos, quibus ipsemet Deus nobis est præsens, quos ad quinq; præcipuè reducimus.

PRIMVS modus est omnibus creaturis communis, in quib. (vt Theologi loquuntur) est Deus per ESSENTIAM, PRAESENTIAM, & POTENTIAM. Est Deus per ESSENTIAM, quia ipsamet Dei substantia, realiter & verè est in illis omnibus; idq; magis intimè, quam sit anima in suo corpore: & hoc modo Deus implet cœlos & terram, assistens in ipsamet essentia sua omnibus locis, quæ ipse creaturæ occupant, nullo omninò angulo excepto, etiã abditissimo & profundissimo, in quo non sit tota illius diuinitas. Est etiam in ijsdem per PRAESENTIAM, quia clarè ac distinctè eas cognoscit, ita vt nec minimum corporis nostri osculũ, nec subtilissima cogitatio, affectusve animæ nostræ possit illi esse occultus: quia a *in omni loco* clarissimi *oculi Domini contemplantur bonos & malos*, & b *scrutantur corda* omnium. Est etiam in rebus omnib. per POTENTIAM: quia omnibus dat esse, quod habent, & potentias seu facultates, quibus operantur; concurritq; cum omnibus, ad omnes earum actiones. Nam (vt ait Apostolus) c *in ipso viuimus, mouemur, & sumus*. Hos tres modos, quibus Deus existit in rebus omnibus simul, expressit Regius Propheta, cum dixit: d *Quo ibo à Spiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlũ, tu illic es si descendero in infernum, ades: Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Quod si dixero: *Forsitan tenebræ conculcabunt*, vel occultabunt me, valdè decipiar. Quia *nox* ipsa & omnia occulta mea, *in delitiis* meis tibi patent; quia nec *tenebræ* ipsæ tibi sunt *obscura, & nox* ipsa *sicut dies illuminatur*.

1. S. Thom. 1. p. q. 8. art. 2.

a Prou. 15. 3.

b Ier. 17. 10.

c Act. 17. 28.

d Psal. 138. 7.

IN omni itaq; loco, alto & demisso, & in omni tempore, prospero & aduerso, & in omni negotio, publico & secreto, & in omni actione interna, & externa assistit Deus Dominus noster, cernens quidquid fit; potestatem tribuens, vt fiat; & cum rebus ipsis concurrens ad id, quod faciunt. Ideoq; Deum licet compellare, Esse mei esse, Animam animæ meæ, Vitã vitæ meæ, Potentiam mearum potentiarum, Opus meorum operum, Deum meũ & omnia mea. In omnibus enim est dans illis quicquid habent,

vt ſint mea. Primus hic modus exiſtendi Deum in creaturis, adeò eſt proprius & naturalis ipſi Deo, propter eius immenſitatem, ſapientiam, & omnipotentiam, vt impoſsibile ſit quamdiu illæ ſuum eſſe habent, non eſſe Deum cum illis, aut ſe abſentare, aut ab eis ſe elongare.

2. SECVNDVS modus exiſtendi Dei in hominibus, omnibus iuſtis eſt communis, iiſdemq; ſolis. Eſt enim in illis per gratiam, efficiens ſcilicet in eorum animabus effectus gratiæ & charitatis, cum cæteris virtutibus ac donis, quæ illos ſanctificant, iuxta illud Chriſti Domini noſtri: e *Si quis diligit me, Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus & manſionem apud eum faciemus.* Cùm dicit: *ad eum veniemus*: ſignificat Patrem & Filium, ac proinde etiam Spiritum ſanctum, in iuſto permanſuros. Quo præſentiæ modo, non ſunt in eo qui non diligit; quamuis ſtatim atq; diligere incipit, incipiant & ipſi in illo eſſe, non per ipſius Dei mutationem; ſed hominis, de nouo recipientis effectus, quos in eo Deus efficit. Iuſto autem lethaliter peccante, ſubtrahit ſe Deus ab eius anima quatenus ceſſat ab affectibus gratiæ & charitatis producendis, quos antea producebat.

e Ioan. 14. 23.

3. TERTIVS modus, quo Deus eſt in hominibus, ille eſt, quando videlicet nouis & particularibus gratiæ ſuæ fauoribus, eos proſequitur: vt cum noua aliquarum veritatum luce, noua deuotione, aut ſpirituali gaudio, eos afficit; aut cum ſpeciali ſua prouidentia, ipſorum rebus aſsiſtit, eos dirigendo, & inſpirationibus ſuis gubernando; officiumq; Patris, Magiſtri, Protectoris ac Defenſoris præſtando. Et hoc ſenſu (vt dicemus poſtea) dicere conſueuimus, quod Deus viſitet animas, & ſit in eis, & quod interdum ab eis recedat, interdum verò redeat; & quod modò eſt præſens, modò abſens; vt conſtat ex libro Canticorum, in quo dicitur, quod f *Sponſa vocaret dilectum ſuũ &* g *quæreret illum, nec inueniret.* Interdum, quod h *eum inueniret teneret, nec dimitteret;* & ex tempore i *ille diſcederet, illaq; eum quæreret, nec inueniret: vocaret nec reſponderet ei,* & mox reuerteretur ille, k *& loqueretur, ac viſitaret eũ.* Omnes tamen hi acceſſus & receſſus, abſentiæ & præſentiæ (vt benè more ſuo ſanctus Bernardus perpendit) intelliguntur eſſe, ex nouis animæ ſenſis, cui ipſe præſens eſt, quando ea ſenſa communicat; abſens verò, cum eadem ſubtrahit; quamuis maneat ſemper illi præſens, tanquam auxiliator in omnibus quæ ſunt neceſſaria ad eius amicitiam conſeruandam, adimplens reipſa, quod per ſuos prophetas dixit: l *Ne timeas: quia ego tecum ſum.*

f Cant. 5. 6.
g 3. 1.
h 3. 4.
i 5 6.
k 6 3.
Serm. 74. in Cant.
De hoc infra c. 22.
l Iſai. 41. 10.
Ierem. 1. 8.

4. ALIVS eſt quartus modus quo exiſtit Deus in hominibus, propter ſacratiſsimam ſuam incarnationem, cuius cauſa m *vocatur Emmanuel, quod eſt interpretatum: Nobiſcum Deus.* Eo quod naturæ noſtræ ſeſe coniunxit, & n *cum hominibus conuerſatus eſt.* Quamuis enim aſcenderit poſtea in cœlum, non propterea deſinit eſſe nobiſcum, quatenus rebus noſtris aſsiſtit, noſque gu-

m Mat. 1. 23.
n Baruc. 3. 38.

ber-

bernat tanquam Magiſter, Medicus, Protector, & Redemptor noſter: merita ſua nobis applicans, & influens admirandos copioſæ ſuæ redemptionis effectus: licet tanquam abſentem lugeamus, quando eos non ſentimus; gaudeamus verò de eius præſentia, quando eoſdem experimur.

Denique manet, exiſtitque nobiſcum, vſque ad finem mundi, in ſanctiſsimo Altaris Sacramento, veniens è cœlo ad nos viſitandos realiter ac verè totus ipſe Ieſus Chriſtus, verus Deus & homo, manens in terra toto tempore quo ſacramentales ipſæ ſpecies perdurant, vt fruamur corporali eius præſentia, his velis occultata, liceatque cum ipſo loqui ipſum propè nos cernentes. 5.

§. 1.

Hoc iacto fundamento, licebit tibi vtiliſsimum quendam orandi modum ſupra illud erigere, de diuina ſcilicet præſentia: ſi cogites, Chriſtum Dominum noſtrum ad cor tibi loqui id, quod ſuis diſcipulis valedicens dixit: o *Ecce ego vobiſcum ſum, omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi.* Quibus verbis complexus eſt prędictos quinque modos ſuę præſentiæ. Illo autem verbo. *Ecce*, te monet, vt ſuper hanc eius præſentiam reflectaris, eam perpendas, eiuſque frequenter memineris. Hinc enim Eccleſia ſancta, dulce illud verbum accepit, *Dominus vobiſcum.* Quod ſæpiùs repetit in officio diuino, & in ſacro Miſſæ: & eodem ſalutabant olim Angeli homines, cum illis apparebant: ſicut fecit ille, qui Gedeonem ſalutauit dicens: p *Dominus tecum, virorum fortiſsime:* & Gabriel Angelus beatiſsimam Virginem ſalutans, q *Aue* (inquit) *Gratia plena.* Magno autem myſterio in hac ſalutatione non ponitur verbum: neque enim dicimus, Dominus eſt, fuit, aut erit vobiſcum, aut tecum: ad comprehendendum quinque prædictos modos, quibus eſt Deus nobiſcum: confitentes aliquos eorum fide, & optantes, aliorum eſſe participes cum caritate: atque ſi diceremus, Ecce Dominus eſt vobiſcum per eſſentiam, præſentiam, & potentiam: & vtinam ſit vobiſcum per gratiam, ſpeciales eius fauores vobis communicans: & attendite ipſum fuiſſe vobiſcum in forma viſibilis hominis; & eſſe, futurumque in ſanctiſsimo Sacramento, vt vos fauore præſentiæ huius corporalis proſequatur. Notat verò ſanctus Athanaſius, nos in hac ſalutatione non dicere, Deus, ſed Dominus; vt intelligamus, omnes nos eius eſſe ſeruos, quos deceat in eius conſpectu, magno timore ac reuerentia verſari. & cum eiſdem dices eidem Domino: O verbum diuinum, verbum æternum, r *viuum & efficax*, quod rebus omnibus aſsiſtis, & cum eiſdem operaris, dic cordi meo verbum hoc, *Dominus tecum:* & clarifica oculos animæ meæ, vt intelligendo aſſequar præſentiam tuam mecum; & obtineam, quam offers mihi per tuam gratiam; donec perueniam ad fruēdum vltima, quæ eſt in tua gloria, Amen.

o *Mat.* 28. 20.

Salutationis huius, Dominus vobiſcum, explicatio.

p *Iudic.* 6. 1.
q *Luc.* 1. 28.
Ruth. 2. 4.

Serm. cont. omnes hær.

r *Heb.* 4. 13.

§. 2.

1. IN hac præparatione duo licebit magni momenti perpendere, alterum cum altero conferendo: recentisſimam videlicet memoriam, quam Deus de te habet, profundam verò quam tu de Deo habes obliuionem. Quam propè te ſit Deus; & quam procul à Deo tu incedas. Nam (vt ait S. Dionyſius) ſanctisſima Trinitas eſt rebus omnibus præſens; non tamen res omnes ſunt eidem præſentes: hoc eſt, non omnes eam ita præſentem habent, vt viuaciter eam aſpiciant eiuſque præſentiam cognoſcant. Alij quidem ex ignorantia aut infidelitate, quales erant illi, qui de Deo dicebant apud Iob: ſ *nec noſtra conſiderat, & circa cardines cœli perambulat:* Alij, ob quandam mortalem obliuionem, & auerſionem; qui, etſi t *confiteantur ſe* fide *noſſe Deum, factis tamen* eundem *negant:* in tanta Dei obliuione viuentes, atque ſi is in mundo non eſſet. Et generatim huiuſmodi obliuio, eſt in nobis valdè radicata: eò quod anima noſtra ſit immerſa corpori huic adeò craſſo, rebuſque quas percipit ſenſibus ita infixo, vt ab eis remotis non attendat. Quam ob cauſam (vt benè perpendit Euſebius Cæſarienſ.) primus homo duplex habuit nomen, quorum alterum fuit *Adam,* quod *terram* ſignificat: eò quod eius corpus ex ea eſſet formatum: alterum fuit *Enos,* quod ſignificat *obliuiſcens:* vt ſignificaretur, quod eius anima, etſi, quia purus eſt Spiritus, deberet eſſe vigilantisſima in rebus præteritis cognoſcendis, & in præuidendis futuris; ſed ſtatim tamen atque corpori coniungitur, miſerandam induit obliuionem rerum omnium, quæ non ſunt ſenſibus præſentes. Et propterea ſanctus Rex Dauid, volens exaggerare infinitam Dei bonitatem, quam oſtēdit in memoria hominis, vtroque hoc nomine eſt vſus. u *Quid,* inquit, *eſt Enos, quod memor es eius? aut filius Adam, quia viſitas eum?* Atque ſi diceret: Quid eſt homo obliuiſcens ſiue obliuioſus, vt tu eius recorderis? aut filius hominis terreni, vt eum tu viſites? Tu itaque in oratione tua duo hæc cum magno animi tui ſenſu expende: & cum ingenti admiratione exclama: O Deus æterne quomodo ſemper es memor eius, qui tui ſemper obliuiſcitur? Quomodo continuatam habes memoriam eius, qui perpetuam habet tui obliuionem? O Deus præſentisſime, & remotisſime: præſentisſimus quidem, quod in te eſt, omnibus creaturis tuis; remotisſimus verò hominibus terrenis propter profundam obliuionem, qua tenentur, quod tu ſis in eis. O quam aptè mihi nomen conuenit obliuiſcentis: ſiquidem ita obliuiſcor Dei, qui mecum eſt, & beneficiorum, quæ continuò in me confert: præceptorum, quæ mihi imponit: præmiorum, quæ promittit: ſuppliciorum, quæ minatur: ac denique iudicij, quod inſtituet, vt cuiq; det, iuxta cuiuſque merita. O Pater miſericordisſime, aufer à me pernitioſam adeò obliuionem, vt ſemper ſim tui memor, ſicut es tu mei.

2. VLTIMVM hoc propoſitum, eſt principalis orationis huius fructus, cum

ex toto

Margin notes: ſ 3. de diuin. nomin. — ſ Iob. 22. 14. — t Tit. 1. 16. — Lib. 11. de præpar. Euangel. c. 4. v. de Pereri. Lib. 4. in gen. ad id, Faciamus hominem. Primus homo, binomius. — u Pſal. 8. 5.

ex toto corde desideras memoriam habere Dei continuatissimam, quæ tibi erit possibilis, iuxta illud sancti Augustini in suo manuali: *Sicut nullum est momentum, quo homo non fruatur, vel vtatur pietate diuina; sic nullum debet esse momentum, quò eum præsentem non habeat in memoria.* Hoc exigit lex gratitudinis erga tantum benefactorem. Et siquidem ipse dicit: x *Etiamsi mulier oblita fuerit infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui; Ego tamen non obliuiscar tui: ecce in manibus meis descripsi te*, in sua videlicet memoria, intellectu, & voluntate: vt omnibus tibi benefaciat; iustum omninò est, vt tu, licet rerum omnium delectabilium huius vitæ obliuiscaris, non tamen obliuiscaris Dei tui; sed, vt in Spiritus tui manibus, ita illum scribas, vt omnes tuas potentias colloces in eo aspiciendo, eidemque seruiendo, propter tot bona, quæ in te confert. O benefactor infinite, y *adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui.* Obliuiscar ego mei, & omnium rerum creatarum, obliuione sancta, vt semper recorder tui Creatoris mei, scribens te in manibus meis, sicut tu me scriptum habes in tuis.

c. 27 & S. Bern de inter domo c. 9.
x Isa. 49.15
y Psal. 136. 5

3. Qvae proposita animique decreta, vt firma sint & efficacia, omninò & viriliter statuere debes, mortificare quidquid in corde tuo terrenum est, impeditque continuam Dei tui memoriam. Neque enim sine causa Dauid dixit, z *Memor ero tui de terra Iordanis & Hermonym*, significans (vt sanctus Gregorius declarat) memoriam Dei obtineri, cùm homo degit in terra humiliationis, quam Iordanis significat, quia interpretatur descensus; & in terra abnegationis & obliuionis sui ipsius, quam significat Hermon, quod interpretatur Anathema siue alienatio. Dum enim homo seipsum deiicit, omniaque sua Deo offert *in Anathema obliuionis*, vt eorum perpetuò obliuiscatur; tunc ad sui Creatoris memoriam frequentem reuocatur, eò quod eius obicem abstulerit.

z Psal. 48. 7. Lib. 33. mor. c. 6.
Iudit. 16. 23.

§. 3.

Ex his progredieris ad actualem exercitationem huius memoriæ Dei, & ad proprios actus, in quibus illa consistit: quos insinuauit sanctus Dionysius, dicens: Tunc nos esse Trinitati sanctissimæ præsentes, cum castis orationibus, tranquillo intellectu, affectuque ad vnitionem diuinam apto, eam inuocamus. Quibus verbis tria horum actuum genera indicat, quibus possumus semper in Dei præsentia versari, eumque viuaciter præsentem habere, sicut ipse nos habet.

S. Dionys. explicatus.

I. Primvm genus actuum est, Deum inuocare, & frequenter cum eo loqui orationibus ac petitionibus castis & puris, sine admixtione distractionum, aut obliquarum intentionum. Hic enim modus, cum Deo colloquendi, est protestatio quædam actualis, quod sit nobis præsens, nos audiat, & intelligat: siquidem nullus homo prudens loquitur, nisi cum eo, qui præsens est; & quem scit attendere iis, quæ ipse dicit. Et hoc præstant frequentes il-

Dei præsentia habetur, casta oratione.

ſæ orationes,quas iaculatorias appellamus,tanquam ſagittas videlicet, quas iaculamur in Deum, propè nos exiſtentem : quibus ſolet ipſe reſpondere, excitando in nobis ſenſa quædam diuinæ ſuæ præſentiæ,quaſi dicens: ſiqui-
a *Iſa.58.9.* dem vocas me,a *ecce adſum.* Hic ſum propè te quid à me vis? O dilecte mi, quid aliud ego volo,niſi te?cupio ſemper eſſe tecum eo modo, quo tu es mecum;ſemper te inuocabo,vt mihi dicas:ecce adſum, faciens me ſentire auxilium,quod in tua præſentia habeo. *Harum iaculatoriarum multæ ponentur cap.12.& 13.huius Tract.quamuis in omnibus multæ ſæpe inſerantur.*

2. Intellectu tranquillo

SECVNDVS actus ad habendum Deum præſentem, pertinet ad cognitionem quieti & tranquilli intellectus, vt exacuatur fides præſentiæ diuinæ in rebus omnibus:eamque fouendo conſideratione luminis naturalis, quod vt ſua ratiocinatione,ex viſibilibus humani corporis actionibus, deducit præſentiam animæ inuiſibilis intra ipſum exiſtentis, virtutemque & vires ad eas exercendas tribuentis: ita etiam ex viſibilis huius mundi creaturis intelligit præſentem illis eſſe Spiritum quendam inuiſibilem, earum
b *Act.17.28* creatorem,à quo (vt ait Apoſtolus) accipiunt b *Eſſe,vitam & motum,* quem habent.Quia neque illæ hæc habere potuiſſent,niſi Conditor ipſe illa daret: nec ipſe daret,niſi præſens illis adeſſet. Quod ſi te in hac veritate exerceas; ipſæ creaturæ excitatrices tibi erunt , vt creatoris recorderis, qui per eas,
c *Cant.2.9.* tanquam c *per cancellos proſpicit,*quamuis tu eum non videas.

3. Affectu ad vnitionē apto.

Sed quoniam Dei occulta, melius amando intelligimus, quàm ratiocinando,non tantam curam in his ratiocinationibus pones, quantam in eo,vt præſentiam diuinam perſentias tertio genere actuum feruentium voluntatis:alliciendo eam, ad vnionem amoris cum ſuo Creatore.gaudens & admi-
1.2.q.28. ar.1. rans hanc aſsiſtentiam,quam in rebus omnibus habet. Eſt enim (teſte Diuo Thoma) diuini amoris proprium , amantem vnire cum re amata, vt contendat ſemper eſſe in eius præſentia , eique proximè adhærere. Quæ amoris propenſio adeò eſt fortis , vt ſi DEVS immenſitate ſua non eſſet vbique, amor , quem erga iuſtos habet, efficeret, vt propè & intra illos eſſet.

d *Ioan.14.23.* PROPTEREA enim ipſe Chriſtus Dominus attribuit amori cauſam d *ſui & Patris* aduentus ad eum,*qui ipſos diligit,*& ab eiſdem diligitur. Cuius rei ſtupendum quoddam habemus Chriſti Domini noſtri ſignum & argumentum.Nam cùm eius locus quà homo eſt,ſit in cœlo limitatus, ad dexteram ſcilicet Patris:quia tamen adeò vehementer nos diligit,hic amor illum impulit,vt ſua omnipotentia in multis locis Sacramentaliter ſe conſtitueret,quò pręſens propriorque omnibus eſſet.Et,quoniam eadem omnipotentia efficere potuit,vt non ſolùm nobiſcum eſſet,ſed etiam intra nos ipſos; idem amor eum impulit , vt ſub ſpeciebus panis & vini ſe collocaret, quò poſſet ad omnes intrare,& nobis omnibus ſe coniungere.Quod itaque

amor

amor in Deo efficit, etiam efficit in iusto, qui seriò Deum diligit, vt scilicet semper in eius præsentia versetur, vitaliter eum cum Deo coniungendo, per actualem cognitionem & amorem: ita vt cum sponsa dicere illi liceat: e *inueni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.* O Deus immense, diligam te ex toto corde meo, vt oblecter, tibi semper esse socius: vulnera me Domine, sagitta tuæ charitatis, quæ memoriam meam semper excitet: vbi enim magnus est amor, non habet locum obliuio. e *Cant 3. 4.* *S. Aug. in manu. c. 28.*

§. 4.

HI sunt actus, in quibus præcipuè consistit, ingressus ille coram Deo, aspiciendo illum, sicut hic videri potest. Nam (vt sanctus Augustinus ait) *Deum credere, intelligere, & sentire, ad illumque ardenter aspirare quodammodo illum cernere est, atque tenere.* Iidem verò feruoris æstus testimonium sunt eius præsentiæ nobiscum. Nam sicut plurimi homines Christum Dominum, dum prædicabat aut ambulabat, tangebant, de illa tamen sola muliere, quæ fide illum tetigit, dixit ipse: f *Quis me tetigit? Nam ego noui virtutem de me exiisse:* Ita multi Deum quidem tangunt, quatenus propè illum ambulant; sed hoc nomine digni non sunt, nisi illi, qui viua fide amoreque eum tangunt, & admirabilium donorum, ex eius diuinitate profluentium, participes fiunt. *In Medit. c. 8.* f *Marc. 5. 30. Luc. 8. 46.*


QVAMOBREM dixit Apostolus, g *fecisse Deum ex vno omne genus hominum inhabitare super vniuersam faciem terræ, & quærere Deum, si fortè attrectent eum, aut inueniant,* hoc scilicet genere tactus viui & vnitiui, in quo finis vltimus & beatitudo huius vitæ consistit, *vt tertio Tractatu dicetur.* g *Act. 17. 26.*

Ex prædictis deducit sanctus Dionysius, cuiusdam deceptionis retectionem magni momenti: quod cùm oramus & clamamus ad Deum desideriis, suspiriis, & gemitibus, vt nos respiciat, vt approximet, & nobiscum côiungatur; non ita id fiat, quasi vellemus diuinam maiestatem ad nos trahere: vtpotè quæ in omni loco præsens, mouere se non potest; sed, quò nos sanctis hisce cogitationibus, orationibusque moueamur, supremæque ipsius Deitati nos ipsos tradamus, appropinquemus, & viuaciter illi coniungamus. Quod, inquit, duplici hac similitudine intelliges. Finge catenam quãdam à terra ad cœlum vsque protensam, vbi firmissimis clauis sit affixa: etsi tu eius annulos arripiens primum inferiores, postmodum altiores, videaris catenam, ipsumque cœlum, cui illa confixa est, ad te pertrahere velle; sed re ipsa tamen, cœlo ipso immoto permanente, catenaque ipsa firmiter illi cohærente, tu ipse mutaris, & sensim accedis ad ipsum cœlum. Sicut item, si ad fluminis alicuius ripam esses in naui, & rudentem ex altera parte rupi alicui affixum ad te traheres; etsi videreris velle rupem ipsam mouere, atq; ad te pertrahere, non ita fieret tamen, sed potiùs naui sensim accederes ad locum, vbi est turris immota; ad quam vbi perueneris, eidem coniun- S. Dionysij Similitudo aptissima, quomodo coniungamur Deo.

gereris. Ad hunc itaque modum, cùm catenas conficis, & rudentes tuarum cogitationum, ratiocinationum, affectuum ac petitionum tuarum, Deum vocando, eiusque præsentiam suspirando, non debes cogitare Deum ipsum mutari, vt ad animam tuam veniat, eidemque coniungatur. Est enim rupibus, ipsisque cœlis immobilior. Sed tu ipse spiritualiter mutaris, vt Deo appropinques, & in eius præsentia eidem coniungaris; ita vt iuxta Apostolum
1. Cor. 6. 17 g *vnus cum eo Spiritus efficiaris*, per amoris vinculum. O Spiritus diuine, *in funiculis Adam & in vinculis charitatis trahe me ad te*, ita fortiter me immensa tua bonitate constringens, vt nulla res creata, separare me possit ab amica & beneuola præsentia tua in æternum. Amen. Osee 11. 4.

CAPVT VII.

DE VARIIS ALIIS MODIS, QVIBVS ASPICERE possumus Deum præsentem, qui possunt accommodari variis orandi & contemplandi formis.



QVAMVIS substantia eius, quod est Deum præsentem aspicere, consistat in actibus internis, de quibus hactenus diximus, modi tamen eorum possunt esse diuersi, iuxta diuersitatem locorum, in quibus licet diuinam præsentiam considerare: quorum summam quandam hic proponemus, vt quisque eligat sibi aptissimum ad finem, quem quærit: & ad opus, in quo occupatur: alij siquidem magis iuuant, tempore recollectæ & separatæ orationis: alij etiam vsui esse possunt, in quacunque vitæ actiuæ occupatione.

§. 1. De modo aspiciendi Deum existentem in cœlo.

1. PRIMVS itaque modus siue ratio Deum præsentem aspiciendi est, eleuando cor & oculos animæ in cœlum; qui thronus est gloriæ eius. Quamuis enim verissimè Deus sit in omni loco, per Essentiam, Præsentiam, & Potentiam; peculiari tamen assistentia, in illis locis esse dicitur, in quibus, peculiaria beneficia & fauores præstat, maioraque dat indicia suæ præsentiæ. Hoc igitur modo dicitur esse peculiariter in cœlo, vbi suam diuinitatem beatis omnibus manifestat; indeque nos aspicit, & gratiæ suæ auxilia nobis mittit: ibi (vt Salomon dixit) & a *in loco habitaculi sui in cœlo exaudit* orationes nostras. Ex eo enim loco mittit ad nos precum nostrarum expeditionem, quas ad eundem, tanquam in cœlo manentem, dirigimus. Quod (vt S. Bernardus aduertit) voluit ipse Christus D.N. cum initio pre-

3 Reg. 8. 30.

Serm. de 4 modis orandi.

cationis,

cationis, quam suos discipulos docuit verbum illud apposuit: b *Pater noster, qui es in cœlis:* vt spiritum nostrum à terra, rebusque terrenis, ad cœlum eleuaremus, vbi cœlestis noster pater inhabitat, communicans in magna abundantia cœlestia bona, quę ab eo petimus. Hunc orandi modum exercuit ipse Christus Dominus c *in resurrectione Lazari,* vt gratias patri suo ageret, quod ipsum audiuisset: & in cœnaculo, d *quando pro se & suis discipulis orauit.* Et olim in magno vsu erat apud SS. Patres. Dauid enim ait: e *Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis:* &, f *leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi.* Susanna quoque in suo periculo, g *flens suspexit ad cœlum,* auxilium inuocans diuinum. Ezechias quoque dicebat: h *Meditabor vt columba: attenuati sunt oculi mei, suspicientes in excelsum.* Neque sine causa dixit: *meditabor vt columba,* tum quod meditaretur gemens; tum quod sæpè columba, dum grana, quæ colligit, deglutit, sæpè eleuat oculos in cœlum. Quo nomine *Sponsæ oculi* comparantur *oculis columbæ,* ad significandum, quod animæ Christi sponsæ inter meditandum, inter comedendum, & laborandum, debent frequenter oculos suos ad cœlum eleuare, vbi est dilectus earum sponsus.

b Matt. 6. 9.
c Ioa 11. 41
d c. 17. 11.
e Psal. 122. 1.
f Psal. 120. 1
g Dan. 13. 35
h Isa. 38. 14.
Cant. 1. 14.

Nominatim verò post corporalem Christi D.N. in cœlum ascensionem, vbi peculiarem habet locum, & sedem maiestatis, ad dexteram patris, expedit eleuare oculos in cœlum; eumque ibi agnoscere, tanquam redemptorem, & aduocatum nostrum, ex quo mos ille originem duxit, quem (vt refert sanctus Ioannes Damascenus) antiqui patres seruabant, cùm orarent; vt faciem verterent ad orientem, eò quod crederent, ad illam partem Empyrei cœli Christum D.N. sedere, de quo etiam Dauid dixit, quod i *ascenderit super cœlum cœli ad Orientem.* Et Daniel in Babylonia existens, k *fenestris apertis in cœnaculo suo contra Ierusalem* (vbi Deus singulari assistentia in templo suo erat) *flectebat genua sua & adorabat, confitebaturque coram Deo suo.* Potiori itaque iure, qui in huius mundi Babylone degimus, cum orare volumus, eleuare oculos possumus ad ciuitatem Ierusalem cœlestem, eiusque orientem, vbi Saluator noster sedet in suo throno.

Lib. 4. fidei. c. 13.
i Psal. 67. 34.
k Dan. 6. 1[illegible]

Modvs hic leuandi oculos in cœlum, præcipuè fieri debet Spiritu, fideique oculis penetrando cœlos materiales, ad videndam Maiestatem Dei, quæ intra illos in tanta gloria se manifestat. Licet (vt S. Bonauentura aduertit) non parum ad id iuuat, corporis etiam oculos eleuare, vt eos Spiritus oculi sequantur: præcipuè cum Dei magnalia sunt meditanda, ac diuitiæ gloriæ eius. Quod faciebat sanctus Antonius, & Beatus Pater noster Ignatius: de quo refertur, quod soleret ascendere ad supremam partem domus, vnde posset liberè cœlum intueri: & confixis in cœlum oculis, tanto feruore luceque rerum cœlestium orare, vt, cùm ad se rediret, diceret: *Quam vilescit mihi terra, cùm cœlum aspicio.*

In specul disciplina p. 200. 6.
Cass. coll 9 c. 30.
In Vita B Ignatii, li 5. c. 7.

§. 2. *De modo aspiciendi Deum circa nos ipsos, aut nos intra ipsum Deum.*

ALIVS modus habendi Deum præsentem, est, eundem circa meipsum aspiciendo, aut ad manum dextram, aut ante me, aut me totum
Psal. 124. ab eo ex omni parte circumdatum: sicut dixit Dauid, a *Dominus in circuitu populi sui*, vt muri instar eum tueretur.

1. HIC modus variis similibus potest explicari, interdum enim imaginari possum, me intra Deum esse, instar piscis in mari, in quo nascitur, sustentatur, mouetur, omniaque sua facit, non exiens ex ipsa aqua: extra quam non posit vitam suam conseruare. Sic ego sum intra ipsam diuinitatem, quę instar maris cuiusdam immensæ magnitudinis me circumdat, & ex omni parte cooperit: intra quam & viuo, & me moueo, & omnes meas adorationes facio; & extra quam nec vnicum momentum viuere possem.

2. INTERDVM imaginari etiam possum, me ita esse intra Deum, sicut est infans intra ventrem matris suæ. Sicut ipsemet Dominus populo suo di-
Isa. 46.3. xit. b *Audite me domus Iacob, qui portamini à meo vtero, qui gestamini à mea vulua. Vsque ad senectam ego ipse, & vsque ad canos ego portabo: ego feci, & ego feram: ego portabo & saluabo.* Sicut itaque infans in vtero matris suæ recipit esse, vitam, alimentum, & augmentum conueniens; eiusque mater toto eo tempore est illi instar domus, lecti, oris, & oculorum, pedum & manuum, & instar lecticæ, qua ad varias partes vehitur: & quasi murus, & præsidium: quia nemo potest illum ferire nec tangere, nisi prius lædat ipsam matrem: & illa ei attendit æquè, ac sibi ipsi: Ita etiam ego sum intra ipsum Deum, in ipso habito, tanquam in domo mea, & requiesco tanquam in meo lecto, intra ipsum comedo & bibo, dormio & vigilo, laboro & cresco: Deus est mihi instar lecticæ, quocunque feror: est mihi instar muri contra hostes meos:
Zach. 2.8. quia ipse me protegit. id quod adeò solicitè præstat, vt dixerit: c *qui tetigerit*
Psal. 16.8. *vos, tangit pupillam oculi mei.* Quia ita in ipso includor, sicut pupilla intra ipsum oculum. Et hoc modo me gestat, non solùm per nouem menses, sed etiam in omni loco ac tempore, vsque ad ipsam senectam; & quamdiu vita superstes erit conseruat hoc ipsum esse, quod habeo: tolerat meas imperfectiones ac miserias non sentiens tædium me intra se ferendo, & mei curam gerendo, donec me saluet.

3. INTERDVM licebit imaginari, quod sicut tempore nebulæ, omnes ab ea circumdamur & penetramur: ita Deus omnipotens, qui in signum suę
3. Reg. 8. 10. 12. immensitatis, d *nebula impleuit domum Domini, dixitque Dominus, se velle habitare in nebula*, implet etiam vniuersum orbem sua diuinitate: ac proinde etiam sua misericordia, sapientia, bonitate, & omnipotentia, cæterisque suis perfectionibus: sed id tamē instar nebulæ, eò quod videri nō posit, nisi fide obscura: quāuis reuera intra ipsum moueamur. Hac nihilominus fide intueri

me possum intra ipsum Deum, iuxta id, quod mihi opus erit. Si sim ignorans; adspiciam me intra lucem, & splendorem immensum; si sim frigidus intra ignem amoris infiniti; si afflictus, intra suauem quendam & subfrigidum ventum; si aridus, intra rorem quendam cœlestem ac diuinum. Quia totum hoc est mihi Deus, & totum hoc habet, in quocunq; loco totius orbis illum imaginer; & iuxta hoc, quando ingredior domum, cellam, aut cubiculum: aut quando sum ruri, credendum mihi est, totum illud vacuum spatium, esse Dei immensitate plenum, intra quem, tanquam intra cubiculum, orandum mihi & negotiandum, & omnia opera mea facienda sunt. Sed præcipuè exacuenda mihi fides est, in ingressu Ecclesiæ, in qua speciali assistentia est Deus Dominus noster, vt specialia præbeat suæ præsentiæ indicia, magnisq; fauoribus eos prosequatur, qui viua fide eam ingrediuntur. Modus hic in Dei præsentia ambulandi, vtilissimus est, ad ea commoda percipienda, quæ supra 5. cap. sunt posita. Quis enim, attendens, se intra Deum esse, tale quid facere audebit, quod ipsi Deo displiceat? Quis filius in matris vtero existens, si agnosceret vbi sit, & bona quæ ibi accipit, iniuria aliquãdo afficiat eam, à qua tantum accepit bonum? Quod si miser peccator, instar viperinæ prolis, materna viscera frangere voluerit, vt laxius extra illa viuere liceat, frustrà in hoc laborat: neq; enim aliud obtinebit, quã propria sua viscera æterno dolore planctuq; confringere. Et quis hominum adeò erit ingratus, vt non studeat, ei officia sua deferre, qui ipsum in domo sua habens, perpetuo quodam conuiuio ipsi indulget traditq; diuitias, & honorem in illa? Quomodo ergo non optes Deo seruire ac placere, cùm te intra ipsum esse cernis, ab eius omnipotentia ita protectum, ac eius sapientia ita penetratum, à misericordia circumdatum, septum à iustitia, & in eius bonitate & charitate immersum? O ignis immense, per totum vniuersum expanse, siquidem intra te dego, consume in me quicquid in causa est, cur te non videam; penetra me ita, vt omnino te amem; commuta me in te, vt sim vnum tecum: &, siquidem à tua præsentia fugere non possum, ne patiaris à tua gratia excidere. Amen.

§.3. *Ratio Deum intra nos ipsos aspiciendi.*

TERTIVS modus Deum intuendi est, intra meipsum: siquidem reuera ita est per Essentiam, Præsentiam, & Potentiam, idq; magis intime, quàm sit anima mea in corpore meo; & si iustus sum, etiam est in illa, sicut Rex in suo throno, sicut sponsus in suo thalamo, & sicut Deus in sancto suo templo: iuxta Apostolum dicentem: a *Nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* Item b, *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est?* Hunc modum coniunxit S. Ioannes cum præcedente, cùm dixit: c *Qui manet in charitate in Deo manet,*

a 1. Cor. 3. 16.
b c 6. 19.
c 1. Ioa. 4. 16.

d Ps 30.3.
e Prou. 8.31.

net, & Deus in eo. Est enim Deus instar d *domus refugij* in qua iustus habitat: iustus autem est instar domus recreationis, in qua habitat Deus, e *cuius deliciæ sunt esse cum filiis hominum.* Quod S. Augustinus ad omnes extendit, cogitans, totum vniuersum esse intra Deum, sicut spongiam quandam intra mare; quæ tum extra est aquis circumdata, tum intus ab eadem est penetrata. Sic omnes intra Deum sumus ab eius diuinitate circumdati; Deusq; est intra omnes, intima cordis nostri penetrans.

lib. 7. Confess c. vlt.

Ex quo fit, vt modus hic præsentiæ Dei, valdè sit vsui, in priuata & secreta oratione, & ad actus viæ Vnitiuæ positos, §.3.cap.5. quibus ingredimur ad orandum & agendum cum Deo intra nos ipsos. Cor enim nostrum (vt supra dicebamus) est templum Dei viui, & recessus, in quem iubet Christus D.N. nos ingredi, ad f *orandum Patrem* nostrum cœlestem, in eo existentem. Est quoq; aula siue schola in qua supremus hic magister nos docet, & alloquitur, iuxta illud Dauidis: g *Audiam quid loquatur in me Dominus.* Est ager, in quo regni cœlorum thesaurus latet, de quo ipse Saluator dixit: h *Ecce enim regnum Dei intra vos est.* Est etiam cœlum, in quo Deus interna dat indicia suæ præsentiæ, & iustorum orationes exaudit, ex quo etiam sequitur nos intra nos ipsos debere Deum quærere, & gaudere interdum, quod nobiscum illum habeamus; fructusq; colligere dulcis eius præsentiæ. Nam si intra me habeo Deum, cur defatiger, eum semper extra me quærendo? si discipulus Magistrum haberet in domo sua, & medicum ægrotus, & mercator thesaurum, non exirent aliò, vt eos quærerent. Optimè hoc perpendit S. Thomas aduersus eos, qui ita cum Deo agunt, atq; si is absens ab illis semper esset. Magna, inquit, cæcitas, & non parua ignorantia est multorum, Deum semper quærentium, continuè Deum suspirantium, eumq; frequenter desiderantium, & quotidie in oratione ita eum vocantium, atq; si procul ab illis esset: cùm scire deberent, iuxta dictum Apostoli, se *esse templum Dei viui,* in quo ipse verè habitat; & animam suam sedem esse Dei, in qua semper ipse requiescit. Quis vnquam nisi valdè ignarus studio quærit extra domum suam instrumentum, quod habet intra illam? aut quis vti vnquam potest instrumento, quod sic semper quærit, atq; si illud non haberet. aut quis eo cibo, quem vehementer appetit, sustentari potest; si nunquam eo vescatur? Talis est vita iusti, Deũ semper quærentis, sed nunquam eius præsentia fruentis. Ex quo prouenit, vt eius opera sint min⁹ perfecta. Hæc sunt D. Thomæ non minus mysticæ Theologiæ, quam Scholasticæ periti. Quamobrem nos docet, non expedire; totam vitam expendere in quærendo Deo, tanquam absente; nunquã vero eo fruendo, tanquã re præsente: parũ siquidem vtilis mihi est thesaurus in agro absconditus, aut clausus in cista, nisi nouerim illum ibi esse, aut si semper eũ quæram, nec tamen inueniam; & cùm possim eo frui, non tamen id facere satagã. Et siquidem infinitus diuinitatis

f Matt. 6.6.
g Psal. 84.9.
h Luc. 17.21.
Opusc. 63. de beatit. c. 3.
S. Thomas non Scholasticus dũtaxat Theologus & Mysticus.

thesaurus,re ipsa vereq; est intra animã meam, & i *Spiritus qui ex Deo est* (vt ait Apostolus) vult *vt sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis*;æquũ est,hunc thesaurũ cognoscere,eoq; frui, colligendo admirandos fructus, qui ex diuinæ huius præsentiæ cognitione proueniunt; quales sunt,amor vnitionis cũ tam bono amico,contemptus rerum omniũ creatarum, cum possesione ipsiusmet creatoris,desideria summæ puritatis, firmaq; proposita crescendi in omni virtute,vt domus,in qua Deus habitat, munda sit,& exornata. i 1.Cor. 2. 12.

Deniq; tutius est, Deum intra nos ipsos quærere,quàm in alijs creaturis aspicere. Sæpè enim iucunda creaturarum externa species,ita nos detinet,rapitq;,& in se continet, vt non sinat nos intrare ad Creatorem, qui est intra illas. Ac fortè hæc inter alias est causa,cur sanctus Augustinus cõquereretur, quod Deum extra se quæsiuisset,cùm prius debuisset quærere intra se; *errani, inquit, sicut ouis*,quæ perierat, quærens te exterius, qui es interius. Et multũ laboraui,quærens te extra me; & tu habitas in me, si tamen ego desiderem te, k *circuiui vicos & plateas ciuitatis*, huius mundi,quærens te,& non inueni:quia malè quærebam foris, quod erat intus. Serò te amaui,pulchritudo tam antiqua,& tam noua;sero te amaui, & tu intus eras, & ego foris;& ibi te quærebam,& in ista formosa quæ fecisti, ego deformis irruebam. Mecum eras,& tecum non eram. Ea me tenebant longè à te, quæ esse non poterant, nisi in te. Clarifica,Domine,oculos animæ meæ, vt intra me te videam,diligam,atq; possideam; meq; ipsum tibi, qui semper mecum es, omninò coniungam. Amen. Solilo. c.31 Psal. 118. 176. k Cant. 3.

§.4. *Ratio Deum habendi præsentem per internas imagines in facultate imaginandi.*

QVI modi hactenus sunt indicati, Deum vt præsentem cernendi,sunt merè spirituales,respiciuntq; ipsum secundum eius diuinitatem. Est autem quartus modus & ratio eundem aspiciendi præsentem, in aliqua imagine,qui est magis accommodatus sanctissimæ ipsius humanitati, & nostræ naturæ siue conditioni, quæ valdè mouetur his imaginibus, & figuris rerum absentium,vt illarum recordemur. Quamobrem,qui se mutuò diligunt, consueuerunt, cùm inuicem absunt, duplici pictura vti, vt inuicem meminerint:altera est exterior,qua pictoris cuiuspiam insignis manu,ad viuum vterq; exprimitur; & hanc in suo conclaui reponunt, aut secum ad pectus pendentem gestant. Altera est interior, à propria imaginatione depicta,quæ vtpote huius artis peritissima,valde propriam exprimit rei figuram,quam vidit & cognouit, hæretq; & oblectatur, eandem in ea imagine contemplando. Hac itaq; ratione licet Christum Dominum nostrum in sua imagine præsentem habere, ascendendo ab ea, ad aspiciendam personam, quam illa refert. Et in hunc finem,est valdè laudandus sacrarum imaginum Vsus Sacrarũ Imaginum.

vſus, quæ ſunt in templis, & oratorijs, & quas nobiſcum ipſi geſtamus, vt reuocent nobis in memoriam Seruatoris noſtri præſentiam. Si enim Epicu- Lib. 32. c. 2.
rei, & antiqui alij geſtabant (teſte Plinio) ſculptam in annulis imaginem ſui Magiſtri, vt recentem eius memoriam conſeruarent; multò æquius eſt geſtare nobiſcum cœleſtis magiſtri noſtri imaginem, vt eius memoriam in nobis excitet, ſpiritumq́; cum ea reſumamus.

I. SED quoniam exterior imago, non poteſt ſemper eſſe præſens, licet ad eius imitationem, aliam effingere interiorem in ipſa noſtra imaginatione, quæ ſemper nos comitetur; noſtrumq́; cor emolliat, ad amandum & imitandum eum, qui noſtri amore tanta fecit, & propterea fortè in libro Canticorum dixit: b *Pone me vt ſignaculum, ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum,* cupiens videlicet vt ad viuum depictum ipſum & expreſſum geſtemus in anima & corpore, ad eum modum, quo cera ſigilli imaginem expreſſam recipit, quod quidem aliquo modo tunc præſtamus, cùm intra nos ipſos imagines aliquas formamus eius figuræ, quam ipſe pro nobis aſſumpſit. Exempli cauſa; qualis ipſe in præſepio iacebat, aut in matris vlnis geſtabatur, & cùm erat in horto Gethſemani, aut in monte Caluario; item qualis erat in monte Thabor, aut nunc eſt ad dexteram Patris, nos ipſos oblectando, dum ipſum hiſce diuerſis figuris intuemur, & amanter ei dicimus: ô dilecte mi, pone te ipſum, vt ſignaculum ſuper animam meam, imprimens illi viuam humanitatis, quam pro me ſuſcepiſti, imaginem; vt cor meum te ita diligat, ſicut tu me diligis; brachiumq́; meum ea ſemper tui amore operetur, quæ tu pro me operaris, & præſtas.

b Cant. 8.6.

MODVS hic præſentiæ, vtiliſsimus eſt ad meditationem, fabricando ſcilicet ſimiles figuras & imagines rei meditandæ. *Primum,* quia ſic intellectus ratiocinationes ſuas magis exacuit; eò quod ille in hac vita, multum ab imaginatione dependeat, fereq́; ſemper eam ſequatur. Quamobrem ipſemet Deus ſolet ſe animabus communicare, imprimendo illis huiuſmodi formas & figuras, ſicut amicus quidam Iob, de ſe ipſo fatetur, & Prophetæ experti ſunt. *Deinde,* Quoniam idem modus affectus ipſius voluntatis irritat permouetq́; excitando in parte ſentiente alios ſimiles, vt plurimum teneriores. Quod ſi pia crucifixi imago in conſpectu noſtro poſita, emollit nos, & permouet ad deuotionem: multò melius & efficacius idem præſtabit viua eiuſdem Crucifixi repræſentatio, quam in corde habemus. *Deniq́;* propterea, quod eadem præſentia plurimum iuuet, ad internam animi collectionem. Nam imaginatio, ex ſe ipſa tanquam ſtulta & inconſtans ſtultas etiam & inconſtantes efficit intellectus ratiocinationes, ab his ad illas ſine ordine & modo tranſiliendo.

Iob. 4. 16.

Imaginatio ex ſe vaga eſt & incōſtans.

QVAMOBREM neceſſe eſt, ſuauiter illam alligare, ad locum ſiue myſterium illud, in quo ſit intellectus exercendus; & aliquid eidem of-

Alliganda eſt.

ferre,

ferre,quo illa alatur & contineatur. Sicut inquietum aliquem canem, per totam domum supra & infra discurrentem,& suis latratibus perturbantem, in aliquem locum alligamus, & os aliquod eidem proijcimus, vt illo occupatus,quiescat ac taceat. Simile.

TRIA tamen pericula, quæ in hoc præsentiæ modo occurrere possunt, diligenter sunt aduertenda. In Imaginatione cauendum tria.

PRIMVM periculum est, lædendi caput, dum in his imaginibus,aut earum pluribus simul, aut cum multis particularibus circumstantiis efformandis, aut in iam efformatis contra variarum aliarum imaginum agmen, quibus illæ offuscantur, nimia vis adhibetur. In his omnibus mediocritas est discretè seruanda, vt nimirum progrediamur, instar periti alicuius pictoris,qui vultum aliquem subinde respiciens sensim illum delineat ac pingit. Quod si quis magnam sentiret difficultatem in huiusmodi figuris seu imaginibus efformandis,præstaret sine illis orare,quàm caput lædere,ac proinde omninò ab oratione desistere. 2.


SECVNDVM periculum est, illusionum: in quod facilè incident,qui vehementis sunt imaginationis; hi enim proprias imaginationes credunt esse visiones, & res, quas ea vehementia imaginantur, existimant esse ipsasmet viuas personas, quas ipsæ imaginationes referunt. Et quoniam potest Dœmon humores corporis,& imaginationis species mouere,si Deus id illi permittat, facilè vehementer imaginantem decipiet, & efficiet, vt, quod somniat,aut imaginatur, credat se cernere.

TERTIVM periculum est, adeò se addicendi huic modo præsentiæ Dei per huiusmodi figuras, vt reddatur inhabilis ad alium meliorem, & magis spiritualem modum:sicut euenit Serapioni Eremitæ, de quo refert Cassianus, adeò ipsum assueuisse, Deum imaginari in corporali figura, vt corpus eum esse existimaret,& cum ea de re moneretur & instrueretur,non posset de Deo cogitare absq; illa figura;ideoq; flens diceret, Heu mihi,quia abstulerunt mihi Deum meum, nec habeo quem adorem, nec scio quem inuocem. Et quamuis cotéplatio per hasce figuras habeat vim & efficacitatem, quam diximus; multò tamen excellentior est illa (vt ait S. Thomas) quæ est merè spiritualis. Nam figuræ nunquam sunt pares,aut coæquantur rei figuratæ,estq; multò perfectiùs cognoscere rem in seipsa, quàm in eius imagine corporali. Quamobrem ita modum hunc præsentiæ Dei vsurpare oportet, vt perfectiores alij (si quando ad eos extollere nos Deus volet) non impediantur, vt fusiùs postea dicetur. 3. *Colla.10.c.2.* 2.2.q.181.a.2.



CAPVT VIII.

DE INTERNA ADORATIONE ET REVERENTIA, in conspectu Dei, & quod illa comitari debeat omnes actus orationis: Et de quodam orandi modo, exercendo proprios eius actus.

1. RIMVS actus, quem in ipso ingressu ad orandum in præsentia Dei, exercere debes, est reuerentiæ & adorationis internæ & externæ, debitæ infinitæ Maiestati, in cuius conspectu es constitutus. Nam si statim atq; aliquis ad conspectum Regum, aliorumve Principum terræ ingreditur, reuerentiam exhibet, quam exigit status eius ad quem ingreditur. quantò erit magis rationi consentaneum, Deo ipsi, cùm primum ad eius præsentiam accedis, reuerentiam exhibere? statim atq;
a Heb. 1. 6. filius Dei factus est homo, illumq; Pater æternus Angelis ostendit, iussi, a *vt adorarent eum omnes Angeli Dei.* Eò quòd hoc primum sit obsequium, quod creaturæ suo debent Creatori, in quacunq; eum forma videant. Quare cùm primum oculos fidei in hunc Deum hominem factum conijcis, siue id fiat in ipsius imaginem, siue in sanctissimum Sacramentum, siue in cœlum Empyreum, debes illum adorare, mille nominibus, quibus ad id faciendum
b Malach. 1. 6 obligaris. ne illud Prophetæ obijciat tibi, b *si Pater ego sum, vbi est honor meus? & si Dominus ego sum, vbi est timor meus* & reuerentia? & præterquã quod
2. hæc reuerentia Deo sit maximè debita, est pręterea magni momenti ad hoc, vt in præsentia Dei benè excipiaris, & oratio tua feliciter expediatur. Pro-
c Eccl. 35. 20. pterea enim dixit Ecclesiasticus: c *Qui adorat Deum, in oblectatione, suscipietur; & deprecatio illius vsq; ad nubes propinquabit.* Et loquens Apostolus de
d Heb. 5. 7. feruentibus Christi D. N. orationibus, ait; d *exauditas* eas *esse* ab æterno Patre, *pro sua reuerentia* non solùm ob eam reuerentiam, quam diuina eius per-
Ibi, & 3 p q. 7. a. 6. sona merebatur, sed (vt S. Thomas aduertit) propter eam, quam is Patri suo, dum oraret, exhibebat. Et sancti in cœlo, cùm nostras orationes Deo
e Apoc. 5. 8. offerunt, summa id reuerentia faciunt; e *ceciderunt* enim (ait S. Ioannes) *coram agno, habentes singuli citharas* laudum, *& phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum.* Si ergo ipse agnus Dei, cum oraret exaudiebatur, propter huiusmodi reuerentiam; & qui tuas orationes Deo offerunt, simili reuerentia id faciunt: par est, cum tu eas offers, magnam reuerentiam exhibere, coniungendo illam agni, & sanctorum eius reuerentiæ,
Serm. 4. de modis orãdi in fine. quo tua sit pretiosior, & per illam inuenies magis gratum ingressum ad conspectum Dei, alioquin nec sancti illam Deo offerre volent, nec Deus ipse illam acceptare. Et propterea (teste S. Bernando) multi in oratione ariditatẽ

Spi-

Spiritus,ac distractionem sentiunt, quod ex sola consuetudine & absq; vlla reuerentia accedant. Ascende,inquit,cùm oras,ad aulam cœlestem,& intuere,quanta reuerentia Deus in ea à beatis spiritibus adoretur, ex quo intelliges,quanta reuerentia,tremoreq; adesse debeat vilissima ranula,ex sua prodiens palude,& miserculus homũcio,qui tantũ Deũ alloqui aggreditur,præsentib. Angelis & Sanctis. Quod si hac ratione te dimiseris, procul dubio,etiamsi sis vilis vermiculus, non tamen repelleris. f *Oratio* enim *se humiliantis* (vt ait Ecclesiasticus) *penetrat nubes, & donec* ad Dei thronum *appropinquet, non consolabitur; & non discedet, donec Altissimus eam aspiciat*, & feliciter expediat, Etiamsi g *Assuerus Rex*, superbus adeò esset,ac crudelis, vt *mortis* pœnam in eum statueret, *qui ad ipsius conspectũ non vocatus accederet, nisi fortè Rex auream virgam ad eũ tenderet,pro signo clementiæ*. Quando tamen h *Esther Regina* non vocata *ingressa est*, vt populo suo libertatem impetraret,simul atq; *illa corruit,& in pallorem colore mutato,lassum super ancillam reclinauit caput,quia conturbatum erat cor eius præ timore gloriæ* Regis,*statim ille* placatus est,*& festinus exsiliens de solio* ad eã accedens *his verbis illi blandiebatur: Quid habes Esther? ego sum frater tuus,noli metuere,tulitq; auream virgam,& posuit super collum eius*, concessitq; ei quicquid petebat. Quid ergo facturum existimamus supremũ Deum nostrum, erga eam animam quæ ad ipsius conspectum ingressa, sese humiliat & præ reuerentia infinitæ eius maiestatis tota obstupescit? Regina illa,dum animi sui defectionis rationem Regi redderet; *Vidi*, inquit,*te Domine quasi Angelum Dei,& conturbatum est cor meum,præ timore gloriæ tuæ: valdè enim mirabilis es Domine,& facies tua plena est gratiarum*. Quid igitur dices tu, Si ingressa orationem, aspicias vt oportet pulcherrimam ipsius Dei faciem, cuius comparatione Angelorum facies est deformis;cuius splendor adeò est admirabilis, vt ipsas potestates tremere faciat, & Seraphinos obstupescere? Quod si ita sentias, & in eius præsentia timore & tremore tantæ Maiestatis obstupescas, exsiliet ipse ex throno suó, vt te excipiat, tibiq; blandiatur: extendetq; super te sceptrum suæ clementiæ, & admittet ad iucundam secum conuersationem; & concedet, quicquid petiueris. Quia non constituit ipse mortis pœnam in eum, qui ingreditur ad loquendum cum ipso:imò si qua pœna constituta est, ijs illa infertur, qui nolint ad ipsum intrare,vt aliquid petant:delectatur enim,si ipsum oremus,& cum ipso colloquamur. Quantò ergò magis id volet,cũ nemo ad ipsum ingrediatur,nisi vocat⁹,qui oẽs præuenit vocatq;: & quando tu accedis, ille te ducit, quando tũ ingrederis,ille tibi portam aperit. Quod si accedas cum reuerentia, liberum tibi dabit ingressum,gratamq; præbebit audientiam, scriptum est enim: i *pro reuerentia accedet tibi bona gratia*. O Pater luminum, concede mihi lumen, quo tuam videam magnitudinem,meamq; vilitatem:quó reuerentia profunda demittam me in tua præsentia, loquarq; sicut oportet, cum tanta Majestate.

f Eccl. 32. 5.
g Esth. 4 11.
h Esth. 15. 9.
i Eccl. 32. 9

§.1 *In quo hæc reuerentia & adoratio consistat.*

HAEC reuerentia & adoratio, quam Deo D. N. debemus, duplex est: Altera interior, exterior altera. Quia enim Deus, & spirit⁹, & corporis creator est, debet vtriusq; operibus honorari. Præcipuè tamen interna adoratione & reuerentia, qua ab Angelis & beatis animabus, qui puri sunt spiritus, adoratur: sicut ipse Christus docuit Samaritanam, dicens: k *veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate, spiritus est Deus, & eos, qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare. Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum.* Atq; si illi dixisset: homines, vt sunt corporei & non nisi externa nouerunt, honorantur, & reuerentia illis externis signis exhibetur, licet à voluntate eos honorandi profecta: At Deus, vt qui purus est spiritus, & omnia interna cognoscit, non solum rebus, & signis externis & corporalibus honoratur, sed potissimum actibus internis & spiritualibus, eò directis, vt hoc ei tributum persoluatur, sine quibus externa reuerentia non potest illi placere; esset enim instar corporis sine anima & cæremonia pharisaica, & adoratio tantum in specie, de qua conqueritur ipse, dicens: l *Populus iste ore suo & labijs suis glorificat me, cor autem eius longè est à me.* Non me adorat Spiritu & veritate; sed corpore tantum ac fictè, & sub vmbra quadam orationis, in qua nulla est vita.

k *Ioan. 4. 23.*

l *Isa 29.13. Matt. 15 8.*

ADORATIO hæc, & interna reuerentia nihil aliud est, quam subjectio quædam & humiliatio spiritus nostri, exhibita Deo, ob excellentiam, quam in se habet, qua subijcimus cor nostrum, & facultates omnes diuinæ ipsius ordinationi in testimonium infinitæ ipsius magnitudinis & Maiest. Qui actus etsi propriè sit voluntatis, oritur tamen ab intellectu, & præcipuè à cõsideratione diuinæ ipsius excellentiæ, nostræq; propriæ abiectionis. Quò autem duarum harum rerum consideratio profundior est, eò maior oritur reuerentia. Quæ (vt S. Thom. ait) est actus virtutis, quam vocamus Religionem; ad quam spectat, reddere Deo cultum & honorem, ratione infinitæ excellentiæ ei debitum. Est quoq; actus primi doni Spiritus S. quod timorem appellamus; & tunc (ait idem Angel. Doctor) perfectior ea est, propterea, quod donum timoris sit perfectius virtute religionis; & ei opus prouenit ab inspiratione Spiritus S. qui nos permouet ad Deum in Spiritu & veritate adorandum, vera scilicet cognitione; totiusq; nostri cordis affectu. Verum sicut est quidam timor seruilis, & quidam timor filialis: ita est seruilis reuerentia, propria seruorum, qui suos Dominos timent & reuerentur, ne ab eis castigentur; aut quia ad id faciendum coguntur. Et hoc modo non solùm peccatores Deum reuerentur, ne ad inferos proijciantur; sed ipsimet m *Dæmones* timent & *contremiscunt* coram eo. Filialis autem reuerentia, est propria filiorum, qui suos parentes reuerentur & colunt: non, ne ab eis castigentur; sed, ne ab ipsis separentur: &, vt semper cum ipsis & in

S. Bonauent. opusc. paruũ bonum partic. 2.

1. *2 2. q. 81. a. 2. & q. 84. a. 2.*

2.

m *Iac. 2 19.*

eorum gratia permaneant. Et hoc modò sancti in cœlo summè Deum reuerentur;& potestates timent,ac tremunt coram eo (timorem appellamus profundissimam reuerentiam,quæ ex eo nascitur; cuius effectus esse solet tremor,& stupor quidam,ob admirationem diuinæ Magnitudinis,iuxta illud quod refert sanctus Lucas post excitatum filium viduæ Naim: n *accepit*, inquit,*omnes timor,& magnificabant Deum.*)Et vt Isaias ait,ipsemet Christus, qua homo,o *repletus est timore Domini.* Nam (vt sanctus Thomas declarat) quoniam ipse cognoscit infinitam excellentiam Dei, nihilumque creaturæ, anima eius sanctissima,ab Spiritu sancto mota,illam summa subiectione reueretur,estque velut contracta in eius præsentia, nihil sibi audens vsurpare eius,quod proprium est diuinitatis. Ex quo etiam prouenit,vt hæc reuerentia sit actus virtutis humilitatis,quatenus humilis, suam agnoscens paruitatem subiicit se maioribus,multoque magis Deo, in cuius comparatione omnes sunt,quasi non essent. Denique S.Augustinus ait, nos adorare ac reuereri Deum tribus Theologicis virtutibus, Fide, Spe & Charitate, tum quod illæ nos inducant ad Reuerentiam & Adorationem, cum omni sua perfectione exhibendam:tum etiam, quod harum virtutum actibus verè honoremus,valdeque reuereamur supremam Dei veritatem ac bonitatem. Ad idem iuuant etiam externæ nostræ potentiæ: lingua enim reuerentiam Deo exhibet,quando illum laudat & magnificat,& quando magnam manifestat existimationem,quam de eius excellentia habet. Caput etiam reuerentiam eidem exhibet,quando in eius præsentia inclinatur: Manus,quando pectus feriunt;Genua quando flectuntur: & omnia denique membra ad id aliquo modo iuuant,vt mox videmus.

Potestates Angelicæ quomodo tremunt.

n *Luc* 7.16.
o *Isa* 11.3.
3.p.q.7.a.6
3.
4.
In Enchrid. c.3. & *lib.* 12.*de Trinit.* c 14.
S.Tho in 3. *d* 9.q.1. *art.* 5 *ad* 2.

Ivxta hæc itaque,cùm orationem auspicaris,conuocare debes omnes hasce virtutes,omnesque tuas potentias,quò te adiuuent,ad hanc Deo reuerentiam exhibendam,dicens illud Psalmi: p *Venite adoremus, & procidamus ante Deum.*Sicque prostrati ante eum,persistamus,quamdiu oratio durauerit:nec prius surgamus, quàm obtineamus quod petimus. Et quoniam ad Spiritum S.pertinet dono ipso timoris per suam inspirationem vti, illum etiam inuocabis,vt tibi adsit,dicens: O diuine spiritus,ô spiritus veritatis, qui à Patre Filioque procedis,qui principium es adorationis,quæ fit in Spiritu & Veritate;adiuua me tua sancta inspiratione, vt te cum Patre & Filio simul adorem,eo spiritu & veritate, qua vis adorari. 5.

p *Psal.* 94.6

§. 2. *Praxis Adorationis internæ.*

Hoc iacto fundamento, subijciamus Praxin & exercitium huius Reuerentiæ & adorationis,exercendo simul teneram quandam, piamque orationis rationem, quæ eidem adorationi inseri potest. 1.

Primvm, Actus est reuerentiæ, antequam cum Deo loqui incipias,

indignum te agnoſcere, qui cum illo loquaris, petereque demiſsè ad loquẽ-
Matt. 20 dum facultatem, ad eum modum quo a *Mater filiorum Zebedæi* exhibuit ſe
coram Chriſto Domino noſtro, *adorans* ac dicens & inſinuans, aliquid ſe ab
eo petere velle, ſi prius ad petendum facultatem haberet: quod inſinuat
ipſius Chriſti interrogatio, dicentis: *Quid vis?* & maiori adhuc animi demiſ-
ſione Abraham Patriarcha, etiam prouocatus à Deo, vt cum ipſo loquere-
Gen. 18 27 tur, ei dixit: b *Loquar ad Dominum meum, cum ſim puluis & cinis:* Agnoſcens videlicet ſuum nihilum, in conſpectu tanti Domini, & quoties pro Sodomitis ſuam interceſsionem repetebat, hanc præmittebat reuerentiam: *Ne, quæſo*, dicens, *indigneru Domine ſi loquar*: & iterum: *obſecro, ne iraſcaris Domine, ſi loquar adhuc ſemel.* Quaſi diceret; Audacia nimia eſt, quod ego vilis vermiculus tecum loquar, ne tamen propterea indigneris. Nam quantum infinita tua excellentia me repellit, eò mea neceſsitas magis cogit, amor & charitas impellit, & infinita tua humanitas ad id me inuitat.

2. ET iam ipſa Meditatione inchoata, non debet hæc reuerentia ceſſare. Nam, vt ſupra dictum eſt, Meditatio non debet eſſe mera intellectus noſtri ratiocinatio, ſed ad colloquendum cum Deo dirigi; altiſsimè de eius perfectionibus ſentiendo, ex quibus ad maiorem eius reuerentiam, variis modis permouearis: nunc eas recenſendo; & ſingulas, quantum poteris, magnificando. ex quo copioſam licebit materiam accipere ad hunc orandi modum: colloquendi ſcilicet cum Domino noſtro, eique dicendi: O Deus excellentiſsime, adoro te, propter infinitam tuam ſapientiam: reuereor te, ob incomprehenſibilem tuam bonitatem: ego coram ſuprema tua omnipotentia me humilio; & propter immenſam charitatem te glorifico. O ſi poſſem ſolus tota illa adoratione te adorare, quam Angeli tibi exhibent in cœlo; vt aliqua ex parte meum explerem deſiderium? Nunc, modo quodam admirationis, & ſtuporis, altiſsimo ſilentio adorabis Deum: agnoſcens, quod
Eccl. 43. 32 quicquid de illo dicere poſsis, & (vt ait Eccleſiaſticus) c *quantumcunque glorificare eum potueris, ſuperualebit adhuc: quia admirabilis magnificentia eius: & benedicens, exaltanſq; illum quantum poteris, maior adhuc erit omni laude.* Aliàs vti poteris nominibus ſplendidiſsimis, ſicut ſæpè vtitur ſanctus Dionyſius ad venerandum, modo quo poteris, tantam illius excellentiam, diceſque ô
x S. Aug. ſolilo. c. 10. Deus ſuperexcelſiſsime, & millies millies miſericordiſsime: qui ego potero te honorare, ob tantam excellentiarum magnitudinem, quas in te habes? Quis ego miſer homuncio ſum, vt in putido meo ore glorioſiſsima tua nomina ſumam? & quem honorem exhibere tibi potero ego, qui ſum vermis viliſsimus? Eſt quoque reuerentiæ actus, in ipſa Meditatione nolle ſcrutari excellentias, & magnalia diuinæ Maieſtatis, & Iudiciorum eius occulta, in rebus, quas fecit, & facit; ſed venerari, quod intelligere non potes: ſic enim Deum in hac eius excelſa magnitudine honorabis.

Eadem Reuerentia,& adhuc maior exhibenda eſt in affectibus,& petitionibus,& colloquiis,quæ cum ipſo Deo in oratione inimus: tam quoad nomina,quæ vſurpamus,dum cum Deo loquimur; quàm quoad res ipſas, quas petimus,& modum eas petendi: ſtudentes,vt in omnibus reſplendeat ſumma eius veneratio, Vt enim ait Gerſon: nomina, quibus Deum licet compellare,& affectus illis correſpondentes,triplicis ſunt generis. Quędam enim nomina magis prouocant nos ad timorem, & reuerentiam, quàm ad amorem,& fiduciam,qualia ſunt, cùm eum appellamus d *Regem Regum, Dominum Dominantium*, e *ſupremum viuorum & mortuorum Iudicem*, f *Deum vltionum*, Creatorem omnipotentem, g *Fortem, zelotem*. Alia æquè ad vnum inclinant,atque ad alterum: qualia ſunt,cùm eum vocamus Redemptorem mundi,Magiſtrum,Medicum,Paſtorem, Gubernatorem, & Protectorem, ac Defenſorem noſtrum. Et his nominibus licet omnibus vti in oratione. Sed ſunt alia,quæ multo plus exprimunt amoris & fiduciæ, minus verò timoris & reuerentiæ: quale eſſet,illum appellare Sponſum, Amicum, Dilectum,Amorem meum,Beatitatem meam, & alia ſimilia,quibus vt plurimũ non debent vti,niſi qui multum profecerunt; idque ſpeciali diuini ſpiritus motione,qui illa ſuggerit,& veluti in ore ponit. Nam (vt benè aduertit ſanctus Bernardus)non cuiuis animæ conceditur,vt dicat, h *oſculetur me oſculo oris ſui*: nec, *Dilectus meus mihi,& ego illi*: niſi talis illa ſit, quæ rem nullam aliam diligat,niſi ipſum Deum;& i *cui viuere Chriſtus ſit*, & ſolatium ſemper illum habere præſentem,ſeque k *ſolicitum ambulare cum Deo ſuo*, quærendo in omnibus diuinam ipſius voluntatem: & quæ diu ſe in his exercuerit, & verſata ſit:& adhuc meritò coniunget nomina reuerentiæ, cum nominibus amoris,ne debitum reſpectum deponat, præcipuè publicè, & coram aliis; ſicut ſponſa loquens cum ſuis ſodalibus eum appellauit Regem dicens: l *Introduxit me Rex in cellaria ſua*. Et eam ob cauſam,aptiſsimum nomen, pro omni genere hominum,ad inuocandum Deum in oratione,eſt nomen Patris, quod reuerentiam & fiduciam complectitur: quo nomine iuſsit Chriſtus Dominus noſter nos vti in quotidianã oratione; & eodem vtebatur ipſe, quotieſcunque orabat. Et ipſis peccatoribus etiam conceditur, eo vti; ita tamen,vt ſuam indignitatem agnoſcant; ſicut prodigus ille, qui orauit, dicens: m *Pater non ſum dignus vocari filius tuus*: cuius oratio Patri vehementer placuit,ob demiſſam reuerentiam, quam oſtendebat.

Tract. de myſt. Theo pract conſid. 2.
d Apoc. 19. 16.
e Act. 10. 4.
f Pſal. 93. 1
g Exod. 10.
Serm. 3. & 69. in Cant.
h Cant. 1. 1.
cap. 2. 16.
i Phil 1. 21.
k Mich. 6. 8.
S. Bern in Serm 49.
l Cant. 1. 4
Gerſon l. 1.
m Luc. 15. 19


3. Qvam reuerentiam etiam declarauit in ipſa petitione, qua non eſt auſus petere, admitti ſe, ad priorem filij dignitatem; ſed, *fac me*, inquit, *ſicut vnum ex mercenariis tuis*. Quo tamen ille, profunda illa reuerentia ſe magis humiliauit, eò pater eius magis eum honorauit, ſingularibus blanditiis illum amplectens, & ad illam dignitatem admittens, quam is non eſt auſus petere. Et plus à Deo Domino noſtro impetrabis via reue-

rentiæ,& humilitatis,quamuis parcus propterea iudiceris; quàm si nimium progrediaris per viam confidentiæ. Eueniet enim tibi, quod Sponsæ,cùm
nCant 1 7. à suo dilecto petiuit: n *indica mihi vbi pascas,vbi cubes in meridie*, cui respondit Sponsus,vt in memoriam reuocaret,quæ ipsa esset: *si* enim *ignoras*, inquit, *egredere*, & abi, neque enim mecum poteris permanere, nisi teipsam agnoueris.

5. NEQVE solùm demissam hanc reuerentiam ostendere debes in petitione rerum,quæ tuo statui sunt proportionatæ; sed multò etiam magis in ipso modo eas petendi,alioqui respondebitur tibi, quod filiis Zebedæi,petentibus à Christo D.N. vt sederent ad dexteram & sinistram in regno eius;
o Marc.10. 35. modo tamen minus ciuili & reuerenti, dixerunt enim: o *Magister, volumus*; &: *da nobis,vt vnus ad dexteram tuam, & alius ad sinistram tuam, sedeamus in gloria tua.* Sed receperunt responsum,quod merebantur: *Nescitis, quid petatis.* siue rem ipsam spectetis,siue modum,quo illam petitis. Multò verò aliter orauit supremus ipse magister noster in horto Gethsemani,ostendens in verbis paucis,demissis,ac resignatis,quæ protulit, reuerentiam, quam erga
Mar.14.36. suum Patrem habebat. non enim dixit: volo; sed potius: *non,quod ego volo; sed quod tu vis.* Certissimum enim, insignis nostræ erga Deum reuerentiæ indicium est, si totam nostram voluntatem ipsius voluntati subiiciamus; nec velimus quicquam, nisi quod ipse velit. Spectat quoque ad reuerentiam,paucissimis verbis agere, quasi non audeas loqui, in præsentia tantæ Dei Maiestatis,& à reuerentia interclusus, tacens aperis illi cor tuum,vt illud ipse videat: hoc siquidem sufficit. O Pater amantissime,quid in tuo conspectu loquar? quocunque enim modo te compellem, admirandas inuenio causas reuerentiæ? quò enim te magis affabilem præbes, eò magis infinitas tuas excellentias manifestas. ô Iudex iustissime: ego veneror tuam seueritatem,tuamque diligo iustitiam: ô fortis Zelotes,timeo tuum zelum; diligo verò amorem, vnde ille procedit. ô amice fidelissime, ego diligo tuam charitatem:& veneror,quam in ea ostendis magnitudinem. Doce me vocare te,vt tu desideras: vt in omnibus tibi placeam,sicut ego desidero. O
Ioan.4.23 supreme Pater,ex cuius misericordia p *venit* felix *hora* toti mundo *& nunc est*; in qua nobis dedisti supremam veritatem,hoc est, Filium tuum,in forma hominis,tuumque diuinum spiritum,in figura linguarum ignis. Iam hora aduenit pro me,in qua reddere tibi debeam tributum adorationis & laudis, quod mille nominibus tibi debeo; mitte veritatem tuam è cœlo, quæ me doceat,& Spiritum,qui me moueat,vt eo modo te adorem,quo tu vis, & omnes meæ potentiæ in linguas igneas conuertantur: quò te,ob collata in me beneficia, laudem. Amen.

CAPVT IX.

DE EXTERNA ADORATIONE, ET REVERENtia, & Situ corporis, eiusq; praxi in oratione.



QVAMVIS DEVS D. N. præcipuè sit in spiritu & veritate adorandus, vult tamen etiam hunc spiritum & veritatem externis indiciis manifestari, quibus integer redditur ac perfectus actus religionis, quem vocamus adorationem, qua offerimus Deo non solùm spiritum, sed etiam corpus, in testimonium infinitæ ipsius excellentiæ. Hæc autem corporis reuerentia, multum adiuuat reuerentiam illam spiritus, & orationis feruorem. Nam (vt S. Augustinus ait) genua flectere, manus extendere, prosternere se in terram, & aliæ huiusmodi humiliationes, non fiunt ad manifestandum Deo, quod est in ipso corde, cui totum illud patet; sed, vt ipsum cor permoueatur, ad orandum cum humilitate & feruore maiori: affectus enim cordis, qui vt hæc externa fierent, præcessit, multum eisdem factis fouetur, crescitque.

S. Thom. 2. 2. q 84.

Lib. de cur. pro mortuis c. 5.

PRO cuius declaratione, præmittenda est insignis quædam eiusdem Sancti doctrina, dicentis: Quamuis in Scriptura diuina, non sit peculiaris aliquis modus præscriptus, componendi corpus in oratione; siquidem de aliquibus dicitur, quod orarent in terram prostrati: alij stantes, aut genibus flexis, aut sedentes, aut iacentes: Alia tamen regula vtendum tibi est, cum teipsum ad orandum excitas, ob tuam necessitatem; aut ex obedientia præcepti, quo teneris, aut tuæ consolationis intuitu; & vt sic orando, Deo tribuas honorem: Alia verò, cum repente à Deo permoueris ad orandum, qua interna motione inuenis te in ipsa oratione immersum: cum nihil tale tu quęreres. Nam in vltimo hoc casu, in quocunque situ, te deprehenderit inspiratio diuina, non est, quod differas orationem; nec locum anxiè quęras, vbi aut genua flectas, aut ad terram procidas. Nam ipsamet Dei motio solet tunc efficere solitudinem quandam internam, & quietum oratorium, in quo ores, oblitus loci, in quo es, & situs corporis, quem tunc habes. Quod si distrahereris, quærendo alium locum, aliamque corporis compositionem, præteriret forte & euanesceret inspiratio illa, eiusque fructu priuareris. Quare, si hæc Dei motio, te in lecto deprehenderit, sicut a *Ezechiam*; aut in carcere catenis & compedibus vinctum, sicut b *Manassem:* aut in foro magna turba circumdatum, sicut c *Susannam*: aut mensæ accumbentem in bona conuersatione, sicut S. Scholasticam: non est quod locum alium exquiras, aut aliam mutationem: sed (quod de quatuor illis sanctis animalibus dice-

Lib 3. qq. ad Simplic. q 3.

a *Isaiæ 38. 2.*
b In oratione Manassæ.
c *Dan 13. 35*
Ezech 1. 25.

bamus) ibi sistas, alas tuas contrahas, sensus tuos colligas; intra teipsum con-
d Eccl. 14. 14 tinuè ingrediaris, & d *particula boni doni*, quæ in domum tuam ingreditur, *non te prætereat*. Non tamen propterea negamus, esse bonum, ad secretiorem locum te recipere, si adsit commoditas, & non periculum, oblatam amittendi portionem: neque enim adeò timidum te esse expedit, vt existimes, eam te amissurum, eo solo, quod vel paululum loco mouearis: siquidem qui visitationem cepit, quia ita voluit; prosequi eam poterit, sicut volet.

§. I.

PRAETER hoc casus (ait S. Augustinus) cùm tu ipse ad orandum te incitas, eam corporis compositionem curare debes, quæ ad internam recollectionem te magis est adiutura, & permotura ad maiorem deuo-
Ioan Gerson vbi supra consid 9. tionem, ac reuerentiam Maiestatis diuinæ: nisi aut ab obedientia, aut constitutione aliqua præscribatur. præstat tamen in eam compositionem inclinare, quæ sit optima; sicut iam declarabitur.

1. PRIMVM in ipso ingressu ad conspectum Dei, bonum est genua fle-
e Matt. 2. 11. ctere, aut te totum prosternere, agnoscens, te ex te ipso puluerem esse; & infinitam Dei Maiestatem, qui te ex nihilo eduxit: sicut Reges illi Magi, statim atque intrarunt porticum Bethlehemiticam, Regem que recens natum viderunt e *procidentes adorauerunt eum*. Et ipsemet Christus D.N. cum orauit
f Mat. 26 39 in horto, f *procidit in faciem suam*, g *super terram*. Et idem fecisse antiquos
g Marc. 14. 35 lib 2. c. 7. Monachos, refert Cassianus: quamuis mox se erigerent, experti eum corporis situm, ad longam orationem non adeò esse commodum: eò quod grauet caput, somnum prouocet, & interdum malas cogitationes: aut esca sit laxitatis, & pigritiæ corporis, quòd hac via defatigationem euitet. Est nihilominus eadem corporis compositio, ad breue aliquod temporis spatiũ, aut pro tempore afflictionis satis commoda, quando scilicet is, qui orat, valdè est
h 2 Reg 12. 16. afflictus, & hoc sensu procidit ad pedes Dei: quod fecit Dauid, qui h *depre-*
i Iudith 9 1 *catus Dominum pro paruulo* filio, *iacuit super terram*: Et Iudith, i *prosternens se*
Luc. 7 38. *Domino, clamabat ad Dominum*, pro populo suo. Et Maria Magdalena ad pedes Christi prostrata, defleuit peccata sua.

2. AD prolixiorem autem Orationem, & in genere, omnibus aptior est situs, cum vtrumque genu flectitur: sicut ipse Christus (vt ait sanctus Lucas)
k Luc. 22. 41 k *flexis genibus orabat*, suam scilicet prosequens orationem. Eodem modo S.
l Act. 7 59. l *Stephanus pro suis persecutoribus orauit, positis genibus*. Et S. Paulus m *genua fle-*
m Eph 3 14 *ctebat* ad Patrem, orans pro salute fidelium: Et Daniel n *tribus temporibus in*
n Dan. 6. 10 *die flectebat genua sua, & adorabat*: Et tempore distractionis, aut ariditatis aut somnolentiæ, aptus modus est, orare per breues sed valde frequentes genuflexiones, coniungendo singulis internam aliquam adorationem aut breuem petitionem, aut pium alium orationis affectum: sicut facere consueuit sanctus ille Simeon in sua columna, flectens genua sua ita, vt caput terræ

coniun-

coniungeret,& statim se erigeret;& iterum post breue spacium flecteret:& hoc modo socius quidam Theodoreti computauit 1244. genu flexiones, donec defatigatus,à numerando destitit. Et de sancto Bartholomæo scribitur,consueuisse centies in die,& centies in nocte, genua flectere,vt oraret: estque fas credere, vsum illum fuisse iaculatoriis orationibus;breuibus quidem, sed feruentibus. In eius vita.

Alivs modus compositionis corporis in prolixa oratione est,stando, vt mos erat Iudæorum, quem Pharisæos seruasse, ait Christus, dicens: o *Qui amant in Synagogis,& in angulis platearum stantes orare.* Et publicanus (vt sanctus Augustinus aduertit) etiam p *stans* orauit:quamuis præ reuerentia se collocauerit in infima parte templi,& *oculos* in terram confixos *non audebat ad cœlum leuare.* Et Christus D.N. sæpè hoc modo orauit.& sanctus Simeon hoc modo prosequebatur prolixas suas,& continuatas orationes. Nec vllus sedere deberet,quando orat in occulto,nisi (vt sanctus Bonauentura aduertit)quando morbus,debilitas, aut grauis defatigatio ad id faciendum cogit. Et neque tunc fieri deberet, nisi prius ad breue saltem tempus genua flectantur,aut stetur;& licentia à Deo D.N. ad sedendum petatur, ei dicendo,sicut Abraham: q *ne,quæso indigneris Domine,si loquar* sedens. Eò quod aliter manere non possim,& tunc sedes sit demissa, vt vel sic, aliqua exhibeatur Deo reuerentia,& r *flectantur*, (vt dicebat Rex Manasses) *genua cordis*; siquidem corporis,non licet. Sicut se quoque S. Hieronymus in lecto præ senectute ac debilitate iacentem animabat, arripiens funiculum, quem ex lecto pendentem habebat,quo se paululum erigeret, quando suarum orationum pensum inchoabat.

o *Matt.* 6. 5. *Caiet. ibi.* p *Luc.* 18. 13 *S. Aug. vbi supra.* *In Specul. Discipl. p.* 2. *c.* 16. q *Gen.* 18. 3[illegible] r In sua oratione.

Alter quoque orandi modus,deambulando scilicet, non debet esse vsui, nisi eisdem de causis,sicut aduertit Gerson, afferens ad id sententiam Philosophi dicentis: Animam sedendo & quiescendo fieri sapientem. Quamuis interdum & hic modus exercitij adiuuet,egrediendo, sicut dicitur de Isaac, r *ad meditandum in agro*,aut in loco alio solitario. Expedit autem omnibus adsuescere,vt exactius Apostoli consilio satisfiat, s *orandi* videlicet *in omni loco*,vt videbimus infra.

Vbi supra r *Gen.* 24. 6[illegible] s 1. *Tim.* 2. 8. *c.* 20.

§. 2.

Ad hanc externam reuerentiam pertinent quoque alia minutiora,quę ipsam interiorem adiuuant, quæ non prætermittuntur absque aliqua specie irreuerentiæ,quæ Orationem ipsam effundit:quorũ summam quandam ponit S. Bonauentura, discurrens per omnes corporis partes. *Præcipua* sunt,detectum habere caput,nisi manifesta necessitas tegere illud cogat. Nam(vt ait Apostolus) t *vir orans velato capite,deturpat caput suũ;* faciens videlicet quod ipsum non decet, & proprium est fœminarum, quibus turpe esset,non velato capite orare.

vbi sup. c. [illegible] *&* 10. t 1. *Cor* 11. [illegible]

DEINDE, oculos tenere quietos, non tamen dormitantes: vt enim magna est irreuerentia, in oratione dormire; ita est, visum effundere ad aspiciendum, quod alibi geritur: & incuriam quandam in his, multis lacrymis luit S. Catharina Senensis. *Item* quando vocaliter oratur, loquendum est, non festinanter, sed cum grauitate. Si enim censeretur irreuerentia festinanter cum aliquo Principe loqui, quantò maior hæc censebitur? Nec minor erit irreuerentia, nimium strepitum facere, excreando, aut tussiendo: nisi aliter fieri non possit. Quem defectum valdè exaggerat S. Ambrosius, referens Sancti cuiusdam Sacerdotis miraculum, quem in oratione cum toto populo existentem, ranarum strepitus perturbabat; quæ, cum is in Dei nomine silere eas iussisset, in momento conticuerunt. Silent, inquit, ranæ in suis lacunis, & strepunt homines in templis? Irrationale animal reueretur orationem, quam non nouit: & homo eam cognoscens, non reuerebitur religionem? Alter ille iuuenis adeo reueritus est Alexandrum sacrificantem, vt exsiliente pruna ex sacrificio, immotus manserit, & brachium comburi permiserit, nullo edito gemitu; & tu non ita reuereberis Deum, vt in eius præsentia impertinentes huiusmodi strepitus non reprimas? Hæc sanctus Ambrosius. Quibus addit S. Bonauentura: In loco publico euitandum etiam esse strepitum labiorum, instar sibili: imprudens, inquit, est oratio, quæ cum sit vna, multas impedit; & cùm sit tepida, perturbat alias meliores. Et antiqui monachi, etsi multi ad orandum, in vnum locum conuenirent, omnes tamen (ait Cassianus) tanta quiete, silentioque orabant, atque si nullus ibi esset: nullus strepitus aut gemitus audiebatur, nisi fortè ex spiritus feruore suspirium aliquod, aut gemitus, inaduertenter ex corde prodiret.

ib.3. de virgin.

ib.2. c.10.

2. Par. 6.

PERTINET quoque ad reuerentiam, ipsas manus quietas, & coniunctas, & u *ad cœlum eleuatas* habere, sicut orauit Salomon: aut in forma crucis, ad eum modum, quo Christus Dominus in ea orauit, & Moyses, de quo dicitur: x *cùm leuaret Moyses manus, vincebat Israel*: approbante scilicet Deo, ceremoniam illam externam, ortam ex interno spiritu, quo illa exhibebatur, insigni adeò miraculo, qualis fuit populi victoria, cùm illæ tenerentur eleuatæ: cùm tamen, *si paululum eas remisisset superaret Amalec*, quas tamen manus, eò quod graues essent, *Aaron & Hur ex vtraque parte sustentabant: & factum est, vt manus illius non lassarentur, vsque ad occasum solis*, & vsque ad perfectam victoriam de hostibus reportatam. Num hæc omnia casu facta sunt, aut aliquo mysterio vacant? Quid est, vincere populum Dei, quando Moyses orat manibus eleuatis, nisi (vt ait S. Gregorius Nazianzenus & S. Hieronymus) docere nos, quod feruens oratio, in virtute crucis Christi, consequatur victoriam? Et quid est lassari Moysen, tenendo manus eleuatas in altum, nisi nobis aperire, quam graue sit corpori, spiritui in oratione seruire: qui, etsi promptus sit, viuit tamen in carne infirma, cuius debilitas sæpè in

Exod. 17 v.

...at 5. & ... de ...bitu ...tris. ...ist 127. ...nsio. 11. ...att. 26. 41.

causa

causa est, vt & ille lassetur, & remittat feruorem in oratione? Remedium itaq; est, vt *Aaron* & *Hur* manus illas sustentent. *Aaron* (teste S. Gregorio) significat montem fortitudinis, *Hur* verò ignem: & vterq; repræsentat Christum seruatorem nostrũ, & Spiritum S. ab eo procedentem; qui nos iuuant, vt magna facilitate oremus. Christus quidem D. N. exemplo suo, Spiritus S. autem suâ inspiratione; Christus interna luce suarum veritatum, Spiritus S. igne suorum affectuum: & illi (ait S. Nilus) sunt spiritus & veritas, qui nos docent & permouent ad orationem & adorationem, quæ fit y *in Spiritu & Veritate* modo prædicto. Si te lassatum in oratione deprehenderis, manusq; tuas cadere, & corpus ipsum deficere, recurre ad diuinum montem fortitudinis, Christum IESVM, & ad eius diuini spiritus ignem; dicesq;: O Patris æterni fortitudo, quæ in mundum *venisti, ignem mittere*, qui semper *arderet*, & ascenderet in sublime; mitte in me hunc ignem, qui meum spiritum tanta vi eleuet in cœlum, vt corpus ei, sine lassitudine seruiat. O Redemptor fortissime, qui in montem Caluarium ascendens, vt orares, manus tuas in cruce leuasti, ad quas, ne caderent, sustentandas, aliud fulcrum non habuisti, quàm duos duros clauos, corrobora manus meas gratia tua, vt erectas in oratione teneam; & illustre tuum exemplum inspiciens, in orando non defatiger. O diuine spiritus ignis, rape totum cor meum, tecumq; cum orat, coniunge; vt sensus omnis, corporisq; potentiæ delectentur, illud in hoc opere comitando. O anima mea, colloca teipsam dum oras sicut Moyses inter Aaron & Hur, fiduciam scilicet tuam in filio Dei, eiusq; diuino spiritu collocando, vt oratio tua placeat æterno Patri, in cuius virtute omnes vinces Dœmones, qui Dominus ad æternam suam gloriam, tua implebit desideria. Amen.

Homil. 33 in Euang. & in 1. Reg & 17. Rupert. & aliquos refert Lipomanus in Catena.

Cap 26. de Orat.


y *Ioan. 4. 24.*

Quid sit adorare in Spiritu & Veritate.

Luc 12. 49

CAPVT X.

DE MVNERIBVS ET SPIRITVALIBVS SACRIficijs in Dei conspectu offerendis cum Deuotionis affectibus: ac de modo quodam orandi, eadem ob fines varios offerendo.



QVANDO ingrederis ad conspectum Dei, ad loquendum & agendum cum eo, de negotio tuæ salutis, studere debes (vt initio insinuauimus) a *non apparere in conspectu eius vacuus:* Sed munera aliqua, quæ ei offeras voluntate prompta, deuota ac generosa, quæ doni offerendi exiguitatem suppleat adferre. Quæ munera tum in ipso primo ad conspectum diuinum ingressu, tum in ipso colloquij progressu, & ad eius finem,

a *Exod. 23 16. Deut. id. 16.*

nem, sunt offerenda, ob multas causas, respectusq; magni momenti, vt voti tui compos fias.

1. PRIMA causa, siue titulus ea munera offerendi est, ad testificandam infinitam excellentiam & Maiestatem Dei, in cuius conspectum te constituis; & ad recognoscendam & protestandam subiectionem, quam ei debes tanquam supremo tuo Domino, cuius est quicquid habes; Sicut tres illi Reges b *Magi*, in primo ipso ingressu, in specum Bethlehemiticam; *procidentes* ante recens natum infantem, eumq; adorantes, statim *apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus & Myrrham*; ea ratione agnoscentes, eum esse Regem æternum, Deum verum, & hominem mortalem: docentes nos exemplo suo; vt, quamprimum in conspectum Dei viuentis ingressi fuerimus, eiusq; supremam maiestatem adorauerimus thesauros animæ nostræ aperiamus; triaq; munera pretiosissima, quæ in ea sunt, eidem offeramus, *Intellectum* videlicet, quod est aurum, & pretiosissima hominis potentia, cum omnibus eius scientijs, virtutibus, ratiocinationibus, & cogitationibus: eas omnes proijciendo ad ipsius Dei pedes, vt in eius diuino seruitio illas expendamus, captiuantes iudicium proprium, vt seipsum subijciat dedatq; ad credendum, quæ fides sancta reuelat, & exequendum, quod eius lex præcipit. Et quamuis eum videas infantem in stabulo quodam, pauperem & abiectum, inter animalia collocatum; aut eum aspicias hominem mortalem, cruci affixum inter duos latrones; credas tamen eundem esse verum Deum, Regemq; æternum, à quo tota felicitas tua dependeat.

b Matt. 2. 11.

Spiritualis oblatio Auri, Thuris & Myrrhæ, quid.

ALTERUM munus offerendum, est Thus *liberi* tui *arbitrij*, in quo sunt affectus omnes amoris, cordisq; desideria: quæ in tua anima inflammantur, & instar fumi odoriferi thuris ascendunt ad Deum: quam ipsam voluntatem proijcere etiam debes ad eiusdem Dei pedes, generoso quodam firmoque animi decreto, exercendi in eius conspectu omnes tuos affectus, maximo quo licebit feruore. Et quoniam mortale & corruptibile corpus, particeps quoq; est huius operis, offerendum & illud est, tanquam Myrrha odorifera, statuens firmiter ac generosè, illud ad eius pedes prostratum continere, valdeq; mortificatum in rebus omnibus, quæ necessariæ fuerint ad ita dignè in eius conspectu permanendum, vt oratio tua, c *sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij*, quæ in tuo corpore & animo sunt, ascendere posit.

c Cant. 3. 6.

§. I.

2. FERENDA quoq; tecũ sunt munera, quibus iustam Dei iram & indignationem placare posis, quàm ob tua peccata negligentiasq; meritò timere potes; deprecando omnes tuas culpas, siquidem huius rei causa ad eius conspectum accedis. Sicut Iacob cùm propè esset, vt Esau fratri suo occurreret, cuius iram ob causas præteritas metuebat, pretiosa donaria præmisit, ex

omnibus gregis sui precoribus, dicens intra se: d *placabo illum muneribus, quæ præcedunt, & postea videbo illum, forsan propitiabitur mihi:* sicut reuera euenit. Sic igitur ingressurus tu ad Dei conspectum, quem te offendisse certum habes, nec certus es, quod tibi indulserit; expedit omninò munera illi offerre, ad illum placandum, & veniam obtinendam. In quem sensum dixit Ecclesiasticus: e *Da, & accipe, & iustifica animam tuam:* Atq; si diceret: Da Deo aliqua munera; & veniam accipies peccatorum. Quæ autem munera, quæve sacrificia in oratione poteris ei offerre, quibus illum places, nisi affectus f *cordis contriti & humiliati*, quibus plurimum delectatur, & quos nunquam despicit? ita S. ille Azarias in sua oratione: g *in animo* inquit, *contrito & spiritu humilitatis*, ad te accedimus, vt *suscipiamur*, atq; si *mille agnorum pinguium holocaustum* offerremus. Holocaustum mille agnorum est in conspectu Dei cor conflagrans, & seipsum igne amoris dolorisq; consumens; cæterosq; indués affectus, quos perfecta contritio, humilisq; peccatorum confessio exigit, dolens de singulis, seipsum humilians, promptumq; offerens, ad commeritam pœnam exsoluendam, & nouo aliquo obsequio compensandam.

d *Gen.* 32. 20.
e *Eccl.* 14. 6.
f *Ps.* 50. 19.
g *Dan.* 3. 39

3. SED quoniam non accedis ad orationem, gratiâ tantum veniam peccatorum petendi, sed noua etiam beneficia impetrandi; necesse quoq; est, talia Deo munera offerre, quibus eius voluntatem allicias, ac permoueas, vt te beneuolè humaniterq; recipiens, concedat, quod petis. Nam (vt Sapiens ait) h *victoriam & honorem acquiret, qui dat munera: animam autem aufert, illa accipientium:* offer itaq; Deo munera ex iisdem, quæ ab eo accepisti. Nihil enim habes, quod ipsius non sit: i *tua* (inquit Dauid) *sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi*: k *præbe* ergo *ei cor tuum* sicut ipse petit. Et sic obtinebis in eius conspectu victoriam, & honorem. Victoriam quidem, quia fies compos voti tui, vincens eum in lucta orationis; Honorem verò, quia admitteris ab eo, cum magnis amoris indicijs, qui te beneficijs, in te conferendis, honorabit: si enim muneribus ei oblatis, *aufers animam*, & spiritum eius; quid mirum, si bona quoq; auferas, quæ ille possidet? Sed quæ dona ei offeres, quæ possint cor & spiritum Dei auferre? si proposita solùm offeras efficacia, custodiendi eius præcepta, parum facis: hæc enim tributa sunt & vectigalia ex necessitate debita, ad quæ omnes subditi reddenda tenentur, luentque grauissimas pœnas, nisi reddiderint. Necesse itaq; (ait sanctus Dorotheus) offerre quoq; liberalissima & ingenua proposita seruandi etiam eius consilia, & insignia, gloriosaq; obsequia præstandi, ad quæ aliàs non tenereris; sicut nobiles & ingenui, principi suo, magni valoris dona & munera offerunt. Non itaque satis tibi sit, aurum, thus, & myrrham ei offerre, ad quod ipse te obstringit; Sed offer adhuc desiderium dandi ei, quicquid auri est in vniuerso orbe, si in tua esset potestate; & totum cordis tui amorem, cum omni integritate & perfectione, quam

h *Prou.* 22 9.
i 1. *Par.* 29. 14.
k *Prou.* 23. 26.
Serm. 1.

habe-

habere potest; & omne thus orationum, & omnem mortificationum myrrham, quæ tibi erit possibilis; exequendo opere, quod habes in votis; vt oratio tua sit in spiritu & veritate, & non solùm in specie & apparentia.

4. Ex quo fit, vt etiam adferre debeas munera, & offerre in gratiarum actionem, ob accepta prius beneficia: sic enim voluntatem eius promptam reddes, ad ea tibi conferenda, quæ petere cogitas. AEquum est enim, vt ingrediens ad eius conspectum, qui dedit tibi quod habes; idem ei offeras, cum recognitione, quod ab illo acceperis.

§. 2.

5. EX quatuor his nominibus & motiuis, quibus obligamur, offerre Deo dona & sacrificia, colligere poteris modum quendam orationis valdè pium: qua offeres, loco aliorum donorum, beneuola & amica verba, suauesq; sententias, quæ ex corde, eius amore inflammato procedant, iuxta Oseæ consilium, dicentis: l *Tollite vobiscum verba, & dicite ei, omnem aufer* à nobis *iniquitatem, accipe bonum*, quod nobis contulisti, *& reddemus vitulos labiorum nostrorum.* Quæ verba, & quos labiorum vitulos offeremus, loco vitulorum, quos antiqui offerebant, nisi omne genus verborum, in materia omnium virtutum? *Primum* verba m *confessionis,* peccata nostra, & miserias aperiendo; *Deinde* verba laudis, & gratitudinis: quæ (vt S. Chrysost. ibi explicat) sacrificia sunt, ac vituli magni pretij, & quæ plurimum Deo placent. Verba quoq; orationis, qua eius dona humiliter petamus, tanquam ab vnico bonorum omnium auctore. nostræ enim orationes, etiam sunt vituli labiorum nostrorum, & quidem Deo gratissimi. Ac *deniq;* verba sunt offerenda generosissimarum & efficacissimarum oblationum, cum ingentibus promissis, votis, siue propositis suo tempore implendis, eo modo, quo illa obtulimus. Ideò enim etiam adiecit: *reddemus vitulos labiorum nostrorum:* sicut Dauid dicebat: n *Introibo in domum tuam in holocaustis; reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt,* siue distinctè obtulerunt *labia mea.* Ex quo infertur, sicut in antiqua lege tria sacrificiorum genera Deo offerebantur. Quædam pro peccatis; Alia, quæ vocabantur hostiæ pacificæ in gratiarum actionem ob accepta beneficia, & alia de nouo impetranda; Alia deniq; vocabantur holocausta, in testimonium excellentiæ diuinæ, & amoris indicium, qui debetur eius infinitæ bonitati: quæ offerebantur igne ardenti in altari templi. Ita etiam existimare debes, accedere te ad orationem, tanquam Sacerdotem spiritualem, ad offerendum Deo, in tui cordis altari, tria spiritualia sacrificia, propter easdem causas & fines: exurendo illa, igne diuini amoris ac deuotionis, quæ reliquos affectus debet comitari. Positus ergo in conspectu Dei ad orandum, imaginare, tibi spiritualiter intimari antiquum illud mandatum, o *Ignis in altari meo semper ardebit, quem nutriet Sacerdos* studiosè,

l *Oseæ* 14. 3. Vide Riberam ibi.

m *Hebr.* 13. 15. *Homil. cum Presbyter est designatus.* *S. Thom.* 2. 2. q. 83. art. 12 de Oratione vocali.

n *Psal.* 65. 13.

Vide S. Tho. 1. 2. q. 102. art. 3. ad 8.

o *Leu.* 6. 12.

subij-

subijciens ligna mane, per singulos dies; &, imposito holocausto desuper adolebit adipes pacificorum. Intellige itaq; cor tuum esse illud altare, in quo perpetuò ardeat ignis deuotionis: quem, ne extinguatur, statim mane oportet nutrire lignis Meditationum & Considerationũ ad id efficacium: & hoc igne offeres reliqua sacrificia tuorum affectuum, verborum, & operum: vt reddantur Deo grata. cui supplicabis demissè, te vt adiuuet; siquidẽ ipso non accendẽte & conseruante, non sufficiet industria tua. O mundi Seruator, qui p *venisti ignem mittere in terram*, cupiens *vt accendatur*, accende diuinum hunc ignem in altari cordis mei; modumq; doce, quo illũ conseruare & augere possim, vt placeant tibi orationes & sacrificia, quæ tibi cum illo offeram. Amen.

S. Bonau. de proces. 7 relig. c. 11. & de perfect. vita c. 6.

p *Luc. 12. 49.*

Superest nunc declarare, quis hic sit ignis deuotionis, quam habeat vim ad spiritualia hæc sacrificia offerenda, quibus lignis in oratione sit nutriendus, de quibus, quod res prolixior sit, in proximo capite dicemus.

CAPVT XI.

IN QVO SVBSTANTIALIS SENSIBILISQVE Deuotio consistat, vnde oriatur, quibus medijs comparetur, & quo pacto suas offerat oblationes in Oratione.



DEVOTIO (vt ait Angelicus Doctor) nihil est aliud, quàm voluntas quædam promptè tradendi se ijs, quæ pertinent ad Dei obsequium: sicut qui seipsum dicat, offertq; ad eadem valdè iucundè, expediteq; præstanda, absq; repugnantia, tædio, siue tristitia ipsius voluntatis: ad eum modum, quo Israelitæ, a *obtulerunt mente promptissima atq; deuota, primitias Domino*: ita vt cum Dauide dicere liceat: b *Paratũ cor meum, Deus, paratum cor meum.* Est videlicet paratum, ad amplectendum & executioni mandandum quicquid tibi placet; detestandum verò & fugiendũ quicquid displicet; offerendumq; quicquid à me petieris; & ad quemuis laborem ferendum, quem mihi miseris, aut permiseris.

2. 2. q. 82. art. 1.

a *Exod. 35. 22.*

b *Psal. 56. 8. & Psal. 107. 2.*

SED quia anima nostra, miseræ huic carni est immersa, ab ea prodeunt crudeles nouercæ contra hanc deuotionem.

PRIMA est debilitas ipsius carnis, quæ valdè lassatur seruiendo spiritui; & ex propria propensione appetit quietem: ob quam causam Christus Dominus noster, cùm suos Apostolos ad vigilandum & orandum hortaretur, dixit: c *Spiritus quidem promptus est: caro autem infirma.*

c *Matth. 26. 41.*

ALTERA est vehemens sensualitatis & appetitionum sensuum inclinatio, quæ passionibus suis voluntati aduersantur; vellentq; illam post

ſe trahere: ex quo repugnantiæ proueniunt, timores & tędia, quæ in inferiori animæ parte inueniuntur: quamuis in ſuperiori parte, deuotionem habeat ac promptitudinem. Quod ipſum apertè indicant illæ Apoſtoli querelæ, cùm dicit: d *Condelector enim legi Dei, ſecundum interiorem hominem. video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati. Igitur ego ipſe mente ſeruio legi Dei, carne autem legi peccati,* vel reluctante ipſo ſpiritu.

d Rom 7. 22.

His tertium accedit impedimentum, inclinatio ſcilicet naturalis, ipſius animæ, & voluntatis eius, quæ ipſam inclinat, ad hanc cum ſua carne vnionem conſeruandam, talem qualem; ac proinde ad attendendum ſaluti ac vitæ ſuę, & reliquis quæ ad eam pertinent: ſicut dixit Apoſtolus. e *Nemo vnquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fouet eam.*

e Epheſ. 5. 29.

Ex his efficitur, vt ſubſtantialis deuotio ſolum conſiſtat, in promptitudine voluntatis & ſpiritus, partiſq; ſuperioris animæ; tanta vi & fortitudine, vt opus ſuum integrè perficiat, etiam carne & ſenſualitate repugnanter conculcando videlicet prauas eius inclinationes, vt obediat Deo: ſicut Chriſtus Dominus noſter in nocte ſuæ paſsionis, non attendens ad timores & triſtitias ſuæ carnis, & naturalem ſuam voluntatem; ſed per hæc omnia perrumpens, obtulit ſe ad bibendum calicem ſuæ paſsionis, exiens illis obuiam, qui ad ipſum comprehendendum venerant; & ſanctum Petrum reprehendens, qui id impedire tentabat. Quare ſimul erat triſtis, ac deuotus; timens, & magno animo: cum tædio ſimul & promptitudine; cum agonia & fortitudine. primum quidem in parte inferiori ſentiebat; alterum in ſuperiore ſpiritus parte; alterum opus erat naturæ, quod in nobis ſolet eſſe violentum: alterum erat opus liberæ voluntatis. Ideoq; in eo conſiſtit vera virtus deuotionis; quæ non poteſt eſſe ſita in re noſtræ libertati non ſubjecta; nullus enim nobis inuitis, ſpoliare nos poteſt virtutibus, nec gaudio cordis, quod ex eis naſcitur.

Sed quoniam hæc contrarietas, inter carnem & ſpiritum, valdè eſt moleſta, ſoletq; valdè impedire ſubſtantialis deuotionis opera: diſponit Deus D.N. interdum, vt hæc ita in ſuperiori animæ parte creſcat, & exuberet, vt etiam ad inferiorem partem totumq; corpus deriuetur, ita vt (ſicut dixit Dauid) f *cor & caro exultent in Deum viuum.* Ignis enim ardens in corde, conſumit repugnantias tædiaq; carnis; redditq; ſpiritui ita conformem, vt vnà eructent eoſdem affectus; ſimulq; de bono gaudeant, ac triſtentur de malo; ament virtutem, & vitia deteſtentur; currant cum gaudio & abſq; laſſitudine, valdeq; promptè ac feſtinanter in rebus obſequii diuini.

f Pſal. 83. 3.

Deuotio ſenſibilis.

Et huiuſmodi deuotionem, vocamus Sensibilem, cuius excellentia ſuauitaſq; tanta eſt, vt, quamdiu durat, reſtituat nos quodammodo felicitati

ſtatus

ſtatus innocentiæ; tribuens appetitui ſenſuum & carni, magnam promptitudinem, lætitiamq́; ad id omne, quod Deo placet, iuxta dictamen directionemq́; ſpiritus, cui illa ſe dedit, & cui coniuncta eſt, eo modo, quo Regius Propheta dixit: g *Tu verò homo, vnanimis, dux meus, & notus meus, qui ſimul mecum dulces capiebas cibos: in domo Dei ambulauimus cum conſenſu*, nobis ſc. inuicem conſentientes. Quis (inquit Richar.) hic homo eſt? niſi exterior, qui interiori coniungitur, & vnam vterq; animam habet; quæ dat illis vitam; ſeq; inuicem, vt valdè amicos, agnoſcunt; ob naturalem, quam inter ſe habent, vnionem; licet externus homo interiorem ducat, quatenus ſuis ſenſibus, viam illi aperiat, ad res ſpirituales ac diuinas cognoſcendas? Hi duo homines, qui ex iis, quæ cuiuſq; propenſioni ſunt propria ſolent inuicem aduerſari; eò per Dei gratiam, & virtutem deuotionis perueniunt, vt ſimul valdeq; coniuncti, ambulent in domo Domini prompti & parati, cum exultatione magna, ad id omne, quod ipſe præcipit. Interior enim homo, participem facit exteriorem, dulcium ciborum ſuorum. ſicut dixit Iob, h *ſi comedi buccellam meam ſolus*: neq; enim interior homo, ſibi ſoli retinet deuotionem; ſed bonam eius portionem tribuit carni, vt & illa eo cibo alatur, reddaturq́; fortis & conſtans, in obſequio Dei ſui, qui ita diuinum hoc i *vnguentum* effundit *in capite Aaron, vt deſcendat in barbam*, & per ipſum *veſtimentum vſq; ad oram* eius, vngendo ſcilicet ſpiritum & appetitus, corpus & ſenſus; vt omnes ſint participes pretioſiſsimi vnguenti deuotionis ac lætitiæ, quæ reſplendet in ipſo faciei vultu, & in omnibus greſsibus ac motibus corporis: & tunc experientia diſcitur, quod ſuaſit Dauid: k *delectare in Domino; & dabit tibi petitiones cordis tui*, quia vehementer illi placent, inſtar muſicæ, ex multis concordibus vocibus concinnatæ. Sicut è contra, oratio ſine deuotione (teſte S. Laurent. Iuſtin.) eſt inſtar muſicæ vocum diſſonantium. Nam cogitatio it huc, affectus verò illuc; nec imaginatio concordat cum ratione, nec appetitus cum voluntate. quod ſi noſtra culpa eueniat, oratio noſtra diſplicet Deo: ſi autem ſine culpa, nobis eſt inſipida: vtroq; autem nomine contendendũ nobis eſſet pro virili, hanc concordiam habere, quæ adfert deuotionem: vt præceptum illud amoris, nobis commendat, dicens: l *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis.* Quod (vt ſanctus Thomas declarat) non aliud eſt, quam præcipere, vt Deum diligamus voluntate noſtra, appetitu ſentiendi, intellectu, imaginatione, & omnibus facultatibus corporis, ac ſenſibus, ita vt omnes concordent, & conueniant, ad eum amandum, eiq́; ſeruiendum, vt magna promptitudine totus homo, interior & exterior, in hoc occupetur: ſiquidem totus eſt Dei; creatus, vt ſe totum diuino obſequio traderet, ac manciparet.

g *Pſ.* 54. 14.
Lib. 2. *de contempl.* c. 7.
h *Iob.* 31. 17.
i *Pſ.* 132. 2.
S Bonau. Opuſc. de 8. *Collat. in col.* 6.
k *Pſal.* 36. 4.
In ligno vitæ, tract. de Orat. c. 6.
l *Deut* 6. 5. *Math.* 21. 37. *Mar.* 12. 29 *Luc.* 10. 27 *S Thom.* 2. 2. *q.* 44. *a.* 52.

Ex his apparet, virtutem deuotionis coniunctam huic amori, ex quo illa tanquam ex fonte oritur, prospicere nobis de omnib. affectibus, propositis, donis, ac muneribus, quæ Deo in oratione offeramus, eo modo, quo diximus. Illa thesauros aperit animæ, vt aurum, thus, & myrrham offerenda depromat; illa virtutem pœnitentiæ aduocat, vt corde contrito & humiliato Deum placet: obedientiam vocat, gratitudinem & reliquas virtutes, vt heroicos suos actus, in conspectu Dei proferant; & ipsam quoq; religionem, vt sacrificia offerat, quæ Dauid m *Medullata* appellat, afflictione scilicet spirituali, magnoq; spiritus feruore plena. Illa deniq; nobis suggerit omne genus verborum, ad colloquendum cum Deo: quamobrem S. Bernardus, animæ linguam eam appellat. Et ea vtitur Spiritus S. vt igneis linguis nos loqui faciat. Et in eum finem suadet nobis Apostolus, vt eam comparare studeamus, cùm dicit: n *implemini Spiritu S. loquentes vobismetipsis in Psalmis & hymnis & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino gratias agentes semper pro omnibus*. O felicem illam animam, quam spiritus diuinus, hac deuotione replet, expeditamq; facit, in phrasi & idiomate suo, non terreno, sed cœlesti; non humano, sed diuino; non tam verbis externis, quàm internis: dum colloquitur nunc secum ipsa, nunc cum Angelis & Sanctis, nunc deniq; cum ipsomet Deo; cui adeò arridet, vt eam incitet ad loquendum, dicens: o *Sonet vox tua in auribus meis. vox enim tua dulcis*, & iucunda est. Tua sunt, Deus meus, hæc omnia dona, & à te in nos proueniunt; tua est deuotio, quæ linguas nostras mouet; tuus ignis, qui illas adeò reddit inflammatas; tu efficis in ratione viuendi, p *vnius moris*, eos, *qui habitant in domo* tua; coniungens carnem & spiritum, exteriorem & interiorem hominem, ea deuotione, quam illis communicas. Tua est q *vnctio, quæ docet de omnibus*; efficitq; vt hi duo r *fratres habitent in vnum in domo* tua, magna concordia, & *iucunditate*. Concorda tu illos Domine in me, vt cum quiete orare possim: dona mihi quod tibi offerã: quia absq; te, nihil habeo quod tibi dem: accipe cor, quod à me petis; da verò mihi dona tuæ gratiæ, quæ ego peto. Amen.

m Psal. 65. 15.
S. Bern. Serm. 45. in Cant.
n Eph. 5. 18. Colos. 3. 16.
o Cant. 2. 14.
p Psal. 67. 7.
q 1. Ioa. 2. 27.
r Psal. 132. 1.
Prouer. 23. 26.

§. I.

DECLAREMVS nunc diligentiam, quam possumus, ac debemus in oratione adhibere, ad supremum hoc donum impetrandum; & ignem hunc ita accendendum, vt ardeat, eiusq; flamma vsq; ad cœlum ascendat. *Præmittimus* tamen, Deum D. N. altero è duobus modis gratiam deuotionis communicare. *Alter* est per semetipsum tantum, nulla præcedente causa, aut particulari diligentia ex parte nostra: vt sic (teste S. Laurentio Iustiniano) magnitudinem misericordiæ suæ ostendat, in excitanda te-

S. Thom. Climacus 7. De discipl. Monast. cõuers. 1. 18. S. Tho. 1. 2. q. 6. a. 6.

piditate nostra, & animanda pusillanimitate, superbia verò nostra retundenda, manifestando nobis, quam parum possimus in his donis acquirendis: ac denique vt eius omnipotentiam cognoscamus qua ingreditur animæ nostræ domum pro suo libitu, sicut ſ *ingressus est in cœnaculum, foribus clausis,* priusquam nos libero nostro consensu, nostrave dispositione illas aperiamus. Statim verò, atque nostras potentias ingreditur, dicit, Pax vobis; moxque illæ tranquillantur, & intellectum splendoribus implet: voluntatem, & appetendi facultates, feruentibus affectibus: corpusque ipsum, magna fortitudine ac lætitia: in cordis verò altari ardet amoris ac deuotionis ignis, nullo alio lignis illum fouente: quia ipsemet Deus accendit illum, ac nutrit; prospicitque de omnibus necessariis ad sacrificium & holocaustum offerendum. Suggerit enim memoriæ ea, quæ offerat; voluntatem permouet, vt velit offerre: & tunc (inquit sanctus Ioannes Climacus) opportunum est tempus prolixius orandi: quia ipsemet Deus ad id inuitat, concedens orationis donum; cuius in cap. 4. mentio facta est.

ſ *Ioan. 20. 19. & 26.*

Gradu 9.

ALTER modus, quo Deus D. N. deuotionis gratiam communicat, est per ipsam meditationem & contemplationem: cùm scilicet considerantur infinitæ eius misericordiæ, & innumeræ nostræ miseriæ: horum enim duorum consideratio (teste S. Thoma) diuinum hunc ignem accendit, & quò consideratio attentior est, ac profundior, in humilitate & sinceritate; eò amplior excitatur flamma; vt enim ait Ecclesiasticus, t *secundum ligna siluæ sic ignis exardescit.* Et sicut ignis iræ aut amoris proprij, ardet secundum ligna rationum & considerationum, quibus illa innititur; ita deuotionis & amoris diuini ignis plus ardet, aut minus, secundum qualitatem sanctarum u *meditationum,* quæ ligna sunt, quibus illa fouetur & alitur, accedente Spiritu S. diuinæ suæ inspirationis flatu, vt cito ignis concipiatur, flammaque excitetur. Nam, vt tempore Nehemiæ postquam sacerdotes composuissent sacrificia & ligna, x *tempusq; adfuit, quo sol refulsit, qui prius erat in nubilo,* repentè *accensus est ignis magnus,* qui sensim *Sacerdotibus orationem facientibus, sacrificium consumebat:* Ita nobis incumbit, modum orandi discere, & considerationum ligna quærere, eaque in altari cordis collocare, etiamsi obscurum adhuc & nubilum sit, innitentes tamen fidei & auxilio Dei, ad quem tanquam ad solem spectat, vultum suum cùm libuerit aperire, ac deuotionis ignem accendere, quæ in mediis hisce considerationibus ferueat, nosque oblectationibus & affectibus ineffabilibus ad orandum permoueat. Obseruandum est tamen, quod sicut ignis, non tam lignorum multitudine alitur, quàm eorundem qualitate, sicca nimirum, & aptè compositis: nam multa si sint viridia, aut ineptè composita, potiùs ignem suffocant: Ita Deuotionis ignis non accenditur multitudine discursuum, ab his in illas veritates inordinatè saltando; nec valdè subtilibus ac delicatis meditationibus,

2. 2. q. 82. art. 3.

t *Eccl. 28. 12*

u *Psal. 38. 4*

x *2. Mach. 1. 21.*

S. Laur. Inst. vbi supra.

Simile.

quibus multum ineſt illecebræ curioſitatis,ac ſuperbię:his enim potiùs ſuffocatur parua illa deuotio, quæ prius erat. Propter quam cauſam peritiſsimi homines(vt ait Doctor Angelicus)ſolent minus eſſe deuoti,quos curioſitas effundit,ſcientia inflat,& excæcat ſuperbia:ſinceri verò & humiles,etiamſi imperiti ſint,magis ſunt deuoti:quia ſeriò ſe tradunt Deo;maiorique puritate,diuina myſteria conſiderant non multis adhibitis diſcurſibus, ſed moderatis,ac ordinatis in eum ſolum finem,vt voluntatem permoueant,& ad Dei guſtum alliciant: argumentum eligentes ad id aptiſsimum, iuxta ipſius meditantis inclinationem & facultatem.

Prima cauſa deuotionis. 1. ALIQVI enim inueniunt aquam deuotionis, dum in terra ſuarum miſeriarum fodientes,valdè profundè deſcendunt, in propria cognitione. Sic enim emolliuntur &quaſi tenereſcunt,ſenſu malorum ſuorum,& ſtatim deuoto promptoque animo ſe dedunt,vnico ſuo auxiliatori, qui eſt Deus. Et quamuis putealis aqua non ſoleat eſſe adeò pura,atque pluuialis, quæ de cœlo deſcendit;prodeſt tamen ad irrigandam aridam cordis terram,& eius deſideriorum ſitim mitigandam.

2. ALII inueniunt aquam deuotionis y *in fontibus Saluatoris*, quæ ſunt myſteria ſacratiſsimæ eius vitæ,paſsionis ac mortis, de quibus attentiſsimè cogitant,vtpotè noſtro captui valdè proportionatis.Ideoque ex z *petra*; *qui eſt* a a *Chriſtus*,*virga* noſtrorum diſcurſuum & cogitationum *icta*, *erumpere* facilè ſolet pretioſa hæc *aqua*,quæ ſequitur nos, comitaturq́; in deſerto huius vitæ,ſitim noſtram ſatiando,donec ſaliat,noſq́; ſecum deducat ad vitam æternam.Ex eadem porrò b b *petra* eadem *virga* percuſſa, *exit quoque ignis*, qui ſacrificium incendit,& holocauſtum exurit, quod offerre deſideramus in ipſa oratione:omnia enim hæc in veteri lege contingebant in figura eius, quod nobis ſpiritualiter euenit in lege noua.

3. ALII denique aquam deuotionis inueniunt, in fonte ipſius diuinitatis, &in montibus altiſsimorum eius myſteriorum.Nam c c *ſuper montes ſtabunt aquæ*,& *fontes*,*qui* etiam *ad conualles deſcendunt* in quibus myſteriis dum altius foditur,peruenitur ad cœleſtem hanc aquam, veraque lætitia obtinetur.Quamuis aliquibus eadem aqua,ita ſit obuia,& in promptu, vt vel leuiter fodientes,eam inueniant; ſicut idem Dauid fatetur dicens: d d *Memor fui Dei*, *& delectatus ſum*. Sic inſinuans hac ſola Dei memoria ſe permotum ad deuotionem,quæ lætitiam illi attulerit.Et ipſemet Seruator noſter viuæ ſuorum myſteriorum fidei, attribuit abundantiam huius adeò diuinæ aquæ, dicens: e e *Qui credit in me*,*ſicut dicit Scriptura*, *flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ*,additque ſanctus Ioannes: *Hoc dixiſſe* Chriſtum *de Spiritu*, *quem accepturi erant credentes in eum*: non ſolùm vt ſancti eſſent, ſed feruentes etiam ac deuoti. & non dixit,flumen, ſed flumina: innumeri enim ſunt affectus deuotionis,qui ex hac viua fide profluunt, cum firmis propo-

[Marginal notes: ...c. ad 3. | y Iſa.12.3. | S. Tho. vbi ſupra ad 2. | z Exod.17.6 | a a 1 Cor.10.4. 11. | b b Iudic.6.21. | c c Pſal.103.6. 10. | d d Pſal.76.4. | e e Ioan.7.38.]

ſitis in omni genere virtutum, quæ interdum multa quoque eaque copioſa producunt lachrymarum flumina, de quibus infrà dicetur. Quamuis abſque lachrymis externis, affectus ipſi ſint flumina interna, quæ fluunt ex inuiſibili & infinito fonte ipſo videlicet Spiritu S. qui ob Seruatoris merita datur. O Spiritus diuine, qui es aqua viua, igniſque conſumens; & credentibus ſicut fons aquæ, igneæque linguæ communicaris, veni in cor meum; vt, quà es aqua, illud laues, ſaties, irriges, ac fœcundes; quà verò ignis, illud purifices, inflammes, illuſtres, ac doceas linguis amoris loqui. O Redemptor dulciſsime, petra viua, ex qua fluunt aquarum flumina, & ignis flammæ, doce me, ita myſteria tua meditari, vt hauriam aquam & ignem, quæ in illis eſt. Cap. 18.

§. 2.

IN huiuſmodi colloquiis eſt & aliud medium, quo ſolet citiùs gratia deuotionis obtineri, quàm ratiocinationibus: loquentibus enim cum ipſomet Deo, qui primus eſt fons deuotionis, eam demiſsè petentibus, citius communicat: quia ipſe dixit: ff *Petite & accipietis, quærite & inuenietis.* Ponit autem primo loco petitionem, quia facilius impetratur, quod orationibus petitur, quàm quod quæritur meditationibus. Eſto memor eius, quod refert ſcriptura de gg *filia Caleb, quæ pergens cum Patre ſuo, ſuſpirauit: cui Caleb, quid habes, inquit: at illa reſpondit: da mihi benedictionem: terram auſtralem & arentem dediſti mihi*, quam Solis calores exſiccant: *iunge & irriguam; deditq; ei Caleb irriguum ſuperius & inferius.* O anima veræ deuotionis cupida, ſi ingreſſa ad conſpectum Patris tui cœleſtis, terram conſiderares, quæ ſorte tibi contigit, & experientia diſceres, animam tuam eſſe terram aridam & ex ſeipſa abſque aqua deuotionis, & oppugnatam ab ardoribus cupiditatum, quæ magis adhuc illam exſiccant, & inutilem reddunt, mitteres proculdubio tua ſuſpiria ad cœlum, diceresſque cum Dauide: hh *Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi. Velociter exaudi me, Domine, quia defecit Spiritus meus:* da mihi cœleſtem aliquam benedictionem, quæ me refrigeret; commuta terram hanc aridam & ſterilem in irriguam aliam, quæ fructus proferat benedictionis. Quod ſi in hac petitione cum feruore perſeueres, quoniam pater tuus cœleſtis adeò eſt miſericors, commiſeratione tuæ ſiccitatis & miſeriæ permotus, dabit tibi irriguum ſuperius & inferius. Irriguum ſuperius eſt aqua deuotionis, quam ipſe dat per ſeipſum, & (vt ait Dauid) ex alto illam demittit: ii *etenim cœli diſtillauerunt à facie* & præſentia *Dei Sinai à facie Dei Iſrael,* inſtar pluuiæ ſpontè decidentis, quia kk *montes* ipſos *irrigat,* adeoque fœcundos reddit, vt terram ſuis fructibus ſatient. iis enim, qui in perfectione alti ſunt montes, tali genere pluuiæ indulget Deus, idque frequentiſsimè: quia indulget tanquam filiis

ff Matt. 7. 7.
gg Ioſue 15. 19. Iudic. 1. 15.
hh Pſ. 142. 6.
ii Pſal. 67. 9.
kk Pſal. 103. 13.

...c. ad 3. quibus multum ineſt illecebræ curioſitatis,ac ſuperbię:his enim potiùs ſuffocatur parua illa deuotio, quæ prius erat. Propter quam cauſam peritiſsimi homines (vt ait Doctor Angelicus)ſolent minus eſſe deuoti,quos curioſitas effundit,ſcientia inflat,& excæcat ſuperbia:ſinceri verò & humiles,etiamſi imperiti ſint,magis ſunt deuoti:quia ſeriò ſe tradunt Deo;maiorique puritate,diuina myſteria conſiderant non multis adhibitis diſcurſibus, ſed moderatis,ac ordinatis in eum ſolum finem,vt voluntatem permoueant,& ad Dei guſtum alliciant : argumentum eligentes ad id aptiſsimum, iuxta ipſius meditantis inclinationem & facultatem.

Prima cauſa deuotionis. 1. ALIQVI enim inueniunt aquam deuotionis, dum in terra ſuarum miſeriarum fodientes,valdè profundè deſcendunt, in propria cognitione. Sic enim emolliuntur &quaſi tenereſcunt,ſenſu malorum ſuorum,& ſtatim deuoto promptoque animo ſe dedunt,vnico ſuo auxiliatori, qui eſt Deus. Et quamuis putealis aqua non ſoleat eſſe adeò pura,atque pluuialis, quæ de cœlo deſcendit;prodeſt tamen ad irrigandam aridam cordis terram,& eius deſideriorum ſitim mitigandam.

2. ALII inueniunt aquam deuotionis y *in fontibus Saluatoris*, quæ ſunt myſteria ſacratiſsimæ eius vitæ,paſsionis ac mortis, de quibus attentiſsimè cogitant,vtpotè noſtro captui valdè proportionatis.Ideoque ex z *petra; qui eſt* a a *Chriſtus,virga* noſtrorum diſcurſuum & cogitationum *icta, erumpere* facilè ſolet pretioſa hæc *aqua*,quæ ſequitur nos, comitaturq; in deſerto huius vitæ,ſitim noſtram ſatiando,donec ſaliat,noſq; ſecum deducat ad vitam æternam.Ex eadem porrò b b *petra* eadem *virga* percuſſa, *exit quoque ignis*, qui ſacrificium incendit,& holocauſtum exurit, quod offerre deſideramus in ipſa oratione:omnia enim hæc in veteri lege contingebant in figura eius, quod nobis ſpiritualiter euenit in lege noua.

(Marginal notes: y Iſa.12.3. Tho. vbi ſupra ad 2. z Exod.17.6 a a 1 Cor.10. 11. b b Iudic.6. 21.)

3. ALII denique aquam deuotionis inueniunt, in fonte ipſius diuinitatis, &in montibus altiſsimorum eius myſteriorum.Nam c c *ſuper montes ſtabunt aquæ,& fontes,qui* etiam *ad connalles deſcendunt* in quibus myſteriis dum altius foditur,peruenitur ad cœleſtem hanc aquam, veraque lætitia obtinetur.Quamuis aliquibus eadem aqua,ita ſit obuia,& in promptu, vt vel leuiter fodientes,eam inueniant; ſicut idem Dauid fatetur dicens: d d *Memor fui Dei,& delectatus ſum.* Sic inſinuans hac ſola Dei memoria ſe permotum ad deuotionem,quæ lætitiam illi attulerit.Et ipſemet Seruator noſter viuæ ſuorum myſteriorum fidei, attribuit abundantiam huius adeò diuinæ aquæ, dicens: e e *Qui credit in me,ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ,*additque ſanctus Ioannes: *Hoc dixiſſe* Chriſtum *de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum*: non ſolùm vt ſancti eſſent, ſed feruentes etiam ac deuoti. & non dixit,flumen, ſed flumina : innumeri enim ſunt affectus deuotionis,qui ex hac viua fide profluunt, cum firmis propo-

(Marginal notes: c c Pſal.103. 10. d d Pſal. 76. 4. e e Ioan.7. 38.)

ſitis in

ſitis in omni genere virtutum, quæ interdum multa quoque eaque copioſa producunt lachrymarum flumina, de quibus infrà dicetur. Quamuis abſque lachrymis externis, affectus ipſi ſint flumina interna, quæ fluunt ex inuiſibili & infinito fonte ipſo videlicet Spiritu S. qui ob Seruatoris merita datur. O Spiritus diuine, qui es aqua viua, igniſque conſumens; & credentibus ſicut fons aquæ, igneæque linguæ communicaris, veni in cor meum; vt, quà es aqua, illud laues, ſaties, irriges, ac fœcundes; quà verò ignis, illud purifices, inflammes, illuſtres, ac doceas linguis amoris loqui. O Redemptor dulciſsime, petra viua, ex qua fluunt aquarum flumina, & ignis flammæ, doce me, ita myſteria tua meditari, vt hauriam aquam & ignem, quæ in illis eſt. Cap. 18.

§. 2.

IN huiuſmodi colloquiis eſt & aliud medium, quo ſolet citiùs gratia deuotionis obtineri, quàm ratiocinationibus: loquentibus enim cum ipſomet Deo, qui primus eſt fons deuotionis, eam demiſsè petentibus, citius communicat: quia ipſe dixit: ff *Petite & accipietis, quærite & inuenietis.* Ponit autem primo loco petitionem, quia facilius impetratur, quod orationibus petitur, quàm quod quæritur meditationibus. Eſto memor eius, quod refert ſcriptura de gg *filia Caleb, quæ pergens cum Patre ſuo, ſuſpirauit: cui Caleb, quid habes, inquit: at illa reſpondit: da mihi benedictionem: terram auſtralem & arentem dediſti mihi*, quam Solis calores exſiccant: *iunge & irriguam; deditq; ei Caleb irriguum ſuperius & inferius.* O anima veræ deuotionis cupida, ſi ingreſſa ad conſpectum Patris tui cœleſtis, terram conſiderares, quæ ſorte tibi contigit, & experientia diſceres, animam tuam eſſe terram aridam & ex ſeipſa abſque aqua deuotionis, & oppugnatam ab ardoribus cupiditatum, quæ magis adhuc illam exſiccant, & inutilem reddunt, mitteres proculdubio tua ſuſpiria ad cœlum, diceresque cum Dauide: hh *Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi. Velociter exaudi me, Domine, quia defecit Spiritus meus:* da mihi cœleſtem aliquam benedictionem, quæ me refrigeret; commuta terram hanc aridam & ſterilem in irriguam aliam, quæ fructus proferat benedictionis. Quod ſi in hac petitione cum feruore perſeueres, quoniam pater tuus cœleſtis adeò eſt miſericors, commiſeratione tuæ ſiccitatis & miſeriæ permotus, dabit tibi irriguum ſuperius & inferius. Irriguum ſuperius eſt aqua deuotionis, quam ipſe dat per ſeipſum, & (vt ait Dauid) ex alto illam demittit: ii *etenim cœli diſtillauerunt à facie* & præſentia *Dei Sinai à facie Dei Iſrael,* inſtar pluuiæ ſpontè decidentis, quia kk *montes* ipſos *irrigat*, adeoque fœcundos reddit, vt terram ſuis fructibus ſatient. iis enim, qui in perfectione alti ſunt montes, tali genere pluuiæ indulget Deus, idque frequentiſsimè: quia indulget tanquam filiis

ff Matt. 7. 7
gg Ioſue 15. 19. Iudic. 1. 15.
hh Pſ. 142. 6.
ii Pſal. 67. 9.
kk Pſal. 103. 13.

dilectis.ad quam pluuiam suscipiendam, ipsi etiam feruentibus suis laboribus & exercitiis se disponunt. Sed ego Domine, etsi fateor me esse montem, non tamen in sanctitate, sed in superbia sum mons, ideoque sicut ll *montes Gelboa*, mereor maledictionem; & ne *ros aut pluuia* de cœlo *veniat super me*. tu autem cœlestis pater, qui veræ m m *pluuia Pater* es, miserere mei, & visita aridum hunc montem irriguo isto superiori, vt copiosum fructum proferat. attende, quod n n *hæreditas tua* valdè *sit infirmata*: mitte ergo pluuiam, qua illa corroboretur, valdeque perficiatur.

ll 2. *Reg*. 1. 21.
m m *Iob*. 38 28.
n n *Psal*. 67 10.

DENIQVE licebit sperare, & minimum, petere irriguum inferius, gratiam scilicet deuotionis, quam DEVS Dominus noster communicat media nostra diligentia, dum audimus scilicet conciones, pios libros legimus, diuina mysteria meditamur, ac contemplamur, ea methodo & ratione, quæ in sequentibus tractatibus proponetur.

CAPVT XII.

DE QVATVOR MODIS ORANDI, ET CVM DEO colloquendi, quos ponit sanctus Paulus, & eorundem inter se ordine. Agitur hic de primo, qua glorificationem & laudes Dei, amoremq; & exultationem, de eius excellentiis complectitur.



INTER cæteros modos & formas orandi, & cum Deo D.N. agendi, celebriores sunt, quos indicat Apostolus, scribens ad Tim. dicens: a *Obsecro primum omnium fieri* OBSECRATIONES, ORATIONES, POSTVLATIONES, GRATIARVM ACTIONES, *pro omnibus hominibus: hoc enim bonum est, & acceptum coram Saluatore nostro Deo, qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*. In quibus verbis quatuor modos coniunxit orandi, valdè deuotos, quos SS. Patres diuersis explicant rationibus: illa videtur aptissima, quæ conformis est modis, 5. cap. recensitis.

a 1. *Tim*. 2. 1

S. Tho. 2. 2. q 83. a. 7. *Cass. coll*. 9. c. 11. D *Bern. serm. de* 4. *orandi modis*.

PRIMVS modus est, per modum glorificationis & laudis Dei, quem modum per excellentiam vocant ORATIONEM; quatenus in ea Spiritum nostrum eleuamus ad glorificandum Deum, ob eius magnalia & excellentias.

SECVNDVS modus est, per gratiarum Actionem, ob accepta ab eo beneficia.

TERTIVS, per Petitiones aliorum beneficiorum.

VLTI-

VLTIMVS per obsecrationes, additis scilicet nominibus & causis, ob quas, quod petimus, nobis concedat.

OMNES autem quatuor hos modos, vult Apostolus applicari pro omnibus hominibus, cupiens, Deum ab omnibus glorificari, gratiasque agi, ob collata omnibus beneficia, Peti verò etiã pro omnibus, quod pro nobis petimus, vt omnes salui fiant. Et hac ratione, omnes hi modi orandi, erunt magis perfecti: quia à magis accensa charitate proueniunt, implentque exactius, quod cupit Deus. Et quamuis omnes quatuor possint eiusdem orationis tempore exerceri, vt illa omnes suas partes integrè habeat: non est tamen necessarium, omnes simul coniungere: sicut nec eo ordine exerceri, quo sunt collocati, siquidem ipsemet Apost. eosdem referens in aliis Epist. *Phil. 4. 5.* non eodem ordine retulit, sed quem in vno loco prius collocauit, in alio *Colos 4. 2.* collocat posterius: vt nobis significaret, licere cuiuis, ab eo modo & actu in- *1. Thess. 5. 17.* cipere, quem Deus inspirauerit, aut propria necessitas, vel deuotio dictauerit, sicut aduertit S. Bonauent. præclarè in hac materia exercitatus. Qui tamẽ *In Spec. discip. p. 2. c. 6.* nihilominus bonum esse ait, prædictum ordinem seruare, incipiendo scilicet à Dei laudibus, gratiasque pro collatis beneficiis agendo, & nostris necessitatibus propositis, culpisque cum dolore confessis, miseriarum nostrarum remedium tandem petendo. Quem ordinem refert S. Ioan. Climacus, *Gradu 28.* fuisse religioso cuidam ab Angelo reuelatum, vt in sua oratione seruaret. Eundem etiam ordinem suadet S. Ambrosius, & ante eum S. Basilius, dicẽs: *In Instit. ad Virg. De constit. monast. c. 10.* Ingenuam magis rationem esse cum Deo agendi, si ab eius laudibus incipiamus, profunda cum humilitate, ac reuerentia glorificando: postea verò gratias & beneficia petendo, quasi opere ipso protestemur, nos ob gloriã ipsius Dei potius ad orandum accedere, quàm ob commodum proprium: nosq; ad conspectum diuinum potius trahi lege gratitudinis, quam intuitu propriæ necessitatis, & hanc ob causam, in ipsa precatione Dominica, quã ipse Chri- *Matth. 6. 9.* stus Apostolos docuit, in qua septem præcipua capita posuit, de quibus cum Deo esset in oratione agendum, illud primo loco posuit, quod spectat ad sanctissimi eius nominis glorificationem. Sed quoniam valdè sumus imperfecti, nostræque necessitates valdè nos premunt, nobisque sunt valdè in oculis, Deus verò glorificatur dum eas ei commemoramus, earumque remedium petimus: securè possumus ab eis nostrum colloquium auspicari, facto ex eis gradu, per quem ad alia gloriosiora conscendamus: maximè quia, quocunque modo cum Deo loquamur, expedit, dulcem quandam harmoniam ex omnibus tribus contexere, nunc à primo ad vltimũ descendendo; nunc contrà ascendendo ab infimo ad supremum, vt mox apparebit.

§. 1.

INITIO itaque facto è primo orandi modo, cum scilicet vis colloqui cum Deo, eum laudando, & glorificando, animoque exultando; argu-

mentum huiusmodi colloquij esse debent magnalia omnia, quæ nos docet fides de ipso Deo trino & vno, ac de IESV CHRISTO Seruatore nostro, ab vna in alteram eius excellentiam, cum debita mora discurrendo: & in singulis exultando, quod tantam Deus habeat: inuitando etiam ipsos Angelos & Creaturas omnes, animamque tuam, cum eius omnibus facultatibus, vt eundem ob eandem excellentiam glorificent; optando tibi eam partem, cuius, ad eum magis glorificandum es capax: demittendo te ac dolendo, quod eam non habeas, si id tua culpa euenit: petendo eandem humiliter, vt sis perfectus sicut ipse perfectus est, & quia ita ipse vult. HAC ratione poteris quasi litaniam quandam conficere ex ipso Dei ESSE, eius Trinitate, Bonitate, Sanctitate: eius Sapientia, Omnipotentia, Charitate & Misericordia: eius Fortitudine, Patientia, Longanimitate, & Liberalitate: eius Prudentia, ac reliquis perfectionibus, quas habet. ITEM licebit aliam similem conficere de officiis, quæ erga suas creaturas præstat; quale est, officium Creatoris, Conseruatoris, Gubernatoris, & Protectoris: officium Patris, Magistri, Medici, Seruatoris, ac Glorificatoris: perpendendo in singulis, non tam bona & commoda, quæ ab eo accipis; quam magnitudinem & excellentiam, quæ in eis resplendet; quamuis non cederent in tuum commodum: de eisdem animo exultando, eumque ob eas glorificando, & inuitando creaturas, quæ iisdem bonis fruuntur, vt eum laudent, & glorificent, ob excellentiam, quam ipse ostendit, dum eis illa largitur.

Oratio laudis.

HVIVS orationis praxis hæc esse potest: Confiteor, Deus meus, quod sis quoddam Esse infinitum, æternum, immensum, incomprehensibile & ineffabile, principium rerum omnium, quæ habent esse, fons omniũ perfectionum, quæ inueniuntur in creaturis; per quem illæ totum suum esse & perfectionem habent; & sine quo omnia perderent. Exulto animo, quod tãtam habeas infinitatem: sit benedicta tua æternitas, glorificetur immensitas, omnes tuæ creaturæ te laudent, ob tuam incomprehensibilem bonitatem, ex qua illa oritur, quam ipsæ habent. O Deus ineffabilis, quomodo te laudabo ob excellentissimum esse, quod habes? siquidem, Domine, mihi dedisti esse quod habeo, quia ex meipso sum nihil, perfice illud gratia tua, vt perfectum sit, sicut tuum est perfectum. O Deus Trine & Vne, Pater, Fili, & Spiritus S. sit benedicta suprema tua Trinitas in personis, & indiuisibilis Vnitas in essentia: gaudeo, quod sis vnus Deus, vnum habens sensum, vnum velle, vnumq; operari cum summa vnione & amicitia, à qua illa procedit, qua tui sancti fruuntur in cœlo & in terra: ipsi ob eam te laudent, quam in te habes; & ob eam, quam illis cõmunicas: quis hoc mihi tribuat, vt & ego in omnibus meis cogitationibus & affectibus sim vnus tecũ, & propter te etiam cum omnibus, in eo gradu, quo tu vis, ita participans infinitam tuam vnionẽ, vt nunquam eius partem aliquam perdam. O Deus sanctissime, fons totius

sanctitatis, cuius comparatione, illa quam sancti habent, obscura est; laudo te propter illam, & exulto de ea, tuisque Seraphinis supplico, vt mei gratia renouent canticum, quod alias cecinerunt dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus virtutum, & illæ ipsæ te laudent & glorificent; seseque nobis communicent, qui degimus in terra, vt & ipsi laudemus te in ea, sicut qui cœlos iam incolunt. Amen.

Ex dictis intelliges, hunc orandi modum, omnium esse excellentissimũ, cuius fons finisque est, actus heroicus amoris Dei, qui proprius est viæ vnitiuæ, velle scilicet illi benè. quod non est desiderare illi aliquod bonum, quod in seipso non habeat; quia nullum illi deest: sed est complacere tibi & congaudere de bonis, quę Deus habet; & oblectari, quod ea habeat. ita exultando quod sit Deus, qui est, habeatque tot excellentias: vt, si qua illi deesset, (ita loqui liceat) & tibi esset liberum, eam illi dare, summa tua voluptate dares; vt eam habens, nulla illi deesset. Et si liberum tibi esset, quem velles Deum eligere, non alium, quàm ipsum eligeres, dicens cum Dauide: b *Dixi Domino, Deus meus es tu.* Et quamuis *bonorum meorum non indigeas*, si tamen indigeres, omnia illa tibi darem. Ex quo efficitur, actum hunc, medium esse efficacissimum, vt nostræ orationes exaudiantur. hoc enim significat illud Dauidis: c *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui:* quasi diceret, si delectaris in solo Deo, quod is talis sit, potiùs quam ob eius dona: ipse te eis replebit, quando hoc intuitu illa petieris. d *si manseritis in me*, & amore meo: *& verba mea in vobis manserint*, vt eis obediatis, *quodcunque volueritis petetis, & fiet vobis.* Et iterum, e *petite & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum.*

Eius finis est, Actus heroicus Amoris. Quis sit heroicus Amor.

b *Psal.* 1[…]

c *Psal.* 3[…]

d *Ioan.* 1[…]

e *c.*16. 2[…]

§. 2.

IDEM orandi modus exerceri etiam potest in alia materia nostræ fragilitati magis proportionata, nec minus ampla, virtutum scilicet, & excellentiarum Dei hominis facti: quæ etsi sint innumerabiles, reduci tamen ad septem præcipua mysteria possunt, quæ exprimuntur in septem articulis sanctissimæ eius humanitatis, de quibus Tract. 2. fusius dicetur. Per hæc omnia mysteria, licebit ab vno ad alterum discurrere, ipsum Seruatorem nostrum glorificando, ob eius excellentias, in eis relucentes, nunc ob hanc, nunc ob illam, & quamuis omnia illa sint beneficia in nos collata, in hoc tamen primo orandi modo, illa sunt inspicienda tanquam ipsius Dei magnalia; vt de eis, & propter ea, illum glorifices eo spiritu, quo id Angeli faciunt, pro quibus non est natus Christus pauper, nec passus mortem; nec fecit reliqua opera redemptoris: qui nihilominus eum propter illa magnalia laudãt, dicentes: f *Gloria in altißimis Deo.* & g *cum agnus aperuisset librum signatum sigillis septem, homines & Angeli* eodem spiritu illum laudarunt, *dicentes voce magna: Dignus es accipere virtutem, & diuinitatem, & Sapientiam, & Forti-*

f *Luc.* 2.
g *Apoc.* 12.

tudinem, & Honorem, & Gloriam, & Benedictionem, à nobis ſcilicet te laudantibus, ob tua adeò glorioſa facta. In hunc ergo modum cùm in oratione hæc myſteria, quæ antea ſigillis obſignata erant, tibi reuelantur, proiice te ad pedes Ieſu Chriſti, & canta coram eo cantica noua, & laudes, dicens: ô Saluator dulciſsime, animo exulto ob immenſam tuam charitatem & omnipotentiam, quæ in opere tuæ Incarnationis eluxit: glorificent te omnes, ob humilitatem & paupertatem, quam in tua ſancta natiuitate manifeſtaſti: ſit benedicta ſapientia & bonitas, quam in tua prædicatione oſtendiſti; laudent te millies omnes, ob heroicas virtutes quæ in tua paſsione & morte eluxerunt, gaudeo & exulto ob eam gloriam, quam in admiranda tua reſurrectione accepiſti, & qua nunc frueris in cœlo, ad dexteram Patris reſidens: adeoque exulto animo, ob iſta magnalia, quæ habes; vt ſi quod eorum tibi deeſſet; egoque poſſem illud tibi dare, omni procul dubio darem. Sit benedictus æternus tuus Pater, qui illa tibi adeò cumulatè dedit: fruere illis per totam æternitatem, ad tuorum electorum commodum & vtilitatem: fac me alicuius eorum participem, vt & ego te laudem & glorificem in æternum. Amen.

[Margin: Oratio laudis ad Christum.]

§. 3.

HINC licebit progredi ad alios tres modos Deum laudandi, valdè faciles ac deuotos.

PRIMVS eſt h *loquendo* (vt ait Apoſtolus) *tibimetipſi*, & teipſum exhortando ad colloquendum cum Deo, eum laudando *in Pſalmis & Hymnis, & in Canticis ſpiritualibus pſallens in corde tuo Domino*, cuius praxim mirè nos docet ſanctus Rex Dauid in ſuis Pſalmis, nunc ſecum loquendo: i *Lauda anima mea Dominum*: & ſtatim feruenti voluntate & propoſito id faciendi, ſibi ipſi reſpondet: *Laudabo Dominum in vita mea*: & adhuc parum hoc eſſe apud ſe oſtendens: *Pſallam*, inquit, *Deo meo quamdiu ero*. Et quoniam anima mea in æternum erit, ego illum in æternum laudabo; ſperans de eius miſericordia, me non ad infernum deſcenſurum, vti blaſphemant; ſed aſcenſurum in cœlum, vti ſemper & in æternum laudatorem. Aliàs ſeipſum fuſiùs ad id faciendum prouocans, dicit. k *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me ſunt, nomini ſancto eius.* Diſcurre itaque per omnes potentias, ſenſuſque animæ tuæ, & per omnes corporis tui partes; eaſque ad Deum laudandum prouoca, ob alias infinities excellentiores, quas ipſe habet eo modo, quo diuina ſcriptura illas ei attribuit; diceſque, Memoria, Intellectus, & Voluntas mea laudate Deum, & exultate ob infinitam memoriam, clariſsimum Intellectum, & Voluntatem, quæ in eo ſunt; Oculi & aures meæ glorificate Deum, ob oculos puriſsimos, & aures, quibus ipſe vos aſpicit, auditque. O vtinam brachia mea, & manus meæ, omneſque earum digiti, in linguas conuerterentur, quæ Deum laudarent, ob ea opera,

[Margin: Eph 5.19. Coloſ. 3.16. Pſal. 145.1 Pſal. 102.1]

quæ ab

quæ ab eius manibus procedunt. O vtinam l *omnia ossa mea dicerent: Domine, quis similis tibi*? Quia tu vnicus & solus es in tua magnitudine, dignissimus infinito honore, & gloria propter illam. l *Psal. 34. 10.*

Secundus modus Devm laudandi est, nomine omnium creaturarum, atq; si tu esses omnium illarum lingua, quarum defectum suppleres. Et siquidem illæ Devm laudant, quomodo possunt, ostendentes pulchritudinem, quam à suo Creatore acceperunt, sicut m *Cœli enarrant gloriam Dei.* Tu illum lauda lingua, quam à Deo accepisti, eas inuitando, ad eundem laudandum: hoc enim est teipsum inuitare & excitare, vt earum loco, eum laudes, discurrendo per præcipuas earum; cui rei aptè inseruit Canticum illud Danielis: n *Benedicite omnia opera Domini. Domino, laudate & superexaltate eũ in sæcula.* Laudent te, Deus meus, cœli & terræ, & nunquam à tuis laudibus cessantes, te glorificent. ô gloria mea, gaudeo, me posse esse linguam cælorum, omniumq; stellarum eius, & elementorum, omniumq; habitantium in eis; vt omnes tuæ creaturæ in me, & ego pro eis laudemus & glorificemus te, ob tuas infinitas excellentias, à quibus illæ procedunt, quæ in eis sunt. 2. m *Psalm. 18.* n *Dan. 3. 12*

Hinc licet tibi spiritu conscendere ad cælum, cuius viua imago est hic modus orandi, ibiq; intuere omnium beatorum exercitium, qui (vt ait S. Ioannes) o *non cessant die ac nocte dare gloriam, & honorem, & benedictionem & laudem Deo,* dicentes inuicem, p *Alleluia. Salus, & gloria, & virtus Deo nostro, Alleluia. Laudem dicite Deo nostro omnes serui eius, pusilli & magni; gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei*, quia infinitè dignus est ea, nec vllus ab hoc excusetur cantico: quia Deus vult ab omnibus laudari, & dulce hoc verbum *Alleluia* frequenter ab omnibus repeti, quæ vox significat *laudate Deum cum lætitia.* Discurre itaq; per nouem Angelorum choros; & mox per choros Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Virginum, & Confessorum, omnesq; ad laudandum Deum inuita, & oblectare, videns, quomodo id faciant, teq; ipsum illorum cœtui coniunge; dicens millies Alleluia, laudemus videl. Deum cum lætitia. Inuita quoq; omnes homines, qui sunt in terra, vt eundem tecum laudent, dicens illis cum Dauide: q *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipsum:* vt conspirantes omnes in hunc, eum laudandi modum, terram ipsam in cœlum conuertamus. O Deus infinite, sit benedicta immensa tua charitas, qua clementer dignaris, vt pusilli huius terræ te ita laudent, sicut magni in cœlo! Et si quidem r *non est speciosa laus in ore peccatoris*; nec solidi veriq; gaudij capax est anima subdita peccato; purifica nos tua gratia, quò te cum lætitia ita laudemus, sicut te Sancti laudant in gloria. Amen. 3. o *Apoc. 4.* p *& 5. & 7.* p *c. 19. 1. 5. 7.* *Ribera in Apoc. c. 19* q *Ps. 33. 14.* r *Eccl. 15. 9.*

CAPVT XIII.

DE FORMA ORANDI, ET CVM DEO LOQVENDI per gratiarum Actionem, varios gratitudinis actus pro beneficiis ab eo acceptis offerendo: qui modus ostenditur in quadam oratione Dauidis in extasi existentis.



MAGNAM hic modus, per gratiarum Actionem orandi, cum superiori similitudinem habet: siquidem & hic est etiam laus, & glorificatio quædam ipsius Dei, quamuis alio nomine, ob accepta scil. à liberalissima eius manu beneficia, quæ & numero & magnitudine sunt infinita. Quare amplissima est huius orationis materia, & altissima, diuinæq; Maiestati gratissima. Ad eam nos ipsemet exhortatur sæpè, per os Dauidis dicens: a *Nunquid manducabo carnes Taurorum, aut sanguinem hircorum potabo*? Nunquid hæc sacrificia me satiare poterunt? *immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua: sacrificium* enim *laudis honorificabit me, & illic iter est, quo tibi ostendam salutare Dei*. Atq; si diceret: Si honorare me vis, sicut ego volo, attende, me non tàm acceptare sacrificia mortuorum animaliũ, atq; sacrificia laudum, ob magnalia mea, & beneficia quæ contuli, dum scilicet mihi vota promissaq; offeruntur propter illa; hac autem via aperiam tibi in oratione mysteria, quæ aliàs non assequeris: impleboq; desideria salutis, quam quæris. Ei enim, qui gratum se exhibet, adaugeo ego gratiam; & *anima, quæ benedicit, impinguabitur*. Et te aperiente os, ad gratias pro acceptis beneficiis agendas, aperiam ego manus vt impleam te benedictionibus. Hinc est quod gratiarum actio pro acceptis beneficijs (vt ait S. Thomas) titulus quidam sit, quo Deus inclinatur & mouetur, ad noua, quæ petimus, concedenda. Quare præcedere debet ipsas petitiones, aut certè illis adiungi, vt exaudiantur, sicut dicebat Dauid; c *Laudans inuocabo Dominum, & ab inimicis meis saluus ero*. Et, cùm aliquod fidei mysterium meditamur inserendus hic affectus est cæteris, & in omnibus nostris actionibus horisq; diei frequentandus. Nam (vt S. Aug. dixit) quid melius corde cogitari potest, aut ore proferri, aut calamo scribi, quam hoc verbum, Deo gratias? Nullum certè breuius proferri potest, aut iucundius audiri, aut altius intelligi, aut fieri vtilius. Accedit, quod ad nihil aliud faciendum magis obstricti simus ob infinita nomina, quibus grati esse tenemur infinito huic benefactori, qui merè gratis, & cũ amore infinito confert infinita beneficia, iis qui etiam infinitè erant illis indigni, aut nullo omninò modo ea promereri poterant. Est itaq; æquissimũ, ingredi interdũ ad huius Dei conspectũ, ad

Basil. vbi [su]prà.

Psal. 49. 23.

Prou. 11. 5.

[2].2.q. 83. a[rt.] 7. in cor. & [a]d 3.

Psal. 17. 4.

[E]pist. 77.

collo-

colloquendum agendumq́; cum illo:non vt ille recentia conferat beneficia, ſed vt tu, ꝓ ante acceptis, gratias ei agas. *Primũ* aũt,à quo incipies,erit,eum laudare ob hoc ipſum beneficium, quod te ad ſuũ conſpectum admittat,vt gratias ei agere poſsis.Nam & hoc ipſo indignũ te exiſtimare debes.Et quoniam principium gratitudinis(teſteS. Thoma)eſt memoria retinere acceptũ beneficium,ex quo tres actus procedunt, ipſum ſcil.beneficium magnificare,benefactorem laudare, & aliquid ei in recompenſationem offerre:in his omnib.ſtudere debes excellere,reuocando ſcil.*primùm* in memoriam,innumeram diuinorum beneficiorum multitudinẽ, ad duos ea ordines ſiue claſſes reuocando.Quædam enim ſunt naturæ, alia gratiæ;& in vtroq; inſpiciẽda ſunt primum generalia,poſtea ſpecialia:obſtrictum te agnoſcendo omnibus,nullo(vt ait ſanctus Bernardus)nec ex magnis,nec ex paruis prętermiſſo.minimum enim omnium ꝓpterea cenſendũ eſt maximum,quod,qui illud confert, ſit infinitus; conferatq́; infinito amore ei; qui illud non erat promeritus. *2.2.q.107. a.2.* *Serm. 51. in Cant.*

§. I.

SED quoniam de his beneficiis in ſexta parte Meditationum fusè actum eſt,hic tantum ſubijciemus Praxin cum Deo colloquendi, gratiaſq; ꝓ illis agendi. *Primum* ergo pro argumento iucundi huius colloquij & conuerſationis, licebit accipere beneficium vitæ, quam Deus tibi largitur,dicens illi: O Deus viuens, & vita, quæ ſemper viuis;fateor,me accepiſſe à te vitam, quam viuo; & ex ſola tua miſericordia, me ea, quamuis indignum frui. Benedicant tibi omnes viuentes, ob ipſam vitam,quam mihi largiris; & ego laudo te, millieſq; glorifico, quod eam mihi ſis elargitus;& millies millies, quod ad hoc vſq; momentum, eandem mihi conſeruaueris. Quid tibi,Domine,reddam pro hac vita, niſi eandem ipſam;eam itaq; promptiſſima voluntate tibi offero, eo animi decreto, vt non amplius mihi,ſed tibi viuam, tua voluntas erit vita mea, quam pro te tradere,erit mihi lucrum: rectum eſt enim,ad te redire,quod à te prouenit;teq́; cum illo in æternum glorificare. Amen. Oratio Gratiarum Actionis pro beneficio vitæ.

O DEVS infinite, Spiritus puriſsime, à quo anima mea ex nihilo fuit creata, te in ea exprimente imaginem & ſimilitudinem tuam: quas gratias tibi reddã pro tanto beneficio? Vnde hoc mihi,vt me ex abyſſo nihili educeres,innumeris alijs in eodẽ relictis? ſit benedicta æterna illa ſapientia,qua me nouiſti;bonitas,qua me dilexiſti;& omnipotentia,qua me creaſti.O gloria mea, ſiquidem ad tantam me altitudinem erexiſti, vt habeam tuam ſimilitudinem; perfice illam gratia tua, vt perpetuò quæram ego gloriam tuam. Quid pro hoc beneficio reddere tibi poſſum, niſi animam ipſam, quam mihi dediſti? En Domine, tibi eam offero, accipe illam,ſiquidem tua

eſt;

no visum fuerit, ea tibi subtrahere; magnum reputans beneficium, quemcunq; laborem de manu eius tibi euenientem, dicens cum Iob: f *Si tot bona suscepi de manu Dei, mala quare non suscipiam?* O Deus animæ meæ, tua sunt omnia bona, quæ habeo, satisq; magnum beneficium reputo, quod me permiseris eisdem vti toto tempore, quo illa habui. En eadem tibi reddo in gratiarum actionem, quod ea mihi dederis. Libens verò accepto afflictiones, quibus nunc premor, in gratiarum actionem, ob accepta prius beneficia. Affectus hic plurimum refert ad gratiarum actionem, ob redemptionis beneficia, quæ Christo D. N. immensis laboribus constiterunt, ideoq; à nobis non dissimilibus laboribus gratiæ sunt agendæ. f *Iob.* 2. 10

§. 2.

QVAECVNQVE hactenus diximus, videbis mirabiliter expressa in altissima quadam Dauidis Oratione, quam ipse EXCESSVM appellauit, eo quod cœlesti lumine accepto; extra se factus, supra seipsum eleuatus, agnouisset vanitatem & nihilum, quod omnes homines ex seipsis habēt; multitudinem verò beneficiorum, quæ diuina bonitas in hoc ipso homine & nihilo collocasset. Quidquid enim veri boni haberet id totum esse Dei beneficium, qui dedit. Cumq; hæc benè penetrasset, duo cœpit instituere colloquia, propria eorum, qui orant. Alterum secum, seipsum scilicet interrogando, sibiq; respondendo; Alterum cum ipso Deo, ab vno in alterum ascendendo. *Primum* itaq; summæ gratitudinis affectu seipsum interrogauit: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Quomodo gratias ei agam, ob collata in me beneficia? aliquid pro omnibus ita offerens, vt nullum sine gratitudine præteream, & siquidem ille mihi retribuit hæc beneficia, semel & sæpiùs noua reddens ob seruitia, quæ illi exhibebam, atq; si ego eadem illi præstare non tenerer; quomodo ergo multiplicabo munera, eiq; offeram, vt sim pro omnibus perfectè gratus? ad quam interrogationem ac desiderium, ipsiusmet Dei inspiratione respondit: *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Vota mea Domino reddam coram omni populo eius, pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. O Domine, quia ego seruus tuus & filius ancillæ tuæ.* Quibus verbis summatim complectitur, quæcunq; diximus, in quibus perfecta animi gratitudo ostendi potest. *Nam* ego (inquit) statuo, calicem salutaris mei accipere, quantumuis amaritudine & laboribus plenum, meipsum ad eos omnes pro Domino meo tolerandos offerens, quamuis in eis mihi sit moriendum: imò delector valdè, offerendo me, ipsius amore ad mortem, sciens pretiosam esse in eius oculis & cōspectu hanc oblationem? Volo itaq; ei offerre, quod ipse tanti facit. *Inuocabo deinde* sæpiùs sanctum Dei nomen, cantās perpetuò eius laudes, eiq; omnia bona tribuens, quæ mihi contulit, ipsius innitens potentiæ & virib. non meis; gloriam quæ-

a *Psal. 115. 11.* Ego dixi in excessu meo.
b *Greg. 22. Mor. c. 10.*
1.
2.

rens eius,non meam. *Vota* quoq; Domino reddam,& oblationem rerũ,quę
3. illi placent:idq; faciam coram omni populo eius,& vniuerso mundo; vt oẽs intelligant me honori mihi ducere,quod illi seruiam. Inter hæc aũt vota & sacrificia,præcipuum, quod illi offeram, ego ipse ero,tanquam verũ holocaustũ cũm omnib.quæcunq; habeo,etiam cum ipsa vita: siquidẽ *pretiosa est*
4. *in conspectu Domini mors sanctorum eius*: per quam sibi ipsis moriuntur, vt soli Deo viuant. O Deus & Domine mi,& quantum est si hoc totum,seruitij tui causa præstẽ,& gratitudinis, ob accepta à te beneficia? nihil me agere in hoc toto iudico,quia *seruus tuus sum ego, & filius ancillæ tuæ.* & hæreditate habeo, vt sim seruus tuus,& sicut serui gratis omninò seruiunt suis Dominis,nulla mercede petita:ita ego tibi seruire statuo,sicut seruus, nulla mercede quęsita:quia me seruũ inutilem reputo. & licet multũ laborem, non tamen plus præsto,quã debeam:siquidẽ infinitè me ad id faciendum obstrinxisti: Quia Dominus meus es,& tot in me bona contulisti. Hic excellentissimus est spiritus,quo agendum tibi est in oratione cum Deo, per gratiarũ actionẽ. Et si idem Dominus te in excessum eleuaret, sicut Dauidẽ, non esset tibi difficile sed valdè iucundum. Oẽs n.hi affectus sunt quasi excessus amoris,in diuinorum beneficiorum excessu fundati,de quibus Deus cum suis, & illi cũ Deo,
g *Luc.9.29.* in oratione agunt:sicut *cum* Christus D.N. *in monte* Thabor g *oraret,transfiguratus* fuit,*venientesq́; Moyses & Elias*, vt comites illi essent *colloquebantur de excessu,quem completurus erat in Ierusalem*: quem illi proponebant,non tãquam eius ignaro; sed vt laudes dicerent, milleq́; gratias pro tanto illo beneficio,ei agerent. O dulcis IESV, qui & audiebas, & loquebaris in tua oratione,de excessu amoris ac doloris, quem in tua passione, ob mei reparationem eras ostensurus: siquidẽ excessus hi tui, mea fuerunt beneficia: Ego me offero,vt calicem salutaris hauriam, quem tu hausisti, etiamsi ingens in eo sit mihi labor & dolor: vt pro modulo meo,ostendam gratitudinem,quam ob adeò excellens beneficium tibi debeo: da mihi,quæso Domine aliquem tuæ lucis,tuiq́; amoris excessum: qui me à meipso transferat totũ in te,& amẽ te plusquam me; seruiamq́; tibi tanquam seruus perpetuus,quamuis ex amore filiali.

Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.

VLTIMÒ perpende,non sine causa Dauidem,aduertentem spiritũ libertatis,quem in illo Excessu,à Deo acceperat,solutis vinculis & compedibus, quas habebat in corde, repetiuisse eandem gratiarum actionem,& laudis sacrificium;ac statuisse,eadem sæpiùs repetere: vt intelligas,quam frequẽs hoc exercitiũ tibi esse debeat, & quoties recens aliquod beneficium in oratione aut extra illam acceperis,renouandũ tibi esse affectũ gratitudinis: imò etiã propter hanc nouam lucẽ,quam dat tibi ad ipsum cognoscendũ,eiusq; dona æstimãda,proprias quoq; gratias illi agere debes. Ad q̃(ait Rich. de S. Vict.) nos exhortatur idẽ Dauid, cũ dixit: h *Buccinate in neomenia tuba,in insigni die*

Lib.2. de erudit. inter. hominis c. 3

h *Psal. 80. 4.*

solen-

solennitatis vestræ. Neomenia significat nouā lunam, eo quod ad eius initiū, festum illud concelebraretur.& quid aliud est noua luna, quæ recens incipit recipere lucem Solis, nisi noua illustratio, quā recipis à Sole iustitiæ, ad eundem cognoscendum, eiq;, vt par est, seruiendum. Statim ergo atq; lucē hanc acceperis, sonare debet musica laudis in gratiarum actionē eò, quod eam acceperis. Sicut Daniel statim atq; i *mysterium per visionem nocte* sibi *reuelatum est, benedixit Deum cœli,* dicens: *Sit nomen Domini benedictum, à sæculo & vsq; in sæculum.* i Dan. 2. 20.

De hac Dauidis oratione, agetur iterum in secundo Tractatu, vbi declarabitur cognitio vtraq;, nostrorum scilicet malorum, & bonorum, quæ in ea luce fundatur.

CAPVT XIV.

DE FORMA ORANDI, ET CVM DEO LOQVENDI per petitiones, aut earum insinuationem, & per obsecrationem adducendo titulos ex parte Dei, Christi Domini, Beatissimæ Virginis, & reliquorum Sanctorum.



ACCEDAMVS nunc ad eum, cum Deo colloquendi & agēdi modū, qui præ alijs, magis propriè vocatur ORATIO, qua ea petimus, quæ obtinere desideramus, & quib. indigemus: cuius materia est copiosissima, eò quod cōplectatur omnia mala & miserias, quas in hac vita vel in futura, aut patimur aut timemus; & bona omnia, quæ nobis desunt, & habere speramus in hac vel in futura vita. Ad hæc.n. duo capita reducuntur septem illa quæ Christus D.N. in precatione sua Dominica petere nos docuit, vt suprà fuit declaratum. Mala, quæ nunc habemus, (omissis ijs quæ spectant ad corpus, & omnibus patent) sunt ignorantia & obliuio Dei rerumq; diuinarum, peccata & vitia, carnis passiones, quibus obnoxij sumus, quæ eadem etiam in futuro timemus. Timemus item dœmonis tentationes, mundi pericula, desertiones Dei, mortis terrores, diuini iudicij seueritatem, inferni cruciatus. Bona, quæ nobis desunt, sunt lux cœlestis, diuina gratia, veræ virtutes, earumve augmentum & perfectio, feruor Spiritus, inspirationes Spiritus sancti; Deuotio, & animæ consolationes, visitationes Dei, protectio eius prouidentiæ, donum perseuerantiæ; & corona gloriæ.

In singulis aūt his bonis aut malis, quæ retulimus, alia multa continentur, quæ petitionum nostrarum sunt materia, postquam ea cognouerimus, & senserimus, cum ea Deo Domino nostro manifestamus, sicut faciebat Dauid, cum diceret: a *Effundo in conspectu eius orationem meam, & tribulationem meam ante ipsum pronuntio.* Ita enim Deus vult, statuitq;, vt a Psal. 14

omnes has miserias ei manifestemus; non, quò ille eas nouerit, cui semper sunt notæ; sed quò illas referentes, nos humiliemus; & hac ratione fateamur, nobis non suppetere vires, ad remedium eis afferendum; & quia humilitas hæc, & de nobis ipsis diffidentia, impellit nos ad orandum magnis affectibus & gemitibus.

Ac propterea solet ipse aliquandiu nos non audire, donec eas manifestauerimus, & nostrum defectum & impossibilitatem, ad eas reparandas, ipsa experientia didicerimus, ac propterea Matri suæ in nuptijs respondit. b *Nondum venit hora mea*; qua videlicet vinum miraculosè conuiuis daret. Necdum enim vini defectus erat manifestatus. Et, cùm c *cæcos ac leprosos* esset curaturus, interrogabat eos: c *Quid vultis, vt faciam vobis?* Vt illi necessitatem suam manifestarent. Nec voluit Lazarum resuscitare, donec tolleretur lapis sepulchri, & appareret corpus mortuum: ideo enim eos interrogauit, d *vbi posuistis eum?* atq; si diceret, ad oculum videre volo miseriam vestram; & vt omnes eam videant, ac defleant; agnoscantq; non esse in hominibus potestatem, ad eam reparandam.

b *Ioan. 2. 4.*
c *Mat. 20. 32. Marc. 10. 51.*
d *Ioan. 11. 34.*

MODVS & ratio hanc manifestationem & remedij petitionem faciendi, multiplex est, possunt tamen ad tres reduci, qui tribus illis modis respondent, quibus mystica Theologia (vt ait sanctus Dionysius) agit cum Deo: multis scilicet verbis, aut paucis, aut etiam nullis.

Lib. 1. de Myst. Theol.

§. 1.

De petitione quæ fit solis desiderijs.

PRIMVS itaq; modus petendi aliquid à Deo est, statim atq; magnam nostram miseriam agnouimus; eam in diuino conspectu ponere, cum incenso quodam desiderio eius reparationis: nullo tamen verbo prolato. Manifestatio enim interior nostrarum miseriarum, ipsumq; desiderium reparationis earum, verba sunt & sermones erga cœlestem nostrum Patrem. Qui (vt ait Dauid) e *desiderium pauperum exaudit.* Ideoq; satis sibi esse existimabat, cùm diceret, f *Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus.* Et S. Iob. g *Quis* (inquit) *mihi tribuet auditorem* & aduocatum, *vt desiderium meum audiat omnipotens?* In quam sententiam ait S. Gregorius, apud sacratissimas Dei aures, feruentia desideria valere pro clamoribus; quæ desideria si desint, quantumuis voce clames, censeberis tacere; quibus tamen accensis, etiam dum taces, clamas. Sicut Moyses nihil loquens orabat, cùm Dominus ei dixit: h *Quid clamas ad me?* Et S. Augustinus idem asserit: desiderium tuum (ait) est oratio tua; & semper desiderare, est semper orare: quicquid agas, si feruens habes Dei desiderium, semper oras, implesq; dictum Apostoli: i *sine intermissione orate.*

e *Psal. 9. 17.*
f *Psal. 37. 10.*
g *Iob. 31. 35.*
12 Mor. c. 13 & lib. 2. c. 4.
h *Exod. 14. 15.*
In Psal. 37.
i *1. Thes. 5. 17.*

& quò

& quò tuum desiderium feruentius erit, eò feliciorem habebit exitum. *Dignior sequetur effectus, quem feruentior praecedit affectus.* Et quoniam desiderium hoc, est actus charitatis, à qua procedit, vt bona cœlestia desideremus, quibus Deo seruiamus; ideo addit: *amoris frigiditatem esse cordis silentium, eiusdem verò ardorem esse continuum clamorem.* His desideriis (ait sanctus Bernardus) vocamus Deum, quando se nobis subtrahit: quem ex corde desiderare, est petere, vt redeat. Et Salomon desiderauit k *Spiritum sapientiæ*, & datus est ei à Deo, vt eius desiderium impleret. Nec mirandum, quod huiusmodi desideria & gemitus exaudiantur: proueniunt enim à Spiritu sancto. qui (vt ait sanctus Thomas) eos promouet, vt illis & per illa *postulet pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Si l *terra* siccitas, in multis partibus hiscentis, clamat, vt *cœli* aquam accipiat, Deusque illam *exaudit*: quantò magis audiet ariditatem Spiritus tui, si eam ponas in eius conspectu, dicens cum Dauide: m *anima mea sicut terra sine aqua tibi, velociter exaudi me Domine, defecit Spiritus meus.* Audit Dominus, clamorem n *pullorum coruorum inuocantium eum:* qui clamor nihil est aliud, quam necessitas, qua rostra sua aperiunt: quo indicant, escâ se indigere; & non audiet clamorem tuæ necessitatis, auxilium suspirantis & remedium?

Ep. 121 ad Probam.

Serm. 74. in Cant.

k *Sap. 7 6.*

In Ep. ad Roma. c. 8. & 2. 2. q. 83. a. 5. ad 1.

l *Osee 2. 21.*

m *Ps. 142 7*

n *Ps 146 9.*

CVM te defessum sentis interius, os aperis, vt, attrahens frigidum aërem, respires: imò ipsemet aër, impetu quodam intrare videtur, tuum vt refrigeret ardorem: quid itaque faciendum tibi censes, cùm anima tua aliqua premitur afflictione, nisi vt eam Deo tuo præsentes, viuo desiderio eius remedium obtinendi, dicens cum Dauide: o *Os meum aperui, & attraxi spiritum: quia mandata tua desiderabam* implere. Non dixit autem, se verbum aliquod locutum, sed vi & impetu desiderij os aperuisse, & cœlestem Spiritum mox ingressum, vt cor eius repleret. Scriptum est enim: p *dilata os tuũ, & implebo illud.* O Spiritus sanctissime, cuius inspiratio, mea est respiratio, sine qua non possum spiritus vitam viuere: desiderium cordis mei facit me os in tuo conspectu aperire; audi clamorem meum, & imple me tua gratia, vt felicem hanc vitam conseruem. O Pater cœlestis, qui dixisti q *antequam clamarit ego exaudiam:* quia nostrum desiderium, vt nos exaudias clamat, Spiritum tuum bonum mihi largire, quò meum saties desiderium, Amen.

o *Ps. 118. 131*

p *Psal. 80. 11*

q *Isai. 25. 24*

PRAXIN huius formæ orandi discemus à mendicis, qui ad portas têplorum, aut in plateis sedent, ostendentes vulnera sua ingredientibus, & exeuntibus, nec verbum tamen dicentes; Quia ipsamet vulnera clamant, & Eleemosynas pro eis petunt. Hoc itaque modo, in Dei conspectu te constitues, instar vulnerati, & vlcerosi pauperis, & ægroti, ostendens illi tua vlcera, magno dolore ac sensu eorum, ac desiderio sanitatis & remedii. Hoc enim solum diuinam misericordiam prouocabit, ad subueniendum. r *Beatus homo* (ait Script.) *qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & ob-*

r *Prou. 8. 34*

omnes has miserias ei manifestemus; non, quò ille eas nouerit, cui semper sunt notæ; sed quò illas referentes, nos humiliemus; & hac ratione fateamur, nobis non suppetere vires, ad remedium eis afferendum; & quia humilitas hæc, & de nobis ipsis diffidentia, impellit nos ad orandum magnis affectibus & gemitibus.

Ac propterea solet ipse aliquandiu nos non audire, donec eas manifestauerimus, & nostrum defectum & impossibilitatem, ad eas reparandas, ipsa experientia didicerimus, ac propterea Matri suæ in nuptijs respondit. b
Ioan.2.4. *Nondum venit hora mea*; qua videlicet vinum miraculosè conuiuis daret. Necdum enim vini defectus erat manifestatus. Et, cùm c *cæcos ac leprosos*
Mat. 20. esset curaturus, interrogabat eos: c *Quid vultis, vt faciam vobis?* Vt illi necessitatem suam manifestarent. Nec voluit Lazarum resuscitare, donec
Marc. 10.51. tolleretur lapis sepulchri, & appareret corpus mortuum: ideo enim eos in-
Ioan. 11. terrogauit, d *vbi posuistis eum?* atq; si diceret, ad oculum videre volo miseriam vestram; & vt omnes eam videant, ac defleant; agnoscantq; non esse in hominibus potestatem, ad eam reparandam.

Modvs & ratio hanc manifestationem & remedij petitionem faciendi, multiplex est, possunt tamen ad tres reduci, qui tribus illis modis respon-
Lib. 1. de Myst. Theol. dent, quibus mystica Theologia (vt ait sanctus Dionysius) agit cum Deo: multis scilicet verbis, aut paucis, aut etiam nullis.

§. I.

De petitione quæ fit solis desiderijs.

PRimvs itaq; modus petendi aliquid à Deo est, statim atq; magnam nostram miseriam agnouimus; eam in diuino conspectu ponere, cum incenso quodam desiderio eius reparationis: nullo tamen verbo prolato. Manifestatio enim interior nostrarum miseriarum, ipsumq; desiderium reparationis earum, verba sunt & sermones erga cœlestem nostrum
Psal. 9.17. Patrem. Qui (vt ait Dauid) e *desiderium pauperum exaudit.* Ideoq; satis sibi
Psal. 37.10. esse existimabat, cùm diceret, f *Domine ante te omne desiderium meum, &*
Iob. 31.35. *gemitus meus à te non est absconditus.* Et S. Iob. g *Quis* (inquit) *mihi tribuet auditorem* & aduocatum, *vt desiderium meum audiat omnipotens?* In quam sen-
Mor. c. ... & lib. 2. ... tentiam ait S. Gregorius, apud sacratissimas Dei aures, feruentia desideria valere pro clamoribus; quæ desideria si desint, quantumuis voce clames, censeberis tacere; quibus tamen accensis, etiam dum taces, clamas. Sicut
Exod. 14. Moyses nihil loquens orabat, cùm Dominus ei dixit: h *Quid clamas ad me?* Et S. Augustinus idem asserit: desiderium tuum (ait) est oratio tua; & sem-
Psal. 37. per desiderare, est semper orare: quicquid agas, si feruens habes Dei desi-
Thes. 5. derium, semper oras, implesq; dictum Apostoli: i *sine intermissione orate.*

& quò tuum desiderium feruentius erit, eò feliciorem habebit exitum. *Dignior sequetur effectus, quem feruentior præcedit affectus.* Et quoniam desiderium hoc, est actus charitatis, à qua procedit, vt bona cœlestia desideremus, quibus Deo seruiamus; ideo addit: *amoris frigiditatem esse cordis silentium, eiusdem verò ardorem esse continuum clamorem.* His desideriis (ait sanctus Bernardus) vocamus Deum, quando se nobis subtrahit: quem ex corde desiderare, est petere, vt redeat. Et Salomon desiderauit k *Spiritum sapientiæ*, & datus est ei à Deo, vt eius desiderium impleret. Nec mirandum, quod huiusmodi desideria & gemitus exaudiantur: proueniunt enim à Spiritu sancto. qui (vt ait sanctus Thomas) eos promouet, vt illis & per illa *postulet pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Si l *terra* siccitas, in multis partibus hiscentis, clamat, vt *cœli* aquam accipiat, Deusque illam *exaudit*: quantò magis audiet ariditatem Spiritus tui, si eam ponas in eius conspectu, dicens cum Dauide: m *anima mea sicut terra sine aqua tibi, velociter exaudi me Domine, defecit Spiritus meus.* Audit Dominus, clamorem n *pullorum coruorum inuocantium eum*: qui clamor nihil est aliud, quam necessitas, qua rostra sua aperiunt: quo indicant, escâ se indigere; & non audiet clamorem tuæ necessitatis, auxilium suspirantis & remedium?

Ep. 121 ad Probam.
Serm. 74. in Cant.
k Sap. 7. 6.
In Ep. ad Roma. c. 8. & 2. 2. q. 83. a. 5. ad 1.
l Oseæ 2. 21.
m Ps. 142. 7.
n Ps. 146. 9.

Cvm te defessum sentis interius, os aperis, vt, attrahens frigidum aërem, respires: imò ipsemet aër, impetu quodam intrare videtur, tuum vt refrigeret ardorem: quid itaque faciendum tibi censes, cùm anima tua aliqua premitur afflictione, nisi vt eam Deo tuo præsentes, viuo desiderio eius remedium obtinendi, dicens cum Dauide: o *Os meum aperui, & attraxi spiritum: quia mandata tua desiderabam* implere. Non dixit autem, se verbum aliquod locutum, sed vi & impetu desiderij os aperuisse, & cœlestem Spiritum mox ingressum, vt cor eius repleret. Scriptum est enim: p *dilata os tuũ, & implebo illud.* O Spiritus sanctissime, cuius inspiratio, mea est respiratio, sine qua non possum spiritus vitam viuere: desiderium cordis mei facit me os in tuo conspectu aperire; audi clamorem meum, & imple me tua gratia, vt felicem hanc vitam conseruem. O Pater cœlestis, qui dixisti q *antequam clamarit ego exaudiam*: quia nostrum desiderium, vt nos exaudias clamat, Spiritum tuum bonum mihi largire, quò meum saties desiderium, Amen.

o Ps. 118. 131.
p Psal. 80. 11.
q Isai. 25. 24.

Praxin huius formæ orandi discemus à mendicis, qui ad portas tẽplorum, aut in plateis sedent, ostendentes vulnera sua ingredientibus, & exeuntibus, nec verbum tamen dicentes; Quia ipsamet vulnera clamant, & Eleemosynas pro eis petunt. Hoc itaque modo, in Dei conspectu te constitues, instar vulnerati, & vlcerosi pauperis, & ægroti, ostendens illi tua vlcera, magno dolore ac sensu eorum, ac desiderio sanitatis & remedii. Hoc enim solum diuinam misericordiam prouocabit, ad subueniendum. r *Beatus homo* (ait Script.) *qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & ob-*

r Prou. 8. 34.

seruat ad postes ostij mei. Si enim ipse illic, suam ignorantiam confitens, expectet à me remedium, illud absque vllo dubio obtinebit. Exerce (inquit Gerson) spiritualem hanc mendicitatem, exhibe te in Dei conspectu mendicum: pauper enim & mendicus illum laudant, dum confitentur, solum ipsum posse illis subuenire, & ex suis miseriis eos eruere. Dic ergo illi confidenter cum Dauide: f *Ego egenus & pauper sum, Deus adiuua me.* Et iterum. t *Ego mendicus sum & pauper, Dominus solicitus est mei.*

.p tract. de monte contemplat. c. 9. & seqq. De Mendicitate spirituali.
f Psal 69. 9.
t Psal 39. 18.

§. 3.

De petitione per insinuationem.

SECVNDVS modus petendi aliquid à Deo (teste sancto Thoma) est, per insinuationem; qua paucissimis verbis, suam quis necessitatem aperiens, desiderium suum insinuat, obtinendi eius remedium, nihil tamen nominatim petens, nisi fortè in genere. Sicut sitiens Dauid dixit: a *ô si quis mihi daret potum aquæ, de cisterna quæ est in Bethlehem, iuxta portam.* Hoc enim satis fuit, vt *tres* viri *fortes, irrumperent castra Philisthinorum, & haurirent aquam de cisterna Bethlehem, & adferrent ad Dauid*: quamuis periculum vitæ propterea adirent. Sed multo tamen melius exaudit Deus huiusmodi petitiones, vtpotè liberalissimus, & qui absque vllo suo periculo, eas possit explere. Huius rei insignia aliqua exempla habemus in sacro Euang. in quorum singulis aliquid speciale relucet, quod hunc modum petendi nos docet, qui (vt ait Hugo de S. Victore) ex altera duarum causarum procedit.

..2. q. 83. a 7.
a 2. Reg 23. 5.
Lib de modo orandi c. 3.

Prima est, magnus quidam timor reuerentialis, qui tum ob eius magnitudinem, à quo petimus; tum ob rei petitę excellentiam simulque vilitate nostra considerata, contrahit nos, ac remoratur, ne expressè rem illam petere audeamus, sed solùm insinuemus nostram necessitatem ac desiderium. Hac ratione orauit Leprosus ille, qui dixit: b *Domine si vis, potes me mundare.* Quasi diceret; potestas in tua sita est voluntate: non audeo tamen petere, vt me à lepra mundes: quia eam gratiam non sum promeritus; tu ergo id fac, quod magis lubet. Alij quoque leprosi c *stantes à longe dixerunt; Iesu præceptor, miserere nostri.* Et mulier Cananæa clamauit: d *miserere mei Domine, fili Dauid: filia mea male à Dæmonio vexatur.* Et Maria Magdalena, cum post mortem fratris sui Lazari, e *cecidisset ad pedes Iesu,* solum dixit: *Domine si fuisses hic, non esset mortuus frater meus.* Atque si dixisset, res est tanta mortuum resuscitare, vt voluntati tuæ id omninò remittam, attenta necessitate nostra.

Variæ orationes iaculatoriæ.
b Matt. 8. 2.
c Luc 17. 12
d Mat. 15. 22
e Ioan. 11. 32

Secunda causa alterum sequitur extremum, non tamen vitiosum, sed heroicum, & excellentis confidentiæ, tum ob amorem magnum, quem habemus erga eum, à quo petimus, & quem ille erga nos habet, tum ob rei quam petimus facilitatem, si cum magna eius, à quo petitur potentia, compare-

tur; ex-

tur; existimantes satis esse ad remedium, si ita expediat, impetrandum, quod nostram necessitatem ac desiderium illi proponamus. Hoc modo petendi vsa est virgo sanctissima, in nuptiis in Cana Galileæ, cùm filio suo dixit: f *Vinum non habent*, quasi diceret, ad hoc vt subuenias præsenti necessitati, & vini defectui, si ita expediet, satis est, quod ego te amem, tanquam filium, & tu me tanquam matrem. Sorores quoque Lazari, dum ille infirmaretur, hoc solùm Christo Domino significari curarunt: g *Ecce quem amas, infirmatur*. existimantes, ob insignem fiduciam, quam habebant, id satis esse, vt Christus sanitatem fratri restitueret, si ita expediret: beneuolus enim hic Deus, non nouit amare aliquem, & eundem deserere; h *facitq́; voluntatem timentium se, & deprecationem eorum exaudit: & custodit omnes diligentes se.* Imo etiam filius ille prodigus, quamuis statuisset, petere à suo Patre, i *fac me sicut vnum de mercenariis tuis:* quando tamen hilarem patris vultum animaduertit, tantam animo concepit fiduciam, vt satis sibi esse existimauerit dicere, *Pater peccaui in cœlum & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus;* licet nihil in particulari peteret. Et quoniam huiusmodi orationes, siue insinuationes, ex magna fiducia, magno amori, resignationique coniuncta procedunt, optimè apud Deum excipiuntur, & expediuntur. Ideoque vtile est, frequenter ac feruenter eas adhibere: ad quod facilitas & breuitas earum, Deique liberalitas in eisdem exaudiendis, nos inuitat. Exprimendum verò est in singulis aliquod nomen Dei, aut motiuum, ex eius vel ex nostra parte, quod vicem habeat petitionis: In hunc modum: O lux vera, si vis, potes illuminare tenebras meas: ô summa potentia, in voluntate tua positum est, infirmitati meæ subuenire; misericordia infinita aspice in meam magnam miseriam. Creator mi, qui opus est manuum tuarum, persecutionem ab inimicis suis patitur; anima quam ad similitudinem tuam condidisti valdè est culpa sua defœdata. Qui vniuersè toti mundo prospicis, ecce magna premor paupertate: tu das escam auibus, ego fame pereo: tu lilia campi vestis, ego nudus existo: tu es tuarum creaturarum lætitia, ego in tristitia viuo. O Pater orphanorum, vide, quam sim ab omnibus desertus: ô mundi redemptor ecce in captiuitatem est redactus, quem tuo sanguine redemisti: ô Deus meus, & omnia mea? & quid ego ero sine te, k *misericordia mea & refugium meum, adiutor meus, & redemptor meus,* aspice in me, subueni mihi & protege me. In hunc modum licebit varias orationes instituere, quæ instar sint respirationum animæ, & nunciorum spiritus ad Deum, & sagittarum, quæ iaciuntur in cœlum. Et quamuis breuia sint verba, potest esse prolixior in eis sensus, loquente scilicet affectu, etiam ore tacente.

f *Ioan*, 2. 3.
g *Ioan.* 11. 3.
h *Ps.* 144. 19
i *Luc.* 15. 19. 21.
k *Ps.* 143. 2.

§. 3.

§. 3.

De Petitione, quæ fit adferendo aliquos titulos, siue causas ad impetrandum, quod petitur.

SVPEREST tertius modus petendi, magis expeditus, & omnibus communior; cùm scilicet distinctè petimus à Deo D.N. vt à malis nostris nos liberet, & bona sua nobis communicet, exprimentes rem, quã petimus, & causas siue motiua ad impetrandum adducimus; & quicquid præterea deuotio ipsa nos docet: quæ tanquam Rhetorica quædam est Spiritus Sancti cœlique eloquentia, qua vincitur inuincibilis. Cuius exemplum apparet in multis eximiis orationibus, quas refert sacra Scriptura. Interdum ergo incipies à diuinis laudibus, sicut qui Dei voluntatem præueniendo allicit, priusquam aliquid petat. Interdum incipies ab exaggeratione tuarum miseriarum, & hostium tuorum feritate, vt sic Deum prouoces ad miserendum. Aliquando etiam licet ab ipsa petitione statim inchoare, sicut faceret, qui magna aliqua molestia premi se videt. Oportet autem ipsis petitionibus titulos, siue causas & rationes inserere, quæ adsunt, vt exaudiare.

Deuotio est Rhetorica Spiritus S.

In orat. Manassæ. *Dan.* 9. & 1. 2. 15. *Hest.* 13. & 14.

ET hic est modus orandi, quem Apostolus *obsecrationum & postulationum* nomine intelligit, quæ sunt pauperum propriæ, iuxta illud Sapientis: a *Cum obsecrationibus loquetur pauper*. Nam illis communiter vtuntur mendici, cum à Diuitibus Eleemosynas petunt: qui carcere detinentur, & lites habent, cùm iustitiam quærunt, aut gratiam à iudicibus: & famuli aut subditi, cum à dominis & principibus suis præmium aliquod diuturnorum laborum, & seruitiorum suorum postulant: à quibus disces hunc modum cum Deo loquendi, cùm eius dona petis. Delectatur enim ipse cum ita rogatur, & hac ratione vrgetur: non quod ipse sit parcus in dando; sed vt dignior, aptiorque tu reddaris, ad accipiendum, quod petis. His enim obsecrationibus, maiores in humilitate iacis radices: agnoscens te adeò inopem ac miserum, vt, nisi multis precibus, & intercessoribus, non merearis exaudiri: eisdem quoque fiducia tua crescit, dum illis potius, quàm tuis meritis inniteris. Ideoque dixit Propheta Baruch: b *Indui me sacco obsecrationis, & clamabo ad altißimum*; vt oraret scilicet pro suo populo: ex quo magnam concepit fiduciam de eius salute.

a *Prou.* 18. 23.

b *Baru.* 4. 20.

Saccus obsecrationis est hæc petitio.

HAEC obsecratio (teste S. Thoma) similis est ei, quam adiurationem per res sacras appellamus; vt cùm siue à Deo siue ab hominibus rem aliquam petentes, aliquod sacrum adiungimus quo moueantur & compellantur, (eo modo quo Deus compelli potest) vt eam nobis concedat: anxia (vt ait S. Bernardus) ad Deum instantia adhibita ad impetrandum, induentes nos tanquam sacco quodam sacro variorum nominum & rationum, quæ

2. 2 q. 83. a. 17. & q. 80. a. 1.

Ad fratres de monte Dei.

sint

ſint potentes ad ipſummet Deum permouendum, quaſi fingeremus, eum non propendere ad nobis concedendum, quod petimus; vellemus tamen eundem ad id allicere, & attrahere. Quare non decet carnis & ſanguinis titulos aut prophanas huius mundi rationes ad id adducere. Meritò enim tunc reſponderet nobis, quod filiis Zebedæi: c *Neſcitis quid petatis*, ſi titulo propinquitatis illud petitis. Omnes ergò rationes ſanctæ, & tituli ſacri eſſe debent. Sed quoniam ex parte noſtra nihil, niſi miſerias habemus, mendicandæ ſunt rationes & tituli, ex parte ipſius Dei, & Chriſti Seruatoris noſtri, ſanctorumque eius, ſimul inſerentes eas, quæ ſunt ex parte miſeriæ noſtræ ad prouocandam miſericordiam diuinam. c Mat.20.2

§. 4.

Tituli & cauſæ adducendæ ex parte Dei.

PRIMVM ex parte Dei D.N. duodecim tituli adduci poſſunt, quos diuina Scriptura vſurpat, qui tamen omnes ferè ad vnum illum maximè præcipuum reducuntur, quem Daniel allegauit, dicens: a *Exaudi Deus orationem ſerui tui, & preces eius, propter temetipſum.* a Dan 9.17

QVIA videlicet tu talis es: quia ad tuam id magnitudinem & maieſtatem ſpectat, & ad honorem gloriamque tuam: vt liberalitatis ac miſericordiæ tuæ immenſitatem mundo manifeſtes: & propter veritatem ac fidelitatem, quam ſeruas in adimplendis tuis promiſsis. b *Exurge Deus* (ait Dauid) *iudica cauſam tuam*, eamque propugna in laboribus, qui me premunt; ad te ſiquidem ſpectat eruere me, & iuuare; quia talis es. Et quamuis cauſa quidē ſit mea ex eo quod de meo commodo agatur; multò tamen magis eſt tua: quia te ei ſubueniente, tua erit gloria, c *propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo, multum eſt enim.* Quò enim peccata mea grauiora ſunt, eò maior nomini tuo accedet gloria, ſi ea dimiſeris. d *Propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos, & propitius eſto peccatis noſtris, propter nomen tuum, ne fortè dicant in gentibus: vbi eſt Deus eorum?* Et e *ne* (vt Moyſes dixit) *dicant AEgyptij: callidè eduxit eos, vt interficeret in montibus, & deleret de terra.* Propugna Deus honorem tuum, & ſiquidem ſemel eruiſti me à peccato & inferno; ne patiaris, me in hac abyſſo perire. 1. b Pſal.73.22. 2. c Pſal.24. d Pſal.78. 3. 4. e Exod.32.22.

NON eſt gloria tua, quod hoſtes noſtri, de nobis triumphent, qui tui ſubditi ſumus. f *Ne des* (ait Ieremias) *nos in opprobrium, propter nomen tuum, neque facias nobis contumeliam ſolij gloriæ tuæ*, quam habes in nobis: *recordare, ne irritum facias fœdus tuum nobiſcum:* ad nobis ſcilicet ſubueniendum, quando anguſtiis premimur. Verbum tuum eſt Domine, quod g *propè ſis omnibus te inuocantibus in veritate:* honori tibi erit, hoc verbum implere: & ſiquidem ego ex corde te inuoco, audi; Domine, clamorem meum. Tu ipſe dixiſti, h *inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me*; cùm itaque ego 5. f Iere.14. g Pſ.144. 6. h Pſal 49

facio, quod iubes, te inuocando; fac tu etiam quod promittis, me liberando: vt & ego faciam, quod debeo, te glorificando. Ne permittas me fieri timidũ
7. ad inuocandum Sanctum tuum nomen, si videro, me clamantem ad te non
i Esth. 14. 9 exaudiri. i *Ne patiaris* (ait Esther) *claudi ora laudantium te, atque extingui glo-*
8. *riam templi & altaris tui.* Ego alium Deum non habeo, nisi te; nec ad aliud sanctuarium recurram, nisi ad tuum: quia tu ipse conqueereris de iis, qui
k 4. Reg 1 3 k *eunt ad consulendum Beelzebub*, & falsos Deos, & l *te non consulunt, nec os*
l Isa. 30. *tuum interrogant* de rebus suis. siquidem ergo ad tuum accedo conspectum, vt de meis rebus os tuum interrogem, ne meam despicias orationem.

9. Tv es pater meus, Creator meus, Rex, Medicus, & Protector meus: ô Pater mi, monstra te esse patrem meum, quamuis indignus ego sim filius tuus: ô Creator mi, perfice opus manuum tuarum, siquidem tua opera sunt perfecta. O Rex omnipotens, dita me tuis donis, vt omnes videant tuam magnam potentiam. O medice peritissime, sana meas infirmitates, vt appareat tua infinita sapientia. O Protector vigilantissime, accipe me sub alas
10. tuas, ad confusionem & terrorem tuorum inimicorum. Tu Domine, glo-
m Psal. 6. 5 riaris de misericordia, super omnia opera, quæ à te procedunt: en hominem miseriis plenum, in quo licebit infinitas misericordias tuas commodè exercere. m *Conuertere, Domine,* (ait Dauid) *& eripe animam meam: saluum me fac propter misericordiam tuam.*

11. Qvod si gloriaris multum de tua Iustitia: n *auribus percipe obsecrationem*
n Psal. 142. 1 *meam, in veritate tua, exaudi me in tua iustitia.* Ad tuam enim iustitiam pertinet, implere quod promittis, & efficere me iustum, non quod ego id sim
o 1. Thess. 4. 3. promeritus; sed quod tua bonitas, ad id faciendum inclinet. *Si* o *tua voluntas*
est sanctificatio mea, egoque desidero sanctus esse, idque à te peto; imple Do-
12. mine, voluntatem meam, siquidem in hoc implebis & tuam: tua enim voluntas, est mea.

§. 5.

Tituli & causa ex parte Christi D. N.

His prædictis similes esse possunt causæ & rationes, ex parte Christi D. N. adducendæ, quas ipsemet ad vnam videtur reuocasse, cùm dixit: a *Quodcunque petieritis Patrem, in nomine meo, hoc faciam.* ob sub-
a Ioan. 14. 13. & c. 15. 16. & c. 16. 23. limitatem scilicet eius incarnationis; ob sanctitatem virtutesque excellentissimas, quæ in ipso sunt: ob infinita merita vitæ eius, passionis, ac mortis, quorum nos fecit hæredes, vt præmium illis debitum, in nobis redderetur: ob gloriam sanctissimi eius nominis, quod tam excellenti sua iustitia fuit promeritus, vt, qui æterni sui Patris gloriam semper quæsiuerit: ac denique ob eius verbum, quod habemus, nos fore exaudiendos, cum in eius nomine aliquid petierimus. Ex quibus, duodecim alios titulos deducere licet, in hunc modum.

O pater æterne, b qui iustos *prædestinasti conformes fieri imagines filij tui, vt esset ipse primogenitus in multis fratribus*: per eius sanctitatem peto, exaudiri meam orationem: vt sic ei conformis efficiar, habeatque ipse fratrem præterea vnum in quo glorificetur. 1. b *Rom.* 3.29

Attende, ipsum infinitè plura esse promeritum, quam hactenus acceperit; redde præmium eius meritis in me, largiendo id mihi, quod ob illa peto. 2.

Si audis voluntatem seruorum timentium te, quantò magis audies voluntatem filij tibi infinitè placentis. 3.

Imple Domine desiderium meum: quia sic eius desiderium implebis; siquidem ego c *peto*, quòd ipse vult, me petere: verba, quæ iussit me dicere, ea ego profero: ne ea tanquam mea audias, quamuis ore meo proferantur, sed tanquam ipsius. 4. c *Matt.* 6. 9.

Ideoqve largire mihi, quod illis peto. d *Gratias egit ille tibi, quoniam audisti eum, & quod semper illum audires.* Et siquidem nunc ipsemet petit in me, & pro me; si illum in me audies, gratias etiam aget pro eo, quod mihi concesseris. Ille e *orauit pro me* in nocte suæ passionis; & quod ipse tunc petiit, ego nunc peto. quandoquidem ergo eius orationem exaudisti, exaudi nunc & meam, quæ eadem est cum illa. 5. d *Ioan* 11.41 e *Ioa.* 17.20

Eo quod ille f *vsque ad mortem crucis se humiliauerit* vis in eius *nomine omne genu flecti*, omnibusque esse honori; honora nunc idem nomen, largiendo mihi, quod per idem nomen peto. 6. f *Phil.* 2.10

Ad bonitatem & gloriam tuam spectat, filij tui promissa implere, qui dixit: g *quodcunque petieritis patrem in nomine meo; dabit vobis, vt glorificetur Pater in filio*, & filius propter patrem. Quod princeps aliquis petit per famulum suum, æquè benè expeditur, atque si per se ipsum petiisset: famulus enim non petit proprio nomine, sed sui Domini, cui, quod petitum est, datur potiùs quàm famulo. O supreme Pater, in nomine cœlestis principis filij tui, hanc petitionem instituo: si annuis, illi, quod ego peto, concedis. Ego enim non sum nisi eius famulus, qui quamuis per me nihil promerear: at propter eum, & in eo mereor exaudiri. 7. g *Ioan.* 14. 13. & c. 15. 16.

h *Protector noster, aspice Deus, & respice in faciem Christi tui*, prius quàm in meam. Siquidem ergo te respiciente in diuinam eius faciem, placuerunt tibi eius orationes & opera; aspiciente etiam simul meam cum eius facie, per eam, quæso, tibi placeant, & mea opera, ipsius operibus coniuncta. h *Psal.* 83.10 8.

Cvm i *proprium filium nobis dedisti, omnia etiam cum illo nobis donasti*: Ipse enim est super omnia, qui & ius in omnia habet: da mihi quod nunc peto, siquidem vnum est eorum, quæ ipsius sunt. i *Rom* 8.32 9.

O Mvndi Saluator, propugna tuæ redemptionis, tuorumque meritorum honorem. attende gloriæ nominis tui, tuorumque promissorum veri- 10.

tati, memento: quod sis etiam noster aduocatus apud Patrem: ostende ei vulnerum signa, quæ in sacratissimo tuo corpore notata reseruas, quò mea oratio exaudiatur, siquidem in tuo nomine & verbo tuo innixus, eã offero.

11. Colos. 1.18. Ioan. 15.5. k *Tu es caput meum*, & ego mystici tui corporis membrum: l *Tu vitis, ego palmes*. & siquidem *tu in me manes, & ego in te*, propter hanc vnionem, tu pete pro me; &, quà meum es caput, influe in me virtutem orandi, neque enim repulsam patietur oratio, quæ tibi erit coniuncta.

12. O summe Sacerdos, qui oras & sacrificia offers pro toto populo, & pro singulis fidelibus, ora & pro me, & ad ita orandum me impelle, vt oratio mea audiatur, & feliciter expediatur. Amen.

HI sunt præcipui tituli, & motiua, quibus nostram orationem comitari possumus, vt nos ad fiduciam habendam excitemur; Deus verò D.N. ad misericordiam exhibendam permoueatur. Quæ eadem motiua adduci possunt apud Christum D.N. ad quem etiam licet, & consueuimus nostras orationes dirigere: qui etiam dixit: m *si quid petieritis me, in nomine meo, hoc faciam*. Et, vt ait sanctus Augustinus, Christus Dominus noster orat pro nobis, quà sacerdos est: orat verò in nobis, quà est caput nostrum, & rogatur à nobis, quà Deus est; & nos oramus per ipsum, in ipso, & ipsum, & cum eo facimus orationem nostram, & ille nobiscum: qui etiam, quà noster Magister est, nos docet orare; verbaque suggerit, quibus petere debeamus: & hæc omnia simul coniuncta, sunt tituli & motiua magnæ confidentiæ, quod exaudiemur. Ideò enim dixit sanctus Ioannes: n *hæc est fiducia, quam habemus, quod audiet nos, quoniam ab eo habemus petitiones, quas postulamus*.

(Margin: m Ioa. 14.14. Præfat. in Psal. 85. n 1. Ioan. 5. 14.15.)

§. 4.

Tituli ex parte Sanctorum desumendi.

ALIOS sacros titulos adhibere possumus apud Deum, ex parte sanctorum cœlestium: proferendo scilicet heroicam illorum sanctitatem, seruitiaque præclara, & insignia merita, ac desideria, quæ habuerunt, ipsum Deum in hac vita honorandi, & quod ipsemet habet, eosdem vicissim exaltandi, vt pateat mundo, quanti ipse illos faciat, & quodnam illis munus commiserit, pro nobis intercedendi: ac denique, quod gratũ sit ipsi, nostras orationes ad se dirigi, & ante diuinum suum thronum, per illos offerri. Et ita Moyses, Elias, Daniel & alij antiqui Patres consueuerunt in suis orationibus meminisse a *Abraham, Isaac, & Iacob*, tanquam aduocatorũ apud Deum. In noua autem lege, adhibere debemus tanquam aduocatos nostros, Apostolos & Euangelistas, & insignes alios sanctos significatos per b *viginti quatuor Seniores, habentes in manibus suis phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum*, quas Deo offerebant. Confert autem hoc plurimum, ad hoc vt illæ exaudiantur, ob duplicem causam.

(Margin: Vide S. Tho. 2. 2. q. 83. art. 4. & 11. Exod. 32.13. Deut. 9. 27. b Apoc. 8.)

PRIMA est, quod sic humilitatem magis exerceamus, dum nos agnoscimus indignos, qui oremus, & ingrediamur ad conspectum Majestatis Dei, nisi sub talium aduocatorum patrocinio. Sicut placuit plurimum ipsi Christo Domino, humilitas Centurionis dicentis: c *non sum dignus, vt sub tectum meum intres, propter quod & meipsum non sum dignum arbitratus, vt venirem ad te; sed miserat ad eum Seniores, qui rogarent* ac intercederent, vt obtinere posset, quod optabat. c *Luc.* 7. 7

ALTERA causa est: quia sic magis crescit confidentia, & fiducia obtinendi, quod petimus: siquidem non soli petimus, sed multi alij idem nobiscum petunt. Et ipsemet Deus, cum nostras orationes audire desiderat, inspirat nobis, vt tales intercessores adhibeamus: sicut fecit, cùm vellet amicis Iob benefacere, misit enim illos ad ipsum Iob, dicens: d *Iob seruus meus orabit pro vobis, faciem eius suscipiam.* Contra verò, cùm decreuit seueritate suæ Iustitiæ contra rebelles vti, nec concedere, quod petitur, protestatur, magna adhibita exaggeratione, se id non facturum etiamsi Sancti magni intercedant. Ita dixit Ieremiæ: e *Si steterit Moyses, & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum*, quasi diceret: etiamsi illi pro hoc populo orent, non placabor. Et ipsimet Ieremiæ dixit: f *Tu noli orare pro populo hoc, nec sumas pro eis laudem & orationem, & non obsistas mihi: quia non exaudiam te.* Qua ratione satis manifestat Deus, quanti faciat, Sanctorum intercessionem, quantamq; vim illi faciant eorum orationes: siquidem eos præuenit, ne ipsius dispositiones & ordinationes orationibus suis impediant. d *Iob.* 42. 8 e *Ierem.* 15. f *Ier.* 7. 16. & c. 11. 4. *Psal.* 4. 4.

IVXTA hoc ergo loquemur cum Deo Domino nostro nunc hos titulos adducentes, ac dicentes. O Sancte sanctorum, honora & exalta illos, tribuendo mihi, quod per illos à te peto: in tuum enim cedit honorem, quod tales habeas seruos, qui suis orationibus vim tibi quasi inferant: in gloriam cedit sanctissimi tui nominis, efficacitas quam habent Sancti apud te, cum pro nobis intercedunt. Quia id totum prouenit à Sanctitate, quam tu illis es largitus: glorifica illos in me, audiens Orationem, quam per illos tibi offero. Si tantis fauoribus Hebræum populum es prosecutus, propter Patriarchas & Prophetas; maioribus adhuc prosequeris Christianum, ob Apostolos & Martyres. Profero ergo tibi illorum obsequia, loco eorum, quæ mihi desunt, quo meam exaudias Orationem, & valeam ego ita seruire tibi, sicut illi seruierunt.

INTERDVM orationes dirigemus ad ipsosmet Sanctos, vt ipsi recipiant in se nostra negotia, tanquam sua propria, apud Deum solicitaturos. O felices Sancti, estote memores officij vobis commissi, quo nostri aduocati estis constituti, illudq; solicitè pro nobis explete. Cum vos in hoc mundo degeretis, optabatis, Sanctos, qui vos ad Cœlum præcesserant, vestræ

causæ apud Deum patrocinari: nũc ergo, cũ iam illis in Cœlo coniuncti sitis, intercedite pro ijs, qui adhuc versamur in hoc mundo, eodemq; tenemur desiderio. Cũ essetis in hac valle lacrymarum, propriaq; necessitate vrgeremini pro salute vestra orare, dilatabat se Charitas vestra, ad orandũ etiam ꝑ aliorũ necessitate: nunc aũt estis in Paradyso voluptatis, nullã patientes propriã necessitatẽ; certum est ergo, vos ꝑ ijs, qui illam patiuntur oraturos; properate, vt nostrã beatitudinem impetretis, vt eò citius vestra cõpleatur. Bon⁹ (inquit S. Bern.) mediator erit, qui nihil pro se petit: quia nihil ipsi deest; cuius proinde totus affectus transit ad orandum pro altero, qui magna necessitate premitur, & in magno periculo versatur. Quod si quid Sanctis deest, gloria. sc. corporum, hoc ipsum illos incitabit magis ad orandũ ꝑ nobis, quia non prius corporis gloriam consequentur, nec g *sine nobis* (vt ait Apost.) *consummabuntur*. Et (vt ait Dauid,) in cælo h ***nos expectant iusti, donec retribuat nobis*** præmium, scilicet cum illis.

Serm. 2. de S Victore. & Ser. in Vigilia SS. Petri & Pauli.
g *Hebr. 11. 40.*
h *Psal. 141. 8*
Apoc. 6. 11.

EOSDEM titulos, & quidem in gradu eminentiori, licebit adferre ex parte Virginis sanctissimæ Dominæ nostræ, eò quod in illa sine comparatione illi excellant: quibus etiam licebit addere titulos alios, quod scil. Mater sit Dei, Cœli Regina, Mater, & Aduocata hominum; & filij sui in negotio salutis nostrę cooperatrix: propterea enim, illa tanquam instrumento vsus est ad primam iustificationem & sanctificationem, quam effecit ipse in hac vita mortali, in domo scilicet Zachariæ, cùm pręcursorem suum Ioannem Baptistam sanctificauit; Matremq; eius Spiritu S. repleuit; & eius oratione permotus, primum fecit miraculum, conuertendo aquam in vinum; & ob eiusdem orationem, misit suis Apostolis Spiritum S. vt apud omnes constaret, quantę efficacitatis esset apud ipsum, huius Virginis oratio; & quanta cura ac solicitudine suscipiat ipsa nostræ necessitatis remedium. Præsertim verò, cùm Christus Dominus noster, in hora mortis suæ, in cruce pendens, nihil aliud ei commendauerit, quam vt nostra esset mater, nosq; filiorum loco haberet. Et vna inter alias causas, cur illam etiam corpore glorificatam in cœlo habeat, ea est, vt pro nobis intercedat, ostendens illi pectus suum, quod ipse suxit; sicut idem filius apud Patrem facit officium Aduocati, ostendens ei sua vulnera; ne ea intercessio repellatur, cui tantæ charitatis insignia coniunguntur.

Christus moriens commendauit nos Matri suæ.

DENIQVE colloquens cum Christo D.N. oẽs excellentissimos respectus in eo agnoscere debes, qui esse possunt in optimo filio, qui fuerit vnquam, aut esse posit, erga optimã Matrem, quæ est, aut vnquam futura sit in mundo. Et similiter colloquens cum ipsa beatissima Virgine, inuenies in ea nobilissimos respectus excellentissimæ cuiusdam Matris; tam in agnoscendis tuis necessitatibus, & earum remedio desiderando; quàm in solicitudine illud procurandi, & potentia ad impetrandum. Vt enim ait S. Augustinus: quò

illa

illa sanctior est eò est solicitior; & quò à filio magis diligitur, eò potentior ipsa est remedium nostrum impetrandum: modò tamen studeamus & nos, nobiles filiorum respectus induere, quos erga talem matrem habere par est, vt liceat nobis confidenter dicere versum illum Ecclesiæ: *Monstrate esse matrem, sumat per te preces, qui pro nobis natus, tulit esse tuus.* Cùm itaq; oras, cogita, te ascendere in cœlum, ibiq; videre Christum D.N. in immensæ majestatis Throno sedentem, & propè eum, ipsius matrem in altero, cui filius dicat illa verba, quæ Salomon Bethsabeæ matri suæ dixit: i *Pete mater mea, neq; enim fas est, vt auertam faciem tuam*, negando tibi quod petieris. Hac itaq; confidentia loquere, nunc cum Matre, dicens: O mater pijssima, vtere hac opportuna occasione, propone tuo filio meam necessitatem, eiusq; pete remediũ; obstringe illum verbo ipsius proprio; propone officium, quod ipse tibi cõmisit. Supple verò tuis meritis, quod mihi deest; & authoritate matris interposita, dic ei pro me: fili, seruus tuus, non habet vinum amoris & feruoris, quem desiderat, imple eius desiderium, vt experiatur, quantum apud te mea valeat intercessio. Mox licebit, te ad ipsum filium conuertere, ac dicere: O verbum diuinum, accipe matris tuæ preces; & quod ego, per me non promereor, da mihi per eius merita; nec confundas eius faciem, quamuis mea sit confusione digna. Siquidem illa semper tuum vultum est venerata, ac propterea digna, vt eius tu vultum recrees, & afficias lætitia. Matris tuæ gloria, etiam tua gloria est: est autem illi gloria, si à te exaudiatur, & quò ego sum peior, & indignior qui exaudiar; eò maior erit eius gloria, si propter eam exaudiar ego.

Serm. 4. de Nati.

i *3. Reg. 2. 20.*

CAPVT XV.

DE FIDVCIA IN DEVM, QVAE DEBET ORATIONEM comitari: & qua ratione innitatur ei veritati, quod Deus sit iustus Iudex, amicus fidelis, liberalis in faciendis Eleemosynis: & Pater valde beneuolus, & qua ratione temporalia bona petenda, & ab eo speranda sint.



EX dictis in proximis capitibus, facilè intelligitur, orationem, ad volandum & perueniendum in cœlum, & ad ingrediendum ante Thronum Dei, ac deniq; vt feliciter ea expediatur, duas alas habere debere. Alteram cognitionis nostrarũ miseriarũ, & diffidentię de nobis ipsis; Alteram verò cognitionis misericordiarũ diuinarum,

Hugo de S. Vict libello de orando Deo.

cum profunda reuerentia,& in Deum fiducia. vtrauis autem harum alarum deficiente, non assequetur, quod petit. Quamobrem dixit S. Bernardus, esse aliquam orationem timidam, aliam tepidam, aliam temerariam, alteram verò humilem, feruentem & confidentem. *Timida* non progreditur extra ipsum orantem, quia suffocatur in abysso desperationis ex defectu fiduciæ. *Tepida* etsi progreditur quidem, sed in medio itinere deficit, ex defectu feruoris & perseuerantiæ. *Temeraria* ad ipsas quidem cœli portas peruenit, sed statim atq; accedit, illi occluduntur, eò quod sit præsumptuosa: nec admittitur, ob defectum humilitatis. Quod si humilitas & feruor fiduciæ coniungantur, patebit orationi accessus ad tribunal Dei, & feliciter expedietur. Humilitas enim euacuat cor à propria Confidentia, per diffidentiam sui, vt ingrediatur fiducia in Deum: feruor dat illi constantiam ne deficiat, donec assequatur quod petit. Hæc fiducia præcipuum est motiuum, & fulcrum orationis: nemo enim orat, nisi propter id, quod se consecuturum speret, &(vt ait S. Thomas) quamuis meritum orationis innitatur charitati: impetratio tamen præcipuè innititur fiduciæ misericordiæ, & omnipotentiæ Dei: quia vult & potest nostræ miseriæ subsidium adferre, & largiri quod petimus iuxta eas leges, quas ipse nobis præscripsit. Et quoniam hæc firmitas procedit à viua fide & credulitate, qua Intellectus credit firmiter quicquid Deus reuelauit, & circa hoc promisit: hinc est, quod interdum ea vocetur nomine ipsius fidei, quamuis reuera sit actus virtutis spei, quæ est in voluntate, & etiam appellatur fiducia, quæ (teste S. Thoma) est fundamentū magnanimitatis, & idem quod ipsa spes valdè roborata; quæ facit vehementem ac firmam opinionem, de aliquo bono assequendo. Hac autem fiducia deficiente, non consequetur oratio quod quærit. quod significauit sanctus Iacobus dicens: a *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat; postulet autem in fide, nihil hæsitans,* aut dubitans, se obtenturum quod secundum Deum petierit. *qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento mouetur, & circumfertur* in varias partes: qui propterea non recipiet, quod petit. Quomodo enim reciperet, si ipse non est firmus in spe accipiendi? & quomodo ita petat, vt recipere mereatur; si dubitet vel de omnipotentia, vel de misericordia eius, qui daturus est? Quod si tentationum ventis se permittit, deditq; contra diuinorum promissorum firmitatem; quomodo experietur illas impleri in se? Propterea suffocabitur eius oratio, in hoc mari diffidentiæ; nec dignus erit, qui ad diuinum conspectum admittatur.

Serm. 4. de Quadrag.

..2 q. 83. art. 15.

..2. q. 129. art. 1 ad 2. & a. 6. in cor. & ad 3.

a Iacob. 1. 5.

Ex S. Ber. suprà.

NEC mysterio vacare censendum est, quod hac similitudine S. Iacobus fuerit vsus. Innumeri sunt enim fluctus internarum tentationum, & venti externarum, à quibus oppugnatur hæc fiducia, vt deficiat: & qui non sit valdè in ea radicatus, facilè eam perdet. Magna confidentia b *descendens*

b Mat 14. 29.

Petrus de nauicula, ambulabat super aquam maris, *vt veniret ad Iesum*, qui ei dixerat, *Veni: videns verò Petrus ventum validum* & tumentes fluctus, *timuit & cepit* confidentiam amittere ac *mergi*, donec subuenit illi idem Christus, qui *extendens manum, apprehendit eum, & ait illi, modicæ fidei quare dubitasti?* nisi enim dubitasses, non mergereris. O quã est magna miseria & infirmitas nostra! siquidem experientia tanti miraculi, quo ad mandatum Domini Petrus ambulabat super aquas, non fuit satis, ne idem animum abijceret, cũ attendit se in tanto periculo versari; terretq; adhuc magis, quod Moyses (vt S. Greg. annotauit) qui tot prius fecerat prodigia, titubaret circa confidentiam, cum populus ob aquæ penuriã conquereretur, & murmuraret, c *cui* Moysi *dixit Dominus: Quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filijs Israel, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis*; nec postea fuit exauditus, quando petebat ingredi in terram Promissionis; sed cũ eam Deus illi ostendisset, d *vidisti*, inquit, *eam oculis tuis, & non transibis ad illam*: Pro aquæ exhibitione (inquit S. Dionys.) diffidens, non potuit obtinere, vt terram Promissionis ingrederetur. nec sine causa Christus D. N. homini petenti ab eo, filij sui à Dœmone obsessi, ac surdi & muti liberationem, dixit: e *si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.* atq; si diceret: non est facile eam fidem & fiduciam habere, quam res tanta requirit. Sed illustratus ille homo ab eodem Domino, respondit, vt par erat: *credo Domine, adiuua incredulitatem meam.* quasi diceret, quantum quidem ego possum credo. quod verò ego non possum, suppleat gratia tua, quæ iuuet me, incredulitatem & diffidentiam adhuc remanentem deponere, quò fide perfecta credam.

c *Num.* 20. 12.
Lib. 9. *Mor. c.* 9.
d *Deut. vlt.* 4.
Ep. 8.
e *Marc.* 9. 22.

SED quẽ non demulcet iucũda illa ac generosa Christi promissio: *omnia possibilia sunt credenti?* Quicquid. n. & credere, & sperare dignè à mea omnipotentia poterit, eius oratio omni dubio ꝓcul id obtinebit. Tantũ. n. oratio impetrare potest, quantũ ego possum & volo facere. Et idẽ Dominus: f *Habete* (inquit) *fidem Dei. Amen dico vobis, quia quicunq; dixerit, huic monti: Tollere & mittere in mare, & non hæsitauerit in corde suo: sed crediderit, quia quodcunq; dixerit: fiat, fiet ei. Propterea dico vobis, omnia quæcunq; orantes petitis credite, quia accipietis & euenient vobis.* O ineffabilem diuinæ misericordiæ largitatem! ô immensam diuinæ omnipotentię liberalitatem! Et quid hoc est aliud, liberalissime Domine, nisi tuam omnipotentiam communicare orationi, fiduciam habenti? Quid amplius ꝓmittere nobis poteras, quàm tuam omnipotentiam astringere, ad totum id exequendum, quod fiducialis petet oratio? sit benedicta adeò immensa liberalitas, quæ in eo se ꝓdere voluit, vt omnipotẽtiæ suæ nos participes faceret. Quid est (ait S. Bern.) quod clariorẽ reddat ęterni verbi omnipotentiã, quã quod in se sperantes faciat omnipotẽtes? magna fides magna meretur: & quò amplius extenderis pedẽ confidentiæ in bonis tui Domini, eò plus impetrabis ab eius misericordia: implebiturq; in te pro-

f *Marc.* 11. 23.
Serm 85. *in Cant.*
Serm. 33. *in Cant.*

g Deut.11.24. missio illa Dei, qua dicit. g *omnis locus, quem calcauerit pes vester, vester erit* parua tua aut magna fiducia est, quæ contrahit aut dilatat vas cordis tui, ad recipiendum parum aut multum, ex fonte diuinæ misericordiæ. dilata cor tuum, & aperi os, magnaq; fiducia pete. Deus enim vas tuum ita implebit, vt nihil remaneat vacuum. Et tantum (inquit Cassianus) impetrabis, quantum credideris te impetrare posse. Hac fide examinabat Christus Dominus noster infirmos, ad cuius mensuram ipse miracula faciebat, vt apparet in ijs, quæ dixit duobus illis cœcis: h *secundum fidem vestram fiat vobis.* Quod si infirmi credebant opus esse, vt ipsos Christus manibus suis tangeret, quantumuis paruam eorũ fidem reprehenderet, hoc tamen modo, eos sanabat: si credebant se sanandos, i *si vel fimbriam vestimenti eius tangerent, quotquot tangebant, saluifiebant.* Quod si credebant sufficere eius verbũ, qualis fuit Centurio, solo verbo illos sanabat. k *Vade* (inquit) *& sicut credidisti, fiat tibi, & sanatus est puer in illa hora.* Huiusmodi autem fidem laudabat ipse IESVS, sicut Centurionis fidem *miratus dixit: Non inueni tantam fidem in Israel.* Quod si Cananeæ orationem audire distulit; eamq; varijs modis repellendo exercuit; id fecit, vt fidei suæ firmitatem magis illa manifestaret perseuerans, nec desistens ab eo, quod petebat, & impetrare se posse sperabat; cui sic perseueranti dixit IESVS: l *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* Magna procul dubio fides illa est, quę talibus ventis flantibus non perturbatur, nec tot tempestatibus submergitur, sed prævalet firma, constanterq; perseuerat, donec obtineat, quod optat. O Redemptor dulcissime, donum tuum est hæc fides, & liberalitas, tua hæc fiducia; sicut & ipsa Oratio, ad quem illa dirigitur. Et cum vis largiri quod à te petitur, hanc fiduciam petenti præmittis, qua eum ad petendum & accipiendum disponas. Da mihi pretiosum hoc donum, & m *adauge mihi fidem*, sicut tuis Apostolis, quò mea Oratio, adeo sit feruens, vt per eam merear copiosam tuam misericordiam obtinere. Amen.

Margin notes: g Deut.11.24. — Ex S. Cypr. Coll. 9. c 32. — h Mat.9.29. — i Marc. 6.56. — k Mat. 8.13. — l Mat. 15.28. — m Luc. 17.5.

§. 1.

De primo modo fiducia in Deum.

VEniamus nunc ad solida illa fundamenta explicanda, quæ habemus ad hanc fiduciam in Deum excitandam, quod exaudiet nostras Orationes. Ea autem fundamenta, siue causas, varijs parabolis & rationibus Christus D. N. exposuit in suo Euangelio. Nam primum cupiens ipse (vt ait S. Lucas) nobis persuadere; n *quoniam oportet semper orare, & non deficere* in oratione, amissa videlicet fiducia, feruore, & constantia in ea, proposuit parabolam de *Iudice, qui Deum non timebat, & hominem non reuerebatur. vidua autem quadam veniebat ad eum dicens: Vindica me de aduersario meo,* Iudex aũt

n Luc. 18. 1.

non

non volebat per multum tempus: qua tamen vidua, in sua petitione diu perseuerante, *dixit* Iudex *intra se, etsi Deum non timeo, nec hominem reuereor, tamen quia molesta est mihi hac vidua, vindicabo illam, ne in nouissimo veniens sugillet me.* Quod si hoc dixit. *Iudex* hic *iniquitatis: Deus non faciet vindictam electorũ suorum, clamantium ad se die ac nocte?* O altitudo misericordiæ diuinæ, quæ cum tali Iudice voluerit se conferre, vt nobis efficacius persuaderet, ne ab orando desisteremus. Satis (inquit S. Chrysostomus) fuisset, quod Christus Dominus noster cum bono aliquo, miti, & affabili Iudice se conferret, ac diceret: Si talis Iudex, viduæ petitionis rationem habuit: quanto magis supremus ille Dominus, qui est infinitæ bonitatis, mansuetudinis, & affabilitatis, petitiones vestras exaudiet? fuissetq; sufficiens hoc argumentum, ad quemcunq; prudentem hominem conuincendum. Sed vlterius progressa est huius Domini charitas, cum vsus est comparatione cum iniusto, crudeli, impio, valdeq; terribili Iudice; qui tandem placatur, &, ad importunas preces, in alium commutatur; ad preces inquam, non hominum potentium & magnatum, sed pauperis cuiusdam viduæ, ac desertæ: vt omnes intelligant, quantam vim habeat deprecatio, quæ apud iniquum iudicem tantum efficit, quantum nec timor Dei, nec hominum respectus efficere potuit, eiusq; impium & crudele cor emolliuit, ac reddidit misericors, ob id saltem, vt propriam molestiam & pudorem effugeret. Quod si tantum potest oratio, apud impios & crudeles, quanto amplius obtinebit apud Deum, qui est ipsa misericordia & charitas: & cui graue non est, quod sæpius rogetur; sed potius ea re delectatur; nec orantem odit, sed amat potius, & tanquam electum habet, aut certè hac via cupit illum amicum sibi facere.

Lib. 2. de Orando Deũ.

COGITA ergò, mi frater, animam tuam esse pauperem quandam viduã, quæ opprimitur à suis inimicis, Dæmone, Mundo, & Carne; & quæ nullam in hac vita protectionem habet. Omnes enim huius terræ protectores, ipsi sunt mortui, nec potest ad Deum, tanquam ad sponsum suum accedere, eò quod propria tepiditas generosam adeò fiduciam excludat. Quare instar viduæ alicuius, recurrere debet ad Deum tanquam ad iustissimũ Iudicem, petens ab eo auxilium, fiducia maxima illud obtinendi neq; enim ignôrat ipse iniurias, quas à tuis hostibus pateris: quia sapientissimus est. nec potestas illi deest, ad subueniendum: quia est Omnipotens: nec voluntas, qua id facere velit: quia est sanctissimus, & præterea illi incũbit ex officio supremi Iudicis, huiusmodi iniurias vindicare; ac deniq; plus ipse desiderat, te ab illis liberare, quàm tu ipse desideres. Cur ergo dubites? cur contraharis? accede magna cum securitate, amplectere profundum illud Dauidis consilium, dicentis: o *Reuela Domino viam tuam, & spera in eo, & ipse faciet: & educet quasi lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum tanquam meridiem.* Atq; si distinctius diceret: Refer Domino totius tuæ vitæ discursum & progressum,

o Psal. 36.

iniurias quas ex malitia tuorum hostium sustines, rebellionem tuæ carnis, passionum tuarum tyrannidem, perniciosam cogitationum tuarum libertatem, calumnias hominum, ac Dæmonum vexationes; quæ dum retuleris, spera in Deo, *& ipse faciet*. sed quid faciet? quod nimirum tu petis, ac desideras; efficiet inquã, vt hostes tui sese tibi dedant; iustitiam faciet aduersus eos; &, vt tua, quæ oppressa erat, resplendeat, & prodeat in lucẽ. Efficiet vt Virtus tua oriatur tanquam lux matutina, & p *procedat & crescat vsq; ad perfectam diem. faciet* q (vt ait Apostolus) *superabundanter, quàm petere possis, aut intelligere*. Neq; enim parcus erit ob ignorantiam, aut impotentiam, aut malitiam, aut indignationem. O Iudex sanctissime, tàm misericors, quàm iuste; & tàm potens, quàm misericors, magnâ fiduciâ ad tuum tribunal accedo, supplicans, vt attendas Orationi meæ, & r *Exaudias me in tua Iustitia:* quam scil. in teipso habes. Tu enim es ipsamet Iustitia: cupisq; omnibus eam exhibere, qui ad tuum accedunt tribunal, & ab iniurijs eos eruere, quibus opprimuntur. Hic s *Deus meus clamabo*, & contendam *per diem*; quod si *non exaudies*, id non facies iniustè, nec in damnum meum, sed iustissimè, & *non ad insipientiam*, sed ad vtilitatem *mihi*; nec tibi mea contentio erit molesta, sed gratissima: delectaris enim, si coner & importunus sim, quò efficiar dignus, qui consequar quod peto.

Prou 4.
Eph. 3.
Psal. 142.
Psal. 21. 3.

§. 2.

De secundo modo fiduciæ.

SED quoniam nomen Iudicis timorem aliquem incutit, quo fiducia debilitatur, & quodammodo contrahitur, audi aliam parabolã, quâ Christus Dominus noster cuidã amico se similem facit; quod nomen, teneritatem quandam maiorem indicat. a *Quis vestrum* (inquit) *habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: amice commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod ponam ante illum: & ille deintus respondens dicat: noli mihi molestus esse, iam ostium clausum est, & pueri mei mecũ sunt in cubili, non possum surgere, & dare tibi, & si ille perseuerauerit pulsans, dico vobis, etsi non dabit illi surgens, eò quod amicus eius sit; propter improbitatem tamen eius surget, & dabit illi quotquot habet necessarios. Et ego dico vobis: petite, & dabitur vobis; quærite, & inuenietis; pulsate, & aperietur vobis: omnis enim, qui petit, accipit, & qui quærit, inuenit, & pulsanti aperietur.* O immensa liberalitas eius qui eminenter est verus animarum nostrarum amicus! nec scio vtrum magis admirer, liberalitatemne, qua promittit daturum se nobis, quicquid petierimus; an illam curam, & solicitudinem, qua nobis conatur persuadere, vt importunè & instanter ab eo petamus; securos nos faciens, sibi non fore graue, etiamsi valde simus importuni.

Luc. 11. 5.

Expen-

Expendit hoc mirum in modum S.Petrus Chrysologus, his verbis: O quam dare vult, qui se inquietari taliter, taliter patitur suscitari? O quam necessitatis esse suæ, quod suæ potestatis est, vult videri. O quam pulsanti iste gestiuit occurrere, qui sic secreti sui cubile ipsum collocauit ad ianuam? O quàm negare noluit, qui sibi etiam neganti, qualiter extorquereretur, ostendit? O quàm non ad ianuam tantum Dominus, sed ipsa Ianua Dominus fuit. b *Ego sum* inquit *Ianua*: Qui, dormientibus seruis, pulsantis necessitatem solus & primus audiuit: idemque solus surgit, vt necessitati subueniat. Hæc omnia indicia sunt manifesta, supremum D.N.Deum, plurimum oblectari, quod simus illi importuni nostris Orationibus, magna confidentia plenis. Si enim amicus aliquis, in hoc mundo, tantam habet in amico suo fiduciam, vt media nocte ad eius domum accedere, & eum à somno excitare audeat, vt petat quod sibi est necessarium: idque non semel, sed sæpius & pertinaciter: quanto maiorem par est habere fiduciam accedendi ad Deum, apud quem nullum est tempus intempestiuum, quia nunquam dormit; nulla importunitas molestiam illi affert, quia potius delectatur, quod omnes ab illo petant? quod si importunæ preces tantum valent, vt ab amico, ob solam importunitatem impetrent, quod ob amicitiam non impetrassent: quantò magis apud Deum valebunt, qui eo maximè delectatur, vt eius amici in petendo sint importuni: vt habeat occasionem illos ditandi? Quod si ille titulus & obligatio, pascendi amicum tuum, ad te accedentem, vt hospitio excipiatur, cogit te mendicare panes, quos non habes: & accedere ad alteriꝰ amici domum, illos fortè habentis: quanto erit æquius, recurrere instar importuni mendici; ad portas ipsius Dei, vt animæ tuæ petas alimenta? Hæc anima (ait S. Augustinus) est amicus, qui venit ad te de nocte, vt in domo tua hospitetur, & petat à te cibum sibi dari.

Serm. 39.

b Ioan. 10.

Serm 27. de verbis Domini Et S Bernardus Serm. de Rogationib.

Toto enim tempore, quo illa lethali peccato est fœdata, extra se ambulat, & in tenebris, vaga per creaturas. Sed, cum à Deo inspirata, conuerti desiderat, accedit ad domum tuam, tuum videlicet cor, estque necesse statim illam pascere: conficitur enim fame, sicut filius ille prodigus. cuius propterea desiderio, nisi mox satisfacias, fame peribit. Quid itaque facies, si non habeas, panem; quem illi porrigas, nisi vt ad Iesu Christi domum recurras, amicum pium peccatorum; & ad eius fores clamoribus Orationis pulses, petens accommodari tibi tres panes pœnitentiæ, tres videlicet eius partes, Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem: supplex petendo, vt tibi subsidio sit, ad debitum peccatorum dolorem concipiendum, ad eorundem confessionem, ac pro eis satisfactionem: offerens illi promptè, si eos tibi accommodauerit, te illos in multis Seruitiis redditurum. Quod si supremus hic Redemptor, alieno quasi animo responderit, quod Cananeæ: c *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.* Tu non propterea confi-

c Matt. 15 26

dentiam deponas, nec cesses clamare, peruincet enim tua perseuerantia quamcunque difficultatem, trahetque ipsum ad id, quod ipsimet est valde gratum; ad dandum scilicet tibi petitos panes & virtutes reliquas ad salutē & perfectionem tuam necessarias. Quod si panes illos non tibi accommodauerit titulo amicitiæ: si fortè adhuc es in peccatis, dabit illos tamen ob cōfidentiam, quam habes in eius misericordia; & propter importunitatem, quam adhibes in ea, ad id trahenda. Quod si verè eius es amicus, pete etiam pro anima tua, tres illos panes supra commemoratos: panem videlicet Sapientiæ, ad ipsum viuacius cognoscendum; panem charitatis, ad eundē feruentius diligendum; panem deniq; obedientiæ, ad eius voluntatem diligentius exequendam: & sic spera, daturum tibi ipsum reliquos panes; quibus indigebis, ad famem tuam exsatiandam, tuisque votis satisfaciendum. *Quamuis* enim ita se Deus gerat, vt rogetur; non prætermittet tamen, quin commiseratione permoueatur, ob titulos & causas, quas pro te affers, amicitiæ videlicet, quam te cum illo habere profiteris; necessitatis, qua premeris; famis amici, qui ad te venit; pudoris, quo afficieris, si famelicum eum reliqueris, curę, & solicitudinis, qua ad ipsum importunè rogandum accedis; confidentiæ, quam præ te fers in tanta importunitate; & quod petas, panes non tibi vendi, eo quod facultatem non habeas ad emendos; nec donari tibi gratis, sed commodari: quia hac ratione, tanquam pauper, emendicas Eleemosynam Spiritualem, quam non ad hoc petis; vt postea otiosus maneas, & tantum mendicatò viuas; sed vt labores cum eo, quod acceperis, in obsequio ipsius commodantis; reddasque pro donis acceptis bonum eorum vsum, quem ipse concesserit.

[S.] Aug. vbi [s]up. & [S]er. de Ro[g]ationib.

§. 3.

De tertio confidentiæ modo.

CONTINENT autem mysterium magnum tria illa verba, quæ dixit Christus D.N. PETITE, QVAERITE, & PVLSATE: quæ teste S. Augustino idem omninò significant: repetitione tamen illa plurimum commendatur confidentia, diligentia, & perseuerantia, qua nobis est orandum. sicut mendici confidenter eleemosynam à diuitibus misericordibus occurrentibus petunt, & non occurrentes quærunt; accedentes templa, quò illi solent conuenire; aut eorum domus, in quibus solent habitare: quod si fortè ianuas inueniant clausas, pulsantes perseuerant, donec audiantur, & aperiatur illis. Quod si hæc faciunt mendici huius mundi, pro frusto panis, aut corporali alia Eleemosyna obtinenda; quæ tamen sæpè illis negatur, etiam post totum suum laborem & importunitatem: quantò æquius erit, te etiam petere, quærere, & pulsare ad portas Dei, vt spiritualem Eleemosynam, & quicquid ad necessitatis tuæ remediū est necessarium, ob-

Lib. 1. Retract. c. 19.

tineas. In hoc ergo fundatur tertius gradus confidentiæ in Deum; tanquam in Eleemosynarium misericordem, & a *diuitem* (vt Apostolus ait) *in misericordia, in omnes qui inuocant illum.* Ad quem in spiritu pauperis accedes, cum Dauide innitendo amori, quem ipse gerit erga pauperes: magnæque propensioni, quam ostendit audiendi eorum desideria & petitiones: gaudens à se peti Eleemosynam, quam vult liberaliter impartiri: nosque reddit securos valdè asseueranter: quod omnes qui petunt, sicut oportet, impetrabunt quod petunt: & omnes, qui quærunt, inuenient, quod optant: omnes denique qui pulsant, admittentur: quia diuinæ misericordiæ fores eis aperientur, vt ea gaudere possint.

a *Ephes* 2. 4. *Rom* 10. 12. *Psal.* 9. 19. *Psal.* 68. 34.

PETE itaque viua fide, QVAERE certa spe, & PVLSA feruenti charitate. Pete panem obedientiæ, quære panem sapientiæ, & pulsa, vt panis tibi detur perfectæ amicitiæ: nec desistas à petendo, quærendo, & pulsando. Quotiescunque enim hoc, vt oportet, feceris: certissimo recipies à Deo aliquam Eleemosynam: & inuenies aliquid eius, quod desideras. Et verò minimum tria magna dona statim in præsenti recipies.

Semper eleemosynam accipit, qui benè orat.

1. PRIMVM (vt perpendit S. Nilus) est ipsum donum orationis: *vult enim* (ait) *Deus diutius te beneficio afficere in oratione perseuerantem: Quid enim excellentius, quam cum Deo colloqui & vsu eiusdem detineri?* Sicut tu ipse, quando plurimum quempiam diligis, si aliquid à te petat, fingis te esse oblitum, & sermonem cum eo prolixiorem instituis, priusquam, quod petit, concedas. Quo etiam modo Ioseph faciebat cum suis fratribus, ob tenerum amorem, quo illos prosequebatur. Et quodnam maius beneficiũ euenire tibi potest, quam colloqui cum Deo, diutiusque morari, teneris ac beneuolis sermonibus cum eo conferendis? ne dixeris (ait S. Ioannes Climacus) cùm perseueras in oratione, nihil te accepisse, quamuis videaris tibi non accipere, quod petis: accepisti enim perseuerantiam in ipsa oratione, quod maximum est donum. Siquidem maius nullum est, quam spiritum cum Deo semper coniunctum habere.

C. 31 *de orat.*

Gen. 42.

Grad 28.

2. HINC prouenit secundum donum, quod est meritum, & virtutum augmentum, quod perseueranti tibi in orando & sperando datur. Profundo (inquit S. Gregor.) & alto consilio, Deus D.N. clamantibus sanctis eius, vt liberentur à calamitatibus & angustiis, quibus premuntur: differt eos exaudire, vt eorum merita crescant: & *eò magis (inquit) exaudiuntur ad meritum, quò citius non exaudiuntur ad votum.* Quamobrem dixit Dauid. e *Deus meus, clamabo per diem, & non exaudies; & nocte,* & nec exaudies: sed *non ad insipientiam mihi* tribuetur, si perseuerauero in clamore: sic enim multum proficio, faciens in tuo conspectu quod debeo.

Lib. 20. *Mor c* 22. *vide* 5. *Mor. c.* 4.

e *Psal.* 21. 3

3. TERTIVM donum est, quod ex nunc teipsum præpares ac disponas, ad accipiendum suo tempore id, quod petis: idq; cum maiori fructu, quàm

si nunc

Lib 3. de summo bono c. 7. si nunc tibi daretur. Sæpè enim (ait sanctus Isidorus) differt Deus tuas orationes exaudire. quod vel non satis dispositus sis, ad accipiendum quod petis, vel vt excellentiora quædam accipere possis, quæ ipse cupit tibi largiri. Ea siquidem dilatione efficit, vt tuum desiderium, feruor & perseuerantia in oratione crescant. & vt segetes, quæ tardius nascuntur, solent postea impetu maiori crescere: ita quò Deus tardius te exaudit, eò maiori bonorum copia te solet ditare. Et eueniet tibi (ait Gerson) quod mendico, quem diuites diu expectare faciunt, antequam eleemosynam accipiat, præcipuè verò si in ea petenda, grauem aliquem laborem sustinuit, vt multò liberalior & abundantior propterea ei detur.

De mendic. spirit. 4. p. 1. Alphab. 75.

§. 4.

De quarto modo fiduciæ.

NON fuit satis Christo D.N. adhibere comparationem amici, cuius amor, eò quòd deforis naturæ adueniat, non adeò solet esse magnus, nec adeò constans; sed ad solidius nostram confidentiam fundãdam, aliam adfert, Patris erga filios, comparationem iucundissimam, dicens; a *Quis ex vobis Patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi? aut piscem: nunquid pro pisce serpentem dabit illi? Aut si petierit ouum: nunquid porriget illi Scorpionem? Si ergo vos, cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: quanto magis Pater vester, de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se?* O Pater dulcissime, quomodo immensam tuam charitatem manifestas, inducens nos ad fiduciam in te collocandam, non solùm exemplo bonorum parentum; sed etiam improborum, siue tales illi sint ob malam propensionem, quam ex vtero contraxerunt; siue ob malitiam, quam peruersa intentione priori defectui adiunxerunt. Satis fuisset, nobis dicere: si patres huius sæculi petitiones filiorũ exaudiunt; multò magis te eas auditurum, qui es Pater cœlestis: sed, cùm etiam Patres improbos in medium adducas, docere me vis; quod cùm illi peruersam suam propensionem vincant naturali amore, quem ad suos filios gerunt, vt liberaliter dent illis bona, quæ possident: tu sis liberalius daturus, quæ habes, cùm sis Pater infinitè bonus; & ab infinita tua bonitate propensus ad communicanda bona, quæ habes. Nec verò etiam es contentus adferre in medium parentes improbos; sed attulisti etiam indigentes & non habentes bona, nisi quæ recepissent: vt appareat, quod si illi ex paupertate sua, distribuunt partem aliquam filiis suis; & sibi ipsis orique suo eam subtrahunt, vt filiis impartiantur: multò magis tu, de propriis tuis bonis sis illis daturus, cum sis infinitè diues & potens; nec dando ex illis, aliquid tibi decrescat: neque enim, etiam plurima dando, plus tibi subtrahis, quàm si nihil omninò dedisses. Et, si illi parentes etiam tales, nunquam filiis suis res inutiles dant, quales sunt lapides; nec noxias, quales serpentes & scorpiones;

a Luc 11. 11. Matth. 7. 9.

sed

ſed dant illis ſemper res conuenientes & vtiles: multò minus dabis tu illis; quod nocere poſsit, ſed quicquid vtile ſit.

Verum dic nobis, ô ſupreme Pater, quænam illa ſunt, quæ filiis tuis petentibus, te daturum polliceris, vt ſciamus, quid nobis, tanquam filiis talis patris, ſperandum ſit ac petendum. b *Dabit (inquit) bona & ſpiritum bonum petentibus ſe.* Duo ſunt genera bonorum. Quædam enim abſolutè, & excellenter hoc nomen merentur, eò quod ſemper vtilia ſint, nec noxia eſſe poſsint; qualia ſunt ſpiritualia animæ bona, Gratia ſcilicet, Charitas, Virtutes, ac dona Spiritus S. qui eſt Spiritus bonus, à quo vera bona promanant & à quibus boni ſumus, ac nominamur. Et hæc propriè ſunt obiecta ſpei noſtræ, propriaque noſtræ petitionis materia, quæ abſque vlla conditione, peti poſſunt à cœleſti noſtro patre. Talia enim bona ſunt à tali patre petenda, qui quod Rex ſit cœleſtis, oblectatur, cùm bona cœleſtia largitur, quæ vt è cœlo deſcendunt, ita nos ad idem cœlum deducunt. Et de his bonis intelliguntur præcipuè quæcunque hactenus diximus. b *Matt. 7. 9*

Alia ſunt bona, quæ & vtilia eſſe poſſunt animæ, & etiam noxia, ob minus rectum eorum votum, qualis eſt ſalus, temporales facultates, honores, dignitates, & omnia bona corporis; ſicut etiam aliqua ſpiritus, quales ſunt ſcientiæ. & aliquæ gratiæ gratis datæ, imò & ipſæ conſolationes, & ſpiritus deliciæ. Et hæc ea tantum ratione ſpei & orationis noſtræ obiectum & materia eſſe poſſunt, ſi ad ſalutem & perfectionem noſtram ea nos habere expediat. Magnæ enim eſſet imprudentiæ, determinatè petere, quod non conſtat mihi an panis, aut lapis; piſcis, aut ſerpens, ouum an ſcorpio; vtile an noxium, mihi ſit futurum. Melius itaque eſt id ei committere, qui optimè nouit, patri ſcilicet noſtro cœleſti: qui vt ex charitate, qua nos proſequitur, liberaliter id concedit, quod nobis eſt vtile: ita beneuolè denegat, quod ſit nobis nociturum, etiamſi id inſtanter ab eo petamus. Nam talia concedere, quæ nobis ſint nocitura, quid aliud eſſet quam filio petenti quod exiſtimat eſſe panem, porrigere lapidem ſcandali, in quem impingat: & petenti, quod exiſtimat eſſe piſcem, dare ſerpentem alicuius tentationis, quæ eundẽ mordeat: & petenti ouum, dare ſcorpionẽ peccati, quod illum veneno inficiat?

Qvamobrem dixit S. Aug. orantem Deum pro neceſsitatibus huius vitæ, beneuolè interdum exaudiri, & beneuolè interdum non exaudiri. Melius enim nouit medicus, quàm ægrotus, quid illi conferat ad ſanitatem. Et propterea Apoſtolus non fuit exauditus, cùm c *ter Dominum rogaſſet, vt diſcederet ab ipſo ſtimulus carnis, qui illum colaphizabat*: quia ei non expediebat. Quando autem ad ſalutem petentis, expedit aliquid tale habere, dabitur ſine dubio illi, cum fuerit eidem opportunum. Interdum enim differtur, non quia negatur, ſed vt tunc detur, quando maxime proderit. Siquidem facilè euenire poteſt, vt quod tibi hodie eſt lapis, cras ſit panis; & quod nunc

Lib. ſent. ex Aug. c. 212. Vide S. Tho. 2. 2. q. 83 art. 15 ad 2. c *2. Cor 12. 8 Vide S. Aug. tract. 102 in Ioan.*

esset tibi serpens, aut scorpio, alio tempore sit piscis, aut ouum. Et quoniam Deus talis est pater, qui nouit tempus & horam, qua tibi, quod petis, expediat, non dat illud donec ipsa hora adsit: & propterea dixit Christus B. Virg.
Ioan. 2. 4. petenti vinum, quod in nuptiis deerat. d *Nondum venit hora mea.* O Pater benignissime, quam verè diligis filios tuos, & in te recipis vt illis prospicias de omnibus vtilibus. Tuam vocas eam horam, in qua decreuisti concedere nobis, quod à te petimus; quia tuum est ea hora & occasione, quod petimus dare, in qua vtile sit nobis accipere. Potuisses etiam, Domine, eandem vocare horam meam, siquidem in bonum meum illa cedit; sed vis potiùs eam vocare tuam, vt ego discam fidere beneuolæ ac suaui tuæ prouidentiæ. O anima mea, ne anxia sis, quando tuus cœlestis pater differt concedere quod petis: quia nondum venit hora eius, neque tua. noli illud quærere, antequam accedat hora, ne tibi sit noxium: veniet illa, & tunc dabitur tibi; quia tunc erit vtile tibi. noli huiusmodi bona absque tuæ voluntatis resignatione, & obstinatè petere; ne tibi eueniat, vt quod Deus quà pater misericors, tibi
Psal. 108. 7 denegat; idem tanquam seuerus iudex largiatur; & e *oratio tua* praua *fiat* tibi *in peccatum*, quod ipse eam exaudiendo, castiget in tuam perniciem.


SED vlterius adhuc meritò progredietur tua resignatio, cum huiusmodi bona à Deo petis. Nam esto, non essent animæ tuæ damno futura, non tamen sunt petenda, nisi sub alia conditione; si videlicet Deo placet illa tibi
Mat. 26. 39 dare, sicut Christus D.N. petebat: f *si possibile est, transeat à me calix iste* passionis; sed statim adiunxit: *verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. nec mea voluntas fiat, sed tua.* Non enim est perfectionis petere, quicquid sine peccato possis, aut quicquid tibi non noceat; nisi idem sit Dei voluntati conforme, quam meritò præferre debes omni tuæ propensioni etiam bonæ: & quod ipse iuxta sanctissimam suam voluntatem tibi dederit, id erit tibi spiritus bonus, quo sanctus sis, ac perfectus.

HIS sufficienter satisfactum est querelis omnibus, siue tentationibus eorum, qui cum non experiuntur orationes suas exaudiri, tepescunt in eis; imò tanquam inutiles deserunt, aut diuinis promissionibus diffidunt. Qui-
Serm. 5. de Quadrag. bus dicit S. Bernard. *nemo vestrum suam orationem despiciat, quia Deus quem oratis, eam non despicit,* & vix illa prodit ex ore vestro, cum scriptam iam habet in suo libro. Et alterum è duobus, absque dubio potestis sperare, aut scilicet quod petitis, aut quod sit vobis futurum vtilius. Nolite de rebus iudicium ex sola apparentia facere, aut ex sensuum experientia, quæ fallax est; sed ex veritate fidei, quæ est infallibilis, & citius cœlum & terra transibunt, quam Deus desit verbo suo.

CAPVT

CAPVT XVI.

HEROICAM FIDVCIAM FVNDARI IN VNIONE cum vnigenito Dei filio, eamq; etiam ad orandum pro aliis extendi. quæ indicia ostendant, orationem exauditam esse: & quænam sint exiguæ fiduciæ radices.



INSATIABILIS omninò est cœlestis nostri patris charitas, vt quæ nunquam desinat manifestare nobis nouos modos, de eius bonitate confidendi, quò maiora ex ea bona, per orationem proueniant. Nouerat benè hic Dominus, adoptiuos filios, nunquam esse suis parentibus ita charos atque naturales; amor enim ille peregrinus est, & naturæ aduenit propter adoptionem: hic verò est connaturalis, propter generationem. Et quoniam omnes homines adoptiui tantum Dei filij esse possumus, per gratiam adoptionis, voluit ipse cœlestis pater filium suum vnigenitum & naturalem Iesum Christum Seruatorem nostrum supplere quod nobis deerat: qui seipsum nobis coniungens, fiduciam nostram in excellenti sua filiatione fundaret. Ita vt eidem vniti confidamus, ac petamus Patrem nostrum, sicut ipsemet filius eius naturalis: quæ suprema est fiducia, quam habere possimus. Hunc bolum tanquam optimum, seruauit in vltimum locum cœlestis noster Magister, & absque parabolis, eum modum petendi docuit nos in vltimo sermone post cœnam, dicens: a *Amen Amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Vsquemodo non petiistis quicquam in nomine meo: petite & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum.* Quid est autem in nomine Christi petere, nisi (vt cap. 14. §. 5. diximus) petere ex parte vnigeniti filij Dei, atque si ipsemet, & sibi ipsi peteret; eidemque dandum esset, quod petitur: sicut reuera eius intuitu nobis datur. Quod si naturali filio nihil est denegandum: quomodo negabitur adoptiuo petenti, quatenus est vnum cum naturali; nec proprio suo nomine petenti, sed naturalis filij vnigeniti nomine, qui æquè est bonus, atque ipsemet Pater? Facilius hoc intelligetur, si meminerimus, quid filij Iacob, post mortem patris, dixerint fratri suo Ioseph, quò illis condonaret iniuriam, in eius venditione ipsi illatam: b *Pater tuus* (inquiunt) *præcepit nobis, antequam moreretur, vt hæc tibi verbis illius diceremus: obsecro vt obliuiscaris sceleris fratrum tuorũ: & peccati atque malitiæ, quã exercuerunt in te: nos quoq; oramus, vt seruo Dei Patri tuo, demittas iniquitatem hanc.* Quasi dicerent: Hæc gratia & cõdonatio nõ fit nobis, sed patri tuo Iacob seruo Dei, qui nõ peccauit sicut nos; & in eius nomine illã petimus: quia ipse pręcepit nobis, vt

a *Ioan. 16.2*

Vide Tolet in c. 16. Ioan.

b *Gen 50.1*

Alius textus habet: Seruis Dei Patris tui.

ſuo nomine illam peteremus, Quæ verba adeò Ioſephum emolliuerunt, vt ſtatim fleuerit,nec ſolum iniuriam condonauerit, ſed magnis etiam beneficiis indulgentiaque eos fuerit proſecutus. In hunc itaque modum,te conſtitues coram æterno patre,indutus fiducia vnigeniti eius filii,& innocentia ſanctiſsimæ eius vitæ,ac verbis munitus, quibus te docuit orare ; titulis de-
.14. 5.3. nique fretus,quos habes in eius meritis fundatos,ſicut ſupra inſinuauimus, dicens:Pater æterne,fiducia,qua huc venio,non eſt ſolùm adoptiui filij, ſed naturalis & vnigeniti filij tui:quod peto,eius nomine peto : verba quæ profero,eius ſunt;& gratiam pro qua ſupplico, illi potius, quam mihi præſtabis. Si peccata mihi remittis,ipſi remittis,qui nunquam peccauit, ſi virtutes mihi concedis,illi concedis,qui eas eſt promeritus.& quoniam eum non exaudire non potes,nec me poteris non exaudire.O fiducia altiſsima! ô oratio potentiſsima! quæ poteſt hac excelſior eſſe altitudo? quæ potentia huic par eſſe poteſt?& vt ſis adhuc certior ac ſecurior in hoc,attende, quid dixe-
c Pſal. 67. 9. rit Dauid de ipſo Chriſto D.N.in cœlum aſcendente: c *Accepiſti,inquit,dona in hominibus*,quam ſententiam explicans Apoſt. d *dedit, inquit, dona hominibus*,ad inſinuandum, quod Deus nobis dat, id ipſum Chriſtum recipere:
d Eph. 4.8.
quia idem eſt,atque ſi ipſi Chriſto daretur,qui,quà Deus eſt,dat ſibiipſi,quà eſt homo,quod nobis dat:eò quod nos habeat ſibi vnitos ; ac propterea in
e Matth. 25. 40. die iudicij dicet Iuſtis:e *quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.*& ſimiliter nunc dicit æterno ſuo Patri, id quod vni ex his minimis ſeruis meis das, hoc mihi das;quia ſunt vnum mecum, & ego cum eis.

Ex quo fit,vt ad talem fiduciam ita ſolidè in nobis fundandam, vt impetrare poſsit à Deo quicquid petierimus,neceſſe ſit habere ex parte noſtra, perfectam hanc cum ipſo Chriſto D.N.vnionem,per amorem ſcilicet eius & obedientiam,qua ſanctiſsimæ eius voluntati ſubiiciamur : quod ipſemet
f Ioan. 15.7. monuit,cùm dixit: f *Si manſeritis in me,& verba mea in vobis manſerint, quodcunque volueritis petetis,& fiet vobis.* O altitudo ſapientiæ & charitatis Chriſti? quid hoc eſt,quod dicis Domine? An neſcis voluntatem hominum, propendere ex ſeipſa ad carnem ſuam? ad honorem ſuum? ad commodum? ad delitias? imò ad ſeipſam in omnibus,quæ illi placent? Quomodo ergo tantum huic voluntati tribuis,vt quicquid voluerit,petat; nam id totum ais dabitur ei? Benè tamen nouit ſapientiſsimus noſter Magiſter, quid promittat;& cuinam voluntati facultatem faciat, quæcunque voluerit,petendi. Si enim voluntas illa,ipſi permanet coniuncta, per amorem & obedientiam:nunquam verbis ipſius petet,niſi quod huic vnioni ſit conforme; & ad eam conſeruandam ac perficiendam conferat;&quoniam voluntas ſic vnita Chriſto, eſt eadem cum ipſius Chriſti voluntate, petat quæcunque voluerit:omnia enim ei concedentur,atq; ſi ipſemet Chriſtus peteret,cuius
g 1.Ioa.3.21 talis eſt voluntas. Hæc illa eſt inſignis fiducia,de qua S.Ioannes: g *Cariſsimi,*

inquit,

inquit, *si cor nostrum non reprehenderit nos* (de culpa videlicet, inobedientia aut disiunctione ab ipso) *fiduciam habemus ad Deum: & quicquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata eius custodimus, & ea quæ sunt placita coram eo, facimus.* Et iterum: h *Hæc est fiducia, quam habemus ad eum: quia quodcunq; petierimus secundum voluntatem eius, audit nos*: quia ipse docuit nos *petitiones, quas ab ipso postulemus.* Conserua tu hanc vnionem & obedientiam Deo, & incipe de nouo petere, iuxta hanc fiduciæ formam: & reipsa experieris abundantiam bonorum, quæ recipies, ita vt gaudium tuum eorum possessione sit plenum. h 1. *Ioan.* 5. 14.

HIC fundare poteris omnes modos fiduciæ quibus eam habere potes in Deum, si velis illos esse perfectos: Fiduciā pauperis, quæ innititur non proprijs meritis, sed alienis, eadem tamen tibi, propter vnionem quam habes cum eo, cuius illa sunt appropriando. Fiduciam serui fidelis, quæ fidelibus Domino suo præstitis obsequijs innititur, licet ea præstiteris bonis ab ipso acceptis, cùm esses eius voluntati vnitus. Amici, fundatam in vnione, quæ intimam efficit amicitiam; Filij, fundatam in vnione, quam efficit spiritualis generatio in Esse gratiæ; ac deniq; fiduciam sponsæ, quæ tota innitatur vnioni, ex spirituali coniugio ob charitatem perfectam exortæ. Quacunq; harum fiduciarum licebit tibi, sicut alteri Iacob, Deum ipsum apprehendere, & cum eo in oratione luctari, instanter perseuerando, & confidenter dicendo: i *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi:* & concesseris, quod peto. Scio enim, id tibi placere, siquidem non peto, nisi quod tu vis, vt petam. Et interdum eousq; progreditur huius fiduciæ securitas & certitudo, vt dicat sicut Moyses: k *aut dimitte populo hanc noxam; aut si non facis dele me de libro tuo, quem scripsisti.* quod fuit idem atq; si dixisset: aut concede id, pro quo supplico; aut, si non concedis, dissoluatur vnio illa & amicitia, qua sumus coniuncti: non quod velit vllo modo dissolui; sed quia nouit, quanti Deus illam faciat, quantumq; delectetur eam conseruando. & ideò ea vtitur, tanquam optimo titulo & causa, ad impetrandum quod cupit.

2. Quinq; modi fiduciæ.

i *Gen* 32. 26.

k *Exod.* 32. 32.

§. I.

De fiducia, dum aliquid pro alijs petitur.

HINC fit, quod hæc fiducia non se contineat in ijs, quæ sperat petitq; pro se; sed extendat se etiam ad petendum pro alijs: cùm enim innitatur vnioni cum Deo, & Christo D.N. cuius omnes iusti sunt participes, licet alijs pro alijs petere, ac sperare se consecuturos quod petent, confidentes promissioni eiusdem Domini dicentis: a *si duo ex vobis consenserint supra terram, de omni re, quamcunq; petierint, fiet illis à patre meo, qui in cœlis est: vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum,* orans

a *Mat.* 18. 19.

Lib. 7. in Luc. scilicet & petens cum eis. Magna (inquit S. Ambros.) est Dei nostri liberalitas, quem si ex toto corde diligas, non solùm licebit tibi petere pro te, sed etiã pro tuis proximis. Et licet eis fiducia desit, ob tuam exaudieris. & illis subuenietur: siquidem Christus D.N. b *videns fidem offerentium paraliticum in lecto iacentem*, vt illum sanitati restitueret, integram ei reddidit in corpore & anima, *dicens illi: Confide fili: remittuntur tibi peccata tua*, & postea: *surge, tolle lectum tuum & vade in domum tuam.* vt ex hoc intelligas, tantam vim habere fiduciam, vt etiam pro peccatoribus exaudiatur; & ideo S. Ioan. dum hanc fiduciam commendat, & addit: c *Qui scit fratrem suum peccare, petat, & dabitur ei vita.* Potens est. n. oratio ad impetrandã vitam gratiæ ea spoliato. Verũ est tamen, orationem & fiduciã petentis aliquid pro se efficaciorẽ esse: quia potest ipse propria impedimenta eius remouere; cùm autem pro alijs petitur, tantam illi interdum adhibet resistentiam, & malitiam; vt propter eam (teste S. Basilio) non exaudiatur, qui petit. Adeò tamen est benignus & liberalis Deus, vt ne suos amicos contristet, eorumve fiduciam imminuat: eos aliquando moneat, (vt ibidem sanctus Ioannes notauit) ne orent pro huiusmodi obstinatis, & qui de propria sua morte gaudent. Sicut Samueli dixit Deus: d *Vsquequo tu luges Saul, cum ego proiecerim eum*, & à mea præsentia remouerim: Et Ieremiæ dixit: e *Tu noli orare pro populo hoc, & non obsistas mihi: quia non exaudiam te.* Et quid hoc aliud fuit, nisi auferre illi affectum & propensionem orandi, & feruentem orationis Spiritum pro eis? Nam quando ipse eam suggerit ac inspirat, nullus adeo est obstinatus peccator, qui per eã non conuertatur: siquidem S. Stephani oratio, Sauli conuersionem impetratrauit. Et ipse Deus (vt ait Ezechiel) f *quærit* ac desiderat inuenire *virum qui interponat spem* & fiduciam suam, suisq; orationibus *stet oppositus contra ipsum pro terra, ne dissipet eam.* Et Moysi dixit: g *Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos.* significans se eius Oratione detineri, ne iratus *eos deleret.* O immensa Dei charitas, qui vult ac desiderat iustos amicos suos, opponere se ipsi, eiusq; iram detinere, ne pro meritis castiget peccatores: Da mihi Deus tantam fiduciam, vt iram tuam cohibere possim.

[Margin notes: b Mat. 9. 2. Marc. 2. 3. Luc. 5 18. — c 1. Ioan. 5. 16. — Reg. 261. ex breuio. — d 1. Reg. 16. 1. — e Ier. 7. 16. & c. 11. 14. — Act. 7 59. — f Ezech. 22. 30. — g Exod. 32 10.]

§. 2.

Signa exauditæ Orationis.

EX hac cũ Christo D.N. vnione prouenit heroica illa fiducia, quæ tanta efficacitate ac securitate petit, atq; si, quod petit, obtinuisset; ac propterea quasi pro iam obtento, gratias agit. Sicut Christus D.N. Lazarum resuscitaturus, alta voce dixit: a *Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me; ego autem sciebam, quia semper me audis, sed propter populum, qui circumstat, dixi: vt credant, quia tu me misisti.* Et, cum Pater filium semper exaudiat, quid mirum, si tantam interdum fiduciam ijs tribuat, qui cum ipsius filij voluntate sunt

[Margin note: a Ioan. 11. 41.]

vniti,

vniti, vt in eadem oratione gratias agant, quod ipsos in ea exaudierit. Et hãc (ait S. Bernardus) esse formam Orandi, quam Apostolus b *gratiarum actionẽ* appellat: quæ cæteris orandi formis præstantior est, licet eò rarior quò preciosior; & pauci sint, qui ad eã perueniant. Quia pauci tanto feruore orant, vt in ipsa oratione sentiant, se exauditos. Non est tamen abiiciendus animus, in desiderandis ac procurandis altiorib. Dei donis: sed feruore virtutum ad ea aspirandum, ac contendendũ est. Nã (vt idẽ S. Bern. ait) quò magis crescis in gratia Dei, eò magis dilatatur fiducia tua, vt feruentius amans, maiori etiã fiducia ores, & petas. Estq; rationi consentaneum, vt ad eam sublimẽ orationẽ aspires, cuius fides tanta sit, vt omnia speret; tantaq; deuotio, vt quo modo potest, Deum ipsum cogat; & tanta charitas, vt quidquid petit, in ipsa Oratione sentiat se impetrasse. Nam esto sit verũ, quod ordinarie id Deus occultet, & (vt ait Iob) c *cũ inuocantem exaudierit me, non credo quod audierit vocem meam:* Interdum tamen insigni quadam confidentia, quod oratio sit exaudita & acceptata, feruentẽ Orationẽ remunerat; certum internè reddens (vt ait Cassianus) ipsum orantem, quòd sit facturus ea, quæ ipse petiuerit. Quæ fiducia fructus est ipsius orationis. Talis fuit Oratio Annæ matris Samuelis, de qua dicit Scriptura, quòd Oratione sua absoluta, d *abierit in viam suam, vultusq; illius non fuerint amplius in diuersa mutati*, ob securitatem, quam habuit, quod esset Oratione sua exaudita. Talis quoq; fuit Oratio e *Saræ*, vxoris Tobiæ, & f *Iudith*; Et ipsius B. Virginis Dominæ Nostræ, cum à Christo filio suo petijt vinum in nuptijs, quæ quod intellexisset suam petitionẽ fuisse exauditam, dixit ministris: g *quodcumq; dixerit vobis, facite.* Talem quoque fiduciam habuerunt. h *Apostoli* & alij Sancti, cum orarent pro impetrandis aliquibus miraculis, quæ à Deo petebant.

Serm de ... mod. Orandi. — b *1. Tim. 2.* — *Serm. 3. in Cant.* — *Idem lib. ... digni. amo... diuin. c. 3.* — c *Iob. 9* — *S. Greg. li... 9 c. 11.* — *Collat. 9. 32.* — d *1. Reg 1. 18.* — Vide Glossam ibid. — e *Tob 3 24* — f *Iudit. 9 17* — g *Ioan. 2.* — h *Act. 4. 3...*

Heroicam hanc confidentiam, præcedere solet vehemens aliqua inspiratio, quæ nos mouet ad orandum, cũ tanta fiducia, signumq; est, quod velit Deus concedere, quod ita petitur. Vt. n. S. August. ait, Deus nos non exhortaretur ad orandum; nisi dare vellet, quod petimus. Ita Spiritus S. nobis non inspiraret & ad orandum impelleret, cum tot gemitibus; nec ad rem talẽ in particulari petendã, accensis adeo affectib. nisi eam vellet nobis concedere. Ideo enim dixit Apostolus, i *Deum nosse*, & approbare ea, *quæ desiderat Spiritus* Diuinus: quando *secundum Deum postulat pro Sanctis.*

Signũ exauditæ Orationis. — 1. — *Ser. 29. de verb. Domini.* — i *Rom 8. 27* — *vide S. Tho 3. p. q. 21. a 4.*

Alivd quoq; signum externũ solet coniũgere Deus huic interno, mitte... aliquam tribulationẽ aut ignominiam, quæ ipsam petitionem & fiduciam reddat feruentiorem, vt & humilitatem & patientiam præmio afficiat audiens tam feruentem petitionẽ, quæ fit à tribulato: quomodo permisit, Annã Samuelis matrẽ, cum feruentissimè oraret, affici iniuria ab Heli Sacerdote, dicente illi: k *Vsquequo ebria eris? digere paulisper vinum quo mades:*

2. — k *1. Reg. 1. 14.*

quæ humiliter valde respondens, tandem meruit exaudiri, fieriq; voti compos. Et B. Virgini Dominæ nostræ, primùm siccum valde responsum dedit Christus dicens: l *Quid mihi & tibi est mulier, nondum venit hora mea.* Et m *Cananeæ* respondit asperius, quasi *canem* eam cõpellans, & indignam, cui *panis filiorum daretur:* & vtrumq; eò dirigebat Christus, vt eam orationem exaudiret. Et in eum sensum loquitur Iob. n *qui deridetur ab amico suo sicut ego, inuocabit Deum, & exaudiet eum.*

l Ioan. 2. 4.
m Mat. 15. 26.
n Iob. 12. 3.

3.

DENIQVE, vt ait Richardus de S. Victore, anima impetrat quod petit, vel ob magnitudinem fidei, vel ob humilitatem profundam, aut importunitatem, aut feruens desiderium & deuotionem, aut efficacem titulum & rationem, quam ad impetrandum allegat. Et præter id quod petit, modò reuelationem, modò consolationem aliquam magnam, aut certitudinem accipit; interdum dubia manet, interdum verò se exauditam esse sentit: licet modum quo voti fiat compos, ignoret. Sicut senex Tobias intellexit, se o *exauditum esse à Deo, vt moreretur:* cum petiuisset liberari à miserijs, quibus premebatur: sed deceptus est, existimans se per mortem ab eis liberandum. Quod tamen non per mortem; sed per liberationem à cæcitate & paupertate factum fuit. Sed motib. istis internis (vt S. Bonauentura aduertit) deceptio subesse potest, si tribuatur Spiritui sancto, quod Spiritus ac desiderij nostri est proprium, proueniens à vehementi nostra apprehensione. Quare non est fides illis facilè adhibenda, nisi examinentur prius per doctrinam & regulas, inferius tradendas.

Super Cāt.
o Tob. 4. 1.
Processu religion c. 19.

4.

NVNC sufficiat nobis vna regula ad coniecturam faciendam, quænam Oratio sit exaudita: quæ regula deducitur ex his, quæ dicit S. Ambrosius, cum declarat quæ res concurrant ad Orationem, iuxta Christi D.N. sententiam, dicentis: p *Si duo vel tres ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcunq; petierint, fiet illis à Patre meo.* Qui (inquit) sunt isti duo aut tres, nisi corpus & anima & Spiritus S. Quando itaq; anima, colligit omnes sua potentias interiores, intra penetrale sui cordis, vt oret Patrem suum in abscondito, non fine aliquo minus recto & inani, corpusq; suos etiam colligens sensus externos, animæ coniungitur ad orandum sicut oportet; tum Spiritus ipse S. accedens inspirat hanc vnitionem cum animo quieto & pacato, vt efficaciter & feruenter orent: signū est, adesse ibi ipsummet Christum, in medio horum trium, & suam authoritatem adhibere, vt talis oratio exaudiatur. O felicem vnionem, in qua tot conueniunt, ad simul orandum æternum Patrem? Quid maius desiderari, aut efficacius proponi potest? O anima mea coniunge tuas facultates, collige tuos sensus, coniungere diuino Spiritui, & vnire Iesu Christo filio Dei viui, vt Oratio tua, ab æterno ei⁹ Patre acceptetur; q *delectare in Domino,* (vt ait David) *& dabit tibi petitiones cordis tui:* Si. n. ei placere tibi est iucundū; erit & ipsi, tuā orationē exaudire.

De Instit. Virgin. c. 1. & 2.
p Matt. 18. 19.
q Psal. 36. 4.

§. 3.

§. 3.

De causis diffidentiæ.

EX his quæ hactenus diximus, licet colligere causas, quæ vel minuunt, vel auferunt confidentiam in Oratione; ac proinde impediunt, quò minus exaudiatur.

PRIMVM enim damnum hoc adfert quæcunq; culpa, dissoluens vnionẽ cum Christo, & sanctissima eius voluntate, in ei⁹ præceptis expressa; tunc præcipuè, cum actu complacet sibi quis in ea, aut rebellis est legi, aut a *reprehendit eum cor*; nec tamen adhibetur remedium. Tale.n.genus culparum (vt ait S.Greg.) cor ita deijcit, vt non ita confidenter petat, vt mereatur exaudiri. Quamobrem dixit Dauid: b *Iniquitatem si aspexi, in corde meo*, eius me aspectu oblectãdo, *non exaudiet Dominus*. Et Sapiens: c *Qui declinat aures suas, ne audiat legem, Oratio eius erit execrabilis*. Si.n.tu non reddas Deo, quod ipse petit, quomodo confides, ipsum tibi daturum quod petis? Rectũ est.n.quod Deus aures suas obturet, ne audiat orationes eius, qui instar surdi aspidis, suas obturat pertinaciter, ne diuinas audiat admonitiones. Et apud Iob dicitur: d *Ibi Clamabunt impij, & non exaudiet, propter superbiam ipsorum. Non ergo frustra audiet Deus, & omnipotens causas singulorum intuebitur*, qui temerè sine fiducia & voluntate faciendi, quod ille iubet, aliquid ab eo petit. Et in eodẽ sensu verum est, quod dixit cæcus ille Euangelicus: e *Scimus quia peccatores Deus non audit*, qui videl.de suis peccatis gloriantur, Deumq; propter illa cõtemnunt, si quis autem desiderat peccata sua deserere; & reliqua adhibet, quę ad benè petendum sunt necessaria, Deus non despiciet eius orationem.

a 1. Ioan. 3. 21.
Lib 10. Mor. c. 11.
b Psal. 65. 18.
c Prou. 28. 9.
d Iob. 35. 12.
e Ioan. 9. 31.

DEINDE etiam illa culpa, quæ dissoluit vnionem cum proximo, multum nocet debitæ fiduciæ. Nam per repercussionem etiam lædit vnionem cum ipso Christo, qui dixit: f *cum stabitis ad orandum, dimittite, si quid habetis aduersus aliquem: vt & Pater vester, qui in cælis est, dimittat vobis peccata vestra. Quod si vos non dimiseritis; nec pater vester dimittet vobis*. Ea re nobis significans, fiduciam impetrandi remissionem, quam petimus, inniti ei, quam nos nostris proximis concedimus. Et quomodo poteris sperare Deum exauditurum, quod petis in nomine Christi; si tu non audis proximum tuum, aut pauperem petentem aliquid in eodem nomine? g *eadem quippe mensura, qua mensus fueris* proximum indigentem, *remetietur* tibi in tua necessitate clamanti. Purga itaq; animam tuam ab omni culpa, & mox crescet fiducia tua. Sic enim est apud Iob: h *si iniquitatem, quæ est in manu tua, abstuleris à te, tunc leuare poteris faciem tuam absq; macula* & pudore, *& stabilis eris, & non timebis*; poterisq; in Dei conspectu confidenter orare. Attende itaq; quicquid Deus in corde tuo reprobare potest, cum oras; illudq; à te remoue, ne culpa, quæ te reprehendit, timidiorem reddat ac retardet: audi tu Deum,

f Marc. 11. 25.
g Luc. 11. 38.
h Iob. 11. 14.
S. Gregori⁹ in eundem locum.

b. de obedientiae Mo... b c.17. ...omil.3 ad ...onach.

vt te Deus exaudiat. Citius enim (ait S. Augustinus) exaudit Deus vel vnam obedientis Orationem, quàm decem millia inobedientium. Et quò magis obediens fueris Dei præceptis; eò (ait Eusebius Emissenus) erit Deus magis obediens tuis orationibus. Obedientia enim plurimum auget fiduciam.

...rm. 10. in ...nt.

PRAETER hæc, alia diffidentia (ait S. Bernardus) locum in nobis habet, eò quod in Dei obsequio tyrones simus, aut fuerimus valde tepidi. tyronum enim vnio cum Christo & obedientia, quia recens est, ac propterea illi suæ fidelitatis magna indicia non dederunt: mirum non est, si non sentiant in se quasi pignus quoddam ad fiduciam adeò sublimem; atq; illi, qui sunt antiqui domestici in domo Dei, diu constanterq; seruierunt. Qui autē sunt antiqui in eadem domo, remissiores tamen ac tepidiores fuerunt in obsequio diuino; illis tepiditas valde minuit fiduciam, quam dedisset antiquitas. Antiqui autem & feruentes, i *sunt* (vt ait Apostolus) *domus Christi*, in qua ipse habitat, *retinentq; fiduciam & gloriam spei firmam vsq; ad finem*. Fidelia enim & antiqua seruitia, magnum illis pignus adferunt, vt glorientur de spe, quam in Deum habent; cum qua opera faciunt stupenda, suisq; orationibus impetrant, quod multa millia hominum tepidorum non possent impetrare. Talis erat k *Elias* ille, cuius oratio, instar erat clauis cæli: vt *pluuiam* daret, aut non daret, de quo S. Iacobus ait: l *Elias homo erat similis nobis passibilis, & oratione orauit, vt non plueret super terram, & non pluit annos tres & menses sex. Et rursum orauit, & cœlum dedit pluuiam.* In quo apparet, quantus fuerit eius feruor in vita. Similitudo ergo naturæ nos inuitat vt eius imitemur feruorem, quò impetrare possimus donum confidentiæ eius & orationis efficacitatem. *Multum enim* (ait idem Apostolus) *valet oratio iusti assidua.* Et quò quis fuerit iustior, eò erit eius oratio potentior, si eodem quo cœpit feruore perseueret, donec illa exaudiatur. Verum multo erit melius, conijcere oculos in Iustum Iustorum Christum Iesum: qui non contentus quod orationis constantiam verbis grauissimis doceret, adiecit quoq; exempla eius efficacissima. Siquidem in horto Gethsemani, cum summa fiducia & Spiritus feruore Patrem suum orauit; & cum primum non fuisset exauditus, secundò & tertiò rediit, perseuerando in singulis orationibus longo tempore; & in vltima eousq; feruorem auxit, vt præ m *agonia, guttas sanguinis sudauerit*, nec ab orando destiterit, donec cœlestis pater *Angelum* mitteret, *qui ipsum confortaret*. Si igitur hoc modo tuus orat Seruator, qui non tam pro sua, quam pro tua necessitate orabat, nec tam pro suo commodo, quam pro tuo exemplo, in Oratione perseuerabat, quomodo decet te orare, & in orando perseuerare, donec veniat è cœlo fauor & gratia, quam petis? Noli, (inquit S. Basilius) conqueri, si non exaudieris; tua est enim culpa, eò quod malè petas, absque fiducia scil. aut valde tepidè, aut quod tibi non expedit, aut non perseueranter, & remittendo feruorem, quo tempore petitionem tuam fuisses ob-

Hebræ. 3.

3. Reg. 17

Iacobi 5.

Luc. 12.

...b. de con... ...t. Mo ast. ...

...Tho. 2 2. ...5 a. 15 ad


tenturus. Pete itaq; quod petendum est: pete confidenter, feruenter, ac perseueranter, sicut Deus vult; & nisi te audierit, n *veni & argue eum.* O Deus æterne, qui iubes nos orare, & ad id inspirationib. tuis permoues, ob summum desiderium, quo teneris nos audiendi, de me ipso conqueror, quando tu me non audis, de te non est, quod conquerar; mea est culpa, o *si petens non accipio, eò quod malè petam.* Moue me Domine efficaciter, ad ita petendum, sicut iubes, vt me ita audias, sicut offers te auditurum.

n *Isai.* 1. 18.

o *Iacob.* 4. 3.

CAPVT XVII.

LACRYMAS SOLERE COMITARI ORATIONEM & à variis spiritibus prouenire, & quæ ratio illas impetrandi eisq; vtendi.



NIHIL in scriptura sacra frequentius inuenitur, quam Societas orationis cum lacrymis, quas adeo extollit, vt eis tribuat, quod oratio exaudiatur. Sic enim Angelus dixit Tobiæ, a *Quando orabas cum lacrymis, ego obtuli orationem tuā Domino.* Et ipse Deus Regi Ezechiæ dixit: b *audiui orationem tuam, & vidi lacrymas tuas,* & alia lectio habet, *Vidi lacrymam* tuam: vt significaret, primam lacrymam, quæ ex Regis oculis fluxit, Dei cor emolliuisse, vt ægrotantem *sanaret, & quindecim annos eius diebus adderet.* Et de ipso Seruatore nostro ait Apostol. quod c *in diebus carnis* & mortalitatis *suæ, preces supplicationesq; cum clamore valido & lacrymis offerebat:* petitionibus suis adiungens inflammatum cordis affectum, qui est validus clamor; & lacrymas, quæ in illo affectu fluebant ex oculis, vt hoc suo exemplo nos doceret, quos comites oporteat nos orationi nostræ adhibere, si velimus eam exaudiri.

a *Tob* 12. 12.

b 4. *Reg* 20. 5.

b *Isa.* 38. 5.

c *Hebr.* 5. 7.

1\. AD CVIVS declarationem est aduertendum: lacrymas prouenire posse à varijs spiritibus in corde nostro prædominantibus, alijs bonis, alijs malis: ac proinde lacrymas ex se indifferentes esse, posse nos & benè & malè eis in oratione, & extra illam vti. *Primum* enim lacrymæ fluere solent ex naturali complexione, humida scilicet ac tenera, vt apparet in fœminis & infantibus; & in quibusdam viris, qui commiserationis affectu facilè afficiuntur, facileque flent, si quid triste audiant, videant, aut sibi imaginentur. Et quamuis hæc constitutio naturalis, apta sit ad orationis ac deuotionis exercitia: lacrymæ tamen, quæ ab ea oriuntur, bonis & malis sunt communes. d *Deus* enim D. N. vt *pluit super iustos & iniustos,* ita concedit hanc pluuiam lacrymarum, vt possint eis benè vti, ad

d *Mat.* 5. 4

salutem consequendam: quamuis sine illis possint illam consequi. Nam, vt supra diximus, sensibilis deuotio non est tibi necessaria, vt peruenias in cœlum, nec vt perfectus euadas: & lacrymarum abundantia, non facit hominem Sanctum, sicut nec inopia peccatorem. Quamuis enim exterior hæc irrigatio iuuet, vt terra cordis nostri proferat suos bonos fructus: potest tamen sola interiori, eosdem proferre. & maximè quia lacrymarum irrigatio, quamuis detur ad producendos fructus benedictionis, interdum tamen culpâ nostrâ fit, vt potius proferat spinas peccatorum, & fructus maledictionis. *Sunt* enim aliæ lacrymæ, quæ procedunt ab Spiritu Dæmonis, ipsos corporis humores commouentis, & ad perniciosos eius fines eos adhibentis. ex cuius maledicta suggestione, qui tenerioris flebilisq; sunt constitutionis, ea vtuntur per hypocrisin aut fictionem in malum aut vanum finem, quem desiderant. Sicut impius ille e *Ismael*, vt deciperet *octoginta viros*, qui in habitu pœnitentium veniebant cum muneribus, vt *offerrent in Domo Domini, egressus in occursum eorum plorabat*, sicut ipsi, fingensq; se illorum amicum, ac deducere velle ad Sacerdotem, *illos in media ciuitate interfecit:* Iuxta illud Ecclesiastici: f *in oculis suis lacrymatur inimicus: & si inuenerit tempus, non satiabitur* bibendo tuum *sanguinem.* Et quid aliud est, Ismaelem plorare cum plorantibus vt eos interficiat, nisi Dæmonem induere spiritum lacrymarum, cum habentibus complexionem ad eas aptam, vt hac sanctitatis specie, veluti esca deceptos, detineat interdum in vita deprauata, aut in falsa doctrina, sicut emollit corda multorum hæreticorum & aliorum peruersorum hominum, vt sibi persuadeant, se à recta via non aberrare: Interdum vero eos inducat ad quærendum honorem ex sanctitate, quam reuera non habent: sicut g *Hypocritæ faciunt, qui exterminant facies suas,* & incedunt *tristes, vt appareant hominibus ieiunantes,* & pænitentes; magnaq; suspiria cum lacrymis trahunt, quò Sancti habeantur.

His affines sunt illorum lacrymæ, qui tantum flent, ob rerum temporalium defectum, quem sustinent; aut propter miserias & calamitates, quæ illis eueniunt, non dirigentes intentionis suæ oculos ad bona aut mala animæ: licet interdum existiment, se sua peccata deflere; cum tamen non illa, sed iacturam aut ignominiam ex eis ortam defleant, sicut h *Esau:* de quo Apostolus, quod *non inuenerit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis eam inquisiuisset:* non enim flebat amissam benedictionem paternam, nisi ob temporale damnum, quod ex ea iactura præsentiebat. Et tales sunt lacrymæ, cum quibus multi filij huius seculi orant, cum à Deo petunt vindictam de suis inimicis, aut felicem in rebus vanis & terrenis, quas quærunt, euentum: flentes mala corporis, obliti flere mala Spiritus. Horum lacrymas possumus comparare illis, quas Propheta Micheas appellat i *planctum velut draconum, & luctum quasi struthionum.* Hi enim miserrimi, habent durissi-

ma

cap.11.

Ier 41. 6 ...s. Greg l.c. 19.

Eccl. 12. ...

Mat. 6. 16.

Heb. 12. ...

...ich. 1. 8. Hyero i... Vide ...beram.

ma viscera instar struthionum, ad sentiendum animæ detrimenta; cum tamen tenerrima habeant, ad deflenda mala corporis, & cum sint astuti, ac instar Draconum feri contra suos proximos, flent, si ab eis vincantur. Sicut etiam Dracones, quando superantur ab Elephantis; & struthiones, quando punguntur ab spinis, quæ sunt circa nidos ipsorum. Sed horum lacrymę indignæ sunt. quæ à Deo exaudiantur; aut eum ad commiserationem permoueant: qui non tam externa eorum respicit, quam internorum duritiem, & serpentinam crudelitatem, à qua illæ procedunt. Mutent ergo ipsi cor suum, & motiuum suarum lacrymarum, & mox à Deo exaudientur.

§. 1.

De lacrymis spiritus boni.

HIs ergo omissis lacrymis, ad eas veniamus, quæ à bono Spiritu proueniunt, ipsamque orationem, quam comitantur, feruentem, Deoque placentem reddunt, cor emolliendo, non solum ob externam speciem quam habent, sed præcipuè ob radicem optimam, ex qua procedunt, spiritu scilicet Sancto, cuius est, iustos mouere & inducere ad orandū, & a *postulandum gemitibus* & lacrymis *inenarrabilibus:* tales eorum animis considerationes imprimendo, quibus eorum cor emolliatur, & piis affectibus quodammodo tenerescat, cuius indicium sint dulces oculorum lacrymæ, quæ intercedunt pro ipso Orante, tanquam testes viuæ attentionis ipsius animæ, & feruentis affectus Spiritus. Et quamuis certum sit, Spiritum Sanct. vt supra de substantiali deuotione est dictum, hoc donum lacrymarum præcipuè infundere tanquam superiorem causam, b *pluuiam voluntariam segregantem hæreditati suæ,* vt illam irriget; stupendo quodam modo, ipsa c *fulgura in pluuiam faciat,* ignem scilicet affectuum, in aquam lacrymarum conuertens: potest nihilominus quisque tanquam causa quædam inferior, hanc irrigationem procurare, variisque meditationibus ignem hunc accendere, qui conuertatur in torrentes copiosarum lacrymarum. Et sicut hæ considerationes & affectus interni sunt multiplices: ita sunt varij modi lacrymarum: quæ ad duo genera reduci possunt, adumbratæ (vt ait S. Gregorius) duabus illis irriguis terris, quas filia Caleb petiit à patre suo, illeque d *dedit ei irriguum superius & inferius:* quorum supra fecimus mentionem. Irriguum superius sunt lacrymæ, ortæ ex affectibus amoris, in consideratione rerum superiorum, cœlestium ac Diuinarum: sicut qui aquam ex superiore loco deducit, aut facit è cœlo descendere. Irriguum inferius sunt lacrymæ timoris ac tristitiæ, ex consideratione miseriarum ortæ, quæ intra nos sunt, aut nos circumdant, & perniciem minantur. sicut qui puteum fodiens, aquam ex terra haurit, Quod si vtraque hæc consideratio à diuino Spiritu excitata conueniat, vt cor humanum oppugnet: quantumuis illud

a *Rom. 8. 26*

b *Psal. 67. 10.*

c *Psal. 134. 7 Hier. 10. 13.*

Lib. 3. Dialog. c. 34

d *Iosue 15. 19.*

d *Iudic. 1. 15 cap. 11.*

lapidis instar sit durissimum, deducent ex eo fontes lacrymarum, quibus
'u.20.11. veluti tenerescat. Sicut e *Moyses percutiens virga bis silicem egressa sunt aquæ*
ſal.77.16 *largißimæ*. Sed id nec virtute lapidis, nec vi virgæ, sed Dei omnipotentia, &
xod.17.6 virtute crucis Christi, quem illa referebat, euenit. Cuius meritis duplex irriguum illud impetrabimus cum quinque fontibus lacrymarum, qui quinque ipsius vulneribus respondent. Primæ sed minus perfectæ sunt ob temporales miserias, quas patimur, in eo gradu quo licitum est, & sanctum, orare ac petere earum remedium. Et hæ solent esse copiosiores, eò quod natura simul & gratia conueniant, ad eas prouocandas: sicut apparuit in Anna Samuelis matre, de qua refert Scriptura, quod f *cum esset amaro animo, orauit ad Dominum flens largiter*. His lacrymis orauit Tobias, Sara eius nurus, Iudith, & alij Sancti petentes subsidium in malis temporalibus; animo tamen spiritualia damna reparandi, à quibus illa alia proueniebant. Aliæ lacrymæ (teste Cassiano) proueniunt ex dolore peccatorum, expressæ interdum ob timorē & considerationem inferni, aut tremendi Iudicij, quod nos manet: sicut Dauid g *iram* timens *diuinæ indignationis; cinerem tanquam panem manducabat, & potum suum cum fletu miscebat*. Et ita Deum orabat dicens: h *Saluum me fac Domine propter misericordiam tuam, quoniam non est in morte, qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi: laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.* O quam illæ copiosæ fuerunt, quæ sufficiebant lauare & rigare lectum? O quam vehementia motiua habuerunt, quæ in ipsa lecti quiete effundebantur? O quam fuerunt infixa, & in corde radicata, quæ singulis noctibus renouata, ad flendum permouebant, in tanta abundantia & amaritudine? Disce itaque orare, & hoc modo flere, si vis iram diuinæ iustitiæ placare.

Margin notes: 1. — Reg. 1.10 — l.9. c.18. — Ps. 101.20 — Psal. 6. 7.

2. ALIAE lacrymæ, quæ nascuntur ex peccatis, exprimuntur ab amore, cum consideratione diuinarum misericordiarum: eò quod largitorem earum offenderint. Tales fuerunt eiusdem Dauidis lacrymæ, dicentis: i *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.* & non fuerunt minus copiosæ lacrymæ Magdalenæ, quibus k *rigauit pedes Christi Domini*: quæ tacens orat, quia lacrymæ pro ipsa loquebantur; & remissionem impetrarunt grauium peccatorum, quia à magno amore procedebant. Nec fuerunt minores lacrymæ S. Petri, l *qui fleuit amarè*, eò quod suum Magistrum negasset. Quin etiam toto tempore vitæ eius, gallus cantu suo illum excitabat, ad orandum cum lacrymis; quia ignis diuini amoris, eum in eas dissoluebat.

Margin notes: Ps. 118.136. — Luc. 7.38. — Luc. 22. 62

3. ALIAE lacrymæ prodeunt ex compassione Christi nostri Seruatoris, quibus illum in suis lacrymis comitemur; dolentes de earum causa, nostris scilicet peccatis; ac de eius doloribus, opprobriis & cruciatibus, quos nostri causa sustinuit, non sicut flebant filiæ Ierusalem, quibus ipse IESVS dixit:

m Nolite

m *Nolite flere.* Quia scilicet humana tantum compaſsione flebant: ſed ſicut fleuerit ipſa B. Virgo, cui erat nota filij ſui innocentia, eius perſonę dignitas infinita, cauſaq; horrendæ ipſius paſsionis ac mortis. Et ſiquidem amor n *flet cum flentibus*, aſpice Chriſtum crucifixum orantem & flentem pro tuis peccatis, & ſtude etiam tu pro eiſdem orare ac flere; gemens & ſuſpirans, quod illum videas ita plorantem, & tanta patientem, coniunge orationem & lacrymas tuas, orationi & lacrymis eius, vt tuæ per illas admittantur. m Luc. 23. 28. n Rom 12. 15

4. ALIAE lacrymæ procedunt ex interno cordis deſiderio, vidēdi ipſum Deum, deflendo hanc abſentiam, & ſuſpirando, vt ſimus ſemper in dulci eius ſocietate. Tales erant lacrymæ Dauidis, cùm diceret: o *Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei mei? fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: vbi eſt Deus tuus?* His quoque ſunt ſimiles, quæ prodeunt ex corde ſentientis in hac vita Dei abſentiam; ac deſiderantis, ſemper eum tenere ſecum, eo modo, quo ipſe eſt cum ſuis electis. ideoque ſicut p *Magdalena* cum lacrymis quærit Chriſtum in ſepulchro ſui cordis? nec à quærendo deſiſtit, donec inueniat, non mortuum, ſed viuentem: vt eius dulci conuerſatione fruatur: o Pſal. 41. 3 p Ioa. 20. 11.

5. DENIQVE aliæ lacrymæ procedunt ab inflammata in proximum charitate, propter peccata ſcilicet vniuſcuiuſque, & nocumenta ac miſerias eorum: atque ſi illæ eſſent propriæ, ſicut q *Samuel lugebat Saulem*: Et Ieremias r *lacrymarum fontem deſiderabat, vt ploraret die ac nocte pro ſuo populo.* Et ſ *Chriſtus* D.N. in morte Lazari *lacrymatus eſt:* & propter mala, quæ t *ciuitati Ieruſalem* imminebant. Et Apoſt. u *cum lacrymis monebat*, & hortabatur Epiſcopos *vt attenderent ſibi & vniuerſo gregi*, cum quibus totius mundi conuerſionem optabat. Hi ſunt quinque præcipui fontes lacrymarum, quibus poſsis orationem tuam comitari, iuxta res petendas, & materiam de qua cum Deo D.N. ages: qui omnes fontes continentur in perfecto dono lacrymarum; quarum origo ſuprema eſt ipſe Spiritus ſanctus, qui nunc his, nunc illis facit nos ita orare, vt exaudiamur. Eſt enim ipſius Chriſti Domini verbum infallibile, x *beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur:* non ſolùm in futura vita, ſed etiam in hac: quia impetrant quod petunt in ſua oratione. Nam ſicut Iacob (vt ſupra eſt dictum) luctans cum Angelo, lacrymis & precibus impetrauit eius benedictionem: Ita qui luctantur cum Deo oratione & lacrymis, impetrabunt eius benedictionem in tanta abundantia & acceleratione, vt ſæpè inter ipſaſmet lacrymas det illis Deus pignus, quod ſint exauditi. Sicut ſignificauit Sara, quæ cùm y *in oratione perſtitiſſet cum lacrymis* ſurgens ab ea Deum glorificauit, quod *poſt tempeſtatem tranquillum faceret, & poſt lacrymationem & fletum, exultationem infunderet.* Et ſicut poſt pluuiam apparere ſolet in cœlo z *arcus* trium colorum, quod eſt *ſignum* ſerenitatis & *fœderis*, quod iniit Deus cum hominibus, quod q 1. Reg. 15. 35. r Ier. 9. 1. ſ Ioan 11. 35. t Luc. 19. 41 u Act. 20. 31. x Matt. 5. 5. C. 3. § 1. y Tob. 3. 11. 12. z Gen 9. 13

non

non *deleret aquis diluuij vniuersam carnem*: Ita post orationem, hac lacrymarum pluuia, remanet anima cum magna serenitate & pace, & cum certo pignore amicitiæ & confœderationis cum Deo, ob splendorem actuum fidei, Spei & charitatis, quos in sua oratione exercuit, ex quo etiam oritur alia magna securitas, licet non absque aliquo timore, qui tamen eam reddit securiorem, quod non submergetur diluuio peccatorum, in quæ consueuit incidere. Qui enim adeò pretioso dono donatur, si eo discretè & feruenter vtatur, semper fouebitur ab eo, qui donauit; vt constantissimus fiat in sanctitate.

§. 2.

Quædam circa hoc donum documenta.

QVOD si scire cupias media, ad præstantissimum hoc donum impetrandum: cùm in primis est dictum, ipsammet orationem tantæ esse virtutis, vt sibiipsi id impetrare possit, quo tantoperè indiget, dicens

Iudic. 1.15 Deo D.N. quod filia illa suo parenti, a *Terram arentem dedisti mihi, da & irriguam aquis*. O supreme Pater, spiritus hic meus ex seipso valdè est aridus, & sine aqua deuotionis & lacrymarum: da ergo mihi duplex irriguum, quod oritur ex tuo sancto timore & amore. O mundi Saluator, in cuius corpore aperti fuerunt quinque fontes sanguinis in meum remedium, per illos te oro, vt quinque fontes lacrymarum mihi largiaris, quos tuus diuinus spiritus amplectitur, vt cum illis ita orem, vt exaudiri merear & consolari. Amen.

SED quoniam hoc donum, eò quod sit gratuitum, non solet omnibus concedi, quia indiscretè aliqui vtentes eo in proprium detrimentum illud verterent, non est absolutè petendum, sed consueta illa conditione, & in eo gradu quo nobis erit conueniens: relinquendo prouidentiæ diuinæ, vt id faciat, quod sit ad maiorem eius gloriam futurum. Nec tamen propterea desistendũ nobis est ex parte nostra, quin eas considerationes affectusque adhibeamus, ex quibus lacrymæ excitantur. Etsi enim nobis non incumbat flere in oratione, incumbit tamen causam & motiuum, vnde luctus procedit, adhibere. Sicut nec nostrum est consolationem sensibilem in eadem oratione habere: pertinet tamen ad nos causam & motiuum non negligere, ex quo illa procedat, licet non cum anxietate illius consequendæ. Magnus enim affectus lacrymandi, causa erit sæpiùs cur illas non impetres. Quare corde quodam quieto & resignato, plus momenti in lacrymarum motiuo collocare studeas, quam in ipsis lacrymis. Nam quomodo non est quærendus honor; sed virtus, ex qua ille consurgit; & ea, vt oportet, quæsita, honor etiam nobis non quærentibus, subsequitur: Eodem modo, quærens substantialem deuotionem, lacrymæ subsequentur, etiamsi illas non quæras.

Quod si Deus cœperit, cor tuum emollire; ne sis contentus leui aliqua pluuia, quæ pulueres tantum extinguit, solamque terræ faciem rigat, nec vlterius penetrat: nec terra illam imbibit, sed vda tantum manet. Sicut enim hęc parui momenti est ad hoc vt terra fructum producat; sic leues lacrymæ ex bono aliquo affectu qui repentè sentitur, & mox transit, parum solent efficere: nisi in ea consideratione, quæ illas excitauit profundiùs fodias, vt pluuia sit copiosior, quæ b *terram* tui cordis *inebriet*; eamque adferat saturitatē, quam illa desiderat. Memēto, c *oculos Sponsæ* Christi comparari fontibus aut *piscinis in Hesebon* quod significat (S. Ambr. & S. Greg. testibus) cogitationes puras, aut tristitiæ cingulum: vt intelligamus, sponsæ oculos debere esse tāquam duos fontes copiosissimarum lacrymarum, quæ oriuntur ex sanctis eius cogitationibus, ligatis & collectis per feruentes affectus tristitiæ & cōpassionis, vti dictum est. Quod si Deus Dominus noster hos lacrymarū fontes tibi concesserit, vtere illis moderatè: nimius enim vsus non solum corpori, sed ipsi quoque spiritui nocet. Vidi (inquit S. Ioan. Clim.) quosdam nimium flentes, qui adeò pectus suum feriebāt, vt sanguis per os exiret: & memor fui prophetæ dicentis: d *percussus sum vt fœnum, & aruit cor meum.* Quasi diceret ob nimium fletum eō deueni, vt arescerem, sicut fœnum, quod nimius æstus omni virore & humore priuauit. S. item Bonauent. ait omninò expedire, vti moderatè gratia deuotionis, quando corpus est debile; ne nobis eueniat, quod ait Psal. d *Defecit caro mea & cor meum.* Quasi diceret: defecit fortitudo corporis; & propterea est etiam imminuta fortitudo spiritus, & qui nimium intendit, vt sensibilem deuotionem acquirat, eò deuenit, vt amittat substantialem, quæ alteri præstat.

b *Ps. 64. 1*
c *Cant. 7. 4*
Serm 16. in Psal 118. in Cant. 3.
Gradu 7. in fine.
d *Psal. 101. 5*
De processu 7. Reli. c. 21
d *Psal. 72. 26.*


Eodem modo vitanda sunt etiam duo alia extrema. Alterum nimiæ cōplacentiæ & arrogantiæ, ob donum hoc lacrymarum, vt si illo metiaris tuā sanctitatem & familiaritatem cum Deo: valdè tibi complacens, quod in oratione diu fleueris; & propterea spernas eos, qui hoc donum non habent, tāquam homines imperfectos, & Deo nec familiares nec charos: ex quo magnam occasionem accipit dæmon, excitandi huiusmodi hominibus fouendique lacrymas in locis publicis, vt ita ipsi ab aliis laudati magis insolescant. Quamobrem meritò Deus subtrahit illis hoc donum, qui mox in alterum pusillanimitatis & diffidentiæ extremum incidunt, iudicantes iam de tota sua deuotione actum; quia deest illis hæc refocillatio. Cui si in sua deuotione præcipue innitantur; ita eis eueniet, sicut plantis quotidianæ irrigationi assuetis; quæ, si vel vno die illis subtrahatur, statim marcescunt, & paulatim exsiccantur: Ita inquam, si tuam orationem ac deuotionem huic lacrymarum irrigationi adstringas, illa deficiente abiicies animum, & deuotio peribit. Quod si ita hoc donum lacrymarum conseruare velis, vt verè tibi fructum afferat, necesse est, cū ea humilitate & resignatione illas possidere,

S. Ioan. Climac. sup.

vt neque earum abundantia te faciat euanescere; nec defectus animum abijcere; sed tuam deuotionem & pietatem non in sensibilibus his lacrymis, sed in desiderio & promptitudine exequendi voluntatem Dei, sicut ipse volet, constituere.

CAPVT XVIII.

DE VSV VOCALIS ORATIONIS CVM ATTENtione & spiritu: & quod ex triplici attentione illa sit optima, quæ Dei præsentiam respicit.



QVAMVIS oratio & familiaritas cum Deo, de qua hactenus diximus, præcipuè sit actio spiritus, & facultatum eius internarum, sine quibus nec essentia Orationis consistit, nec momentum aliquod habet: nihilominus addimus externa verba, vocalem orationem mentali coniungentes, non quò Deus nos audiat, sed ob alios fines & vtilitates; præcipuè verò in quatuor casibus, quos S. Thomas indicat. 2.2.q.83 a.12.

1. PRIMVS est, quando oratio est communis, fitque nomine Ecclesiæ, aut ex eius præcepto. Quia enim illa est visibilis, & ex multis fidelibus aggregata; decet, eius orationem esse quoque sensibilem, quam omnes possint audire, & alij alios in ea iuuare. Ideoque minister Ecclesiæ non satisfaciet eius præcepto, si mentaliter tantum diuinum officium persoluat.

2. SECVNDVS casus est, quando volumus offerre Deo D.N. integrum aliquod nostri ipsorum sacrificium, animæ scilicet & corporis: quia vtrumque est ipsius. præsertim cùm illud pro nostris peccatis offerimus. Nam cum oratio ipsa sit satisfactoria pro peccatis, ad eam satisfactionem multum conducit labor corporalis, qui in orando vocaliter suscipitur. Tunc enim offeruntur Deo (vt ait Oseas) a *vituli labiorum nostrorum*, orationes scilicet vocales, quæ pœnas nostris culpis debitas exsoluant, sicut olim vituli pro eis offerebantur. a Ose. 14.3.

3. TERTIVS casus est, quando hæc verba sunt instrumenta ad internam animæ deuotionē exacuendam. Sunt enim multi (vt ait S. August.) qui verbis, gemitibus, & externis aliis signis, ad augendum sanctum desiderium & cordis feruorē, seipsos excitant, vt cum spiritu orent. Quāuis, si quis hoc exteriori signo distraheretur ab interiori deuotione, deberet potius (vt aduertit S. Thomas) illud omittere quando seorsim & priuatim, & propriæ deuotionis commodo orat. Neque enim decet, quod plus est amittere, propter id, quod est minus; aut quod est principale, propter accessorium. Epist. 121. ad Probam.

4. QVARTVS casus est, quando abundantia feruoris interni erumpit in

ipsa

ipsa verba. Sicut aliquando in suspiria, gemitus, & alia externa signa, idq; interdum tanta vi (vt notat Cassian.) vt non possint se cōtinere: quomodo vas ad ignem positum, si bulliat, crepat, nisi aliquid per os effundat, iuxta illud Dauidis: b *sicut adipe & pinguedine repleatur, anima mea* deuotione, *& labiis exultationis laudabit os meum.* Et iterum c *prouidebam Dominum in conspectu meo semper; & propter hoc, lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea* cantando scilicet eius laudes.

Lib. 2. c. 10

b Psal. 62. c

c Psal 15. 8.

Ex hoc fit (vt docet S. Bonauent.) quod duo sint modi orationis Vocalis: *Alter* qui oritur ab ipsa mentali, & feruore spiritus per verba, quæ ipse orans, ex tempore componit & digerit: quibus internum suum sensum ostendit: proferens lingua id, quod interius Deo in corde dicebat: interdum cum aliquo ordine, interdum sine illo, vtens aliquibus verbis scripturæ aut Ecclesiæ sibi occurrentibus interno suo sensui similibus; & hæc oratio attentior & efficacior esse solet, sed prolixior esse non potest, quia multum defatigat, ob affectus, quo prodit, vehementiam; nec est in nostra potestate illam habere. *Alter* modus est ordinarius, cùm scilicet leguntur Psalmi, Hymni, aut orationes, quibus Ecclesia in officio diuino, aut in sacro Missæ vtitur, quæ altissimum continent orationis Spiritum. Si enim diligenter attendatur, Dauid in suis Psalmis, & Ecclesia in Hymnis & orationibus, ferè semper loquuntur cum ipsomet Deo, ad quem sua colloquia dirigunt; nec tamen in omnibus aliquid ab eo petitur; sed vel ipse ob sua magnalia laudatur, & inuitantur creaturæ ad eius laudes decantandas; aut commemorando eius beneficia, gratiæ pro illis aguntur; aut miseriæ nostræ & culpæ proponuntur, quarum petitur venia & remedium; nouæ denique gratię, adductis rationibus & titulis ad eum permouendum, vt illas concedat: adhibitis etiam ad id intercessoribus, sicut est dictum de oratione mentali. Quod si frui velis spiritu, in ipsis psalmis & orationibus latente: necesse est aliquam internam attentionē adiungere, ita vt intellectu attendas ad id, quod ore loqueris, & facis. Si enim spontè ad alia digrediaris, d *oratio tua fiet tibi in peccatum:* & cùm Deum placare vis, (ait S. Basilius) prouocas potius ad indignationem, ob exiguam tuam reuerentiam. Quia dum loqueris cum Domino tantæ Maiestatis, eo inciuiliter relicto, conuertis te ad agendum cum creaturis, cogitationes rerum inutilium, aut à loco & proposito tuo alienas admittendo; ideoque obiicere tibi poterit illud Isaiæ: e *appropinquat populus iste ore suo, & labiis suis glorificat me: cor autem eius longè est à me:* siquidem, dum orat, meque laudat, non attendit me esse præsentem; nec se mecum loqui; nec quid dicat. Ac proinde, cùm hoc modo oras, omnes orationis fructus amittis, nec impetrabis quod petis. Deus enim non linguæ, sed cordis, quod illam comitatur, petitiones audit, &, vt S. Cyprianus perpendit, *quomodo te à Deo audiri postulas, qui teipsum non audis?* nec, quid dicas, attēdis?

In processu 7. Relig. c. 3.

d Psal. 108. 7.

In Instit. a v. tam perfectam.

S. Chrys l. de orando Deo circa medi. & Hom 7 ad pop.

e Isa. 29. 1

De orat. Domin. non long à fine.

Refert S. Thom. 22. q. 83 a. 13.

& vniuersim vera est S. Gregorij regula: quod Deus non audiat orationem, cui ipse orans non attendit. Si enim tua ignauia tanta est, vt tu ipse non attendas, quid dicas, meritò Deus te puniet, non attendens ad id, quod proponis; vt scilicet, quod facis, approbet; aut concedat, quod petis: cùm non petas, sicut homo vsum rationis habens; sed sicut peteret psittacus aliquis, qui eadem verba proferens, neque intendit, neque attendit ad illa. Ideoque tali modo orationis non imples obligationem ex præcepto aut voto, cui es obstrictus. Quamobrem dixit Eccles. f *ne iteres verbum in oratione tua.* atque si diceret: Ita ora, ne opus sit repetere orationem, vt admissa in ea culpa tibi condonetur, aut ad implendam obligationem, eam dicendi.

f Eccl. 7. 15.

§. I.

HANC attentionem adeò necessariam, vt oratio non conuertatur tibi in peccatum, debes minimum initio eius adhibere: & statuere, illam quantum in te erit, continuare, quamdiu durauerit. Quod si euenerit; vt cor tuum, quod orare tecum incœpit, attendens quid faceret, repentè & in medio itinere te a *derelinquat,* sicut dicebat Dauid, ac dirigendo ad aliquid aliud, te inuito, permittat linguam orare solam, non erit tuum peccatum: quin potiùs (vt idem Basilius dixit) Dominus, cum quo loqui cœperas, compatietur tibi, eo quod non ex negligentia, sed ex infirmitate nō assistas eius præsentiæ, vt par esset. Quod si talem intentionem initio adhibueris, quamuis non semper actu illam habeas, censeberis tamen attentus esse, attentione, quam virtualem appellant, quæ sufficiens est ad impetrādos tres præcipuos orationis fructus, *meritum,* videlicet nouorum graduum gratiæ & gloriæ: *satisfactionem* pro tuis peccatis: & *impetrationem* eorum, quæ petis: modo adsint etiam reliquæ conditiones, ad hos fructus percipiendos necessariæ. quamuis quartum fructum non obtineas, quem S. Thom. *spiritualem refectionem,* & spiritus alimentum vocat, cum spirituali lætitia, & interna cordis respiratione ad opera virtutum.

a Psal. 39. 12

vbi sup.

Supra.

QVAMOBREM Apost. dixit: b *si orem lingua, spiritus meus orat; mēs autem mea sine fructu est.* Quasi dicat: (vt S. Thom. interpretatur.) Qui lingua tantum orat, aut quia ignarus est, nec intelligit quæ legit; aut quia inuitus distrahitur, vt non attendat quid dicat; hic etiam spiritu orare censetur, strepitu scilicet, quem illa verba habent; & fortè mouetur ab spiritu bono, qui in ipso, & per ipsum orat, supplente Spiritu S. naturalem spiritus defectum, vt meritum habeat ex oratione, satisfaciat obligationi suæ, & impetret quod petet: mēs aūt, quæ est pars animæ superior, sine fructu manet: hoc est sine illa parte deuotionis, quā recipere solet, qui orat attētè, sciensq; quid faciat: ideo addit idē Apost. *orabo spiritu, orabo & mente,* verbo. s. & interna ad illud attentione, cū omni cordis mei affectu, vt abundantius fiam particeps omniū quatuor fructuum orationis. Nā sic orādo meritū erit maius, satisfa-

b 1. Cor. 14. 14.
Lect. 3. ibid.

ctio certior, impetratio efficacior, & spiritualis portio multò copiosior; exhilarante Deo & corpus, & spiritum, cum omnibus suis potentijs, vt attendant, quid agant. Hoc modo orabat Dauid, cùm peteret, ***exaudiri à Domino:*** allegans ad id impetrandum, ***quod clamaret in toto corde suo,*** coniungens videlicet linguam, imaginationem, & spiritum totum, ac mentem & omnia intenta habens ad id, quod orabat, absq; vlla ad aliquid aliud digressione. Dignus est autem qui audiatur, quicunq; feruenti adeò affectu orat. c *Psal. 118. 145.*

Hinc fit, vt possimus distinguere tres modos vocalis orationis. *Quædam* enim fit ore tantum sine corde: & hæc non solùm infructuosa est, sed etiam noxia: quia fit cum peccato.

Altera fit quidem etiam corde, sed diuiso, quia incipit bono corde, sed mox digreditur ac tepescit. Ideoq; illi respondebit fructus etiam diuisus, & non integer, sicut est dictum.

Tertia fit ex toto corde & integrè, incipiendo scilicet & progrediendo cum magna attentione & feruenti affectu. Et hæc totum & integrum fructum consequitur, quamuis (vt ait Augustinus) tales orationes raræ sint multis, crebræ paucis: omnia verò vtrum cuiquam, nescio. Magnus enim feruor ita continuatus, excedit statum infirmæ nostræ naturæ, nisi extraordinaria gratia præueniatur. Quamobrem (ait idem Sanctus) antiqui Patres experti magnam difficultatem in orando, longo tempore, continuè, attentè, & feruenter, melius esse existimabant, sæpius in die orare, & semper breui tempore: eò quod feruor breui tempore facilè; longo vero, difficilè conseruetur. Et S. Basilius: præstat parum orare & benè; quam diu aliter. Non enim numero Deus, sed pondere, animiq; ardore vincitur. O Deus inuincibilis, qui sinis te à nostris orationibus vinci, concede mihi, vt meæ tales sint, in quibus attentionem & feruorem cum temporis diuturnitate, in eis coniungam. *Conc. 29. in Psal. 118. Epist 121. ad Probam c. 10. Cassian. li 2 c 10. & 11. Et collat 9. cap 35. S. Chrysost. Hom. 79. ad pop.* Vbi suprà.

§. 2.

Sed quoniam cogimur interdum diu orare; diuinum scilicet officium, multiq; sunt, qui quod recitant, non intelligunt, eò quod eruditi non sint; expedit declarare tres attentionis gradus, quos S. Tho. ait, posse in vocali oratione adesse, ad fruendum eius fructibus. *2. 2. q. 83. a. 13.*

1\. Prima est attentio ad ipsa verba, ne in eis proferendis erretur, omittendo aliquod, aut vnum pro altero supponendo, aut præcipitanter dimidiata verba versus aut syllabas proferendo: in quo facilè impinges, si vel distractè aut festinanter, animo citò pensum exsoluendi, ores. Hæc attentio est ita omnibus necessaria, vt error in ea, cùm præueniri posset, sit peccatum. Ideoq; cum ea mora teneris orare, eaq; pronuntiatione, vt hos defectus euites. Est tamen, vt idem S. obseruat, extremum contrarium fugiendum, *lect. 3. in 1. Cor. 14.*

eorum, qui tantam ad externa verba attentionem adhibent, vt omnino impediant deuotionem, & gustum internum. In quod extremum, facile incidunt valde scrupulosi & anxij, sed simul ignari. Sic enim eo se priuant, quod est in Oratione præstantius, ponentes obicem Spiritui Sancto, ne illud ipsis communicet, quia faciunt se eius incapaces.

2. SECVNDA attentio est ad sensum verborum, vt, qui orat, fruatur Spiritu in eis latente, quæ attentio, multum priori præstat, magisq; delectat; eò quod verba Orationis, a *Spiritum & vitam* habeant: & (vt ait S. Bernardus) sunt instar faui, qui & ceram habet, & mel intra illam. Cera est cortex exterior, mel verò interior Spiritus. Si verba proferas, non attendens ad eorum Spiritum, comedis ceram, sine melle, quod est insipidum, & permolestum: quia *litera occidit, si absq; spiritus condimento glutiatur*. Et sicut, qui non præmansum cibum deglutit, non percipit eius saporem, & exponit se periculo oppilationis: Ita cum oras multum sine attentione, non degustas mel, quod latet in Oratione. *Cibus enim in ore, Psalmus in corde sapit*, & exponis te periculo fastidij, & illam ob cruditatem omittendi. Stude ergo, dum oras, attendere spiritui & sensui verborum, comedens simul mel cum cera, oblectando & confortando te eius dulcedine; & cantando (vt inquit Dauid) *Domino sapienter*, cum sapore scilicet & gustu cordis. Hæc attentio etsi optima sit, non tamen potest omnibus esse communis; quia non omnes verborũ sensum intelligunt: &, qui eum assequuntur, limites quoq; excederent (vt ait idem S. Doctor) si nimium conatum adhiberent, ad ea intelligenda, quia sic se redderent inhabiles, ad percipiendum eorum gustum internum. Et quoniam vnus & idem Psalmus, multa verba continet, quorum quædam ad dolorem, alia ad gaudium mouent; quædam ad timorem, alia ad magnum amorem, solet vnus horum affectuum, alterum impedire. Item quando eadem Oratio, sæpius repetitur, vt euenit in recitatione Rosarij, ipsa repetitio affert quoddam tædium, quia idem sensus & affectus sæpè repetitur.

Ioan. 6. 64

Serm. 7. in Cant.

Psal. 46. 8.

3. PROPTER prædictas omnes causas, est multo præstantior tertia Attentio, quæ potest esse omnibus communis, absq; primæ detrimento, conijciendo scilicet oculos animæ in ipsum Deum, ad quem Oratio dirigitur, & in cuius præsentia habetur, cum quo colloquimur, vt petamus, quæ verba illa significant, siue vt dicamus laudes, quæ eisdem verbis continentur. Et licet eadem non intelligas, nec adeo illis attendas, satis erit ei attendere, qui illas intelligit, & qui finis est ipsius orationis, & eorum, quæ per illam quæris; & hærere interim in eo amando, de eius bonitate & omnipotentia gaudendo, confidendo multum ipsius misericordiæ, propriam voluntatem ipsius voluntati & prouidentiæ resignando, & similibus alijs affectibus, qui ipsa verba eorumq; sensum excedere solent: neq; hoc impedit, quin tibi ipsi

simul attendas, vt humilieris, & confundaris in præsentia Dei tui; & admireris, quod te ad eam admittat. Sed, ne in hoc modo attentionis vlla sit deceptio, aduertendum est, duobus modis illam adhiberi posse. *Alter* modus est, per affectus voluntatis cum Deo vnitæ, vt Superius est dictum; & hæc proculdubio est excellentior. *Alter* est per modum meditationum earum rerum, quæ pertinent ad ipsum Deum, & de hac ait Gerson, quod, inter orandum vocaliter, non expediat longas meditationes & discursus admittere, etiam de rebus ipsis cœlestibus. Meditatio enim propriè, neq; oratio est, neq; eius finis, sicut est affectus & amor Dei: quare non esse tempus tunc expendendum in meditatione, nisi quantum sufficiat breuiter ad ignem amoris accendendum; aut sentiendam veritatem, quæ per illum ignem manifestatur; aut quando Deus Dominus noster recitanti psalmos alta daret sensa rerum, quæ in illis latent; quæ reijcienda non sunt; sed cum illis progredi potest recitans in oratione vocali. c 6. §. 3. ex S. Dionys. Tract. de Orat. ei° & Valore, ad fin. Tom. 3.

Hoc totum collegit Sanct. Bernardus in quodã sermone docens suos religiosos modum cantandi & recitandi officium diuinum, his verbis: Moneo vos (*inquit*) dilectissimi, purè semper ac strenuè diuinis interesse laudib. strenuè quidẽ, vt sicut reuerenter, ita & alacriter Domino assistatis. Nõ pigri, non somnolenti, non oscitantes, non parcentes vocib. non præcidentes verba dimidia: non integra transilientes, non fractis & remissis vocib. muliebre quiddam balba de nare sonantes: sed virili (vt dignũ est) & sonitu & affectu, voces S. Spiritus depromentes. Purè vero, vt nil aliud dum psallitis, quam quod psallatis, cogitetis. Nec solas dico vitandas cogitationes vanas & otiosas: vitandæ sunt & illæ, illa duntaxat hora, & illo loco, quas officiales fratres pro communi necessitate, quasi necessario frequenter admittere compelluntur. Sed ne illa quidem profectò tunc recipere consuluerim, quæ forte paulo ante in claustro sedentes in codicibus legeratis; qualia & nunc me viua voce disserente, ex hoc auditorio, Spiritus S. reuerentia reportatis. Salubria sunt, sed minimè illa salubriter inter psallendũ reuoluitis. Spiritus enim Sanctus illa hora gratum non recipit, quicquid aliud quam debes, neglecto eo, quod debes, obtuleris. Hæc S. Bernardus, quæ intelligenda sunt modò iam à nobis explicato. Serm. 47. in Cant ad finem.

Ex Prædictis omnib. fit, vt antequã vocalem orationẽ auspiceris, debeas fidem de præsentia Dei exacuere, humiliter cũ eo loquens, & offerens opus illud, quod facere aggrederis, ad eũ modũ, quẽ de mentali Oratione diximus: Quod si tunc spiritus tuus, accẽdatur amore eiusdẽ Domini, & feruẽtib. alijs affectib. aduersus eius bonitatẽ & misericordiam: poteris cum eisdẽ vocalẽ totã orationẽ pseq. Nã etsi multos dicas psalmos, nõ attendẽs illis; modò sis cert°, quod eos legeris, satisfecisti nõ solũ sufficiẽter, sed cũ maiori etiã pfectiõe quam si ad eorũ sensũ attẽdisses. *Deinde* hac diuinę psentię memoriã cohibebis mẽ- 2.


tis

tis euagationes, quæ tunc te oppugnabunt; te ipsum reprehendes, quod cum Deo adeò inurbanè loquaris; nec attendas, quid dicas; erubesces quod adeò sis stultus, vt colloquens cum Deo, qui te audit; ipso neglecto, incipias interius colloqui cum ijs, qui te non audiant, cum aliis scilicet hominibus, de negotiis fortè posteà cum illis tractandis.

EODEM modo erit operæ pretium refricare memoriam Angelorum, qui adsunt præsentes, eoq; de cœlo descendunt, vt in Oratione te adiuuent,
Ser. 7. in Cant. qui (vt ait Sanct. Bernardus) cum attentè & reuerenter oramus, delectantur, manere nobiscum: cum autem culpâ nostrâ defectus aliquis irrepit, fugiunt
b Psal. 37. 13. nos; & (vt ait Dauid) b *qui iuxta me erant de longè steterunt.* Contra verò Dæmones, qui prius longè à nobis erant, agmine facto, accurrunt ad Oran-
c Ierem. 48. 10. tem irreuerenter; c *maledictus* est enim *homo, qui opus Dei facit fraudulenter.* O Deus æterne, libera me ab hac maledictione, tunc potissimum, cum ad orandum accedo; vt tuam obtineam benedictionem. Orem, quæso Domi-
d Psal. 142. 6. ne, toto corde meo; & non orem sola lingua: ne d *anima mea* arida maneat, *sicut terra, sine aqua,* in tua præsentia. loquatur simul vtraq; lingua, corporis & Spiritus: vt vtraq; in Spiritu, & veritate adoret te in æternum.

CAPVT XIX.

DE LOCIS ET TEMPORIBVS AD ORANDVM designandis; de frequentia, continuatione & perseuerantia vsq; ad mortem; de variis modis Orandi semper.



INTER illa externa, quæ multum conferunt ad Orationem, siue vocalem, siue mentalem, cum spiritu habendam; multoq; magis ad intimā cum Deo familiaritatem, sunt *locus* & *tempus* ad ea apta. Præmittendum tamen est in tribus casibus, non esse tibi liberum, tempus aut locum orandi, tibi constituere.

1. *Primus* casus est, cum Deus D.N. peculiari sua inspiratione efficaciter te ad orandum, permouerit. Tunc enim orationem ipsam meritò auspicaberis, si fieri commodè poterit eodem loco & tempore, quo suggeritur inspiratio; siue id die siue nocte, in loco secreto, & sacro; publi-
cap. 9. co, aut priuato eueniat. Vt enim supra diximus: qui tibi inspirat, vt ores, supplebit omnes commoditates, quæ desunt loco & tempori.

2. *Secundus* casus est, cum necessitas aut periculum ad orandum cogit: tunc enim idem tempus & locus imminentis periculi, est etiam orationis: vt non sit opus aliud quærerere. sicut Iob. (quod expendit S. Chrysost.) orauit

in ster-

in sterquilinio, Ionas in ventre Ceti, Daniel in lacu leonum, & Christus Dominus in ipsa cruce. Ipsa enim necessitas orandi, remouet orationis impedimenta; imò eam reddit feruentiorem, quam si in aliud tempus aut locum differres, succumberes forte & tardè veniret remedium. *Hom. 79. a pop.*

3. *Præterea* (vt benè expendit Gerson) vnusquisq; debet accommodare se præcipuè loco & tempori sibi ab obedientia superiorum, aut status sui constitutionibus præscriptis: ibi enim inueniet Deum, & eo tempore potius, quam aliàs. *Tract. de mystica Theol. pract. consid. 9.*

Præter hos casus, templum ipsum ex se præstat cæteris, ad Orandũ: propterea.n. Deus, illud appellat a *domum orationis suæ*, vbi ille assistit, vt faueat peculiari prouidẽtia orantib. Et orationẽ, quę ibi fit, vocat ipse suã, eò quod eam dirigat, & tanquã suã aspiciat, vt exaudiat; & eã habenti indulgeat, iuxta id quod Regi Salomoni dixit ipse Deus, loquens de templo, quod ille ædificauerat: b *Erunt oculi mei & cor meum ibi cunctis diebus*, ad respiciendũ sc. & amandum, ad locum illum recurrẽtes, orationis causa. Et idem Salomon ait, Deum exauditurum orationes, quæ in templo funderentur pro quacunq; necessitate; in cuius rei testimoniũ exaudiuit, quam ipse Rex tunc fundebat. Nã c *cum cõplesset fundens preces, ignis descendit de cœlo, & deuorauit holocausta & victimas, & maiestas Domini impleuit domum.* Quod si hoc in antiquæ illius legis templo Deus faciebat; quid faciet in templis legis nouæ? in quib. non arca propitiatorij est, sed ipsa veritas per eam significata, h.e. ipsemet Christus verus Deus & homo, latens sub accidentib. Sanctissimi Sacramenti: qui voluit manere nobiscum, non solum vt in sacra cõmunione eum sumeremus; sed etiam, vt possemus exercere in templis actus adorationis & orationis, in ipsius præsentia, non solum quà Deus est, sed etiam quà homo.

a Isaiæ 56. 7. 1. *b 3. Reg. 9. 3.* *c 2. Paral. 7. 1.*

2. NIHILOMINVS ad secretam & priuatam Orationem, licebit eligere eũ locum, qui magis confert ad orationis finem consequendum, iuxta dispositionem cordis & corporis, sicut supra dicebamus de situ externo, in oratione seruando. *cap. 9. §. 1.*

QVOSDAM enim magis recolligit locus obscurus, alios clarus: alij facilius mouentur in Oratione, si ad orandum conscendant loca altiora, sicut d *S. Petrus* & e *Iudith*. Alij si exeant ad solitudines & loca deserta, sicut legimus de Christo, quod orauerit in templo, in monte seorsim, & in Cænaculo publicè, in horto Gethsemani seorsim, & in ipsa cruce. vt enim erat Magister Orationis, voluit exemplo suo approbare omnia loca, in quibus illa fieri possit; ita tamen, vt si locus fuerit publicus, orationis intentio sit secreta; & si periculum adsit vanitatis, præstabit, vt ipsemet Christus consuluit, f *intrare in cubiculum* domesticum, *& clauso ostio orare*; ne visibilis hostis intret; nec inuisibilis occasionem habeat suggerendi inanem gloriam aut præsumptionem.

d Act. 10. 9. *e Iudit. 8. 5.* *f Mat. 6. 6.*

QVOD attinet ad tempus Orandi, nota res eſt, ab Eccleſia eſſe conſtituta ſeptem tempora, quibus Eccleſiaſtici ſeptem horas Canonicas dicant, antiquam orandi conſuetudinem tenentes in ſeptem diei horis: quam ſeruabat Dauid, cum eſſet occupatiſsimus in Regni gubernatione: g *Septies* inquit *in die laudem dixi tibi, ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ.* Iuſtumq; eſt idem præſtare eos, qui diuino cultui ſunt dedicati, idq; eo ſtudio, vt imitātes h *S. Petrum*, quando peruenerit hora orationis, relinquant potius cibum, etiamſi fameant, orentq; tanto feruore, vt digni ſint quorum Deus eleuet Spiritum, ſuaq; ſecreta eis reuelet.

g Pſal. 128. 164.
h Act. 10. 10.

4. AD priuatam vero Orationem, ſolemnia valde ſunt tria diei tempora, quæ principiũ, medium, & finẽ eius complectuntur, de quib. idem Dauid i *veſpere, mane, & meridie, narrabo & annunciabo,* Deo meas neceſsitates; *& exaudiet me.* Hinc fluxit mos ille, quẽ Apoſtoli tradiderunt, (vt refert S. Clemens) orandi ter in die precationẽ Dominicam; & fortè ex eadem conſuetudine manauit, quæ nunc eſt in multis orbis partib. dandi ſignũ ad ſalutationem Angelicam, in trib. diei temporibus, mane, meridie, & veſpere. Et vt infirmiores & etiam delicatiores, ter in die corporalem refectionem ſumunt, ientaculum ſcil. prandium, & cœnam: Ita qui debilitatem ſuam agnoſcunt, cupiuntq; animæ ſuæ indulgere, meritò conſtituent hæc tria tempora, ad ſumendam refectionem ſpiritualem, numquam eam conſuetudinem intermittentes; ſed præmittentes ſemper refectionem ſpiritus, corporis refectioni.

i Pſal. 54. 18.
Lib. 7. conſtit. apoſt. c. 25.

§. I.

De tempore orationis Matutinæ.

QVAMVIS tria hæc tempora, Orationi ſint apta; Matutinum tamen diluculum, quod noctis partem complectitur, celebre eſt in ſcriptura, & aptiſsimum ad prolixius & quietius orandum, antequam locus pateat occupationibus diei.

1. *Primum,* quia (vt ait S. Baſilius) æquum eſt, te offerre Deo a *primitias* diei, & actionum tuarum, primos ſcil. tuarum potentiarum fructus & actus primos, quos à ſomno euigilans exerces. Offer igitur primitias in primis intellectus tui, bonas ſcil. cogitationes; & voluntatis, affectus ſcil. primos linguæ, verba proferens diuinarum laudum; manuũ, quib. te ſigno crucis conſignes, eaſq; ad cœlum in Oratione leues; totius deniq; corporis genua flectens, aut in terram procidens, ad Creatorem tuum adorandũ. Et ſic implebis quod dixit Dauid. b *Præuenerunt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua.* Sed quem putas præuenit Dauid diluculo? num ipſum Deum? hoc non eſt poſsibile. Nam Deus oẽs præuenit auxilio ſuo: & vel prima ipſa bona cogitatio, à Deo oritur, & diuina Sapientia (vt ait Sapiens) c *præoccupat eos, qui ſe concupiſcunt,*

Regul 37 ex fuſis.
Caſsian. collat. 21. c. 26
a Exo. 22. 29.
b Pſal. 118. 148.
b Pſ. 87. 14. Mane oratio mea præueniet te.
c Sap. 6. 14.

ſcunt, vt illis ſe prior oſtendat, quàm eã ipſi quærant; pulſatq; ipſa ad portas eorum, vt illi aperiant; *aſsidentem enim illam forib. ſuis inuenient*. Poſtquam verò Deus auxilio ſuo te præuenit, debes tu mane præuenire oẽs hoſtes tuos, Dęmones, ſenſus carnis, & cogitationes oẽs, ac ſæculi occupationes, ita vt prius tu occupes domum cordis tui, cogitationibus Sanctæ Orationis, quàm illi eandem occupent.

Sed vlterius tibi eſt progrediendum, vt ſummo mane offeras Deo primitias eiuſdem diei; ita vt prima lux Solis deprehendat te in oratione conſtitutum, vt cœleſtis Sapientiæ luce perfruaris, dicentis: d *Ego diligentes me diligo: & qui mane vigilant ad me*, ſine dubio *inuenient me*. Siquidem qui ita mane ſurgunt, teſtimoniũ amoris ſui erga me proferunt; & feruoris, quo me quęrunt. Miro artificio Deus vſus eſt, vt Iſraelitas per deſertum ambulantes impelleret ad e *colligendum Manna, antequam Sol oriretur*; neq; enim ſolum illud Manna corrumpebatur, quod ab vno die in alterum ſeruabatur; ſed etiam quod colligebatur, *cum Sol incaluiſſet liqueſiebat*, & diſſoluebatur. Et fratres mira: (ait Sapiens) vt, f *quod ab igne non poterat exterminari*, etiãſi ingens eſſet, ſi mane illud colligeretur: *Statim* tamen *ab exiguo Solis radio calefactum, tabeſcebat* in ipſo campo in pœnam ignauorum: *vt notum omnib. eſſet, quoniam oportet præuenire ſolem ad benedictionem tuam, & ad ortum lucis te adorare. Quid* verò magis conueniens eſt, quàm ſummo mane ſe diſponere ad recipiendam benedictionem & dona Dei, qui ſummo mane ad ea conferenda ſe offert? Siquidem ergo Sol Iuſtitiæ, præuenit radios viſibilis Solis, vt nos cæleſtibus ſuis radijs illuſtret; quantum erit, ſi tu ſurgas ante ortum ſolis, vt lucem illam recipias, quam Deus tibi offert? ne conqueraris, ſi non inuenias Manna deuotionis, non ſurgens diluculo ad orandum, vt illud inuenias. Nam, quemadmodum Iſraelitæ, quo die tardius accedebant ad colligendũ Manna, illud non inuenientes, priuabantur illa die ſua portione, & laſsitudinem famemq; patiebantur: Ita qui ex pigritia in lecto hęrent; quando poſtea ad orationẽ accedunt, non inueniunt Manna diuinæ conſolationis. Rẽ Chriſtiano indignam, ait S. Auguſt. eſſe, quod Solis radius in lecto iacentem (ſi ſanus ſit) inueniat; & rem fœdam (ait S. Ambroſius) quod clara lux Solis feriat oculos ſomnolenti corporis. Si.n. curioſi diligentioreſq; Scholaſtici parum dormiunt, & multum vigilant, & diluculo ſurgunt ad ſtudia; Quanto eſt æquius, vt tu vigiles, ac diluculo ſurgas ad orandũ, & laudandũ Deum? ſiquidem auiculæ ipſæ diluculo excitantur, teq; ad id inuitant cantu ſuo. Si itaq; cupis, orationem tuam exaudiri, diluculo ſurge ad orandum. g *quoniam ad te orabo, Domine*, (ait Dauid) *mane exaudies vocem meam*. Et vt eſt apud Iob: h *Si diluculo conſurrexeris ad Deum, & omnipotentem fueris deprecatus ſtatim euigilabit ad te, & pacatum reddet habitaculum tuum*. Quod ſi dicas etiam in lecto te poſſe orare, eumq; rigare lacrymis, ſicut faciebat Dauid; reſpon-

2.

d *Prou.* 8 1[...]

e *Exod.* 1[...] 21.

f *Sap.* 16 2[...]

Refert T[...] recrema[...] Tract. 32 regul. S. [...]nedicti.

In Pſal. [...] *Serm.* 7.

g *Pſal.* 5[...]

h *Iob* 8.

upra. debo cum eodem S. Ambrosio: etiam i *sponsam in lectulo suo per noctes quæsiuisse suum dilectum, & non inuenisse.* lectus. n. potius est locus ad dormiendum, & carni indulgendum, quam ad Orationem, nisi fortè ægrotes. Si aūt sanus es, quamuis liceat in omni loco & tempore, Dei pręsentis meminisse: melius tamen est (ait S. Hieronymus) vt cum ipso Dauide, diluculo ex lecto surgas; corpusq; & manus ad Deum eleues.

Cant. 3. 1.

Epist. de Ami & Vtil. Vigiliarum. Tom. 4. 3.

CONSTITVE itaq; horam, qua surgendum sit tibi ad Orationem, quæ vbi aderit, (vt ait Ecclesiasticus) k *non te trices:* sed cum lætitia & festinatione surge, cogitans Deum ipsum animæ tuæ dicere illud Canticorum: l *Surge, propera amica mea, & veni ad habitandum in foraminibus Petræ*; aut Angelum dicere, quod S. Petro, cum dormiret in carcere inter duos milites: m *Surge velociter & præcingere, circunda tibi vestimentum tuum & sequere me.* quam vocem vbi audiueris, fac quod S. Petrus; de quo dicitur, *& fecit sic sequens Angelum.* lectus. n. etsi deliciæ sint carnis, est tamen carcer Spiritus, in quo ab inuisibilibus hostibus circumdatur, conantibus eum ibi detinere. Licet quoq; imaginari, quod cum somnus sit mortis imago, lectus quoq; sit sepulturæ; ex qua, constituto tempore pro somno, Angeli vocant tremenda illa voce: *Surgite mortui, & venite ad Iudicium.* Et sicut mortui, in momento obedient illi voci, vt se coram supremo iudice, qui iudicaturus est illos, statim præsentent, ita obedias tu, vt in oratione, te coram Deo præsentes, petasq; misericordiam, colligas tuum Manna, ignemq; deuotionis accendas, n *quem* vult Deus *nutriri à Sacerdote, subijciente ligna mane per singulos dies.* O Deus æterne, o *cuius ordinatione perseuerat dies, quoniam omnia,* quæcunq; creasti, *seruiunt tibi,* opto totum expendere, perseuerando in oratione, qua tibi seruiam. p *Excita* ergò *me mane diluculo*, & iuua me sicut sponsam tuam, vt orans, sicut oportet, tam copiosam obtineam benedictionem, vt mihi sufficiat ad perseuerandum toto die in feruore.

k Eccl. 32. 15.
l Cant. 2. 10.
m Act. 12. 7.
n Leu. 6. 12.
o Ps. 118. 91.
p Psal. 45 6.

§. 2.

De Vigiliis & nocturno tempore.

ALTERVM tempus Orationi destinatum potest esse vespertinum, eò quod sit etiam pro ea valde opportunum, postquam scilicet negotia & occupationes diei cessarunt. Hoc tempus magno in honore fuit apud Ecclesiam, quæ memor Christum D. N. iussisse, nos a *vigilare in quatuor vigilis noctis, expectantes* aduentum Iudicis, rationes à nobis exacturi, designauit tres nocturnos & laudes, tanquam quatuor Orationis tempora, in quibus eius ministri vigilarent & orarent. Et quid mirum (ait Sanct. Ambrosius) si tu vigiles pro salute propria orans, pro qua Saluator, b *erat pernoctans in Oratione Dei*, o-

a Luce 12. 38.
a Mat. 24. 42.
In Psalm. 118.
b Luc. 6. 12.

rans

rans feruenti oratione, digna eo, qui illam fundebat, Deo ſcilicet & homine; Et eo, ad quem dirigebatur, qui erat Deus, quà Deus. Dæmon (ait S. Auguſtinus) vigilat ſemper in tuam perniciem, & tu non vigilabis orando, vt ei reſiſtas? Et, ſi b *fabri noctem, tanquam diem tranſigunt, vt vigilia ſua perficiant opus*; idque ob propria emolumenta temporalia: multò æquius eſt, vt vigiles tu in Oratione, propter emolumenta ſpiritualia, quæ ſunt maxima. Vigilando enim (ait S. Hieronymus) timor excluditur, fiducia comparatur, domatur caro, omnia vitia deficiunt, roboratur charitas, ignorantia fugit, floret prudentia, & intellectus acuitur, & gladio Spiritus vulneratur, ac læditur Dæmon, qui vitiorum eſt caput; ac denique virtutes eminenter comparantur. O ſi tantam ſalutis ac perfectionis tuæ ſolicitudinem haberes, quæ expelleret nimium ad dormiendum affectum, foueret verò deſiderium vigilandi? Si c *filia* (ait Eccleſiaſticus) *patris eſt abſcondita vigilia, & ſolicitudo eius aufert illi ſomnum*: Quis ergo magis eſt filia tua, quam ipſa anima? Quod ſi es ſolicitus pro illa, ne pereat; hæc ſolicitudo faciet te vigilare, vt pro eius cuſtodia & remedio ores.

In Pſal. 65.
b Eccl. 38. 28
vbi ſup.
c Eccl. 42. 9

POSTQVAM ergo diei occupationibus ſatisfeceris, deſigna tibi aliquam horam noctis, qua te ad orandum recipias: ſequens Ieremiæ conſilium: d *Conſurge*, inquit, *lauda Deum in nocte, in principio vigiliarum: effunde ſicut aquam cor tuum, ante conſpectum Domini.* Aptè verò dicit: *ſicut aquam*, & non ſicut oleum; quod cum effunditur, ſemper relinquit aliquid adhærens vaſi, in quo erat: vt intelligas, nihil eorum, quæ interdiu egiſti, debere cordi tuo adhærere; ſed omnia eſſe effundenda, & in Dei præſentia conſtituenda; vt ille, ſicut poteſt, ſubueniat, & pro ſuo libitu de eis diſponat: te deſiderante, vt impleat Deus vacuitatem hanc cordis tui, non re alia quàm ſeipſo. O Deus æterne, in cuius conſpectu e *nox ſicut dies illuminatur, & in tenebris delicias tuas* communicare ſoles, doce me quærere te de nocte ita vigilando & orando, vt te inueniam, teque fruar. Amen.

d Thren. 2. 19.
e Pſ. 138. 12.

SED quoniam non poteſt corpori conueniens ſomnus ſubtrahi, decet vt ex parte tua cures, ſomnum eſſe Chriſtianum ac deuotum: vel aliquod breue tempus in ipſo lecto orationi dando; vel verſando memoria ea, quæ cum ſurrexeris mane, ſis cogitaturus; aut aliquam Orationem deuotè recitando; aut denique Sanctam aliquam cogitationem ita ruminando, vt ſic cogitanti ſomnus obrepat. Hoc enim tria magna commoda affert. *Vnum* eſt, quod liberet à malis ſomniis, & bona adferat, de rebus ſcilicet quæ ante ſomnum cogitabas. *Alterum* eſt, quod quoties euigilaueris, inuenies cor tuum tenerum erga Deum D. N. & facilè in breuem aliquam Oratiunculam erumpes; quò fiet, vt matutino tempore, benè ſis diſpoſitus ad orationem prolixiorem, quia ſomnus non interruperit præcedentem deuotiotionem. Hoc totum experti ſunt SS. Patres; & ideò S. Hieronymus de ſe re- Epiſt. 18.

fert: se nunquam consueuisse somnum capere, quin aliquem audiret aliquid ex scriptura sacra legentem. S. Ambrosius consulit Virginibus, vt conentur orationem Dominicam & psalmos recitantes, somnum expectare. Et idem consulit Tyronibus S. Bonauentura, quo semper sint deuoti. Et S. Basilius suadet, ita incumbere, vt somnus sit meditatio sanctitatis. Nam ideo iubebat Deus, populum suum meditari in mandatis eius, f *dormientem ac vigilantem*, g *cum accumberet ac surgeret*; tanquam desiderãtem, vt somnus in ea meditatione inuaderet, quæ continuaretur statim ac euigilaret, sicut dixit Dauid: h *si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te.* Et quãdoquidem Deus (vt dicitur in libro Iob) i *quando irruit sopor super homines, & dormiunt in lectulo, tunc aperit aures virorum, & erudiens eos instruit disciplina:* AEquum est, te ita disponere seruum tuum, vt non ponas obicem instructioni diuinæ. Non quò tales reuelationes in somniis quæras, quæ sunt periculosæ, sed, ne indignum illis te facias, & inhabilé reddas ad instructionem, quam Deus offeret vigilanti. De sacratissima Virgine Domina nostra, ait sanctus Ambrosius, quod cùm dormiret corpore, mens eius vigilaret in oratione. Ita vt impleretur in ea, iuxta literam, quod dicitur in libro Canticorum: k *Ego dormio, cor meum vigilat.* Hoc ait S. Ioannes Climacus, solet Deus concedere iis, qui magno feruore & continuatione, huic exercitationi se tradunt. Est que bonum id ab eo petere, dicendo humiliter: O Deus æterne, qui es cor & amor iustorum, qui tecum conuersantur: vigila tu, Domine, in me, quando ego dormio, talem mihi somnum concedens, qui initium sit feruentis orationis in vigilia habendæ. Amen.

Lib. 3. de Virg.
De reform Nouit p. 1. c. 9.
Orat. 2 de precat.
Et hom. in Iulittam Mart.
f *Deut. 6. 7.*
g *11. 19.*
h *Psal. 62. 7.*
i *Iob 33. 16.*
Vide S. Greg. l. 23. Mor. c. 12.
S. Tho. 2. 2 q. 172. a. 1. ad 2 q. 95. a. 6.
Lib. 2. de Virg.
k *Cant. 5. 2.*
Gradu 19. ad fin.

§. 3.

De oratione in omni loco & tempore continuata.

VLTERIVS etiam necesse est progrediatur diligentia nostra, si desideramus implere, quod sacra scriptura nos monet, de frequentia, continuitate, & perseuerantia in oratione, dicens, vt oremus in omni loco, & tempore, nullo prorsus excluso; allegans ad id multas rationes, in præcedentibus capitibus insinuatas, quarum hæc est summa.

1. EST autem prima: quia in omni loco & tempore, necessaria est obseruantia diuinæ legis: ad quam necesse est, a *multiplicare orationem, & semper in ea meditari.*

a *Eccl. 35. 1. Deut. 6. 7. Psal. 1. 2.*

2. *Secunda* est: quia in omni tempore, indigemus Dei auxilio, ad animæ vitam conseruandam; sicut respiratione ad vitam corporis. Necesse itaque erit b *os aperire* frequenter, & *attrahe e* (vt ait Dauid) *spiritum* à quo hæc vita dependet.

b *Psal. 118. 131.*

3. *Tertia* est, quia in omni loco & tempore, c *vigilat aduersarius noster Diabolus, & tanquã leo rugiens circuit, quærens quem deuoret, cui vt resistamus fortes in*

c *1. Pet. 5. 8.*

fide,

fide, necesse est d *vigilare*, valdeque instanter *orare in omni tempore*. Non audes (ait S. Chrysostomus) ex domo exire inermis; & absque gladio, cum habes hostes: & audes sine oratione exire, à tot hostibus circumdatus? d Luc 21.36 d Ephes. 6.18 Hom. 70. ad pop.

Quarta est, eò quod ignis amoris proprij, sit continuus vermis virtutis spiritus, quam tandem consumet, nisi reparetur e *quotidiano pane*, quem impetrat oratio. Et ideo eum petis tantum pro hodierna die, cùm dicis: *Da nobis hodie:* vt cras eundem petas, & singulis diebus donec f *hodie cognominatur*, qui (vt ait Apost.) est totum tempus huius vitæ. 4. e Matt 6.11. e Luc. 11.3. f Heb. 3. 13.

Quinta, quoniam ignis charitatis in altari cordis, est extra suam sphæram, à multis hostibus obsessus, qui illum debilitant, & quasi extinguunt; nisi quotidie & singulis horis g *eum nutrias* frequentibus meditationibus & orationibus, quibus conseruetur. 5. g Leuit. 6.12

Sexta, quoniam in omni loco & tempore, accipis à Deo innumera beneficia; meritoque timebis, venturum ipsum tanquam Iudicem, qui actionum tuarum rationem exigat, æquum est, h *sine intermissione orare, aut gratias agēdo* pro acceptis beneficiis; aut veniam petendo, de culpis admissis. Hæ sunt summatim rationes, quæ te obligant i *semper orare, & non deficere* sicut ipse Saluator monuit. Ne verò hoc tibi videatur impossibile aliam summam subiiciemus, qua ostendentur modi, id ipsum exequendi. 6. h 1. Thess. 5. 16. h Psal 33.1. h Luc. 21 36 i Luc. 18.1.

Primus semper orandi modus est per efficax desiderium, semper in corde conseruatum: sicut Christus Dominus noster iubet nos renunciare omnibus rebus, non in effectu & reipsa: quia id non esset omnibus possibile; sed affectu & desiderio, ita vt parati simus, omnibus rebus etiam in effectu renunciare, quando id ad nostram salutem esset necessarium; & reipsa iis ita renunciemus, quæ ad eam consequendam nobis sunt impedimento. In hunc ergo modum, orandum est tibi semper, desiderio scilicet efficaci orandi toto tempore, quo fuerit necessarium, & conueniens ad tuam salutem & perfectionem, ita vt sis omninò promptus ad id præstandum. Et hoc desideriū valdè frequenter renouandum est. Nam ipsum desiderare, est orare. 1. Luc. 14. 33.

Hinc est quod etiam censearis semper orare, si semper te præpares ad orandum, ita vt actiones tuæ & verba, sint continua quædam præparatio ad benè orandum. Hoc enim est quod dixit Dauid: k *Desiderium pauperum exaudiuit Dominus, præparationem cordis eorum audiuit auris eius.* Significans, vtrumque horum habere vim orationis. 2. Cap. 4. k Psal. 9. 17

Et ob eandem causam dicunt sancti, charitatem ipsam esse continuam orationem, semperque clamare, quatenus producit feruentia desideria Deo placendi; ipsaque opera eleuat ad finem orationis, gloriam scilicet diuinam, & vnionem cum summa bonitate. 3. S. Bern ad Frat. de Mōte Dei. S August. in Psal 37.

Ex quo etiam fit, vt semper censearis orare, si semper conserues fructus orationis: quæ in eis, & per eos semper clamat, ad eū modū, quo dixit Eccles. 4.

l Con-

l Eccl. 29. 15 — l *Conclude Eleemosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit, & liberabit ab omni malo.* Nam (vt S. Thomas aduertit) effectus orationis in proximos, beneficiis eos ad orandum pro nobis prouocantes, vim habent orationis; licet multò maiorem vim illi habeant quos in nobis efficit: quia addunt nos deuotos. Id enim voluit Dauid, cùm dixit: m *Reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.* quia scilicet nos prouocant ad orandum; & gaudere faciunt fructibus, ex ipsa oratione prouenientibus.

2. 2 q. 84. ad 14 ad 4. & lect. 5. ad Rom. 1.

m Ps. 75. 11.

VENIAMVS nunc ad ipsamet orationis exercitia, quæ, quoad nobis possibile erit, iuxta facultatem nostram, frequentissima esse debent. Hoc verò quatuor modis explere possumus.

S. Thom. supra.

1. PRIMVM summo rigore seruare tempora ad orandum constituta, à quibus nunquam desistamus, vllius humani respectus causa: nisi necessitas manifesta interrumpere ea cogat. Sicut S. Daniel, qui n *consueuerat* ter in die orare, nunquam voluit eam consuetudinem deserere, nec ob negotiorum multitudinem, quæ in regni gubernatione habebat: tanquam vnus ex tribus principibus, quibus Rex confidebat; nec ob timorem *mortis,* quam idem Rex fuerat minatus ei, qui *spatio triginta dierum Deum rogaret.* Et quamuis, durante lege, potuisset esse contentus semel orare, idque occultè, clausis domus suæ fenestris, & non Ierusalem versus sicut ante consueuerat: noluit tamen quicquam suæ consuetudini detrahere, ne ipsam orationem & feruorem in ea imminueret. Nam si vel vna circumstantia bonæ consuetudinis intermittatur, via aperitur ad eandem omninò consuetudinem prætermittendum. Illustrius tamen est exemplum Christi D.N. qui consuetudinem eundi ad orandum in horto Gethsemani, interrumpere noluit, licet esset conscius, se ibi comprehendendum. vt sic appareret, quanti ipse faceret sancto huic exercitio non deesse.

n Dan. 6. 10

C. 2. §. 6.

2. *Secundus* modus est, breui aliqua oratione singulis diei horis se exercere, ita vt pulsus horologij excitet nos ad orandum, quò orationis cursus, iuxta consilium S. Chrysostomi, totius diei cursui coæquetur; imò & noctis, quoties horologium in ea audierimus. Et sicut campana, quæ ter in die pulsatur ad salutandam Beatam Virginem nos excitat, ad id faciendum; ita illa, qua pulsatur ad sacrum Missæ, ad vesperas, & alias horas, excitare nos potest, ad hasce breues orationes, accipiendo hinc bonam consuetudinem orandi, quoties campanæ audiuntur.

Lib. 3. de orando Deum ad finem.

3. *Tertius* modus est, certum numerum orandi præscribere, septimum videlicet aut nonum quem expleamus in decursu diei, à matutino tempore, vsque ad horam prandij; & ab hac hora firmiter vsque ad horam incumbendi: obstringendo nos ad id certò præstandum; imposita aliqua pœna, si quam orationem omiserimus, vt hac occasione multas alias orationes expleamus, exercendo videlicet illas, quæ iaculatoriæ vocantur; & tanquam

hastæ vel sagittæ, procedunt ex corde, breuissimè & citissimè, sed cum tanto seruore & frequentia, vt hæc suppleat earum breuitatem, pertingantque ad ipsum cœlum; Deique o *cordi* (si ita loqui licet) infixæ, illud *vulnerent*, & accessum inueniant ob amoris vnionem. Tales orationes frequentes erant apud antiquos Patres, valdeque approbatæ à Sanctis Basilio, Augustino, Chrysostomo, & aliis spiritualibus Patribus; & præclarissimo exemplo confirmatæ Christi D.N. in cruce, vbi tres horas, magnos cruciatus sustinuit; & interdum aliquam ex his sagittis ardentissimo feruore iaculabatur. Primum enim dixit. p *Pater dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt*; & post vnā horam: q *Deus meus Deus meus, vt quid dereliquisti me?* ac postea: r *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Quo exemplo nos docuit, iaculatorias orationes, ob aliquem ex tribus finem, esse iaciendas, in bonum scilicet proximorum, aut nostrum in hac vita, aut in æterna.

o *Cant* 4. 9. *S. Basil. l. de constit. monast. c.* 2. *S. Aug. epist* 121. *c.* 10. *Caßian lib.* 2. *c.* 10. & 11. & *col* 9. *c.* 35. *S Chrysost. Hom.* 79 *ad pop.* p *Luc.* 23. 34 q *Matt.* 27. 46. r *Luc.* 23. 46

§. 4.

De coniungenda oratione externis actionibus.

NEC sine mysterio Christus D.N. in cruce has orationes, inseruit aliis verbis in ipsa cruce, quibus allocutus est bonum latronem, matrem suam, ac discipulum; & clamando, *Sitio*, vt sitim suam temperaret: quo exemplo nos docuit quartum modum semper orandi, ingerendo scilicet huiusmodi orationes aliis operibus & occupationibus huius vitæ; ita vt a *vestimenta Sponsæ*, eius scilicet opera, afflentur *odore thuris* à summo vsque deorsum: inchoando scilicet illa semper (vt ait S. Dionysius) ab oratione, & pergendo in eisdem, & finem eis imponendo variis affectibus deuotionis. Interdum ex ipsomet opere, licebit tibi occasionem accipere, ad petendam à Deo aliquam virtutem, quæ in ipso opere insinuatur: vt cùm te induis, petas à Deo, vt te veste pretiosarum virtutum induat: si exuis te, petas à vitiis tuis exui: si manus lauas, pete vt cor tuum lauet, & opera purificet: si comedis aut bibis, pete animæ refectionem. Interdum licebit breuem aliquam considerationem ex ipso opere deducere, quæ ipsum comitetur. Sicut S. Bernardus ait, cogita in labore causam tui laboris, vt pœna, quam sustines, reuocet in memoriam culpam ob quam illam pateris. Cogita etiam præmium laboris, vt animes teipsum ad illum libenter tolerandum; aut cogita legem Domini, cui tuum opus, debet esse conforme. Nam (vt ait S. Dionysius) qui pingere vult imaginem, ad imitationem alterius, modo respicit ipsam Ideam, & modo aliquid facit ad eius imitationem, vt transumptum sit conforme Ideæ originali. Et faber (ait S. Basilius) facit suum opus contemplando Ideam, quam proposuit is, qui opus imperauit. Sic tibi facienda sunt opera tua, vt sis memor Dei legislatoris, qui ea tibi præ-

a *Cant.* 4. 11 *c.* 3. *de diuin. nominib.* *Serm. de duab. mensis.* *c.* 4. *de diuin nomin.* *Reg.* 5 *ex fusis* & *reg.* 306 *ex breui in id sicut oculi seruorum manib. Dominorū*

præcepit, legemque & normam siue exemplar eorum dedit. Et hic est ex-
b Thre.3.41 cellentissimus orandi & operandi modus, b *leuando* scilicet (vt ait Ieremias)
corda nostra cum manibus, oculis, & lingua *ad Dominum in cælos*: oculos, ad in-
tuendum Deum præsentem; Cor, ad dirigendum in eundem tua desideria:
Linguam, ad auxilium petendum; Manus, ad executionem diligentem eo-
c Eccl.37.6. rum, quæ ipse præcipit. c *Non obliuiscaris* (ait Sapiens) *amici tui in operibus tuis.*
Quis autem magis tibi amicus, quam Deus, vt non obliuiscaris eius, cùm ali-
quid feceris. Hoc modo orabant, & laborabant Monachi illi antiqui, de qui-
Lib.3. c.2. bus refert Cassianus, quod dum manibus laborarent, non omittebant medi-
tationem psalmorum; sed simul breues orationes coniungebant, totum diei
tempus in his officiis consumentes, quæ alij statuto tantum tempore cele-
Lib 2. c 14. brarent: Ita vt quid ex quo penderet, haud facilè posset à quoquam discer-
ni: id est, vtrum propter meditationem spiritualem continuum manuum o-
pus exercerent; an propter operis perpetuitatem, tam præclarum spiritus
Lib. de opere Monach. c.17 profectum, scientiæque lumen acquirerent. Quorum exemplo (ait S. Augu-
stinus) discere meritò debent ignaui ac tepidi, possibile esse, corpore atten-
S Bern ser. de duabus mensis. dere ad externa opera, & simul spiritu ad interna. Et quidnam esse laborio-
sius potest, quàm pugnare contra fortes aduersarios? Audi igitur, quid scri-
d 2 Machab. vlt.26. ptura diuina dicat de militibus Machabæis: d *Iudas* (inquit) *& qui cum eo e-
rant, inuocato Deo, per orationes, congressi sunt, manu quidem pugnantes, sed corde
Dominum inuocantes; præsentia Dei magnificè delectati.* qui ita illis assisteret:
experientia ipsa admirandam eius auxilium agnoscentes, & hoc modo lice-
e 1.Tim 2.8. bit implere, quod Apostolus præcipit, dum ait: e *volo viros orare in omni loco,
leuantes puras manus sine ira & disceptatione*, qui non exprimit viros, vt mu-
lieres & iuuenes excludat; sed vt significet, eos qui heroicum adeò consiliũ
sint secuturi, viros esse debere, in virtute & animi fortitudine, imitantes
Angelos custodes, qui etsi locum vnum sibi designatum habeant, cœlum vi-
delicet Empyreum, vbi Deum vident, & familiariter alloquuntur: quando
tamen inde exeunt, ad terram descendentes, sicut Raphael ad commissum
sibi munus exequendum, non propterea intermittunt cum Deo agere, in
quocunque loco & occupatione versentur. Sic igitur viri Angelici, etsi lo-
ca habeant orationi deputata, vt prædictum est; quando tamen inde exeunt,
Can. 5 in Mat. non propterea intermittunt orare, in omni loco, & occupatione occurren-
te. Nam (vt ait S. Hilarius) in omni loco corporeo, suum habent cubile in-
S Ambr l. de sacrif c.3 ternum, in quo suam Deo orationem offerant. O Deus omnipotens, osten-
S Chrysost. hom 79 ad pop de in me tuam omnipotentiam, in conseruanda memoria tuæ præsentiæ in-
Greg. l 18 Mor. c 5 tra meum spiritum, etiam dum laboro corpore; & siquidem iubes, me
Luc 18.1. f *semper orare, & non deficere*, doce me orationem externæ actioni
coniungere, vt altera alteram iuuet, ne defi-
ciat. Amen.

§. 5. De

§. 5.

De perseuerantia in oratione vsque ad mortem.

IMPONEMVS nunc finem iis, quæ ad noſtram cum Deo familiaritatem ſpectant, dicentes: Chriſtum D.N. non ſolùm iubere nos *ſemper orare, & non deficere*, orationem ſcilicet intermittendo; ſed etiam perſeuerare, & non deficere in eius feruore, quoad omnes circumſtantias feruentis orationis: ita vt neque deficiat, in Dei præſentia cogitanda, nec in attentione & reuerentia tantæ Maieſtati debita; nec in fiducia, nec in ſubſtantiali deuotione, nec in ordinaria continuitate: ſed in his omnibus eſſe perſeuerandum vſque ad mortem. Nam vſque ad illam horam, non obtinetur præcipuum bonum, quod per eam quærimus, vita ſcilicet æterna, & ſublime donum perſeuerantiæ in eius gratia, quod eſt omninò neceſſarium, vt pateat nobis ingreſſus ad gloriam: Et hoc quidem eſt, naturæ noſtræ procul dubio difficillimum; quæ facilè laſſatur in oratione, dum tenet arcum intentum ad iaculandum fortiter ſagittam. Et ipſa experientia docet nos, quod S. Auguſtinus ait, multos iuſtos initio ſuæ conuerſionis, feruenter orare, mox tepidè; deinde frigidè; ac denique negligenter & in ſpecie tantum, ita hoc exercitium interrumpentes, vt parui faciant, ſi orationem per dies aliquot intermittant, aut ſe ad eam non præparent. Ideoque in illud maledictum Ieremiæ incurrunt dicentis: a *Maledictus qui facit opus Dei fraudulenter.* Quod enim aliud opus magis propriè dici poteſt Dei, quam familiaritas cum ipſo? Quidquid enim in ea fit, Dei eſt: ipſique Deo fit, cum Deo & in virtute Dei: & ita Euangeliſta appellat b *orationem Dei.* Dignus itaque eſt tali maledictione, qui huiuſmodi opus facit negligenter. Contemnit enim ipſius Dei maieſtatem, cum quo agit. Quæ autem erit eius maledictio, niſi quæ dicta eſt à Dauide in monte Gelboe, quod ſcilicet c *nec ros, nec pluuia cœleſtis veniat ſuper eum,* nec guſtet manna Angelorum, nec reſplendeat igne affectuum diuinorum, nec particeps fiat cœleſtium conſolationum, nec cæterorum bonorum, quæ ſecum affert oratio, quando fit, vt oportet. Amplectere itaque ſapientis conſilium dicentis: d *Non impediaris orare ſemper, & ne verearis vſque ad mortem iuſtificari, quoniam merces Dei manet in æternum.* Quaſi diceret, multa occurrent tibi impedimenta ad continuandam orationem, & perſeuerantiam in ea vſque ad mortem: ſed nullo eorum patiaris te impediri, aut orationem intermittas. Si enim ab ea deſtiteris, amittes iuſtitiam & ſanctitatem. Simul enim, pariique paſſu incedunt cōtinua oratio, & cōtinua ſanctificatio. Et quod vnius continuationē impedit, etiam impedit continuationem alterius; & qui impedimēta remouet vnius, ſimul quoq; remouet alterius. Expedit autem illa remouere, quia merces vtriuſq; nō perit: ſed ęterna eſt, nec eſt limitata, ſed immēſa. Quia eſt ipſemet

In Pſal. 65 in fin.

a *Iere. 48. 1*

b *Luc. 6. 1*

c *2. Reg. 1.*

d *Eccl. 18.*

Deus,& bona quæ ab ipso proueniunt. O Deus ęterne, cuius est donum perseuerantiæ, concede mihi in oratione perseuerare vsque ad finem vitæ, sicut tu vis, vt sic perseuerem etiam in iustitia, fiamque per gratiam tuam dignus, qui perueniam ad æternam vitam, Amen.

CAPVT XX.

DE VISITATIONIBVS ET INTERNIS DEI in oratione collocutionibus, earum admirandis proprietatibus, effectibus, & causis; mediisque ad eas impetrandas.



VM hactenus egerimus de modo, quo nos visitamus & colloquimur in oratione cum Deo D.N. constituentes nos in eius præsentia, & familiariter cum eo agentes: æquum est nunc explicare, qua ratione ipsemet Deus visitet, & alloquatur nos in ea. vt enim supra est dictum, familiaris in oratione tractatio, est colloquium & sermocinatio inter Deum, & animam, amicabiliter vtroque conuersante, estque illa animæ felicitas, quod Deus illi ad cor loquatur. Vt enim ait Dauid, quando a *Deus in nobis loquitur, loquitur pacem*: Iustitiam, & sanctitatem, *in plebem suam*, nostras videlicet potentias: est enim valdè affabilis, loquiturque libenter cum eo, qui ipsum audit, & alloquitur: nam *cum simplicibus sermocinatio eius*: respondet ad interrogata, & interrogat vt sibi respondeatur. Quemadmodum apparet in colloquiis cum Iob habitis; & iis, quę in libro Canticorum referuntur. ac proinde, quod Deus nobiscum loquatur, non interturbat orationem, sed facit feruentiorem, iuuatque vt eam prosequamur: sicut duo amici conuersationem suam mutuam fouent, inuicem se audientes & loquentes. Ex quo fit, vt non deceat in oratione nimios & inportunos esse in loquendo; quin desistamus ad tempus, instar eius, qui auscultat & audit, quid illi Deus dicere ac inspirare velit. Exemplo pauperum, qui postquam suam paupertatem & necessitatem proposuerunt, & Eleemosynam ac remedium petiuerunt, tacent, expectantes, quod petiuerunt. Quod silentium non est otiosum; sed est assistere præsentiæ Dei cum viua quadam & reuerentiæ plena attentione, expectando eius misericordiam, & internum donum, quod petimus, sicut dicebat Habacuc: b *super custodiam meam* orationem scilicet *orabo*, *& figam gradum super munitionem*, *& contemplabor, vt videam, quid dicatur mihi*: *& quid respondeam ad arguentem me.* Variis enim modis Deus loqui consueuit, exhortando, docendo, consolando, & reprehendendo; quare attentum me esse decet, vt audiam quid mi-

Psal 84.9
rou.3.32.
Habac. 2.1

hi dicat;& quid ego possim respondere, vtens eius doctrina, respirans eius consolatione,& acceptans correctionem.

SED latet mysterium (vt aduertit S.Greg.)in illo verbo Prophetæ,*vt videam.*Etsi enim vox non videtur, quia non est objectum visus; sed auditus: at interna tamen Dei verba non solum audiri, sed etiam videri dicuntur,ob insignem cœlestem lucem, quam secum adferunt: quæ dat citissimè verborum Dei intelligentiam: sicut oculi in momento res præsentes vident;& Deus D.N. vel vnico verbo interno,& in momento, ostendit plures veritates,quam possint homines nos multis annis docere. Item,quia in familiaritate cum Deo auditus efficit visionem, iuxta illud Iob: c *auditu auris audiui te, nunc autem oculus meus videt te.* Nam per admirandos effectus verborum eius, videmus & cognoscimus Dominum, qui nos visitat, & talia loquitur. Et in hoc propriè consistit visitatio Dei; qui, cùm sit in omnibus creaturis præsens(vt suprà est dictum)propterea solum dicitur de nouo venire,suosq; amicos visitare, quando illis manifestat, se esse cum illis;talia dona eis communicando, vt ex iis ipsi agnoscant assistentiam & præsentiam eius in ipsorum cordibus.

Lib. 8. mor. c. 2. & l. 2. c. 24.

c *Iob. 42. 5.*

cap. 6.

§. 1.

De necessitate Visitationum Dei.

SED vt magis appareat necessitas harum visitationum, obseruandum est,quod sicut perfectio vitæ actiuæ, & Contemplatiuæ, vt plurimum obtinetur exercitijs mortificationis & Orationis: ita hæ visitationes Dei eum scopum habent,vt nos iuuent foueantq; in eisdem exercitijs; præmiumq; tribuant illius curæ,quam in eis collocamus: ita vt diuinam vnionem cum Deo comparemus, & perfectionem, quam desideramus. Et hinc est quod Deus D.N. duobus præcipuè temporibus visitet amicos suos: quando scilicet illi versantur in mortificatione & Pænitentia, aut sunt in aliqua afflictione & calamitate constituti; & quando occupantur in Oratione,aut ad eam se præparant, præsertim si fuit prolixa,& mortificationi coniuncta, per luctam verbi gratia cum distractionibus & ariditatibus. Et eò tendunt verba illa sponsi: a *vadam ad montem myrrhæ & ad collem thuris.* quasi diceret, visitabo & fouebo eos, qui per montem mortificationis, & per collem orationis ascendunt; eritq; mihi periucundum eos consolari, qui ad culmen peruenerint. Quid aliud(ait S. Gregorius in eum locum)est mons myrrhæ,nisi solida, & alta in ipso opere mortificatio? Et quis collis thuris, nisi magna in Oratione humilitas? Tunc sponsus venit ad hunc montem & collem, cum familiariter visitat eos, quos videt contendere in altum, per mortificationem vitiorum & distractionum, suauiterq; fragrare per puras & humiles orationes. Quid verò ex hac Visitatione oritur, nisi quod iusti,

a *Cant. 4. 6.*

S. Greg. in eum locũ. Richar. libell. de amore Spõsi & Sponsæ.

tanquam arbores myrrhæ & thuris,in hoc monte & colle plantati,pretiosos suos liquores,in maiori abundantia & excellentia proferant,dum altiores ac feruentiores affectus exercent mortificationis & orationis? Id quod sensit

Cant. 4. sponsa ipsa cum dixit: b *Veni Auster,persla hortum meum,& fluant aromata illius*,liquores scilicet odoriferi instar lacrymarum,quæ fluunt ex oculis.Hoc significans,quod Spiritus S.visitatio, per Austrum ventum qui humidus & est calidus,significata,erat necessaria ad ita emolliendum cor,vt abundanter proferret teneros deuotionis affectus, dulcesq; lacrymas ex oculis,& feruentia opera, per manus. Illa est enim c *myrrha probatissima* quam *sponsæ manus stillant*.

Cant. 5.5.

Ex QVO fit,vt hac Dei visitatione cessante, aut cessent hæc exercitia;aut illorum feruor: quia videlicet desijt ea, quæ illa conseruabat & extimulabat, iuxta illud Iob: d *Visitatio tua custodiuit spiritum meum:* quasi diceret, absq; tua visitatione, nec durare potest vita gratiæ, quam mihi dedisti; nec dona,quæ ex misericordia mihi communicasti; nec spiritus Cœlestis, quem in me infudisti:&,si illa deesset,mox ruerem ex monte mortificationis,quæ conuerteretur mihi in amaram mortem; descenderem quoq; ex colle orationis,conuertens eam in molestam distractionem. Nam (vt ait Sapiens) e *sicut parturientis,cor tuum phantasias* vanas *patietur,nisi ab altissimo fuerit emissa visitatio*. O quot imaginationes adeo perturbatas, quot stultas affectiones,quot importunas turbationes patitur miserum cor, quando Deus illud non visitat?Est enim instar montis Gelboe, à quo Deus non visitato transit: cum tamen montes,qui sunt in circuitu eius, visitet: cuius cordis damna deflet S.Bernardus dicens: Ex hoc procedit sterilitas animæ meæ, ac deuotionis defectus, quem sustineo. vnde ita exsiccatum est cor meum, & anima mea facta est sicut terra sine aqua? non possum lacrymas fundere, non inuenio in psalmis saporem, non delector lectione bonorum librorum,non me recreat oratio,nec aditum inuenio ad meditationem; ad opera manuum factus sum piger,in vigilijs somnolentus, præceps in iram,in odio pertinax, liber in lingua, & effrenis in gula. Heu mihi, quia visitat Dominus montes qui sunt in circuitu meo, ad me autem nunquam appropriat? num ego vnus sum ex f *collibus,quos transilijt Sponsus*,vt illum non contingat?Nam alium video abstinentiæ singularis, alium admirandæ Patientiæ. Hic mente excedit Deo in Contemplatione:ille Cœlos penetrat orationis instantia. Alij in variis virtutib.excellunt, sicut montes, quos visitat Dominus, in quib.*salit* exultatq; Sponsus animarũ sanctarum. Sed ego miser, qui nihil horũ sentio, quid aliud sum,quam vnus ex montib. Gelboe, à quo,ita meis peccatis exigentib.transit Dominus ille, qui cæteros montes benignissimè visitat? Hæc S.Bernardus,qui in seipso ad viuũ depinxit,quod in aliis geritur:quos Deus, visitationes suas subtrahens,castigat,eo quod ipsi,myrrhæ monté horreant;

Iob.10.12

Eccl.34.6.

f Cant. 2.8.

nec

nec velint in colle thuris consistere: reijciunt Orationis exercitia, ne vel modicũ mortificentur. Ex quo prouenit, vt ventus g *Auster* Spiritus Sancti cesset *perflare hortum* animarum eorum, eiusq; loco perflet *Aquilo* maligni Spiritus, qui eas frigidas & aridas reddit: viq; spoliat, ac propensione ad opera bona: & contrà impetu quodam magno impellit ad mala. Quamobrem tremere (inquit idem Sanctus) deberes, cum hanc diuinæ visitationis gratiam subtractam tibi experiris. Ea enim cessante, tu deficies: quia, quicquid boni habes, simul deficiet tibi. Nam h *visitatio* eius, qui *custodiebat Spiritum tuum,* deseruit te. Redeas itaq; ad te ipsum, & cum Dauide clama ad Deum: i *Memento mei Domine: visita me in salutari tuo, vt videam* & fruar *bonis electorum tuorum;* & *later in lætitia* sicut illi lætantur: & tu *lauderis* à me sicut ab illis. k *Deus virtutum conuertere, respice de Cœlo & vide, & visita vineam istam, & perfice eam, quam plantauit dextera tua.* Nam opus, quod tua Omnipotentia fecit, beneuola tua visitatio conseruat ac perficit. Iube l *ventum Aquilonem fugere, Austrum* verò *venire* & *perflare hortum* animæ meæ, vt eius arbores, potentiæ videlicet, diuino spiritu afflatæ heroicos actus suos proferant. Amen.

g *Cant.* 4. 16.
h *Iob.* 10. 12
i *Psal.* 105 4
k *Ps.* 79. 15.
l *Cant* 4. 16.

§. 2.

De effectis visitationum Dei.

Ex dictis aperitur nobis via, ad explicanda ingentia bona, quæ secum afferunt visitationes Dei: ab eis siquidem profluunt omnes feruores, deliciæ, teneriq; affectus, qui modos orandi hactenus indicatos comitantur, præcipuè verò tres illi admirandi effectus, quos memoriæ præsentiæ Dei tribuebamus, quæ valde acuitur eiusdem Visitatione, qua recipit anima nouos Spiritus & feruores, ad exercendas Virtutes omnes spectantes ad tres illas vias, Purgatiuam, Illuminatiuam, & Vnitiuam. Vehementer enim amat puritatem, delectatur mortificatione, profectum suum desiderat, imitationi Christi studiosè vacat, suspirat vnionem cum Deo, velletq; semper occupari in rebus obsequij eius, in qua propterea impletur quod ipsemet Dominus in libro Canticorum dixit: *Veni in hortum meum, messui myrrham meam cum aromatibus meis, comedi fauum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo, comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi.* Nam in his verbis, exprimit nobis tres modos suauissimos, quibus ipse animas visitat, ijs accommodatos, qui tres prædictas vias ambulant. *Primum* enim venit ad eas tanquam messor cum falce sua in manu, vt metat myrrham, multaq; alia aromata; feruentes infundens affectus heroicæ mortificationis; & proposita efficacia, plurimum de hac myrrha colligendi, non granum vnum post alterum, sed messoris instar, qui vno ictu multa colligit; nec solam myrrham, sed omnium virtutum moralium exercitationem, quæ sicut aro-

Cap. 5.
a *Cant.* 5. 1.

mata,ita cor recreant & confortant. *Mox* easdem animas visitat afferens secum fauum,non aridum, sed cum suo melle intra ceram; infundens magnum lumen veritatum fidei, cum tenero sensu mysteriorum, in eis latentium; communicans illis dulcedinem, vt intellectus comedat, & veritatibus delectetur; Voluntas autem recreetur virtutibus, quas in illis inuenit. *Tandem* illas visitat,poculum afferens vino plenum, sed cum lacte mixtum, vt extinguant sitim vino affectuum feruentium fortium, & efficacium, tanta Spiritus abundantia & feruore,vt illas inebriet, faciatq; extra se, ita, vt seipsas excedant,& vltra quam possint, operentur,quamuis cum ingenti suauitate,puritate ac discretione, quæ per lac admixtum significatur,quod procedit ex ipsius Dei vberibus, qui Matris instar, ita filijs suis indulget,& ita cuiq; consolationem affert, vt illi prosit.

SED illud magis in admirationem inducit, magisq; afficit, quod supremus hic DEVS noster tantopere oblectetur his Visitationibus, & horum donorum distributione. Non enim ita de eis loquitur, quasi ea donet; sed quasi eadem ipse accipiat; atq; si vtilitatem ex eis ipse haberet. id enim exprimit Phrasis illa qua vtitur. Quid enim est (ait Sanctus Gregorius) venire Christum in hortum suum, nisi visitare animas, in quibus ipse valde recreetur? Et quid est myrrham suam metere cum aromatibus suis, nisi valdè oblectari odore mortificationis, & fragrantiâ reliquarum Virtutum, quas illæ exercent? Et quid aliud est *fauum* comedere *cum melle suo,* nisi oblectari,quod videat,eas in praxim deducere veritates illas cum sensu & delectatione earum? Et quid deniq; est *vinum bibere cum lacte suo*, nisi exultare,quod videat illas coniungentes amorem cum puritate, zelumq; cum discretione & scientia?

ET hoc totum appellat *suum*: quia ipsius est myrrha mortificationis, ipsius est favus mellis, vinumq; & lac meditationum, affectuum,& exercitationum sanctarum,quæ feruent in spiritu,cum dulcedine quam secum afferunt. Nam ipsius visitatio hoc totum affert, & ab ipso illud accipimus, & in hoc ipse epulatur, quod videat in nobis sua dona, & nos in eis proficere. & tunc ipse hæc opera comedit & bibit, cum ea approbat, in eis sibi complacet, & tanquam sua acceptat. Et quo constantes in eis simus, animum internè addit, vt iterum comedamus, & bibamus eisq; inebriemur, pergentes in eisdem exercitijs maiori semper feruore, obliuiscentes delectationes omnes terrenas,& cœlestes suspirantes: aggredientes insignia facinora,quib. semper ditescamus,iuxta illud Dauidis: b *visitasti terram,& inebriasti eam: & multiplicasti* has pluuias, vt *locupletares eam*, gratiis & donis scilicet tuis. O sponse castarum animarum siquidem nostris operibus tantopere delectaris, c *veni in hortum meum, & comede fructum pomorum meorum:* visita me, Domine, dulci præsentia tua, non ob meam delecta-

Psalm 64. 9.

Cant. 5. 1.

tio-

tionem, sed ob tuam; largire mihi dona gratiæ tuæ, non solum, vt ea ego comedam, sed vt tu comedas, magnaq; gloria & laus tibi propter illa reddatur.

Hic finis est in quem petere liceat hasce Dei visitationes, gratiasq; ab ea prouenientes; non ob dulcedinem, quam secum afferunt, sed vt d *laudetur Deus* in eis, & magnum tu spiritum resumas, ad laborandum, teq; dignum reddendum, cui alia maiora conferantur, ad eidem magis seruiendum. d *Psal.* 105. 5. vt lauderis cum hæreditate tua.

§. 3.

Quæ sint visitationum Dei indicia.

SED quoniam in hac materia, maximi momēti est ipsa experientia, summam quandam hic ponemus indiciorum & stupendorum effectuum verarum Dei visitationum, ex eo acceptam, quod quidam testis magni nominis fuit expertus, & in scriptis ad nostram consolationem reliquit, securos nos faciens, si in exercitiis Orationis superius positis perseueremus, fore, vt eandem experientiam consequamur. Est autem S. Bernardus, qui ita ait: Si quis nostrum integrè & perfectè iuxta verbum Sapientis, a *cor suum tradat ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum: & in conspectu altissimi deprecetur:* simulq; votis omnibus studeat, secundum Isaiam prophetā, b *parare vias Domini, rectas facere semitas Dei sui,* cui cum propheta possit dicere: c *Oculi mei semper ad Dominum:* & quia d *prouidebam Dominum in conspectu meo semper:* nonne hic accipiet benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo? visitabitur profectò frequenter: nec vnquam ignorabit tempus visitationis suæ: quantumlibet is, qui in spiritu visitat, clandestinus veniat & furtiuus: vtpote verecundus amator, qui sui aduentus semper det testimonia & indicia. *Serm* 57. *in Cant* a *Eccl.* 39 6. b *Isa.* 40. 3. c *Psal.* 24. 15. d *Psal.* 15 8.

HAEC indicia sunt duplicia. Quædam præmonent, ipsum Deum velle visitare animam, iam iamq; appropinquare. Alia indicant, iam venisse, & cum ipso esse, præsentiâ suâ illi blandiendo. *Prima* sunt impulsus, & admonitiones internæ quæ mouent animam, vt purificetur & sanctificetur; & vt à tumultibus liberata, sit quieta. Nam teste Dauide e *iustitia ante eum ambulabit,* f & *Iustitia & Iudicium præparatio sedis eius.* Et ipse Dominus dixit: g *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt,* Et sicut in aqua piscinæ, si turbata sit, non apparet, quid sit intus; sed vbi quiescens clarescit sensim, quod intus est, apparet: Ita quamuis Deus sit intra ipsam animam, sicut est in cæteris rebus; si tamen illa culpis aliquibus sit obnoxia, & seculi curis turbata, non apparet in ea eius præsentia; sed vbi Iustitiâ, Sanctitate, ac pace sensim clarescit, & purgatur, incipit apparere ipse Dominus, qui intus est. Ex quo fit eodem S. Bernardo teste, vt quando esurire & sitire te sentis iustitiam, ma- e *Psal.* 84. 14 f *Psal.* 88. 15. supra.

gnumq; desiderium puritatis, quo Deus te visitet: indicium id sit, non solum venientis, sed etiam accelerantis ipsius Dei, qui intrare desiderat. Illius enim desiderium, tuum creat; & quod tu eius properes sermonem admittere, inde est, quod ipse festinat intrare, sicut amoris quem erga ipsum habes origo & causa, est amor, quem ipse erga te habet. neq; enim h *nos eum, sed ipse prior dilexit nos.* Quamobrem dixit Dauid: i *Ignem ante ipsum præcessurũ;* & k *iuxta esse ijs, qui tribulato sunt corde*, cùm desiderio *inflammandi* & consumendi peccata, quæ *sunt eius inimici.*

h *Ioan.* 4. 10. i. *Psal.* 96. 1. k *Psal.* 33. 19.

QVANDO autem adeo desiderium crescit, vt totum cor tuum ad Deum conuertatur, iurans & statuens custodire iudicia Iustitiæ eius, & quicquid illi placebit; præsertim si te inardescere sentias amore eius, indicium hoc est, iam ipsum adesse, qui festinabat. Non enim solum scriptũ est de illo: l *ignis ante ipsum præcedet:* Sed etiã, quod ipse sit l *ignis consumens*, qui consumit quidem, sed non affligit; ardet suauiter, & desolatur feliciter. sic. n. in vitia exercet vim ignis, vt in anima vicem exhibeat vnctionis. Ergo in virtute, qua immutaris; & in amore, quo inflammaris, Dominum pręsentem intellige. Nam m *dextera Domini facit virtutem*, & hanc efficit mutationem; & verbum ęternum est n *viuum, efficax, ac penetrans*; moxq; vt intus in animam venit (ait idem S. Bernardus) expergefacit, dormitantem animam emollit, & vulnerat ipsum cor: quoniam durum erat & malè sanum; incipit quoq; euellere, & destruere; ædificare & plantare; rigare arida, tenebrosa illuminare; frigida inflammare, mutare praua in directa, & aspera in vias planas, ita vt o *benedicat anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto eius.* Ex mutatione itaq; cordis intellexi præsentiam eius; ex fuga vitiorum carnaliumq; affectuum compresione, aduerti potentiam virtutis eius: & ex discussione siue redargutione occultorum meorum, admiratus sum profunditatem Sapientiæ eius; ex emendatione morum meorum, expertus sum bonitatem mansuetudinis eius; ex renouatione ac reformatione Spiritus mentis meæ, id est interioris hominis mei, percepi vtcunq; speciem decoris eius; & ex contuitu horum omnium simul, expaui magnitudinem multitudinis eius. Sicut etiam eadem præsentia eius mihi innotescit, quando abscedit à me; eius enim absentia, perinde ac si ollæ bullienti subtraxeris ignem, quodam illico languore torpere, & frigescere incipiunt, signum inquam hoc est abscessionis sponsi.

l *Psal.* 96. 3. l *Deut.* 4. 24. m *Psal.* 117. 16. n *Hebr.* 4. 12. *Serm.* 74. *in Cant.* o *Psal.* 102. 1.

ALIAS etiam suæ visitationis indicia dat mihi, subita quadam atq; insolita latitudine mentis, & infusione luminis noui, illuminantis intellectum; vel ad scientiam scripturarum, vel ad mysteriorum fidei notitiam, aut cum cœlum aperitur. & copiosæ pluuiæ meditationum mihi infunduntur, aut cum se infuderit humilis quædam, sed pinguis & feruens intimæ aspersionis deuotio, ita vt amor agnitæ veritatis, necessarium quoddam odium vanita-

Serm. 57. *in Cant.* *Ser.* 69. & 32.

tis in me generet & contemptum: ne fortè aut ſcientia inflet, aut frequentia viſitationum extollat me, tunc os meum repletur gaudio & lingua mea lætitia, eructans non ſolum in ſingulis pſalmis, ſed in ſingulis verſibus affectum ſuauiſsimum præ omnibus ſpeciebus aromaticis huius mundi fragrantiſsimis; ac deniq; reuireſcit feruens deſiderium, maiorem gratiam obtinendi ac proficiendi in obſequio diuino. quod deſiderium eſt certiſsimum indicium diuinæ ipſius præſentiæ. Ipſe enim dixit: p *qui edunt me, adhuc eſurient: & qui bibunt me, adhuc ſitient.* Serm 2. de S. Andr. p Eccl. 42. 19.

Hi ſunt præcipui effectus interni, quos Dei viſitatio in corde efficit; quãuis ita diuerſis occultiſq; modis, vt nemo illos nouerit, niſi qui accipit. *Nam* interdum videtur Dominus in profundo Spiritus reſidere; indeq; affluunt illuſtrationes, & gaudij affectus, ſicut fons ebulliens ex ipſa terra in parua aliqua piſcinula, ex quo ſemper ebullit & ſalit aqua. *Alias* videtur idem Dominus ſe collocare in ſuprema animæ parte, & ſupra ipſum Spiritum, vnde tanquam ex ſuo Cœlo pluuias demittit meditationum ac deſideriorum, cum magnarum conſolationum exundationibus. nunc dilatando ipſum cor quodam genere gaudij, vt in tanta latitudine, totum mundum arbitretur ſibi eſſe parum; ſolusq; Deus ipſe in illud ingreſſus, ſua replet præſentia. Nunc vngit illud oleo lætitiæ, quod in ipſa anima inbibitur, eam penetrans vſq; ad intimum ſpiritus eius. O Rex æterne, q *quid eſt homo, quod memor es eius? aut filius hominis, quoniam viſitas eum?* & quis hic vermiculus eſt, r *quia magnificas eum, & apponis erga eum cor tuum viſitans eum diluculo*, vt magnis fauoribus ei indulgeas? facilè deprehenditur, Domine, tuæ viſitationis fundamentũ eſſe meram gratiam; teq; ad eam faciendam, à ſola tua bonitate permoueri, & ſiquidem anima mea, mane diluculo ad te viſitandum in Oratione accedit, accede tu, quæſo, & in eadem me viſita, ne vacuus remaneam à tua miſericordia. q Pſal. 8. 5. r Iob. 7. 18.

§. 4.

De Cauſis, cur hæ Viſitationes aut denegentur, aut differantur.

Etsi verum eſt, quod proximè ex teſtimonio S. Iob dicebamus, quod Deus Dominus noſter hominem iuſtum ordinariè viſitet diluculo, cum ille ad orandum, & cum ipſo Deo de negotijs animæ ſuæ agendum ſe recipit, non tamen ſemper ea hora id facit, ne (vt Sanctus Bonauentura aduertit) ſuæ induſtriæ ac diligentiæ ipſam viſitationem ac deuotionem attribuat. Quamobrem ſæpe nobis hæc deuotio deeſt in diebus ſolennioribus, & quando iudicio noſtro, maiorem curam & ſtudium in ea procuranda adhibuimus. Solet autem diuerſis alijs temporibus nobis concedi: nunc ante ipſam Orationem, vt nos ad eam excitet, ac impel- in proceſſu 7. Relig. c. 21.

lat:nunc multo tempore post orationem habitam, in præmium laboris in
præterita Oratione suscepti; semper verò venit repentè, vt ipsa experientia
1. intelligamus, esse gratiam & fauorem qui nobis exhibetur. Et quamuis ipsa
Li. 8. Moral. c. 7. visitatio diu durauerit: *subitò*, tamen (vt idē Iob ait) *nos probat*, ac discedit ob
multas causas, quæ cedunt in nostrum commodum quas Sancti Patres refe-
2. runt, possuntq; ad has duodecim reuocari.

Serm. 21. in Cant. PRIMVM ne existimemus, (vt ait Sanctus Gregorius) hæc dona à nostra
natura nobis prouenire, aut hæreditate, & Iustitiæ titulo nobis deberi. Quin
3. *potius* (vt Sanctus Bernardus ait) persuadeamus nobis debere nos semper à
Gradu 7. DEO, eiusq; misericordia & protectione pendere. *Item*, vt crescat no-
S. Greg. 5. Moral. c. 4. strum desiderium reuersionis eiusdem Domini ad nos visitandos, eumq;
reditum feruentius suspiremus. Ad eum modum, (vt ait Sanctus Ioannes
4. Climacus) quo solet Mater abscondere infantulo pectus suum, vt ille desi-
S. Bern. Ser. 54. in Cant. derans & quærens, maiori gustu os admoueat & sugat. *Item*, vt nos ipsos
S. Laurent. Iusti. de casto connubio. c. 15. & de disci. monas. c. 18. & de interiori conflict. c. 6. humiliemus, culpæ nostræ tribuentes absentiam ipsius Domini, superbiæ
videlicet alicui, ingratitudini, negligentiæ, exiguæ humilitati & reuerentiæ,
qua præsentem visitationem accipimus; aut ad cautelam, ne vanitatis peri-
culo, quæ se insinuare incipiebat, exponamur. *Alias* in causa erit infirma
nostra debilisq; natura, quæ continuatam huiusmodi visitationem ferre
non potest, nisi Dominus ipse eam interrumpat, ne nostra natura frangatur.
Aut etiam, ne sinat trahi se adeò à delectatione sensibili, cuius exitus sit ali-
5. quod tædium, ob indiscretum excessum in eius vsu; sicut qui immoderatè
S. Bern. 4. Ser. 4 in Psal. qui habitat & Ser. 5. in Quadr. mel comedit, quod postea eijcit. *Item*, vt minori repugnantia ad proximo-
rum vtilitatem accedamus, & ad alias status nostri aut officij obligationes.
Quamdiu enim visitatio durat, solet anima esse ab ea ita suspensa, vt nolit a-
lia vlla re occupari. *Item*, vt possimus exercere veras solidasq; virtutes,
6. quæ in solo DEO potius, quàm in eius consolationibus & fauoribus fundan-
7. tur. quam diu enim visitatio durat, non possumus satis discernere, num con-
S. Greg. 5. in mor. c. 4. solationis, an ipsius Domini, qui illam mittit gratia aliquid agamus. *Itē*, quia
delectatur Deus D. N. dum videt nos laborantes absq; subsidio sensibili,
8. sicut ipse laborauit tempore suæ passionis, ita vt quodammodo nostris ex-
Gerson. tract. de myst. Theol. pract. consid. 6. pensis, & absq; mercede & portione harum consolationum, illi seruiamus.
quâ ratione (vt ait Richardus) non minus meremur & proficimus, quam
feruore sensibili. *Item*, vt discamus absq; ventis & cum illis nauigare, remi-
9. gantes scil. quādo illi non flant: & ita veram nostram humilitatem & patien-
Cap. 1. in cant. & c. 18 tiam ostendentes, quæ non perficitur, nisi in huiusmodi probationibus.

10. ET HINC prouenit, quod scriptura diuina etiam appellet visitationem
11. Dei, cum ille visitat, ad puniendū: sicut iudices visitant reos in carcere detē-
Vide S. Greg. lib. 9. c. 41. tos. Quo modo etiam visitat Deus suos amicos, sicut ait, Iob: a *reuersus, mi-
rabiliter me crucias*. quæ visitatio licet quodāmodo ficta videatur, & quæ
a Iob. 10. 16.

nomen

nomen Visitationis non retineat, reipsa tamen Visitatio est: quia non minor est misericordia, quòd eos visitat calamitatibus & desertionibus, vt in propria cognitione crescentes, magis in profunda humilitate radicentur. Sicut non minus prodest plantæ hyemis frigus, quod efficit, vt illa profundiores iaciat radices, easque in ipsa terra magis dilatet; quam calor æstatis, qui facit illam florescere, fructusque sursum producere: vtrumq; enim dixit Isaias, esse necessarium iis, qui saluandi sunt, b *mittere scilicet radicem deorsum, & facere fructum sursum.* b *Isa.37. 31*

DENIQVE quia duplex est via, qua proficimus in Dei cognitione, & nostri ipsorum: *Altera* per discursus & meditationes; *altera* efficacior per propriam experientiam: (vt postea videbimus) hanc Dominus Deus nobis communicat in varietate suarum visitationum. Nam cùm visitatio adest, agnoscimus, quis Deus sit ex admirandis effectibus, quos facit in nobis, modo iam explicato; quando autem se subtrahit, agnoscimus ipsa experientia illud nihilum, quod ex nobis ipsis habemus: ex quo in maiorem deuenimus opinionem efficacitatis diuinæ gratiæ. 27. *Tract.3. c.*

HINC fit, vt omnes iusti siue sint in gradu Tyronum, siue in gradu proficientium, siue perfectorum, habent in sua oratione aliquam in his visitationibus varietatem, diuersa licet ratione, sicut Gerson declarauit, posita similitudine trium temporum anni. *Tyrones* versantur tanquam in hyeme, in qua maiori ex parte nobis sol occultatur à nubibus & nebulis, suntque magna frigora, & frequentes pluuiæ; licet interdum sol illucescat, fitque dies aliqua læta. Tyrones enim in his initiis, magnas sustinent obscuritates, & nebulas circa res fidei & diuinas: & in oratione magnam frigiditatem, & præteritæ vitæ reliquias, & passionum contradictionem quę non sunt mortificatæ: quos tamen interdum visitat Dominus, & læto ac beneuolo vultu illis ostenso, consolatur. Qui verò in oratione proficiunt, viuunt in primo vere, in quo maior est varietas. Nam vno die cœlum est clarum & serenum, altero nubilum & pluuium, sæpiùs tamen hic apparet Sol: & hos frequenter visitat Sol iustitiæ, indulgetque illis, indicia dans suæ præsentiæ, & flores odoriferos feruentium desideriorum. Nihilominus illis ita etiam se subtrahit, vt modicum illum videant, & modicum non videant, vt hæc varietas nouam illis semper famem & appetitum afferat, efficitque vt magis se præparent, ad illum diutius apud se retinendum. PERFECTI viuunt sicut in æstate, in qua solis æstus sunt feruentiores, raroque Sol à nubibus impetitur; licet interdum accidant aliquæ tempestates, tonitrua, grandines, & pluuiæ magis tremendæ, quam in hyeme: quia hi ordinariè fruuntur maiori quiete & feruore, Deique visitationes sunt multò frequentiores: interdum tamen exercet illos Deus horribilioribus internis certaminibus, ac desolationibus magis pœnalibus, vt in humilitate conseruentur: quamuis assistat *Tract. de monte contemp. c.23.*

illis tamen,& in mediis ipsis tempestatibus immittat aliquem suæ lucis radium: ita vt interdum ipsæ noctes videantur esse dies, ob frequentiam fulgurum diuinarum illustrationum. Quemadmodum mirabiliter perpendit S.Gregorius,dum explicat sententiam cuiusdam amici Iob,quod Deus *subuertit omnia*,cœlum & infernum,terram & mare,& c *coarctat in vnum*. Nam vnus & idem interdum est sicut cœlum, ob internam lucem, qua in superiori sui spiritus parte fruitur;& est sicut infernus ob turbationes & afflictiones,quas in inferiori animæ parte sustinet. d *rapietur* sicut S.Paulus *vsque ad tertium cœlum*; sed idem e *sentiet aliam legem in carne sua repugnantem legi mentis*; & sustinebit f *angelum Satanæ, qui ipsum colaphizet*: & similiter *coarctat in vnum* terram & mare, quia simul constans est & firmus in credendo & sperando,quod Deus reuelat,& promittit;patitur verò vehementes fluctus,nebulas,& obscuritates,quæ gemere eum cogunt, & clamare in cœlum,sicut ille qui dixit:g *Credo Domine,adiuua incredulitatem meam*. Et in vtroque euentu (ait idem amicus Iob,) *quis contradicet ei*? aut dicet,cur ita agis mecum? Quare non te illi ostendes rebellem, aut impatientem; aut conquerêris de eo,nec rationem exiges eius,quod facit;aut cur te ita tractet: sed cum animi demissione ac resignatione proiicies te in paternam ipsius prouidentiam,vt te hoc vel illo modo visitet; & frequenter, aut raro pro libitu suo;& sicut magis tibi expediet. O supreme Pater,agnosco te h *esse excelsiorem cœlo, & profundiorem inferno,longiorem terra,& latiorem mari*, in quibus omnibus locis,tuos visitas electos, quamuis in i *infimis partibus* mundi existentes. constitue me in loco qui tibi magis placet, modo ibi me *illumines*,ac visites: tua enim visitatione, infernus ipse erit cœlum, & omnia in meum bonum conuertentur.

c Iob. 11.10. S. Greg in eũ locum.
d 2. Cor 12.
e Rom.7.23
f 2.Cor.12.7.
g Mar.9.23.
h Iob.11. 8.
i Eccl.24.45

§. 5.

De mediis ad has visitationes impetrandas.

EX his quæ dicta sunt,deducere licet media apta, ad has Dei visitationes impetrandas,quorum tria sunt genera,siue capita. Esse videlicet solicitum in eis petendis & quando desunt procurandis;humilem valdè & gratum esse cùm veniunt; & in eisdem conseruandis valdè solicitum fructumque ex eis capere quamdiu durant.

Quando itaque es in ipsa oratione,si Deum aduertis esse absentem,excitare in te oportet desideria & multiplicare petitiones,vt veniat,teque visitet, sicut antiqui Patres desiderabant,& petebant à Deo, vt ipsos visitaret: veniens tandem homo factus in mundum. Omnes enim affectus visibilis illius visitationis efficit in singulis nostrum visitatio inuisibilis. Quare modò tanquam infirmus petes visitari te à medico isto cœlesti, vt spirituales

tuos

tuos morbos ſanet, dicens illi: Feſtina Domine, ne tardaueris, & remitte peccata ſerui tui.

Nunc ſicut captiuus, ſuſpirabis viſitationem tui Redemptoris, vt te liberet à captiuitate & carceribus, in quibus teneris, dicens illi: ***excita Domine potentiam tuam & veni*** vt ſaluum me facias ex hoc carcere, & in portu ſalutis conſtituas. *Aliàs* tuam ignorantiam confeſſus, petes vt tanquam Magiſter te viſitet, ac doceat quæ neſcis; & tanquam conſiliarius, vt conſulat, quod tu non aſſequeris. Quod ſi aduerteris, tuas potentias diſiunctas eſſe ac diſſipatas in oratione, petas vt te viſitet, eaſque recolligat, ſingulis paſtum offerens, & cibum conuenientem, quo benè collectæ & occupatæ ſint: & cum ſponſa dices, a ***reuertere: ſimilis eſto dilecte mi capreæ hinnuloque ceruorum ſuper montes Bether*** aut Bethel. Montes Bether ſunt montes diuiſi per quos capreæ ceruique ab vno in alterum ſaliunt, & in omnibus paſcuntur. Montes Bethel ſunt montes domus Dei eius ſeruitio dedicati. O dilecte animæ meæ, qui viſus acumine capras excellis, velocitate etiam ipſos ceruos, veni, meaſque potentias viſita, ab vna in alteram ſaliens. Viſita meum intellectum diuinis tuis illuſtrationibus; voluntatem inflammatis tuis affectibus; Imaginationem & appetitus ſanctis repræſentationibus ac deſideriis. Attende, omnes eſſe montes domus Dei, quia tu eos creaſti, & quaſi tuos accepiſti; & ego eos tibi obtuli, vt illis honorem tibi deferrem. Paſcere in ſingulis eo paſtu, quem tu illis dederis; ea ſingulis dona tribuens quæ magis tibi placebunt.

1.
Pſal. 79. 3.
a *Cant.* 2. 17.

Praeterea cum Domini viſitationem ſenſeris, humiliare te decet vſque ad ipſam abyſſum, ingenti quadam admiratione, quod Deus tui meminerit, diceſque illi ſicut ſancta Eliſabeth viſitanti ſe beatæ Virgini, b ***vnde hoc mihi, vt veniat Dominus meus ad me?*** aut ſicut ſanctus Petrus c ***Exi à me, quia homo peccator ſum Domine,*** nec viſitationem hanc promereor; aut eo ſpiritu, quo dixit Sponſa: d ***Fuge dilecte mi & aſsimilare capreæ hinnuloque ceruorum, ſuper montes aromatum.***

2.
b *Luc.* 1. 43.
c *Luc* 5. 8.
d *Cant.* 8. 14

Atque ſi diceret: Quamuis viſitationem tuam valdè deſiderabam, ob illud bonum, quod ex ea mihi prouenit, cùm tamen abiectionem & indignitatem meam reſpicio, potiùs dico, vt fugias ad montes aromatum, magnorum videlicet ſanctorum, qui maiori ſpiritu & feruore orant, apud quos habitationem & requiem inuenies, quam deſideras. Quamuis autem hoc demiſsè dicat ſpiritus, non fugiet tamen Deus ab eo, nec ipſe dilectum ſuum fugere debet, aut ad momentum deſerere, ſed optimam hoſpitalitatem ei exhibere, cum eo conferendo, & nouas gratias ab eo petendo, totoque tempore quo viſitatio durat, fruendo fauoribus & gratiis, quas ille dignabitur exhibere. In duobus autem caſibus dicendum illi eſt: ***fuge dilecte mi.***

Pri-

PRIMVM quando gratia deuotionis adeò exuberaret, vt ipsam naturam nimium debilitaret. Nam tunc ipsimet sponso gratum est, vt desistamus; dicamusque ei; *Fuge & assimilare caprea*, quæ statim atque hœdum lactauit, illum deserit, & ad varias partes declinat, suum pastum quæsitura: & sicut S. Ephrem dicebat: *Sufficit mihi Domine*, quod mihi das, ne vas crepet feruente musto, aut caro pereat exuberante spiritu.

DEINDE quando obedientia, aut charitas nos obligaret ad illum deserendum, quò externis aliis operibus, aut animarum bono esset vacandum. Tunc enim licebit dicere *fuge*, idque modo quodam eidem Domino gratissimo, supplicando eidem vt alios iustos visitet, qui montium fragrantiũ instar, vacant offerendis ipsi orationum & bonorum operum odoribus.

Rom. 9. 3. Propterea enim dixit Apostolus, se e *optasse anathema esse à Christo* (eius scilicet visitatione dulcique contemplatione carens) *pro fratribus* suis, hoc est vt illi salutem consequerentur.

DENIQVE summum studium adhibendum est nobis, vt occurramus incommodis & impedimentis, quæ indiscretio nostra aut sensualitas, aut occulta superbia, ex his visitationibus haurit; vtendo scilicet illis ad gulam quandam spiritualem, aut inanem nostram excellentiam, ex quo prouenit, vt in gratiarum actione simus parci, & parciores adhuc in eorum vsu, cum sit multo maior nostra obligatio ad id præstandum. Siquidem quò crescũt magis dona, eò magis crescunt rationes, quæ ad bonum eorum vsum nos obligant, eoque erit merito maior pœna, nisi id præstemus. Quam autem maiorem pœnam timere possumus incuriæ nostræ proportionatam, quam quod multis diebus orationi incumbentes, nec deuotionem impetremus, nec Dei visitationem in illa? Hoc est autem, quod Mich. Propheta dixit:

Mich. 6. 15. f *Tu seminabis, & non metes; tu calcabis oliuam, & non vngeris oleo; & mustum, & non bibes vinum.* Nec mirum fuisset, si non colligens oliuas aut vuas, non eliceres oleum aut vinum; sed quod vtrumque magno labore collegeris, nec tamen commodum ex eo acceperis, hæc verò magna miseria est. Quid autem hoc est, nisi quod minetur Deus fore, vt propter peccata & incuriam tuam, laboraturus sis in lectione, meditatione, & oratione, & in cæteris spiritus exercitiis, ex quibus manare solet oleum deuotionis, & vinum amoris Dei, ac feruor spiritus; & tuus labor erit inutilis, eò quod non sis hanc deuotam vnctionem nec cœleste hoc vinum impetraturus? Quod si fortè veritates aliquas deduxeris, & affectus aliquos expresseris, instar illius, qui calcat oliuas, aut vuas in torculari, non tamen peruenies ad fructum eius spiritualem recipiendum, aut tibi eius fructum incorporandum, eò quod abusus fueris fauore, quem prius acceperas. De quadam pia persona refert Blosius, quod per quindecim annos passa fuerit magnam ariditatem, ac desertionem internam, ob vnicam vanam complacentiam, quam admisit de fa-

uori-

uoribus diuinis, quos acceperat. Examina itaque horas, quas expendis in oratione: quod si deprehenderis, fructum non respondere labori, agnosce tuam culpam, fatearis tuam indignitatem, & cor tuum à vanitatibus & sensuum delectationibus euacua, quæ S. Bernardo teste, repellunt diuinas visitationes, nec possunt illis commisceri; nec impleri visitationibus Domini potest anima, quæ distractionibus subiacet. Vbi enim g *vas vacuum non adest, mox stat oleum.* Si autem omnia hæc terrena euacuaueris, veniet Dominus ad te visitandum, & replebit cor tuum hac cœlesti lætitia, & satiabit vino suæ charitatis, exhibens tibi conuiuium, quod promisit in horto animæ tuæ, eo quod delectetur ad eam venire, & in ea manere. O animarum amator, qui in eis visitandis adeò delectaris, vt earum commodum, tuam appelles oblectationem; & earum cibum, tuum dicas: ita quæso, meam purifica, vt in omnibus tibi placere queam, non mihi; iubeque ventum h *Aquilonem* superbiæ & ingratitudinis *surgere*, & abscedere, ne tuum in eam ingressum impediat.

Serm. 3. de Ascens.

g *4. Reg 4. 6.*

Cant 5.1

h *Cant. 4.16*

CAPVT XXI.

HAS VISITATIONES ET INTERNA COLLOQVIA præcipuè esse ab inspirationibus Spiritus S. & etiam ab impulsu boni Angeli, item à conscientia & charitate: & quod eadem nos ad omnia bona opera adiuuent.



QVONIAM *Spiritus Dei* (Apostolo teste) proprium est, a *docere nos, quæ ab ipso donata sunt nobis, & quæ intra nos sunt,* vt omnibus illis obsequium illi præstemus; necessarium esse existimaui valdeque vtile, modum hic explicare, quo diuinus hic spiritus interius nos alloquitur & visitat, tum in oratione, tum in cæteris vitæ Contemplatiuæ & Actiuæ operibus, non solùm, vt hac ratione præmium reddat indulgeatque feruentibus: sed etiam vt visitatione sua nos præueniens eadem opera feruenter & cum vtilitate exerceamus. Et cùm nos omnes auxilio hoc interno opus habeamus, cuius magnos effectus sentimus, plurimum conferet intelligere, quo pacto illud auxilium nobis communicetur.

a *1. Cor. 2. 12*

PRAEMITTENDVM est autem Deum Dominum nostrum, duplex virtutum genus hominibus iustis contulisse, easdemque in ipsis permanere. Quædam intellectum ipsum & affectum perficiunt ad exercenda opera præcipuè vitæ contemplatiuæ: Aliæ voluntatē & sensuum appetitus, præsertim

ad exercenda opera vitæ actiuæ. Ad quas virtutes excitandas, easque in exercitio suarum actionum adiuuandas, prouidit Deus impulsus quosdam impetusve internos, qui hoc ipsum mirificè præstarent ad eum modum, quo S. illa quatuor b *animalia* quæ vidit Ezechiel, *habebant alas quatuor. & manus hominis sub eis & pedes eorum pedes recti: & planta pedis eorum, quasi planta vituli: quæ tamen neque volabant, neque ambulabant, aut mouebantur, nisi sequendo impetum spiritus, nec ei resistendo, nec retrocedendo cum ambularent*, nec ad alia diuerti se patiebantur. Quæ hæc est harmonia (ait sanctus Gregorius) nisi quam habet vir iustus in suis actionibus exercendis?

b Ezech 1.7

Tom 2. in Ezech.

QVAE enim sunt quatuor alæ, nisi virtutes illæ quibus exercet quatuor præcipua opera vitæ contemplatiuæ: Orationem scilicet, Lectionem, Meditationem, & Contemplationem, quibus ex terra volat in cœlum, vt suam ibi conuersationem & familiaritatem habeat? Quæ item sunt manus hominis sub alis, nisi virtutes, quæ vitæ Actiuæ opera exercent, comitanturque & corroborant opera contemplatiuæ? & quæ sunt plantæ vituli, nisi opera & affectus Mortificationis, in quibus sacrificium offert sui ipsius, & quibus pondus omnium virtutum sustentat? verum neque hæ, neque illæ rectè mouentur, nisi ab impetu boni Spiritus illas gubernantis, adiuuantis, ac dirigentis, quem necesse est sequi absque resistentia & mora omnes, qui cupiunt non aberrare, sed proficere in via spirituali. Hi enim impulsus interni, sunt Spiritus Sancti instrumenta, quibus ille nos iuuat ad bona vtriusque vitæ opera: ostendens in hoc, suauem ac beneuolam prouidentiam, ei similem, quam de nobis habet in operibus naturæ duplicis vitæ quam viuimus, vegetantis ac sentientis. Ad quas præter potentias & sensus, quos tanquam instrumenta nobis dedit, prouidit quoque de quibusdam spiritibus vitæ, qui sunt substantiæ quædam subtilissimæ in corde & cerebro fabricatæ, quæ per omnes venas, corporisque arterias velocissimè mouentur, vt membris omnibus ac sensibus, in suis actionibus subueniant. Cor procreat spiritus vitales, qui sunt tanquam scintillæ calidissimæ, præbentque calorem omnibus membris corporis ad opera vitæ vegetatiuæ, quo sustentantur & augentur, donec ad suum statum perfectionemque perueniant. In cerebro generantur spiritus animales, qui sunt instar subtilissimorum radiorum lucis, & exacuunt sensus ad opera vitæ sensitiuæ, quibus agnoscunt, quæ necessaria sint ad propriam conseruationem, & mouentur ad ea quærenda: qui spiritus si descendant in magna copia, omnia corporis instrumenta redduntur robustiora & firmiora ad proprias actiones; quod si desint aut imminuantur, deest quoque aut imminuitur firmitas illa ac vigor, sicut ipsa nos docet experientia. Eodem omninò modo Deus Dominus noster præter virtutes supernaturales, quas iustis communicat, vt su-

perna-

pernaturalem gratiæ vitam agant, quaſdam vt intelligant, qua re ad eam vitam conſeruandam indigeant, & alias ad idem conſequendum, illoſque ſecum vniendo, prouidet etiam de illis ſpiritibus vitæ, quos inſpirationes & illuſtrationes vocamus, tanquam ignis diuini ſcintillis, & radiis cœleſtis lucis, quos Spiritus ſanctus, qui eſt inuiſibile cor Eccleſiæ; & IESVS Chriſtus Dominus noſter, qui eſt eiuſdem caput inuiſibile mittunt per omnia membra corporis eius myſtici, & præcipuè ad iuſtos, vt eos in operibus vitæ actiuæ & contemplatiuæ adiuuent; vigorem ac robur addant ipſis virtutibus, ad actus ſuos feruenter exercendos. Conferunt etiam ad pœnitentiam & mortificationem, vt peccata præterita deleant, vitiaque mortificent: foueant temperantiam & caſtitatem, reliquaſque virtutes morales, quò faciliùs contineant & reprimant impetum paſsionum, eaſque ſubijciant rationis imperio; fidem augent ac prudentiam, reliquaſque virtutes intellectus, vt actus ſuos ac meditationes rectè peragant, perfectamque veritatum cognitionem conſequantur; ſpem & charitatem fouent, & reliquas virtutes ſupernaturales, quæ illam comitantur, vt intensè valdè operentur, & vnionem cum Deo, in qua earum perfectio conſiſtit, obtineant. Denique quò maior eſt frequentia, & harum inſpirationum vis, eò noſter feruor in omnium virtutum exercitatione eſt maior. Quod ſi culpa & negligentia noſtra rariùs veniant mox tepeſcere, & langueſcere: ſi autem frequentius veniant valdeque ſint ardentes inſigne ab eis auxilium accipimus, ad currendum & volandum per exercitia orationis & Mortificationis, exiguo aut nullo labore, magno verò profectu. iuxta illud quod ſcriptum eſt: c *requiem tibi dabit Dominus ſemper, & implebit ſplendoribus animam tuam, & oſſa tua liberabit, & eris quaſi hortus irriguus, & ſicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ.* c *Iſaiæ 58. 1*

QVI ſunt hi ſplendores, quibus Deus animas implet iuſtorum, quos tenerè diligit, niſi illuſtrationes illæ, quibus eorum cognitionem acuit; & inſpirationes, quibus accendit affectum? per has affert illis quietem in omnibus, dat pacem & tranquillitatem in mortificatione paſsionum, & in gubernatione cogitationum; eiſdem irrigat hortum virtutum, vt floreſcant in magna copia feruentium deſideriorum, afferantque fructum plurimum ſanctorum operum: eædem ipſæ copioſiorem reddunt fontem gratiæ viuum, vt ferueat ſemper, creſcat & ſaliat in vitam æternam: ipſæ animæ omnes cogitationes ac deſideria ſua in cœlo collocent: eiſdē meditatio & attenta in oratione adeſt fiducia, charitas inflammata, contemplatio deniq; altiſsima. Nam (vt ſanctus Gregorius ait) diuina inſpiratio ſtatim atque animam tangit, eandem eleuat ſupra ſeipſam, reprimit cogitationes rerum temporalium, & inflammat æternarum deſideria, ita vt cœleſtibus tantum delectetur, terrenarum verò faſtidio quodam afficiatur; tantaque eſt *Lib. 5 Mor. c. 19. & in Pſal. 6. pœn*

 perfe-

perfectionis altitudo, quam illi communicat, vt eam faciat ipsi Spiritui Sancto persimilem. d *Nam quod natum*, inquit, *est de spiritu, spiritus est* in nobilissimis scilicet proprietatibus, quas ipse habet, vt fusiùs diximus Medit. 26. & 27. Sextæ partis.

d Ioan. 3. 6.

§. I.

Qua ratione Deus inspirationibus suis nos alloquatur.

EX dictis cognosci potest modus, quo Deus loquitur ad cor, cum nos visitat: vt enim ait S. Aug. occulta Dei locutio est inspiratio, quâ animæ suam veritatem & suam voluntatem inuisibiliter ostendit. Nam sicut quicquid Deus in sacra scriptura, & Ecclesiæ suæ locutus est, ad hos duos fines dirigitur, ad aperiendas scilicet nobis veritates diuinorum mysteriorum, quas credere & scire debemus, vt salui simus, discernendo verum à falso, certumque ab incerto & ficto: Item ad nos docendum quæ facere debeamus, iuxta sanctissimam ipsius voluntatem; separando bonũ à malo; pretiosumque à vili & abiecto: Eodem modo quicquid loquitur, aut inspirat vnicuiq;, id dirigit ad manifestandam ei in particulari supremam veritatem, ipsum scilicet Deum, reliquasq; veritates, quas ipsum scire oportet; & opera etiam, quæ facere debeat, vt saluetur. Quod præstat aut reuocando illi in memoriam ea, quæ prius nouerat, sed oblitus fuerat; aut noua eorundem sensa illi impartiendo, aut alia de nouo reuelando, aut nouos modos eadem intelligendi, & in praxim deducendi. Et quoniam verba Dei, nec in speciem tantum, nec inania & absque virtute & efficacia esse possunt, sicut sunt verba hominum; eo quod sint verba omnipotentiæ eius, cuius loqui est operari, & cuius dicere, est facere. Nam statim atque dixit, *Fiat lux*, facta est lux; hinc est quod manifestans veritatem & voluntatem suam interius, simul infundat cœlestem lucem, ad eam cognoscendam, & ignis diuini ardorem, ad amandam, & magnam fortitudinem ad mandandam executioni. Et propterea dixit S. Bernardus, quod *locutio verbi, sit infusio doni*. Quod autem aliud hoc donum est, nisi ipsamet inspiratio, qua animam visitat, quando orat, aperiendo scilicet illi beneuolam & iucundam suam præsentiam: a *tunc inuocabis* (ait Isaias) *& Dominus exaudiet; clamabis & dicet, Ecce adsum*, tecum sum, hic me habes præsentem, vt instar Magistri te doceam, instar Medici te curem, instar amici te consoler, adiuuemque sicut omnipotens. O verbum dulcissimum, quod secum trahit ipsum verbum æternum, à quo profertur? b *Verbum* (inquit) *meum, quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcunque volui, & prosperabitur in iis, ad quæ misi illud.* Si misero illud, vt sparsas cogitationes colligat, illas colliget; si vt inflammet affectus, inflammabit; si vt corda mutet, mutabit; si vt in-

Lib de triplici habitaculo.
Greg l. 28 mor. c. 2.
Gen. 1.
Serm. 45. in Cant.
a Isa. 58. 9.
b Isa. 55. 1.

firmos

firmos corroboret, corroborabit; etsi vt iustos supra se erigat, eriget illos à terra, & collocabit in cacumine cœli. Quid vero mirum, non redire ad Deum vacuum verbum, quod procedit ex ore eius, cum non vacuum procedat, sed plenum tot donis, quorum largitorem etiam deducit secum? Nam sicut c *Spiritus Sanctus datus est Apostolis in dispartitis linguis tanquam ignis*: Ita solet seipsum dare suis amicis, in his inflammatis inspirationibus, quæ sunt velut linguæ igneæ ipsius & nostræ. Ipsius quidem, quia per illas nos alloquitur, mollefacit, illustrat, & accendit: Nostræ, quia cum illis eum alloquimur, & laudamus d *hymnis & canticis spiritualibus*, petimusq; gratias affectibus & e *gemitibus inenarrabilibus*. O Spiritus sanctissime f *loquere quia audit seruus tuus*, moue me Sancta inspiratione tua, vt sciam possimq; loqui tecum in Oratione. Da tu mihi linguam igneam, qua sim tecum acturus: si enim illa mihi desit, mutus ero ac frigidus. Circa has inspirationes, tria quæ magni sunt momenti, sunt aduertenda.

c *Act.* 2. 3.
d *Ephes.* 5. 1
e *Rom.* 8. 26.
f 1. *Reg.* 3. 10.

Primvm est quod omnes iusti, titulum habeant & ius, ad illas petendas & sperandas, eo quo acceperint septem Spiritus Sancti dona, quæ Sancto Thoma teste, eis communicantur, vt his diuinis impulsibus facilè pareant, præcipuè cum ad heroica vitæ Actiuæ & Contemplatiuæ facinora impellunt. Et cum Spiritui Sancto non placeat, quod eius talenta sint otiosa, certum est nisi ipsi desint sibi ipsis, inspiraturum ipsum, quando & quomodo expediet illorum vsui, vt consequantur eam perfectionem, ad quam illa diriguntur & donantur. Quis gubernator esset, in cuius potestate si venti essent, nauemq; haberet in procinctu, velaq; extensa ad nauigandum, non efficeret, vt ille flaret, qui ad finem suæ nauigationis esset opportunus? Cum ergo Spiritus Sanctus, qui intra ipsum iustum habitat, tanquam animæ eius gubernator, Dominus sit horum diuinorum impulsuum, quibus ad perfectam cum Deo vnionem nauigatur, certum est, si nauem videat virtutibus ornatam, velisq; septem donorum benè dispositam ad excipiendum ventum inspirationum ipsius, missurum eas ipsum magna vi valdeq; opportunè, vt feliciter pergat, & ad portum desideratum perueniat. 1. 1. 2. q. 68. a 2.

Nec tamen propterea cogitandum tibi est, sciri posse tempus, locum, exercitium, & occasionem, qua Cœlestes hi venti sint venturi. Totum enim hoc dependet à voluntate ipsius Spiritus Sancti: sicut ipsemet Sancto Iob asseruit dicens: g *Nunquid nosti, per quam viam spargitur lux, diuiditur æstus super terram?* Atq; si diceret, vt Sanctus Gregorius declarat: Quando ego dura corda emollio, & flecto pertinacia, aspera reddo mitia, frigida inflammo, & infirma corroboro, colligo dispersa, & inconstantia firmo, sciesne qua via è cœlo veniat ad hæc efficienda lux supernarum mearum illustrationum, & ardor inspirationum inflammatarum? Non est posibile, vt tu ea noueris: sed ego solus noui. h *Spiritus* enim *meus vbi vult spirat*, & per 2.

g *Iob* 38. 24.
Lib 29. *moral. c.* 12.
h *Ioan.* 3. 8.

media quæ vult, modò in publico, modò in occulto, nunc in Ecclesia, nunc in foro, nunc piam aliquam imaginem aspiciendo, aut bonum aliquod Exemplum, & laborando aut aliquod negotium agendo, nunc in medijs ipsis peccatis iaculatur huiusmodi scintillas in peccatores.

3. NIHILOMINVS quædã ipse media reuelauit, quibus frequentius consueuit eas communicare: quę media quidam amicus ipsius Iob (vt interpretatur S. Greg.) vocauit i *venas susurri Dei.* Nam vt in corpore humano sunt venæ & arteriæ, per quas distribuitur sanguis, & Spiritus vitales per totum corpus; & ipsa terra habet suas venas & poros, per quos recipit aquam maris, & erumpunt fontes: Ita Deus aliquas venas habet, per quas consueuit vitales hos Spiritus hominibus communicare, fluitq; aqua viua, quæ facit illos salire vsq; ad vitam æternam. Maximè verò ordinaria sunt media, exercitia vitæ contemplatiuæ; qualia sunt, audire verbum Dei, sacros libros piosq; legere atq; diuina mysteria meditari: illuc enim accurrit Spiritus S. ad loquẽdum & inspirandum quod dicit concionator, liber docet, aut mysteriũ repræsentat. Et ipsamet Oratio est ditissima vena; quia loquentes cum ipso Deo, permouemus ac prouocamus eum ad nobis loquendum. Harum tamen inspirationum omnium est opulentissima vena Sanctissimum altaris Sacramentum; eo quod ibi sit verbum ipsum diuinum, quod earũ est causa, & Saluator qui eas est promeritus, suumq; aduentum dirigit ad actualem animæ refectionem, quæ his inspirationibus datur. Imò ad eas suggerendas sufficeret, & cum in ipso Sacro Missæ fit eleuatio, ipsum videre, eiusq; præsentiæ cum viua fide assistere. Si enim Magnes talem qualitatem à se eiaculatur in ferrum, vt illud ex loco suo euellat ac trahat, sibiq; coniungat: quantò magis venerabilis præsentia amabilissimi huius Domini iaculabitur has cœlestes inspirationes, quib. trahat nos post se, nostrumq; spiritum cũ suo coniungat? O Dilecte noster k *trahe nos* hisce impulsib. & *post te curremus:* in suauissimum *odorem vnguentorum tuorum:* Aperi nobis venas diuinarum tuarum inspirationum, vt eas obtineamus, & fructu earum gaudeamus. Amen.

i Iob. 4. 12. Greg li. 5. 19. & 20.

Sacramentum Eucharistiæ est diuinarum inspirationum vena.

k Cant. 1. 3

§. 2.

De impulsibus boni Angeli.

CVM his diuinis inspirationibus, magnam affinitatem habent interiores boni Angeli impulsus; cuius munus est, esse Dei nuncium, & eius nomine, ad nos visitandos accedere, vt nobis internè manifestet voluntatem Dei, ad eamq; executioni mandandum permoueat, iuxta illud, quod ipse Deus dixit populo suo Israel: a *Ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum quem paraui; obserua eum, & audi vocem eius, nec contemnendum putes; quia non di-*

a Exod. 23. 20.

mit-

ttet cum peccaueris , & est nomen meum & auctoritas mea in illo. Impulsus, t interius huius Angeli verbum adeo est efficax, vt (quod Zacharias Pro-
ncta expertus est) quando b *loquitur* intus ad cor, omninò *suscitet , quasi* b *Zacha.* 4.
rum qui suscitatur de somno suo , excutiendo scilicet omnem eius somno- 1.
ntiam & pigritiam. Si enim Dæmon repentè solet iaculari in cor vehe-
entes cogitationes & sensus, quos Dauid *immissiones per angelos malos* ap- c *Psalm.* 77.
llat, quibus excitat nos ille & vehementer ad peccandum prouocat: quan- 49.
magis bonus Angelus immittet nobis feruentes cogitationes , quibus
os exercet , & ad exercenda bona opera prouocet tam vitæ actiuæ quam
ontemplatiuæ ? Facit enim nobiscum inuisibiliter, quod fecit cum Elia
giente Iezabelem , & d *obdormiente in vmbra iuniperi : tetigit enim eum* & d 3. *Reg.* 19.
citauit, *dixitq; illi: Surge & comede : qui cum comedisset & bibisset , rursum ob-* 5.
*rmiuit , & reuersus Angelus Domini secundò tetigit eum , dixitq; illi : Surge,
mede , grandis enim tibi restat via ; qui cum surrexisset , comedit & bibit , &
nbulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus
q; ad montem Horeb* , vbi ipsemet Deus blandè illi locutus est, in modum
ili aura tenuis , aperuitq; illi sua secreta. Hoc inquam modo, cum defati-
ati laboribus miseræ huius vitæ, & persecutionibus carnis nostræ, vexati
fatigatione , ac tædio superati , componimus nos ad dormiendum, quæ-
entes scil. quietem aliquam , sub vmbra boni alicuius delectabilis terræ :
anctus tamen Angelus non dormit, nec obliuiscitur nostri, sed accedit, in-
ernisq; impulsibus nos excitat , idq; facit bis : impellit enim nos vt à som-
i torpore surgamus , operaq; vtriusq; vitæ tempestiuè exerceamus. cum
nim tempus est laborandi, & aliquid patiendi, nos prouocat ad laborandū,
nos ipsos mortificandos ; & cum tempus est orandi & meditandi, inuitat
os ad orandum & Meditandum. Quamobrem dixit Dauid : e *Praeuenerunt* e *Psal.* 67.
rincipes coniuncti psallentib. in medio iuuencularum tympanistriarum. O quanta 26.
ura (ait Sanctus Bernardus) quantaq; lætitia coniungunt se Angeli psal- *Epist* 78.
ntibus , asistunt orantibus, manentq; cum meditantibus , contemplantes
omitantur , & pręsident negotiantibus. agnoscūt hę supernę Potestates fu-
tros suos cōciues, & ideo valde solicitè agunt cū ijs , qui cælestē hæreditatē
nt accepturi: cum illis lætantur, illos confortant, custodiūt ac de omnibus
piciunt, quib. illi indigent ; ac deniq; inspirant nobis, vt oremus, & nos i-
os mortificemus, psalmos cantantes , & pulsantes tympana , corpora sci-
cet nostra mortificantes , quo magis placeat Deo vocum musica , siue ora-
ones , simul cum Musica mortificationum. Quod si in his Exercitijs nos
mnus inuadat, secundò excitant, vnicuiq; dicentes : Surge & propera;
randis enim tibi restat via, attende quod sit longa vitę actiuæ, eo quod in ea
agna sit mortificationis materia, & multæ virtutes obtinendę ; & adhuc est
lixior vitæ Contēplatiuæ via, si perueniendū sit ad altum Contēplationis

mon-

montem. Si itaq; vita tua est breuis tempusq; eius incertum, via autem adeò
Psal. 83. 8. grandis, decet omninò te properare, *ireq; de virtute in virtutem,* vsq; ad Sanctum hunc montem: vbi videtur ipsemet *Deus Deorum in Sion,* qui dulci ac tenui aura suarum inspirationum tuum recreet Spiritum, loquatur ad Cor, teq; sibi perfecta amoris vnione coniungat. O excelse Angele, cuius impulsus multum conferunt ad has dulces inspirationes recipiendas, assiste semper mihi, excita meum torporem, erige diffidentiam, adiuua infirmitatem: te enim comite, facile perficiam vias mortificationis & Orationis, donec perueniam ad montem Dei, vbi illum videam, eoq; fruar in eius gloria. Amen.

§. 3.

Bonæ conscientiæ dictamina.

VERVM vlterius progressa est suauis prouidentia magni nostri Dei, qui tanquam humanæ naturę auctor, voluit propriũ nostrum Spiritũ, ipsius esse linguam & instrumentũ, per quem nos alloqueretur, suamq; veritatem & voluntatem aperiret, impellens nos hisce verbis Internis, ad opera exercenda digna homine, qui iuxta rationis regulas vitam suam
S. Tho 1 p. q. 79. a. 12. & 13. instituat. Id autem præstat in nobis synderesis siue conscientia, quæ lumen est naturale, quod ipse Deus posuit in nostro intellectu, & vt dixit Dauid:
a Psal. 4. 7. a *signatum est super nos lumen vultus tui Domine,* quod nobis ostenderet bonum faciendum, malumq; fugiendum; voluntati quoq; indidit naturalem propensionem ad sequendum bonum, & fugiendum malum, ex qua tanquam ex semine procedunt illæ Virtutes, quas nostris actibus comparamus.
1. 2. q. 63. a. 1. Et propterea ait S. Thomas sunt illæ nobis naturales, naturaliq; nostri Spiritus propensioni conformes; quamuis eædem aduersentur deprauatæ carnis nostræ inclinationi. Et hinc procedit pugna illa adeo antiqua &
b Galat. 5. 17. quasi naturalis inter carnem & Spiritum: b *caro enim concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem.* Vnde sicut in carne nostra est continuus quidam excitator, qui impellit nos ad vitia (quem Theologi fomitem pec-
c Rom. 7. 23. d 2. Cor. 12. 7. cati appellant, Apostol. autem c *legem peccati,* & d *stimulum carnis, & Angelum Satanæ, qui illum Colaphizat,* & est quasi lingua ipsius Dæmonis) Qui excitator siue fomes repentè profert malas cogitationes, fœdas imaginationes, & iaculatur scintillas peruersorum desideriorum, sumpta occasione ex ijs, quæ sensibus arrident & placent; aut ex malo aliquo humore, qui in corporibus mouetur, quibus motibus repentinis (quamuis non sint peccata, propterea quod non sint actus liberi) nos excitat, & ad peccandum prouocat, contendens apud Spiritum, vt illis consentiat, & illi ad effectum perueniant. Ad hunc ergo modum in ipso nostro Spiritu, qui est superior pars
Li. 2. in Ep. ad Roma. animæ, posuit Deus synderesin siue conscientiam, quæ (vt Origenes expen-

dit)

dit) eſt perpetuus quidam excitator, qui nunquam dormit, & continuus concionator, qui nunquam obmuteſcit, & Pædagogus qui ſemper nos comitatur, exhortans nos ad Virtutem, & retrahens ab omni vitio. Sumpta enim occaſione ex his rebus, quas videmus, audimus, aut legimus, naturali eius inclinationi conformes, ſtatim producit bonas cogitationes ac deſideria, quibus nos prouocat ad virtutum exercitationem. Et quando bonum opus eſt peractum, illud approbat, laudat, præmiumq; ei reddit, pacem bonæ Conſcientiæ. Contrà verò cum labimur in culpam, reprehendit nos, & remorſu quodam caſtigat, ne in eandem relabamur. Quod ſi redeat occaſio eandem repetendi monet nos, vt eam euitemus, aſſumamuſq; remedia apta ad præueniendum malum. Et hoc eſt munus, quod præſtat bona Conſcientia, quæ eſt tanquam Vicarius & locum tenens ipſius Dei, & promulgat diuinam eius legem Naturalem, aut (quod Apoſtolus dixit) eſt ipſamet c *lex viua, ſcripta in cordibus hominum*; cui legi & dictamini ſi pareas, Deo ipſi pares; ſi contemnas, etiam Deum contemnis; ipſe eſt enim, qui te per illud alloquitur. Quod ſi aſſueueris eidem obedire, erit tibi fidelis adiutor in vita ſpirituali. Coniuncta enim natura & gratia feliciter progrediuntur in operibus virtutis, ſicut nauis cuius vento perflatur puppis.

c Rom. 2. 15.

§. 4.

De ſtimulis Charitatis.

SED quoniam terminus, & ſphæra naturalis luminis ac ſynderesis ita breuis eſt, vt non extendat ſe vltra naturales veritates, & opera bona moralia, quę rationis regulis ſunt conformia: voluit etiam diuina prouidentia non deeſſe gradui ſupernaturalis gratiæ; id, quod natura habet. Ideoq; indidit intellectui lumen fidei, quod nobis oſtendit quidquid ad noſtram ſalutem pertinet. Voluntati verò inſculpſit virtutem charitatis, quæ nos ad ea amanda & executioni mandáda impellat. Quare Spiritus ipſius iuſti hac fide illuſtratus, & hac charitatis propenſione exornatus, ipſum prouocat ad omne genus bonorum operum moralium & ſupernaturalium, vitæ actiuæ & Contemplatiuæ; iuxta illud Apoſtoli: a *Charitas Chriſti vrget nos* ad omnia, quæ ad ipſius obſequium pertinent. Quod ſi capitalis hoſtis Charitatis, qui eſt amor proprius, vel quæcunq; alia vehemens cordis propenſio, eſt perpetuus quidam excitator & promotor cogitationum & deſideriorũ, ad rem quam amat, ſiue concupiſcit; vt exempli cauſa efficit paſsio auaritiæ in auaro, & ambitionis in ambitioſo; quid mirum quod amor Chriſti, quando eſt benè radicatus in corde, ſit etiam perpetuus excitator, & ſeminariũ ſanctarum cogitationum & affectuum, qui nos ad Deum deducant, & ad exercitium ſanctorum operum? neq; enim minor eſſe debet vis amoris diuini, quàm ſit amoris proprij. Hic diuinus amor eſt nobis continuus aculeus,

a 2. Cor. 5. 14.

vrgens nos ad currendum in vita spirituali; est fornax quædam emittens frequentes scintillas quæ cæteras virtutes ad suos actus impellunt. Si enim dormis, diuinus hic amor te excitat; Si ignauus es spiritum ille tibi reddit, & vt pergis, impellit; si debilis, ille te corroborat; si distractus, te recolligit, & in ipsomet tempore ad quietem destinato, ipse non quiescit, sed vigilat semper, & in medio decursu somni te vocat, modò ad opera vitæ actiuæ, modò ad Contemplatiuæ. sicut Sponsa dicebat: b *Ego dormio, & cor meũ vigilat*, corpore enim dormiente, Dei amor non dormit; sed Sponsam suis clamorib. vocat, c *Surge, propera amica mea.* in quæ verba ait S. Bern. Vox quæ blandè nobis manifestat voluntatem diuinam, non est alia, quam ipsemet amor, qui ociosus esse non potest, sed nos vrget, suadetq; quod est diuinæ voluntati conforme. O amor æterne, insculpe Spiritui meo fidem adeò viuã, caritatemq; adeò ardentem, vt semper me excitent ad tuam voluntatem amplectendam, in quo consistit vita mea. Et quoniam debilitas mea in causa est, vt sæpius ille dormitent, & à suis actionibus desistant, tu eas Domine excita, supernisq; tuis impulsibus calcar adde, vt illæ me excitent suisq; impulsibus vrgeant. Amen.

Cant. 5.2.

Cant 2 10.
Serm 57 in Cant.

Thom. 1. 2. q. 68. A. 2.

§. 5.

Quantum noceat quatuor his impulsibus resistere.

EX prædictis omnibus id infero, si cupias in spirituali vita proficere, debere te in tuis actionibus aliquem ex quatuor his impulsib. sequi. Siquidem omnes ab Spiritu S. proueniunt, qui nunc per seipsum & sanctam suam inspirationem nos alloquitur, dirigit ac fouet; nunc per ministros suos Angelos, alias per instinctum rationis, & lumen naturale, aut per dictamen fidei charitate inflammatæ. Quod si hi Spiritus impulsus, alas moueant vitæ Contemplatiuæ, manus verò actiuæ, securè poteris & absq; resistentia aut digresione ad rem aliquam contrariam, eos sequi. Et quoniam non solum ad bonum mouent & adiuuant, sed etiam malo aduersantur, dum nobis inspirant, vt illud fugiamus, in vtroq; oportet illis parere. Nam quàm vtile est illis obedire, tam est noxium illis resistere, aut eos proculcare. Id enim est sicut Apostolus dixit, a *spiritum bonum extinguere*, quod non relinquetur inultum, vt Christus Dominus noster insinuauit dicens: b *Esto consentiens aduersario tuo citò, dum es in via cum eo, ne forte tradat te iudici, & iudex ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem.* Exploratum est autem, vt multi patres dicunt, aduersarium hunc cui Christus iubet consentire, non esse Dæmonem, mundum, aut carnem, quibus potius debemus in omnibus contradicere tanquam hostib. perniciem nostram quærentibus. Illud ergò magis est certum, hunc aduersarium esse Spiritum bonum complectentem quatuor illos Spiritus su-

1. Thess 5.

Mat 5. 25. Aug lib ... veter & ...ui testam. 70 & li. ... Salutari, ...cumen c. 4. S Amb. 7. in Lu... m c 22.

perius

perius positos, qui suis dictaminibus & inspirationibus, carni nostræ aduersatur, culpas nostras reprehendit, superflua amputat, prauis propensionibus resistit, semperq; nos hortatur fugere nostras proprias voluntates: & vniuersim in omni opere prauo & imperfecto nos arguit ne tale quid faciamus. Quare etsi nobis aduersetur, non tamen hostis est, sed amicus & comes, qui ambulat nobiscum toto tempore huius vitæ, semper procurans nostrum bonum. Non potes propriam conscientiam fugere, quam deducis tecum quocunq; eas, teq; oppugnabit remorsibus suis. Bonus Angelus nunquam tui commodi curam deponit, nec desinet tibi aduersari in malo: multò verò minus curam tui deponit Deus, qui intra teipsum est, tecumque ambulat, atque inspirat, vt à malo declinans sequaris bonum.

S. Bern. Ser. 85 in Cant. S. Dorotheus Serm. 3. de Conscientia.

Hvic aduersario, siue aduersarijs, monet Saluator noster cito consentire, absq; excusationibus aut dilationibus, obediendo eorum inspirationibus, acceptando correctiones, & sequendo consilia, alioqui futurus semper in amarissima pugna. Nam quis (ait Iob) c *restitit ei, & pacem habuit*? Tua ipsius Conscientia tuus erit carnifex, & tanquam vermis duplicis oris mordebit ob malum quod agis, & bonum quod agere negligis; & Angelus qui tuæ peregrinationis erat socius, erit actor contra tuam pertinaciam, quam d *non dimittet cum peccaueris* inultam; & Iudex, qui in hac vita tibi erat beneuolus in aduersarium conuertetur seuerissimum, qui si optimè tecum agatur, conijciet te in carcerem Purgatorij, vbi exquisitissimis cruciatibus, lues has resistentias & inobedientias nec inde exibis, donec vltimum solueris quadrantem, vel minimam scilicet culpam quam admiseris. Adeoque grauis esse potest tua pertinacia in resistendo, vt sis dignus, qui in alium profundiorem, magis tremendum & æternum carcerem conijciaris; ex quo non licebit exire nisi toto debito persoluto; quod quia erit impossibile, etiam impossibile erit inde exire. Quia in inferno nulla culpa remittitur. Et quoniam qui patitur, est ipsius iudicis hostis, nullâ pœnâ pro vlla culpa satisfacit. Erit itaq; maximę prudentiæ perpetuas inducias cum his aduersarijs habere, quandiu vixeris, fœdusque cum eisdem inire, vt quicquid iusserint, aut consuluerint faciamus: quò perfectionem per eos assequamur; & tandem nos recipiant in æterna tabernacula.

c Iob. 9. 4.


d Exod. 23. 21.



CAPVT XXII.

DE TRIBVS EXTRAORDINARIIS MODIS, QVIbus Deus hominibus loquitur: & quosnam eius verba effectus habeant.

Hos modos collegit Sanctus Greg. li. 28 moral. S Thom. 32 q.171. a.3.



ODI hactenus positi, quibus Deus nobiscum loquitur, communes sunt & ordinarij: sunt alij extraordinarij & præter communem legem, qui varijs nominibus nuncupantur. Nam cum aliquid manifestant, quod antea erat incognitum, appellantur reuelationes; cum sunt de rebus futuris, dicuntur Prophetiæ; quando ipsa persona quæ nos alloquitur, nobis apparet, siue per seipsam, siue per figuram aliquam aut similitudinem, quæ illam repræsentet, aut per alia signa sensibilia, quæ significant aliqua mysteria, appellantur Visitationes, Apparitiones, aut Visiones, de quibus agetur in tractatu tertio, qui est de Contemplatione, quas ad tria genera reducemus: iuxta quæ, alios tres modos prodigiosos hic indicabimus, quibus Deus solet alloqui seruos suos.

I. PRIMVS ergo modus, quo Deus loquitur cum seruis suis, est per verba externa in aëre fabricata, & aurib. corporis percepta, homine vigilante: quæ verba quando ab ipso Deo sunt, operantur interius id quod repræsentant & significant. Nã Deus vtitur illis tanquã instrumentis, ad illustrandũ spiritũ & loquendum ad cor eius, qui ea audit, licet cũ diriguntur ad aliquid multis manifestandum, non eundem in omnib. effectũ habeant. Huius generis erant multa responsa, quæ Deus dabat Moysi & Dauidi, cum aliquid interrogarent. Et vox æterni Patris, quæ apparuit in Baptismo & Transfiguratione Christi Domini nostri dicens: a *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Et cùm aliàs *venit vox de Cælo*, respondens ipsi: *& clarificaui, & iterum clarificabo.* Et quando Angelus Gabriel apparuit B. Virgini, hoc etiam modo est locutus. vniuersim enim cùm Angeli humana corpora assumunt, loquũtur vocib. sensibilibus, quas aures percipiunt distinctè. Sicut etiã in nocte Natalis Christi dicebãt, c *Gloria in altissimis Deo.* Et ipsemet Saluator noster, solet hoc modo loqui seruis suis, vt locutus est Saulo, cum dixit: *Saule Saule, cur me persequeris?* Quin etiam audita sunt huiusmodi verba prodiisse ex sanctissimo Altaris Sacramento, dicendo aliquid oranti feruenter. sicut euenit cuidam homini Romæ, quem summus Pontifex Gregorius XIII. hortabatur ingredi nostram societatem: qui cùm repugnantiam sentiret in se ad id faciendũ, descendit ad templum S. Petri, genib. flexis antè SS. Sacramentum, magno feruore petijt manifestari sibi ipsius Christi Domini voluntatem;

a Matt. 3.17. b Ioa. 12.28. c Luc. 2.14. d Act. 9. 4.

Vox è Tabernacul ven. Sacramenti.

tatem;& repentè exiit vox de tabernaculo,quæ illi: *esto de Societate nominis mei.* apparuit verò certò fuisse Dei vocem,ex tribus admirandis effectibus, quos operata fuit:primus fuit maximæ reuerentię,quia proiecit eum in terram magno timore & tremore,sicut in huiusmodi occasionibus euenire solet,ad eum modum, quo vox æterni patris in monte Thabor proiecit in terram tres Apostolos,qui eam audierunt.Secundus effectus fuit:Quod eius cor ita commutauerit,vt vehementer afficeretur ad id, quod antea horrebat. Vincens videlicet cum suauitate repugnantiam omnem, ac difficultates,quæ ipsum ab ingressu religionis retardabant. Tertius fuit quod infuderit illi repentè magnam nominis IESV existimationem, idque tanta luce & claritate inæstimabilium diuitiarum,quæ in eo nomine latent,vt quoties de eo loqueretur, in magnam admirationem raperet omnes, qui eum audiebant.Hoc exemplum attuli,vt cognoscantur indicia harum vocum sensibilium,quando sunt à Deo & Angelis eius. Tales quoque prodeunt interdum ab aliquibus deuotissimis imaginibus: nunquam enim bonus spiritus instrumentis vtitur profanis aut indecentibus, ad talia verba proferenda Semel tantum in S.Scriptura legimus,e *Dominum aperuisse os asinæ,vt loqueretur Balaam,* sibi insidenti: vt prauos eius gressus impediret. Nam aliàs per os bestiarum loqui potiùs est proprium dæmonis, qui per os serpentis locutus est, vt Euam deciperet.

Dan.10.9.

Matth.17.

c Num.22.28.

2\. SECVNDVS modus,quo Deus D.N.loquitur, est superiore frequentior,per verba scilicet interiora, quæ formantur in imaginatione & sensibus animæ internis,in quibus componit rationes & sententias,quas vult innotescere ei,cum quo loquitur,ad eum modum, quo solet accidere somniátibus:& hac ratione loqui solet seruis suis,& rem aliquam reuelare & docere,siue per seipsum, siue per sanctos Angelos suos: modo proferendo ipsa verba,non tamen patefacta persona proferentis, modo imprimendo imaginationi aliquas imagines aut figuras ipsius loquentis; quæ quoniam referunt rem corpoream,solent interdum esse tanquam viua effigies ipsiusmet corporis,quod loquens persona habet, vti sunt Christus Dominus noster, & sancta eius Mater: quare corpus in eo gradu splendoris & pulchritudinis repræsentant, quo Deus vult. interdum sunt effigies eiusdem corporis, in ea proportione ac dispositione, quam aliquando habuit; quando exempli caussa proponitur Christus vt infans,aut in cruce pendens, aut aliquis Sanctus,eo vultu & habitu, quem gestabat in hac vita: interdum sunt figuræ personæ alicuius humanæ, purum aliquem spiritum referentis, Deum videlicet aut Angelum,aut aliquam sanctam animam, sed in eo habitu & ornamentis adeò castis,grauibus & admirandis, vt facilè appareant excellentes spirituum horum excelsorum virtutes & proprietates; qui quasi induti esse videntur illis figuris,per quas loquuntur & sese communicant animæ:


quæ ſuperiore parte intellectus diuina luce illuſtrati aſſequitur ac penetrat, quod illi dicitur, cæteraque myſteria per illas figuras repræſentata. Et quamuis hoc totum intra ipſam animam geratur, interdum tamen videntur propè ipſam eſſe ac loqui; interdum verò valdè procul, aut in ipſo cœlo. Id quod aliquando euenit in ſomniis; ſicut locutus eſt Deus Patriarchæ f *Iacob* ex ſummitate ſcalæ, & aliquibus g *Prophetis*, & ſic ſolet Deus viſitare ſeruos ſuos h *aperiens* (vt in Iob dicitur) *aures virorum, & erudiens eos inſtruit diſciplina*, tum quod illud tempus ſit valdè quietum, ceſſantibus externis ſenſibus à ſuis actionibus: tum vt procul magis ſint à tribuendo hoc fauore meritis ſuis: aut denique, vt ſic reddat præmium diligentiæ, qua ſe ad matutinã orationem præpararunt, aut ad ſomnum religioſum habendum, ſicut ſupra dictum eſt. Sed hæc interna verba vt plurimum ſolent eſſe in vigilia, & in ipſamet oratione, adeò diſtinctè exprimentia quod Deus vult, atque ſi reuera ſenſibilia verba proferrentur, & ita aliunde veniunt efficaciter & viuaciter, vt facilè appareat omnipotentia Domini illa proferentis, iuxta illud Apoſtoli: i *viuus eſt ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque ac medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis*, quod euellit ab omni affectione ſenſuali, vel maximè cordi agglutinata; efficitque reliquos effectus, quos diuinæ inſpirationi ſupra attribuimus, licet efficacius & fortius, ſimul verò etiam ſuauiſsimè, & propterea dicitur venire nunc tanquam k *vox aquarum multarum*: nunc quaſi l *vox auræ lenis*, aut m *ſibilus auræ tenuis*, cuius effectus deprehendemus ex iis, quæ fecit Elias, quando illam vocem audiuit, cùm eſſet in ſpelunca in monte Dei. Nam *cum eam audiſſet, operuit vultum ſuum pallio, & egreſſus ſtetit in oſtio ſpeluncæ.* Quid eſt (inquit ſanctus Gregorius) vultum ſuum pallio operire, niſi nobis ſignificare, quod quando Deus loquitur, efficiat in nobis profundam humilitatem, cum ſumma reuerentia coniunctam, inſignem interiorem & exteriorem recollectionem imaginationis & ſenſuum corporis, rapiendo totam animæ attentionem ad iis attẽdendum, quæ Deus dicit? Eſtque admiratione dignum, quod cũm Elias audiſſet ſpiritum grandem & fortem, ſubuertentem montes & conterentem petras, & ignem, qui poſt tantam commotionem violenter pertranſibat, nõ operuit vultum ſuum, niſi cum ſenſit ſibilum auræ tenuis, in quo veniebat Deus; non autem in reliquis, quæ in tanta commotione præceſſerant: vt nobis ſignificaret, nullam creaturam ſufficere ad nos recolligendos, niſi in ea ſit ipſe Creator. Quid verò eſt prodire Eliam mox ex porta ſpeluncæ, niſi vt nobis ſignificetur, quod vox & inſpiratio Dei ſtatim nos faciat à nobis ipſis exire, vt incipiamus ipſum Deum cognoſcere? ſicut experta fuit quæ dicebat: n *anima mea liquefacta eſt vt locutus eſt* dilectus meus, aut vt alia lectio habet: o *anima mea egreſſa eſt in ſermone eius*; quia dilecti verbum inflamma-

f *Gen.* 28.13.
g *Num.* 12.6
h *Iob* 33.15.
i *Heb.* 4.12.
k *Apoc.* 1.15.
l *Iob* 4.16.
m 3.*Reg* 19. 12.
Lib 5. *mor.* c. 26.
n *Cant.* 5.6.
o iuxta LXX.

tum

tum igne amoris, quem in diuino suo pectore habebat, illam emolliuit dilatauitque instar cerę liquefactę, quæ extenditur ac dilatatur plusquā ipsius natura exigat, & ita illam extra se eduxit, non vt in alias creaturas spargeretur, sed vt in sui creatoris conspectu totam se effunderet, & extra se facta, supra seipsam se attolleret ad illum cognoscendum, & se diuino illius spiritui coniungendum, deiiciendo se in seipsam, vsque ad propriam defectionem, cò quod nihil vltra posit. Sed quisnam explicare poterit sensuum altitudinem, affectuum teneritatem, & exultationis dilatationem, quæ tunc accipit anima? Sed hoc nunc omittamus, donec de hoc modo contemplationis fusior redeat sermo. Si tamen nolis indignus inueniri, qui hæc in teipso experiaris, excitare sicut Elias à somno tepiditatis, & ambula feruenter, contendendo ascendere ad montem Dei, orationem scilicet & contemplationem: ingredere secretam & absconditam speluncam, penetrale scilicet tui cordis, ad illud te recipe, ad loquendum & conuersandum cum tuo dilecto, veniet enim ipse, vt te visitet, tecumque loquatur, modo tibi magis conueniente. Quod si loqui cœperit, & aliquid inspirare ad ipsius obsequium spectans, recollige te ad attentè audiendum, ac teipsum offer ad exeundum à te, vt illud exequaris, operi vultum tuum pallio, discretione scilicet, seruans portas tuorum sensuum, non complacendo tibi in eo, quod videas, aut ab hominibus videaris, vt ita dignus fias, qui videas & loquaris cum ipso Deo, complaceatque ipsi tecum colloqui; sed caue visiones & colloquia extraordinaria desiderare, quæ nunquam conceduntur superbè aut inani curiositate quærentibus, sed humiliter eas declinantibus, & propriam indignitatem ac miseriam agnoscentibus.


TERTIVS modus, quo Deus D.N. alloquitur suos, est omninò spiritualis in superiori animæ parte, intellectu scilicet, & voluntate, quo ipse solus vt paulò post videbimus, potest immediatè suas inspirationes & illustrationes iaculari, loquendo scilicet cum hominibus, sicut cum Angelis & beatis animabus. Nam intellectus simul est auditus & visus animæ: auditus est, quatenus à Deo accipit instructionem, attenditque quid sibi dicatur: visus est, quatenus illud intelligit & assequitur. quare in altissima contemplatione audit, videtque sicut Apost. in raptu suo audiuit *arcana verba* Dei. Et hanc ob causam quicquid ad hunc verborum modum pertinet, reiiciemus ad 3. Tract. Nunc transeamus ad declarandum, quod magis delicatum est & vtile in hac materia, ne contingat nos in ea errare. 3. 2. Cor. 12.



CAPVT

CAPVT XXIII.

VARIA DOCVMENTA ET REGVLAE GENERALES ad cognoscendas veras visiones, inspirationes & reuelationes Dei: impulsusq́; spiritus boni.



VOD in vita spirituali maximè necessarium ac vtile iudicatur, est cognoscere motus & sensus internos, qui in corde nostro sentiuntur, vt scilicet discernatur, quando à bono Spiritu, & quando à malo proueniant. Sæpè enim Apostolo teste, a *ipse Satanas transfigurat se in Angelum lucis*, & spiritus dæmonis fingit se spiritum Dei, imitando ipsius impulsus & interiora colloquia: ex quo prouenit, vt quem Spiritus S. impulsum existimamus, per ipsius dona ad nostram perfectionem immissum, is Draconis septem capitum sit impetus in nostram perniciem: & vt ait Sapiens, b *est via quæ videtur homini iusta, nouissima autem eius deducunt ad mortem* culpæ & æternæ pœnæ. Et quoniam iste Draco astutus est valdè, magnam habet peritiam in his fictionibus fabricandis. Si enim pictor ille adeò ad viuum pingere potuit botrum vuarum, vt volantes ad eum auiculæ, eius grana suis rostris pinserent, vt comederent, persuasę quod essent vera: non mirum est, si dæmon ita nouerit in anima nostra pingere tales affectus, vt cùm reuera tantum sint pictæ virtutes, veræ tamen esse videantur: & eisdem inescentur, qui multum sibi tribuunt in spiritualibus.

1. a 2 Cor. 11. 14.

b Prou. 14. 12. & c. 16. 25.

2. PRAETEREA magna est affinitas & similitudo, inter aliquos affectus vitiosos, & virtuosos, adeo vt contingat sæpè nos transire ab studioso affectu ad prauum, existimantes virtutem esse, quod reuera est vitium, & iram iudicantes zelum: prodigalitatem; liberalitatem: pusillanimitatem & hypocrisim; humilitatem: præsumptionem; confidentiam: pertinaciam; constantiam: & amorem proprium; diuinum amorem.

3. ACCIDIT carnis nostræ sagacitas, & passionum nostræ sensualitatis feruor & furor: ex quo prouenit, vt cor his passionibus agitatum iudicium rationis inuertat, trahatque post se, & iudicet pulcrum esse turpe illud quod amat, c *dicatq́; malum bonum, & bonum malum, & ponat tenebras lucem, & lucem tenebras, & amarum in dulce, & dulce in amarum.*

c Isai. 5. 20.

4. DENIQVE imbecillitas nostri intellectus sufficiens causa est, vt non possit penetrare abyssum cogitationum & affectionum, quæ in corde nostro geruntur, quod solus ipse d *Deus* (vt ipsemet dixit apud Ieremiam) *scrutari potest* ac penetrare, nec aliquis cognoscere illud potest, nisi idem Deus spiritualem det lucem ad illud cognoscendum. Quamobrem concludit san-

d Iere 17. 9.

dit sanctus Gregorius, duas nobis incumbere curas magni momenti: Primam examinandi ac diligenter inquirendi, quid in corde nostro agatur, ne in iis quæ agenda sunt, abripiat nos impetus carnis manifestus, nec prauis cogitationibus animus seductus, mala esse cognoscat, & tamen faciat. Secunda verò nos cura debet vigilantes reddere, ne se impetus carnis, quasi impetus spiritus latenter subijciat, & culpas quas committimus nobis virtutes fingat. Sciendum enim est, quia grauiores magisque noxiæ sunt culpæ, quæ superinducta specie virtutes imitantur: quia illæ in aperto cognitæ animum in confusionem deiiciunt, atque ad pœnitentiam trahunt: istæ verò non solùm in pœnitentia non humiliant, sed etiam mentem operantis eleuant, dum virtutes putantur. Hæc sanctus Gregorius, cuius vtrumque consilium plurimum confert ad id, de quo agimus: & primum multum iuuat secundum. Si enim studeas humiliter & velociter obedire inspirationibus, quas apertè cognoscis esse Dei, moxque resistis suggestionibus, quas deprehenderis esse dæmonis, non permittet Deus te in reliquis decipi. Nam qui facit bonum quod nouit esse tale, meretur adiuuari à Deo, ad assequẽdum, quod non nouit, & qui semper resistit hosti manifesto, meretur non permitti decipi ab occulto. licet semper vigilandum sit tibi in sancto timore & formidine, moderatè tamen ac discretè, vtroque vitato extremo. Si enim timor sit nimius anxiusque cum magnis cordis assultibus, plurimum nocet fiduciæ, quam debes de Deo habere, quod tibi sit in periculis adfuturus, & sapientia sua suppleturus, quod tu ex ignorantia non assequeris; & huiusmodi timores facilè disponuntur ad deceptiones: sicut enim Apost. maris tempestate e *turbati, existimarunt Christum D.N. super mare ambulantem esse phantasma*: sic nimium meticulosi illusionem existimant ipsam inspirationem, sicut perpendimus in Meditatione huius miraculi. Alterum tamen extremum nimiæ securitatis perniciosius est: qui enim non timet, non se præparat: qui autem imparatus est, facilè decipitur, & superatur, & eueniet ipsi quod dixit Ecclesiastes: f *sunt impij qui ita securi sunt, quasi iustorum facta habeant, sed & hoc vanißimum iudico.*

Hom. 5. in Ezech.

e *Mat. 14. 26*
e *Marc 6. 49*
3 *par. Med. 9.*
f *Eccl. 8. 14*

§. I.

De gratia discernendi spiritus.

I.

PRIMVM igitur esto fundamentum, amplecti consilium S. Ioannis dicentis: a *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint.* Si enim te absque hoc examine proijcias, vt credas quodcunque spiritus internè tibi dicit, graues illusiones ac deceptiones patieris; vel quia fidem adhibebis falso spiritui, credens esse verum, aut non adhibebis vero, credens esse falsum, & admittes Angelum Satanæ, credens esse Angelum lucis, aut reiicies Angelum lucis, existimans esse Angelum Satanæ: cùm

a *1. Ioan. 4. 1*

vtrumque ſit valdè pernicioſum: neque enim minus nocet portam cordis Deo pulſanti claudere, credendo eſſe dæmonem, quàm pulſanti dæmoni aperire, ſi credas eſſe Deum. & æquè pernicioſum eſt, b *ſpiritum* bonum (vt Apoſtolus ait) *extinguere*, ſanctaſque eius inſpirationes; atque eſt fouere malum, & execrandas eius ſuggeſtiones. Neceſſe ergo eſt omnes ſpiritus probare, vt eos amplectamur & ſequamur, qui ſunt Dei: repellamus verò eidem contrarios.

b 1. Theſ. 5. 19.

2\. AD hanc probationem & examen, largitur Deus D. N. donum illud & gratiam, quam Apoſtolus *diſcretionem ſpirituum* appellat, quæ eſt lumen quoddam interius, quo diſcernitur inter bonum & malum ſpiritum: ad quod tamen etiam conferunt externa indicia, quæ vterque præfert, iuxta illud Chriſti Domini: c *ex fructibus eorum cognoſcetis eos*; & quando vtriuſque fructus aliquam habent ſimilitudinem, lux illa diuina aliquid deprehendit, in quo ſit differentia, oblato aliquo externo indicio, ex quo id appareat. Sicut Rex Salomon, vt deprehenderet vtra ex duabus mulieribus vera eſſet infantis mater, cùm vtraque verbis & affectibus ſe matrem oſtenderet, d *iuſſit Rex adferri ſibi gladium, & infantem viuum in duas partes diuidere*, non eo animo, vt reipſa diuideretur, ſed vt exploraret veram Matrem, ex commiſeratione, quam altera illarum oſtenderet, cùm audiret infantem eſſe diuidendum, eique viuum infantem traderet, auferret verò alteri, quæ ad illam diuiſionem ſe oſtenderet propendere: & ita factum eſt. Sed hæc gratia ſic ſpiritus diſcernendi, non omnibus fidelibus datur, ſed excellentioribus qui futuri ſunt Magiſtri Duceſque animarum, ad quos tyrones minuſque in ſpiritu experti recurrere debent, ne decipiantur. De illis enim illud intelligitur, quod dixit Deus Ieremiæ e *probatorem dedi te in populo meo robuſtum, & ſcies & probabis viam eorum.* Probatorem appellat & metallorum examinatorem, vt intelligamus ſicut in republica ciuili ſunt probatores, qui ex officio habent examinare & probare valorem & perfectionem argenti, imponendo ſcilicet aliquam particulam maſſæ, quæ offertur, in ignem, vt mixturam deprehendant plumbi aut ſtanni argento commixti; & hinc ſtatuunt ac iudicant de perfectione totius maſſæ: Ita etiam in Eccleſia eſſe probatores ac magiſtros ſpirituales, quorum officium ſit, cœleſti lumine cognoſcere ac declarare valorem & gradus ſpirituum, virtutum, ſenſuumque internorum; examinando ſcilicet ac probando, num puri illi ſint ac ſancti, an verò admixtum habeant aliquid vitij aut deceptionis, adhibitis aliquibus externis probationibus, vt appareat, num quæ virtus videbatur, reſoluatur abeatque in fumum, ac deficiat inſtar plumbi aut ſtanni; an pura & integra remaneat inſtar argenti probati & repurgati. In quibus tamen probationibus ſemper neceſſe eſt ad Deum Dominum noſtrum recurrere. Nam vt ait Sapiens, f *ſpirituum ponderator eſt Dominus*, & tanquam præci-

1\. Cor. 12. 10.
c Matt 7. 20
d 3 Reg. 3. 24.
e Iere. 6. 27
f Prou 16. 2.

puus

puus probator eos probat, g *igneque* (vt ait Dauid) *examinat, sicut examinatur argentum:* atque humiliter dicere, O Sol iustitiæ, illumina tenebras nostras & mitte lucem tuam, qua h *separemus pretiosum à vili, & simus quasi os tuum,* quo manifestes & approbes quod tibi placet, reprobes verò quod displicet.

g *Psal.* 65. 10.
h *Ier.* 15. 19.

§. 2.

De varietate spirituum.

SED quoniam hæc gratia discernendi spiritus, non excludit nostram diligentiam, sed omnibus incumbit eam adhibere ad eos discernendos, aduertendum est, spiritum bonum complecti eos, de quibus supra cap. 12. diuinum scilicet, Angelicum, & humanum illustratum lumine rationis naturalis aut fidei & legis charitatis: malus verò spiritus, duos tantum complectitur, dæmonis videlicet, & proprium siue carnalem & mundanum. Nam (teste S. Thoma) non omnes praui motus, quos in nobis experimur, fiunt à malis Angelis, sed multi eorum à nobis ipsis oriuntur, & ab illo spiritu, quem proprium appellamus, eo quod legibus & propensionibus carnis nostræ sit subiectus, sicut propriam voluntatem & iudicium proprium appellamus, quod ita nostrum est proprium, vt non sit Dei, cuius legi aduersatur. Et ideo S. Bernard. eum appellat spiritum carnis, & spiritum mundi. Et hinc est quod spiritus noster in motibus & sensibus quos producit, interdum sit bonus, interdum malus, ac proinde bonæ prauæque cogitationes & effectus, quos experimur, interdum oriuntur à bonis, aut à deprauatis propensionibus à virtutibus & vitiis cordi nostro tenaciter inhærentibus: interdum verò à foris veniunt immissi à bono, aut malo spiritu. Quamuis (vt benè S. Bernardus perpendit) non sit possibile in hac vita, certo semper discernere, quando huiusmodi motus à nobis ipsis, aut aliunde proueniant, nec semper id est necessarium. Nam si motus est prauus, parum refert nosse, num à dæmone, an à proprio spiritu ad malum propenso prouenerit. Semper enim festinanter est illi resistendum. Si etiam motus interior manifestè sit bonus, non est cur multum labores in examine, num immediatè à Deo sit, an à bono Angelo, an à conscientia in bonum propensa: æquè enim vult sibi obediri, quando suam voluntatem apertè manifestat, siue id faciat per seipsum, siue per suum Angelum, aut per eius conscientiam, qui illam agnoscit. Quod si dubites à quo spiritu motus ille bonus procedat, faciendum tibi est, quod ipse Christus D. N. dixit cuidam Religioso, anxiè solicito, eo quod non sciret, num colloquia & verba quæ sentiebat, essent à bono spiritu, quem vt tranquillum redderet, hanc ei quæstionem proposuit: cum esurienti tibi ramus offertur, fructibus plenus, quid tunc facis? Respondit ille, fructus comedo, ramum verò vacuum abij-

Gerson in centiloq. p. 3
1 *p. q* 114. *a.* 3.
Ser. de 7. *Spiritib. & lib. de consc*
Ex Cas. col. 1. *c.* 19.
Rich. super Cant. c. 17. *&* 18.
Ser. 37. *in Cant.*

cio.hoc idem,inquit ipse Dominus; faciendum tibi eſt in his dubiis, quæ circa interna verba, quæ ſentis, tibi occurrunt, comedas fructum bonum qui tibi offertur,exercendo ſcilicet bona opera, manifeſtè bona, quæ tibi inſpirantur,de quibus non ſis amplius ſolicitus, vt ſis ab omni deceptione expeditus. Nihilominus in multis aliis rebus refert multum ſcire abſque deceptione,quando huiuſmodi motus & verba ſiue colloquia ſint inſpirationes Spiritus S.vt locum illis demus: quando verò à malo ſpiritu ſimulante ſpeciem virtutis,vt illos reiiciamus.

HOC ipſum quod hic diximus, intelligendum eſt habere etiam locum in deuotione & lacrymis,in feruore & lætitia,iubilis & ſuſpenſione ſenſuū, *Itin.4.diſt.3* in extaſi & raptu,& ſimilibus aliis affectibus,quos S.Bonauentura ait prouenire poſſe à triplici principiō. Primum eſt naturalis corporis conſtitutio ad eas accommodata,eo quod vehemens ſit,& inſtar ignis viuax,aut læta valdè & mollis,aut tenera, & quæ facilè tangitur commiſeratione, aut quod vehementer apprehendat,quod imaginatur & cogitat. Secundum eſt ſpiritus Dei,vtentis interdum bona hominis conſtitutione, ipſamque naturam gratia ſua perficientis, vt ſe ad idem ſimul accingant, & vtriuſque opera ſint durabiliora, quamuis alias tendat contra ipſam inclinationem, eleuando ſpiritum noſtrum ad res altiores, quàm eius facultas naturalis aſſequi poſſet,vt ſic faciliùs appareant diuitiæ gratiæ ipſius. Tertium principium eſt malus ſpiritus, qui complexione noſtra vtitur ad ſuas fraudes tegendas, ad *Cap. 17.* eum modum quo ſupra diximus, de lacrymis illius Iſmaelis: ac propterea non parum refert cognoſcere benè naturalem conſtitutionem, vt ſpiritus diſcernatur,qui efficit motus illos internos. His ergo fundamentis inniti debent regulæ & documenta, quæ traduntur circa adiuuandam gratiam diſcernendi Spiritus, ad euitandos errores circa illos. Quorum documentorum certiora & vniuerſalia hîc ponemus, quæ continent multa alia magis particularia, aduertendo tamen, quod licet ſingulæ regulæ proprium habeant documentum,illud tamen per ſe ſolum non ſit ſufficiens,niſi & aliæ ſimul adhibeantur.

§. 2.

De obiecto ſiue materia diuinarum inſpirationum, veritatibus ſcilicet, ac virtutibus.

DVAE priores regulæ, quibus reliquæ innitantur, pertinent ad obiectum & materiam diuinarum inſpirationum; quod complectitur veritates tantum,ac virtutes puras,& abſq; admixtione & odore falſitatis aut vitij. Quoniam Spiritus S.à quo illæ procedunt,eſt Spiritus veritatis & ſanctitatis. Quare cū alloquitur nos &aliquid cordi inſpirat(vt ait

S.Augu-

S. Augustinus) eò tendit, vt doceat alliciatq; ad veritates credendas, & ad virtutes executioni mandandas, detestando quemcunq; in his errorem & culpam; ac proinde nihil veritati aut virtuti diuinæq; voluntati contrarium potest ab Spiritu Sancto inspirari. *Lib. de triplici habitaculo.*

Hinc fit primum, vt Spiritus S. nihil possit inspirare, quod contradicat ijs, quæ sunt in Sacris Scripturis reuelata, & à S. Concilijs declarata, & in tota Ecclesia recepta. Quia Deus non potest sibi ipsi esse contrarius, nec vna veritas alteri veritati aduersari. Quoniam ergo quicquid in diuina Scriptura continetur, est veritas infallibilis, reuelata per ipsummet Deum; nam vt ait S. Petrus, a *Spiritu S. inspirati locuti sunt sancti Dei homines*, sacri scil. script. ex quo fit, quicquid Deus inspirat, ijs conforme esse debere quæ habentur in scriptura sacra, & nullo omnino modo eis contrarium, & in eum sensum dicitur apud Iob; b *Semel loquitur Deus.* esto enim, sæpius suis seruis loquatur, semper tamen conformiter ad ea, quæ in sacris scripturis est locutus, nec vnquam aliquid dicit ijs contrarium.

a *2. Petri 1. 21.*

b *Iob. 33. 4 S. Greg. lib 23. mor. c. 11.*

2. Deinde sequitur quoniam Spiritus S. est Spiritus Christi, id quod præcipuè inspirat esse, veritates ac virtutes ipsius Christi, veritates scil. quas ille docuit, & virtutes, quas exercuit, lucem præbens ad illas cognoscendas, & gratiam ac vires ad has imitandas, iuxta id quod ipsemet Redemptor noster Apostolis suis promisit in sermone post cœnam, dicens: c *Paraclitus Spiritus S. quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quacunq; dixero vobis.* Nunquam itaq; inspirat res inutiles nec impertinentes nouitates, nec vitæ rationem, ab ea quam ipse Christus in suo Euangelio docuit, & in vitæ decursu secutus est, alienam. Quin potius (vt ait Sanctus Bernardus) quoniam tenemur declinare à malo, & facere bonum, proprium est Spiritus S. in vtroq; horum iuuare nostram infirmitatem. Ad primum suggerit nobis compunctionis affectus, culpas nostras reprehendendo: de eo enim dicitur: quod d *quando venerit arguet mundum de peccato.* Ad secundum, curæ illi est memoriam nostram refricare. & illuminare intellectum, vt firmiter & magno cum gaudio credat quod reuelatum est, & voluntatem allicere ad imitationem Christi, ad custodiam legis eius, ad amplectenda Euangelica consilia.

c *Ioan. 14. 26.*

Ser. 1. de Pentecost.

d *Ioan. 16. 8.*

3. Hinc tertiò efficitur, omnia interna sensa, quæ non mensurantur hac prædicta regula, esse à malo Spiritu. Quia Dæmon est Spiritus mendacij & malitiæ. Ideoq; omnes eius sermones & suggestiones tendunt ad falsitatem & vitia. Quod ille præstat varijs modis. aliquando enim quod dicit, est manifestum mendacium, contra Dei veritatem; sed illud obducit rationibus apparentibus, vt verum esse credatur; sicut decepit Euam. cum enim Deus dixisset, e *de ligno scientiæ boni & mali ne comedas; in quocunq; enim die comederis ex eo, morte morieris:* f *Serpens dixit ad mulierem: nequaquam morte*

e *Genes. 2. 17.*

f *cap. 3. 4.*

moriemini, sed eritis sicut Dij, scientes bonum & malum. Quasi ei diceret: Verba illa Dei fuerunt minæ, ne euaderetis sapientes, sicut ille. Aliàs quod dicit, est veritas certa, ex scriptura Sacra deprompta, sed ipsa applicatio est apertæ falsitati coniuncta, concludens falsas conclusiones ex præmissis veris. sicut
Matt. 4. 6. tentauit ipsum Christum decipere, cum dixit, g *mitte te deorsum, scriptum est enim: quia angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* veritas erat illa Dei, sed applicatio Dæmonis fuit dolosa, colligens ex ea, licere Christo mittere se ex pinnaculo deorsum, Deumq; sine necessitate tentare. Qua via decepit, & fere quotidie decipit miseros Hæreticos, persuadens illis, aut falsum esse, quod est in Scriptura, aut aliquẽ errorẽ ex ea deducens, propter malam applicationem, aut eos eò deducens, vt instinctum interiorem quem sentiunt, regulam faciant suę credulitatis; nihil curantes, quid Deus reuelauerit. In qua re non possunt ipsi appellari illuminati, sed potius obtenebrati, vt qui sequantur proprium iudicium, errans, incertum, & inconstans, cum deberent credere tales instinctus adeo varios & repugnantes, non posse ab alio prouenire, quàm à mendaciorum parente.

4. INTERDVM verò idẽ malus Spiritus, subtiliori alia fraude vtitur. Nam
Dial c. 48 vt Sanctus Gregorius ait, per tempus aliquod multa suggerit quæ sunt vera
Thom. 2.2 & studiosa, vt sic securum faciat eum, cum quo agit, quod sit Spiritus bonus,
q. 172. a. 6. sed aliquid postea addit, quod ipsius est proprium, persuadens aliquem er-
Collat. 2 c. 8 rorem aut peccatum. Hac ratione (vt refert Cassianus) decepit quendam Monachum, cui per longum tempus apparebat ac reuelabat res valde salutares; quem cum videret superbia tumentem, multumq; suis reuelationib. tribuentem, ostendit ipsi Christianum populum cum Apostolis, valde tristem & deformem; populum verò Iudaicum cum Moyse & Prophetis, valde lætum & elegantem, dixitq; illi: Si vis particeps esse lætitiæ & pulchritudinis horum, circumcidaris sicut & ipsi, & cum ille miser consueuisset maligno illi Spiritui credere in ijs, quæ vera erant, adhibuit etiam fidem in falsitate, permittente Deo hunc lapsum illi superbo, ad nostram instructionem & cautelam.

Ex quo licet inferre, maligno spiritui, quãdo talis esse cognoscitur, nõ esse habendam fidem, etiam in veris quæ dicit, ꝓpterea quod ille dicat; nec obtemperandũ in bono quod præcipit, ꝓpterea quod ipse præcipiat; sed quia
h Luc. 4. 41. ipsa ratio aut fides sic dictat; nec ꝑmittendus est aliquid nobis dicere; exẽplo Christi D.N. qui h *Dæmonia clamantia, quia tu es filius Dei, increpans, nõ sinebat ea loqui.* Quia quæcũq; dicant aut faciant, eò dirigunt, vt nos decipiant, & in superbiam ac in perniciem nostram inducant. quod si Dæmon aut passio aliqua tua furioso aliquo impetu, ad bonum aliquod opus etiam pręceptũ impelleret, non est faciendum, vt eius pareas suggestioni, sed vt impleas legem

Dei, reprimendo furiosum impetum & perturbationem, quam sua suggestione Dæmon adfert.

Nam (vt ait Apostolus) i *omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate.* Quasi diceret, etsi res licita sit, non tamen nos eius mancipia esse debere, sed eam facere cum libertate cordis. i 1.Cor. 6. 12.

Est autem ad nostram consolationem aduertendum, si quando à malo Spiritu instigati, id ignorantes, facimus aliquod bonum opus, modo adsit bona intentio, cæteræque conuenientes circumstantiæ, non propterea (vt ait Richardus) opus illud desinet esse Deo gratum. Dæmonis enim malitia non potest ei nocere, qui in ipsa actione, non fit eius particeps. sicut si quis mihi persuaderet intentione deprauata, vt Eleemosynam ego facerem, si ego bona intentione fecero, habebo meritum apud Deum, quia alterius mala intentio, non potest inficere bonam meam. *In Cant. cap.1.*

5. Deniqve quamuis sit verum, omnem spiritum, qui vel semel instigat aut reuelat aliquid falsi aut mali, etiamsi minimum, esse euidenter malum, esto multa vera prius dixerit, & ad magnas virtutes instigauerit, quia Spiritus Diuinus est purissimus, absque vllius falsitatis aut malitiæ admixtione; non tamen propterea existimandum est, omnes reliquas inspirationes aut reuelationes, quas homo ille habet, esse à maligno Spiritu; nec eas illusionum nota damnare (vt benè Gerson aduertit) oportet: nam est familiare ipsi Dæmoni, vt opinionem verarum allocutionum & reuelationum Dei imminuat, eosque qui illas suscipiunt, turbet & affligat, immiscere aliquas suas, vt reliquæ omnes suspectæ habeantur, nec illas admittat, aut in vsum deducat, qui illas habet. Quod tamen totum consueuit Deus conuertere in bonum suorum electorum, lumen eis præbens ad horum motuum varietatem distinguendam, & ex omnibus fructum hauriendum, vt mox videbimus. *Tract. de distinct. verar reuelation signo 5. in 1. parte.*

Praedicto huic fundamento innititur præclara quædam differentia, quam ipsemet Devs indicauit, inter verba sua, & spiritus maligni. Huius enim verba appellat k *somnum & paleam*; sua verò, *triticum, ignem, & malleum.* Mali enim Spiritus verba somnus sunt, quia nec veritatem, nec sanctitatem habent, sed fictam apparentiam & speciem, ab eius malitia inductam aut à nostra stulta imaginatione. Et sicut somnia sunt affinia humori in corpore prædominanti, aut ijs, de quibus in die actum est: ita eius verba semper solent esse conformia inclinationi, inanique audientis desiderio. Et potius ad quandam eiusdem delectationem quàm ad profectum diriguntur. Et propterea appellantur palea, quia vacua & ina- k Ierem. 23. 28. 29.

nia à

nia à veritate & virtute, nec firmitatem habent nec stabilitatem in ijs quæ dicunt, sed inclinant ad vanitatem mundi & carnis sensualitatem, suntq; esca bestiarum, hominum scilicet bestialibus carnis suæ appetitionibus deditorum, quæ etiam instar paleæ fouet ignem cupiditatum eorundem. Verba autem Dei sunt sicut triticum, quia nutriunt & confortant Spiritum solidis veritatibus & virtutibus: Ideoq; in bonam terram seminata, proferunt copiosum bonorum operum fructum. sunt etiam sicut ignis, quia fide illuminant, & amore inflammant, contritione purificant, contemplatione ad cœlum extollunt, alijs ex zelo communicantur, vruntq; & consumunt quicquid est palea, dissoluendo præsentia sua omnes imaginationes & somnia Spiritus mali. Sunt deniq; sicut *malleus conterens petras*, quia flectunt duritiem cordis, iudicij pertinaciam, carnis rebellionem, & passionum eius veritatem; & vt ignis & malleus ferrum molliunt & flectunt, ita diuinis verbis flectitur & emollitur cor nostrum, vt excellentes virtutum figuras recipiat.

§. 4.

De puritate intentionis, ac discretione, quæ bonum spiritum comitatur.

VERITATIBVS & virtutibus, quæ duo sunt certa signa diuinarum inspirationum, coniunguntur intentio pura ac discretio, tanquam duo oculi, de quibus illud intelligitur, quod Christus D.N. dixit: a *si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam*, duplexq;, *totum corpus tuum tenebrosum erit*, ac turpe. ac proinde sunt certa indicia, ad discernendum Spiritum bonum à malo. Nam primùm, Spiritus bonus semper impellit in bonum finem, gloriam scilicet Dei absq; finis alicuius mali aut obliqui permixtione. Cum enim b *vniuersa propter semetipsum operatus sit Dominus*, ob suam scilicet gloriam; ita quicquid ipse inspirat, ad eandem tendit; & quicquid est contra hoc, proficiscitur à malo Spiritu, hoste diuinæ gloriæ, qui semper quærit quod sibi est proprium in honore aut voluptate. Ex quo fit vt deuotio & lætitia, quam adfert bonus Spiritus tota sit Dei, & ipsi Deo referatur accepta; ac propterea Apost. eam appellat c *gaudium in Spiritu S.* Quia ab eo proficiscitur, & eum habet pro suo scopo & fine vltimo, quia de solo illo gaudet, quod Spiritui S. placet; & gaudet, in eum finem, vt eidem placeat: ad illud ipsum nos exhortatur, idem Apostol. cum ait: d *gaudete in Domino, semper.* & Dauid idem suadet dicens: e *delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* quæ delectatio, si sit finis principalis sui ipsius, non erit ab Spiritu diuino, sed proprio, carnali ac sensuali, qui etiam alitur & fouetur rebus spiritualibus, & afficitur in Deum (vt ait Richardus) non quod illum amet, sed quod eius dulcedine delectetur, cuius indicium

a *Mat. 6.22.*
b *Prou. 16. 4.*
c *Rom. 14. 17.*
d *Philip. 4. 4.*
e *Psal. 36. 4.*

est *si tam diu duret dilectio quamdiu durat dulcedo.* qua dulcedine perdurante, magna est in homine promptitudo ad currendam viam mandatorum Dei, eiusq; consiliorum; sed ea subtracta, deficit amor & promptitudo illa, omnisq; eius obedientia, deficiente scilicet fine & motiuo eius. propter eandem causam, non censebitur esse Dei dulcedo illa atq; deuotio, quæ vt finem respicit, hominibus placere. cuius indicium erit si extollatur in publico, quando ab hominibus videtur, in secreto verò marcescat: aut si laudibus dilatatur, contemptu vero arctatur, aut si eam quærat petatq; à Deo cum aliqua perturbatione, anxietate aut impatientia, conquerendo & turbando seipsum si differatur, aut negetur, aut subtrahatur, signum est enim spiritum proprium hic partem habere, seipsum potius quærentem quam ipsum Deum.

Richard. in Cant. cap. 6

IDEM bonus spiritus semper comitem habet pretiosissimum alterum oculũ qui est discretionis, quo ordo rectaq; dispositio adhibetur in omnibus, quæ inspirat: vt .n. ait. Apost. f. *omnia quæ sunt à Deo,* rectè *ordinata sunt,* ita vt si g *nos introducat in cellam vinariam.* scil. affectuum, statim *ordinet nobis charitatem,* quæ illorum est dux: ibi.n. maximas fraudes potest hostis pertexere, conuertendo scil. spiritualem amorem in sensualem, ob eius inordinationem. Quamobrem dicere solebat quidam in his valde exercitatus (vt refert Gerson) nihil sibi esse adeo suspectum, atq; ipsum amorem, etiam cum est de rebus diuinis. Nã (vt ait S. Augustinus) dulcedo est soror amoris, sensualitas verò alitur dulcedine. ex quo multæ inordinationes proueniumt, non solum si accipiatur tanquam finis; sed si etiam tantum de eo vino quis hauriat vt inebriatus bonum eius vsum amittat, aut si nimiam carnis debilitationem efficiat, ex qua deficiat spiritus, aut adeo eidem adhæreat, vt occupationum suarum ordinem peruertat, deserendo scil. ea opera quæ sunt obligatoria, aut maioris perfectionis, vt affectu dulci fruatur, aut cupiendo statim ad supremum culmen peruenire, non transeundo per infimum, magisq; necessarium. Ideoq; eo interdum peruenit, vt iudicium ipsum amittat, & in Spiritus phrenesin incidat, quod totum prodit malignum spiritum, à quo procedit; qui ingressus cum huiusmodi ignorantibus in cellam vinorũ Dei, abstulit illis discretionem, conuertens (vt ait S. Bern.) eorum feruorem in furorem, bonosq; eorum affectus in prauos.

Richard in Cant. c 17.
f Rom. 13. 1.
g Cant. 2 4
Supra, & Tract. de simpl. cordis notula. 19. parte. 3.
Lib. 3. Confessionum.
Richardus supra.
Gerson tractatu de pusillanimit. part. 3.
Serm 33. in Cant.

3.

Ex quo fit, vt in Dei impulsib. & motib. (vt insinuat Gerson) simul eluceant tria precipua ipsius attributa, bonitas sc. sapientia & omnipotentia. Bonitas, quia semper inducunt ad id quod est bonũ, licet non statim ad id quod est magis perfectũ. Sapientia, quia (vt in libro Iob dicitur) h *inspiratio omnipotentis dat intelligentiam* mysteriorum videl. & omniũ illorum, quæ ad nostram salutem spectant, in quo tamen non cæcè procedit, sed prudenter & per gradus suos, mouendo (vt ait S. Bern.) primum affectus, & oscula pedum

In Cẽtilogio de impulsib. & Tract. 8. super Magnificat. impulsus est benignus luminosus & virtuosus.
h Iob. 32. 8

nia à veritate & virtute, nec firmitatem habent nec stabilitatem in ijs quæ dicunt, sed inclinant ad vanitatem mundi & carnis sensualitatem, suntq; esca bestiarum, hominum scilicet bestialibus carnis suæ appetitionibus deditorum, quæ etiam instar paleæ fouet ignem cupiditatum eorundem. Verba autem Dei sunt sicut triticum, quia nutriunt & confortant Spiritum solidis veritatibus & virtutibus: Ideoq; in bonam terram seminata, proferunt copiosum bonorum operum fructum. sunt etiam sicut ignis, quia fide illuminant, & amore inflammant, contritione purificant, contemplatione ad cœlum extollunt, alijs ex zelo communicantur, vruntq; & consumunt quicquid est palea, dissoluendo præsentia sua omnes imaginationes & somnia Spiritus mali. Sunt deniq; sicut *malleus conterens petras*, quia flectunt duritiem cordis, iudicij pertinaciam, carnis rebellionem, & passionum eius veritatem; & vt ignis & malleus ferrum molliunt & flectunt, ita diuinis verbis flectitur & emollitur cor nostrum, vt excellentes virtutum figuras recipiat.

§. 4.

De puritate intentionis, ac discretione, quæ bonum spiritum comitatur.

VERITATIBVS & virtutibus, quæ duo sunt certa signa diuinarum inspirationum, coniunguntur intentio pura ac discretio, tanquam duo oculi, de quibus illud intelligitur, quod Christus D.N. dixit: a *si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam*, duplexq;, *totum corpus tuum tenebrosum erit*, ac turpe. ac proinde sunt certa indicia, ad discernendum Spiritum bonum à malo. Nam primùm, Spiritus bonus semper impellit in bonum finem, gloriam scilicet Dei absq; finis alicuius mali aut obliqui permixtione. Cum enim b *vniuersa propter semetipsum operatus sit Dominus*, ob suam scilicet gloriam; ita quicquid ipse inspirat, ad eandem tendit; & quicquid est contra hoc, proficiscitur à malo Spiritu, hoste diuinæ gloriæ, qui semper quærit quod sibi est proprium in honore aut voluptate. Ex quo fit vt deuotio & lætitia, quam adfert bonus Spiritus tota sit Dei, & ipsi Deo referatur accepta; ac propterea Apost. eam appellat c *gaudium in Spiritu S.* Quia ab eo proficiscitur, & eum habet pro suo scopo & fine vltimo, quia de solo illo gaudet, quod Spiritui S. placet; & gaudet, in eum finem, vt eidem placeat: ad illud ipsum nos exhortatur, idem Apostol. cum ait: d *gaudete in Domino, semper.* & Dauid idem suadet dicens: e *delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* quæ delectatio, si sit finis principalis sui ipsius, non erit ab Spiritu diuino, sed proprio, carnali ac sensuali, qui etiam alitur & fouetur rebus spiritualibus, & afficitur in Deum (vt ait Richardus) non quod illum amet, sed quod eius dulcedine delectetur, cuius indicium

a Mat. 6.22.

b Prou.16.4.

c Rom. 14.17.

d Philip. 4.4.

e Psal.36.4.

est *si tam diu duret dilectio quamdiu durat dulcedo.* qua dulcedine perdurante, magna est in homine promptitudo ad currendam viam mandatorum Dei, eiusq; consiliorum; sed ea subtracta, deficit amor & promptitudo illa, omnisq; eius obedientia, deficiente scilicet fine & motiuo eius. propter eandem causam, non censebitur esse Dei dulcedo illa atq; deuotio, quæ vt finem respicit, hominibus placere. cuius indicium erit si extollatur in publico, quando ab hominibus videtur, in secreto verò marcescat: aut si laudibus dilatatur, contemptu vero arctatur, aut si eam quærat petatq; à Deo cum aliqua perturbatione, anxietate aut impatientia, conquerendo & turbando seipsum si differatur, aut negetur, aut subtrahatur, signum est enim spiritum proprium hic partem habere, seipsum potius quærentem quam ipsum Deum. *Richard. in Cant. cap. 6*

Idem bonus spiritus semper comitem habet pretiosissimum alterum oculũ qui est discretionis, quo ordo rectaq; dispositio adhibetur in omnibus, quæ inspirat: vt .n. ait. Apost. f *omnia quæ sunt à Deo,* rectè *ordinata sunt,* ita vt si g *nos introducat in cellam vinariam.* scil. affectuum, statim *ordinet nobis charitatem,* quæ illorum est dux: ibi.n. maximas fraudes potest hostis pertexere, conuertendo scil. spiritualem amorem in sensualem, ob eius inordinationem. Quamobrem dicere solebat quidam in his valde exercitatus (vt refert Gerson) nihil sibi esse adeo suspectum, atq; ipsum amorem, etiam cum est de rebus diuinis. Nã (vt ait S. Augustinus) dulcedo est soror amoris, sensualitas verò alitur dulcedine. ex quo multæ inordinationes proueniumt, non solum si accipiatur tanquam finis; sed si etiam tantum de eo vino quis hauriat vt inebriatus bonum eius vsum amittat, aut si nimiam carnis debilitationem efficiat, ex qua deficiat spiritus, aut adeo eidem adhæreat, vt occupationum suarum ordinem peruertat, deserendo scil. ea opera quæ sunt obligatoria, aut maioris perfectionis, vt affectu dulci fruatur, aut cupiendo statim ad supremum culmen peruenire, non transeundo per infimum, magisq; necessarium. Ideoq; eo interdum peruenit, vt iudicium ipsum amittat, & in Spiritus phrenesin incidat, quod totum prodit malignum spiritum, à quo procedit; qui ingressus cum huiusmodi ignorantibus in cellam vinorũ Dei, abstulit illis discretionem, conuertens (vt ait S. Bern.) eorum feruorem in furorem, bonosq; eorum affectus in prauos.

Richard. in Cant. c 17.
f *Rom.* 13. 1.
g *Cant.* 2 4
Supra, & Tract. de simpl. cordis notula. 19. parte. 3.
Lib. 3. Confessionum.
Richardus supra.
Gerson tractatu de pusillanimit. part. 3.
Serm 33. *in Cant.*

3.

Ex quo fit, vt in Dei impulsib. & motib. (vt insinuat Gerson) simul eluceant tria precipua ipsius attributa, bonitas sc. sapientia & omnipotentia. Bonitas, quia semper inducunt ad id quod est bonũ, licet non statim ad id quod est magis perfectũ. Sapientia, quia (vt in libro Iob dicitur) h *inspiratio omnipotentis dat intelligentiam* mysteriorum videl. & omniũ illorum, quæ ad nostram salutem spectant, in quo tamen non cæcè procedit, sed prudenter & per gradus suos, mouendo (vt ait S. Bern.) primum affectus, & oscula pedum

In Cẽtilogio de impulsib. & Tract. 8. super Magnificat. Impulsus est benignus luminosus & virtuosus.
h *Iob.* 32. 8

erm. 50 in Cant. est affectio quam natura gignit & quam sapientia condit. Christi,mox manuum, ac deniq; eius diuini vultus. Omnipotentia eminet in efficacitate, qua mouet ad executionem operis, qui enim dat velle,dat quoq; perficere quod ille voluit, vires & facultates ad id mira iucunditate præbendo.Nam vt ait idem S.Bern.affectus qui à ratione procedit, est fortis,sed siccus;qui autem à diuina sapientia, simul est suauis & fortis.

ATQVE hinc prouenit quod spiritus,cum sit discretus ac moderatus,ordinariè non moueat nisi ad res ordinarias, & cuiusq; viribus sine miraculis accommodatas, ducendo nos per vias rectas,planas, & tritas,ac propterea securiores quam sint extraordinariæ & inusitatæ, in quibus maiora insunt pericula, & malignus Spiritus maiores tentat assultus. Nam cum Deus auctor sit viæ huius ordinariæ ad cælum, per quam maiores nostros deduxit, *Prou.22.28.* inspirat nobis, vt per eandem incedamus, i *nec transgrediamur terminos antiquos,quos posuerunt* & triuerunt *Patres nostri.* Dæmonis autem Spiritus inducit ad hos terminos transgrediendos, instigando ad res nouas, curiosas, singulares, prodigiosas, & inusitatas, quæ admirationem afferant,& stuporem mundo,ad consequendum honorem Sanctitatis.Sed quoniam Spiritus S.interdum etiam extraordinaria inspirat, non erit abs re aliqua documenta & indicia proponere, ad hos impulsus dignoscendos, petendo demissè à *Cant.1.7.* Deo D.N. auxilium verbis illis Sponsæ : supreme Pater k *qui pascis & cubas* cum tuis ouibus *in meridie,*in eminenti scil.luce & Spiritus feruore,coniunge,quæso in me feruorem & lucem, ne vel tepidus vel vagus incedam,sequens impetus falsorum & malorum spirituum,qui se fingunt *sodales tuos.*

§. 5.

De impulsibus & inspirationibus ad res extraordinarias.

1. EX quatuor his indicijs boni Spiritus,licet quintam regulam deducere, qua cognoscamus,quem seruet stylum,cum ad res extraordinarias incitat : præmittendo huiusmodi inspirationes varijs modis euenire: modò certum reddente ipso Deo D. N. internè, suas esse inspirationes, nullo dubietatis ea de re vestigio relicto. Quo modo loquebatur Deus cum Prophe- *2.2. Q. 171. art.5.* tis,resq; huiusmodi illis inungebat,sicut probat S.Thomas exemplo Abrahami,quem iussit sacrificare filium suum Isaac; quæ res primo intuitu videbatur contra legem naturalem; sed ita certum ac securum internè eũ reddidit,quod ipse esset,qui hoc iuberet,& quod tanquam Dominus absolutus vitæ omnium hominum, poterat iubere offerri sibi, non solum animalia, sed etiam propriũ ipsius filiũ, vt mox absq; excusatione id fuerit aggressus. Aliàs similia solet inspirare impulsu quodã & instinctu interno adeo vehementi, vt cor ipsum rapiens, faciat magna cum securitate exequi quod inspirat;sicut aliquibus virginibus & martyribus inspirauit, vt sese in ignem proijcerent antequam eas proijceret carnifex. Sed non sunt hæ inspiratio-

nes,

nes, tanquam regula accipiendæ eius quod sumus facturi; nec exempla hæc sunt imitanda sed admiranda, & laudandus Deus in sanctis suis & operibus suis. opus est autem magna attentione in rebus huiusmodi. Nam Dæmon, qui instar simiæ, vult imitari quod facit Deus, hinc accipit occasionem ad ignorantes & superbos decipiendum, eos permouens ad res rationi contrarias, fingens quod Deus cum ipsis dispenset, & interna illa inspiratione potestatem faciat ad ea exequenda. Et hoc modo refert Cassianus dæmonẽ ꝑsuasisse cuidã Monacho, vt proprium filium quem apud se habebat, decollaret, quo Abrahami sanctitatem imitaretur. Quod facinus fuisset executus, nisi puer videns parentem acuere gladium, timensq; tale quid attentaturum, fugiens euasisset. Et quibusdam etiam Hęreticis (vt refert S. August.) persuasit vt se præcipites darent, aut se in ignem conijcerent, vt Martyres euaderent. Alijs quoq; miserrimè persuasit grauia, inhonesta peccata, fingens Deum dispensare cum illis, sicut iussit Prophetam Oseam a *sumere sibi vxorem fornicationum.*

Collat. 2. c. 7.

Tract. 51. in Ioannem.

a *Oseæ 1, 2*

2\. Vt ab his fraudibus liberemur, oportet intelligere, veritatem ac puritatem huiusmodi inspirationum desumendam esse ex finibus ad quos diriguntur, maioris sc. gloriæ Dei, profectus spiritualis eius cui immittuntur, ædificatione Ecclesiæ, & vtilitate proximorum. aliquando diriguntur ad ꝓbandam fidelitatem & obedientiã ipsius iusti, sed tunc præsupponitur esse raræ sanctitatis, qualis erat Abrahã. Neminem enim Deus plus onerat, quàm ferre possit: nec probationes extraordinarię sunt necessariæ, nisi ad virtutes extraordinarias manifestandas. Ex quo fit, quod huiusmodi probationes in hominibus imperfectis sint à Dæmone, quærente illorum perniciem. Aliàs eædem probationes diriguntur ad eripiendum iustum ab aliqua extraordinaria tentatione, & peccandi periculo, sicut S. Benedicto inspirauit, vt se in vepribus tam diu volutaret, dum lacerato corpore, voluptatis sensus, ad quem Diabolus ardentes faces subiecerat, dolore opprimeretur. Et Sancto Martiano, vt se proijceret in mare, ne solus maneret cum quadam virgine in rupe, quæ erat in mari. Apparuit autem eam fuisse Dei inspirationem ex eo, quod statim accurrerint Delphines, qui ipsum supra dorsum ad terram deducerent. Ex quo apparet fraudem esse Dæmonis quamcunq; suggestionem ad sensuales voluptates. Semper enim Deus inspirat, vt eas fugiamus, nec vnquam dispensauit, aut dispensaturus est, vt quis illas sequatur. imò potius si in aliquo dispensat, id facit ad eas fugiendas. Quod si iussit Oseam ducere quandam fornicariam, non id fuit ad illum ad voluptates inclinandum, sed potius ad mortificandum, inito matrimonio alias licito, sed valde contrario ipsius honori & voluntati, vt rudi plebi hoc opere prophetizaret, quod verbo assequi non poterat.

3\. Alias Dominus noster mittit huiusmodi inspirationes, ad declarandam

gratiæ suæ efficacitatem & fortitudinem animi, quã seruis suis dare potest, sicut inspirauit aliquib. Martyrib vt se in flammas conijcerent, præueniẽtes manus Carnificum, qui eos proijcere volebant. Hoc facto confundentes & pudore afficientes Tyrannorũ crudelitatem, & simul erigendo aliorum fidelium, qui præsentes aderant, debilitatem. Verum rari sunt huiusmodi casus, & quando mors alias non poterat euitari; alioquin erunt illusiones Dæmonis, vt eò citius trahat eos in infernum, qualis fuit Monachi illius Heronis, cui (vt refert Cassianus) persuasit, proijcere se in profundissimum puteum. Ex quo etsi viuus euasit, non tamen deceptionem agnouit, sed mortuus est postea pertinax in sua deceptione & errore.

Collat. 2. c. 5.

4. DENIQVE Deus ad suã gloriam manifestandam, inspirare solet varios vitæ extraordinariæ modos in ieiunijs, recollectione, & asperitatibus, sicut legimus in Historijs S. Antonij, Simonis Stilitæ, & quem vocarunt Salo siue stultum, & S. Catharinæ Senensis & aliorum huiusmodi; sed ordinariè non mittit huiusmodi inspirationes nisi ijs, quorum opera vti velit ad multas animas conuertendas, vtendo tali forma vitæ, tanquam stupendo prodigio, ad eas trahendas in suum obsequium. Qualis fuit vita magni Baptistæ, qui etsi nullum esset facturus miraculum, eius tamen vita fuit quoddam continuum miraculum, ad populum Hebræum conuertendum. Quare raræ sunt iudicandæ inspirationes Dei, quas illæ personæ habent, quæ proprio tantum profectui attendunt, nisi adsint simul indicia, de quibus mox dicemus.

§. 6.

De inspirationibus ad res bonas generatim.

Processu 7. Relig c. 9.

SEXTA regula est de inspirationib. quæ solum nos mouent ad res bonas generatim. Nam vt ait S. Bonauentura, Dn. Deus noster interdum inspirat in particulari, quod vult nos facere; interdũ solum in genere inspirat, vt ipsius maiorem gloriam & voluntatis eius beneplacitum, & Christi Domini imitationem quæramus. Nec raro tamen euenit, vt cum hęc desideria perfectionis à Deo inspirentur, applicatio tamen ad particularia sit dæmonis, aut spiritus proprij. Sicut euenit Iephte, de quo refert scriptura, quod a *factus sit super Iephte spiritus Domini, & votum vouit Domino dicens: si tradideris filios Amon in manus meas, quicunq; primo fuerit egressus de foribus domus meæ, eũ holocaustum offeram Domino, cui reuertenti in domum suam occurrit prima vnigenita filia sua, quam obtulit in sacrificium sicut vouerat* se facturum. in quo tamen grauissimè errauit. Nam esto votum in genere factum fuisset inspiratio Dei applicato tamen illius voti ad rem particularem quam obtulit, fuit à proprio spiritu; secutus enim iudicium proprium non consuluit (vt ait Sanctus Ambrosius) sapientes, qui exemplo Abrahæ deprehendissent, Deum non gaudere aut delectari sacrificio, in quo sanguis humanus

a Isa. 11.29.

S. Tho. 2. 2. q. 88. a. 2. ad 2.

Lib de Virg. circa medium.

effunditur. In hunc modum multæ illusiones eueniunt piis aliquibus personis, quibus Deus inspirat sancta desideria pœnitentiæ, ieiunij, orationis & mortificationis, quæ confidentes ea desideria & inspirationes à Deo esse, aliqua particularia exequuntur, vt eis respondeant, instigatæ à proprio spiritu & feruore indiscreto, aut à Dæmone, quem Dauid b *meridianum* appellat. Qui (vt ait S. Bernardus) transfigurat se in Angelum lucis claræ ac feruentis, tanquam meridiei, ad decipiendum feruentes, conuertendo feruorem in furorem, vt sine iudicio aggrediantur ea, quæ ipsorum vires excedunt, credentes talia sibi à Deo inspirari. Ita ait Cassianus successisse Abbati Ioanni, qui magna anxietate cupiebat ieiunare, & cùm esset debilissimus, ieiuniũ protraxit ad duos continuè dies, quibus elapsis apparuit illi dæmon in figura AEthiopis, dicens illi; parce mihi, Abba, ego enim te induxi in hoc laboriosum ieiunium. quod ille fecit, vt Abbas nimium debilitatus, aut citiùs moreretur, aut aliis rebus maioris momenti & obligatoriis deesset. Et eadẽ ratione euenire potest, vt religionis amplectendæ desideria sint à Deo, determinatio verò ad hanc religionem particularem, sit ab spiritu proprio, ob aliquem finem humanum. Ex quo fit, vt quando inspiratio solum fuerit in genere de sequenda virtute, signum est Deum velle, vt in particulari suppleamus nos quod illi deest lumine rationis, & fidei, & consultatione cum ipsius ministris. Sicut inspirauit Saulo conuersionem, non addens particularia quæ illum concernebant, sed iubens eum ire in ciuitatem, vbi auditurus esset, quod oporteret ipsum facere, sicut postea per Ananiam dictum est illi.

Tract. 4. c. 11 fusius de hoc dicetur.

b *Psal.* 90 6

Serm. 33. *in Cant.*

Col. 1. cap. 21

Ex prædictis omnibus sequitur, ad integrè cognoscendas inspirationes Dei, non esse oculos conijciendos solùm in generalia virtutis desideria, sed in ea particularia, quæ inspirantur, attendentes ad qualitatem personæ, locum, ac tempus, & cæteras circumstantias. Nam aliqua pœnitentiæ forma, quæ in sæculari homine, aut in viro forti esset inspiratio Dei, in viro religioso qui ex instituto suo, aliam formam habet, aut in homine debili, erit illusio dæmonis, & in vno eodemque homine potest nunc esse deceptio proprij spiritus, quod alio tempore fuit motio Spiritus Sancti. contingere enim potest, vt eius spiritus assuetus diuinis inspirationibus gignat aliqua colloquia illis similia. Et ea sequitur, atque si essent à Deo, non satis ad id attendendo. Sicut ait sanctus Gregorius de Prophetis, qui quod valdè frequenter sentiant diuinos impulsus, interdum respondent aliquid ex proprio Spiritu, sicut ait euenisse Nathan prophetæ; qui interroganti Dauidi, num ipsi templum Dei ædificare aggrediendum esset, respondit: c *omne quod est in corde tuo, vade & fac:* cui tamen paulò post Deus contrarium reuelauit. Agens enim candidè rectaque intentione, dignus est, cui Deus fraudem ac deceptionem retegat; imò ipsa postea experientia eundem ab errore libe-


2 Dial 21. *& Hom* 1. *in Ezech.*

c 2 *Reg.* 7. 3 *S. Tho.* 2. 2. *q.* 171 *a.* 5.

rat, ob diſcrimen, quod obſeruat inter hos & illos inſtinctus, vt mox videbimus.

CAPVT XXIV.

DE ALIIS REGVLIS ET MAGIS PARTICVLAribus indiciis boni ſpiritus, ex admirandis eius effectibus.



QVIA prædictæ ſex regulæ & indicia boni Spiritus, valdè ſunt generalia, ad inſtitutum noſtrum erit, ſex alias regulas magis particulares valdeque vtiles proponere.

1. | egula 1. | : inſpira- | onibus | i ſuperio- | animæ | irte.

QVARVM fundamentum erit hoc primum, quod ſolius Dei ſit proprium immittere bonas cogitationes ſanctoſque effectus, abſque aliquo medio, in partem animæ ſuperiorem. quam ſpiritum aut mentem appellamus, alij mentis apicem vel fundum ſpiritus; quod tamen reipſa nihil eſt aliud, quam ipſæmet potentiæ animæ ſpirituales, memoria ſcilicet, intellectus & voluntas. quarum actus realiter ac verè ſunt ipſæ illuſtrationes, inſpirationes, alloquia, reuelationes, & conſolationes, quas Deus in nobis ipſis operatur, vtens ipſis potentiis, tanquam inſtrumentis ad talia opera. quod quidem ſolus Deus immediatè facere poteſt non vtendo inferioribus aliis potentiis. Nam (vt ait S. Thomas) tanta ſpiritus noſtri nobilitas, tanta noſtræ voluntatis ingenuitas, vt ſolum creatori ſuo, à quo eſſe habet & inclinationes, ſubiecta ſit. Et ſolus ille infundere poteſt intellectui lumen fidei, eumque ſine alio medio illuſtrare lumine quodam ſuperiore, quod velociter tranſit, ſicut eſt prophetia, quæ eſt mere intellectualis. Ad ipſum pertinet, ita memoriam rapere, vt fixa ſit in ſolo ſuo conditore, oblita omnium creaturarum, ſolus ipſe infundit habitus virtutum ipſi voluntati, poteſtque eam inclinare, vt nunc velit quod ante horrebat, aut omninò non volebat, etiamſi nulla alia cauſa ipſum excitans præcedat.

q 105. a. & 4. | q. 106. a | & q 111. | 2. & 1. 2. | 9. a. 6.

QVARE Dæmon non poteſt vno impetu in ſpirituales has potentias intrare: eius enim poteſtas limitata eſt ad partem inferiorem animæ noſtrę, quam appellamus imaginationem & appetitionem, in quam poteſt ipſe vehementes imaginationes iaculari, mouendo corporis humores, & ſpecies ſiue figuras rerum, quę per ſenſus eam ſunt ingreſſa, vt reuocet in memoriam aliquid, quod excitet acuatque affectus & paſsiones, quas ipſę intendit, & ita facilè illi eſt imitari alloquia & ſenſa boni ſpiritus, quæ fiunt in imaginatione per figuras & repræſentationes internas, poteſtque efficere deuotionem ac teneritudinem ſenſibilem, lacrymas, & cæteros affectus, qui ab his corporis potentiis exercentur. Et ex hac parte genus illud ſenſuum interno-

q. 111. a 3

ternorum, qui in intima & suprema parte spiritus exercentur non se immiscente parte inferiore, securiores sunt & nobiliores: quomodo prophetia, quæ fit sola visione intellectuali, excedit (teste sancto Thoma) eam, quæ est cum visione imaginaria, sicut postea videbimus. 2.2.q.174. a 2.

AFFECTVS quos magis ordinariè Deus efficit in his potentiis spiritualibus, fusè tractat S. Bonauent. omnes tamen ad eos reducuntur qui supra c. 20. & 21. sunt positi. qui cum percipiuntur in corde, idq; de repente, nulla præcedente causa quæ illos excitet, sunt inspirationes Dei, cuius est creaturas suas per seipsum consolari, quando & sicut vult. Processꝰ 3. Relig. Trac. 1. c. 9.

2. HINC sequitur duo esse genera consolationum & gaudiorum internorum, quæ has inspirationes comitantur. Quædam enim incipiunt à superiori animæ parte, & inde descendunt ad inferiorem; & hæ semper sunt à Deo, iuxta illud Dauidis: a *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum*: significans exultationem propriam Dei viui & veri incipere solere à corde, & inde communicari carni. Aliæ delectationes à carne incipiunt, & à parte inferiori animæ, & inde ad spiritum & partem superiorem ascendunt; & hæ possunt à bono & à malo spiritu prouenire. Sed qui à malo sunt, solent semper incipere cum imaginariis repræsentationibus, & humorum commotionibus, quod mirificè explicuit sanctus Diadochus Episcopus Photicensis his verbis: Qui voluerit discernere veram delectationem Spiritus sancti; à falsa dæmonis, intelligat Dei gratiam habitare, & operationem suam habere in profundo Spiritus; dæmonis autem ambulare in circuitu, & in suburbiis cordis: quare si anima absque aliqua corporea figura, motu tamen certo & stabili, inflammatur & mouetur ad amandum Deum, tanta vi & vehementia, vt videatur corpus ipsum post se trahere, vt particeps fiat tanti illius amoris, idque tanta attentione, vt non posit tunc de re alia cogitare, signum est Spiritum sanctum in eo agere, cuius est ineffabilis illa lætitia, qua tunc fruitur. Quod si bonis illis cogitationibus, fœdæ aliæ ac inanes immisceantur, quæ lætitiam quoque afferant, timendum est, ne lætitia illa, quam tunc sentit, non sit pura nec interna Spiritus, sed opus sit Dæmonis, qui per eam conatur decipere, quos viderit inaniter elatos, ob consolationes alias à Deo acceptas. Hæc sanctus Diadochus, quod ea moderatione intelligendum est, quam §. 2. subijciemus. a Psal. 83. 3 Lib de præfect. spirit. c. 33.

3. Ex dictis etiam constat, personas ex constitutione sua melancholicas, & suis imaginationibus immersas, esse valdè subiectas illusionibus dæmonis, & proprij sui Spiritus, facileque errare, iudicantes verba & alloquia Dei esse quæ verè sunt dæmonis, aut propriæ imaginationis figmenta. Euenit namque illis, quod ægroto somnianti, existimat enim reipsa geri, quod dormiens imaginatur. & vt S. Bonauent. ait, hi eo perueniunt, vt Proces. 7 Relig c. 18.

phanta-

phantasticas habeant visiones, quæ prognostica sunt phrenesis potiùs, quam veri spiritus. Et propterea dixit Sapiens: b *sicut parturientu, cor tuum phantasias patietur, ne dederis in illis cor tuum;* nec ab illis trahi te patiaris: *multos enim errare fecerunt somnia, & exciderunt sperantes in illis.* Eidem porrò periculo expositi sunt nimis affectuosi, & qui magno impetu in suas actiones feruntur, & qui tenerè facileque lacrymas fundunt. Fouet enim Dæmon humores, ad hos effectus excitandos, vt inanis homo reddatur, & affectus euanescant. Et vt minimum, quod naturale est credunt esse deuotionem, & externis hisce contenti, incurij sunt in rebus maioris momenti. Quamobrem hæc duo hominum genera, meritò cautiùs viuent, siquidem maiori sunt expositi periculo. Qui verò sunt animo virili, & conditione magis affabili & quieta; ac suprà affectus sentientis appetitus, magis sunt expediti ab his illusionibus, magisque sunt certi, quod boni ipsorum sensus sint Dei, qui eos in superiore sui spiritus parte operatur.

b *Eccl* 34.6.

§. I.

De spirituali dulcedine, quam bonus affert spiritus.

Secunda regula de spirituali sapore inspirationum.

SECVNDA regula (licet subtilis & paucis cognita) est, quod inspirationes, reuelationes, & alloquia Dei afferre secum soleant spiritualem quendam saporem, quem soli viri valdè spirituales, & in familiaritate interna valdè exercitati percipiunt, & ex eo agnoscunt alloquia illa esse Dei, eaque ab ijs discernunt, quæ Dei non sunt. Vt enim singulæ personæ, specialem propriamque habent figuram, facieique Physiognomiam ac vocis proprium sonum, formamque loquendi, ex qua ab iis dignoscuntur, qui frequenter cum iis agunt; & sic, vt quisque cibus proprium habet saporem, ex quo dignoscitur ab eo, qui gustatum non habet deprauatum. Propterea enim dixit Iob: a *Nonne auris verba dijudicat & fauces comedentis saporem?* Sic Deus non aliam seruat rationem, dum format in anima suiipsius figuram, talemque modum loquendi ad cor, cum vocis adeò diuino tono communicando talem modum saporis spiritualis, vt per eum agnosci se faciat ab eis, qui familiariter cum ipso agunt. Sicut Apost. Christum nouerant, cum eis diceret: b *ego sum.* Et Magdalena, quando Christus c *dixit ei, Maria.* Hoc documentum posuit S. Greg. cum dixit, Sanctos discernere inter illusiones & reuelationes, & inter voces & imagines internas, intimo quodam sapore, quo cognoscant quod à bono spiritu accipiunt. & quod à malo per eius industriam patiuntur. & S. Diadochus addit, sensum spiritus esse perfectum quendam gustatum, quo ille discernit inter res internas. & quando sanus est, & à nimiis curis expeditus, sentit consolationes diuinas, & non decipitur à contrariis, iuxta illud Dauidis; d *gustate & videte, quoniam suauis est Dominus.*

a *Iob* 12.11.
b *Matt.* 1. 4 27.
b *Ioa* 6.20.
c *Ioa* 20 16
Lib. 4 *Dial.* c. 48 & l. 8. *Mor.* c 13
Gers. Tract. de dist. verar reuel. sig 4.
Lib. de perfect. special. c. 36
d *Psal.* 33.9.

Et propterea Apost. dixit: c *Hoc oro, vt charitas vestra magis ac magis abundet in scientia & in omni sensu, vt probetis potiora,* significans ex eo sensu & cognitione practica rerum diuinarum prouenire, vt approbetur quod potius est ac perfectius, & non sit locus deceptioni spiritus mali. Et S. August. de matre sua S. Monica refert, quod cùm oraret Deum, vt sibi manifestaret suam voluntatem, circa Matrimonium filij sui, de quo agebatur, sentiebat intra se ipsam visiones quasdam & repræsentationes, ad quas ducebatur impetu sui proprij spiritus, qui de negotio illo erat solicitus; quas visiones (ait S. Aug.) mihi referebat, non ea securitate, quam habere consueuerat, cùm Deus illi aliquid reuelabat: quin potiùs eas contemnebat dicens, se nescio quo sapore, quem verbo explicare non posset, intelligere magnum esse discrimen inter Dei reuelationes & somnia, siue phantasias animæ suæ. Denique sicut infans, instinctu solo naturæ, faciem vocemque matris agnoscit, & cum ea lætatur: Ita anima assueta huic familiaritati cum Deo, supernaturali quodam gratiæ & lucis diuinæ instinctu, agnoscit veras visiones & alloquia Dei, exultatque in illis. Nullus tamen, quis sit ille sapor, agnoscet, qui non eum delibauerit: & postquam delibauerit, deerunt adhuc illi verba, quibus eum alteri manifestet. Idem etiam dicit S. Basil. & Cassian. de suauitate & lætitia spirituali, quam Dominus noster communicat iis, qui mundo sunt corde: sicut nullus benè potest cognoscere mellis dulcedinem nisi gustauerit; & qui gustauit, non poterit satis illam declarare nisi per ambages, & similitudines cum aliis cibis dulcibus, quos comederit, aut per aliquos effectus, quos efficit in comedente. Et hac ratione possunt manifestari inspirationes, & alta Spiritus Sancti sensa, manifestando scilicet illorum effectus.

c *Phil. 1. 9.*

Lib. 6. conf. c. 13.

Hom. in id Psal. 33. gustate & videte.

Col. 12. c. 11

§. 2.

De octo humilitatis actibus.

INTER hosce effectus est valdè proprium boni spiritus, efficere in anima saporem humilitatis veræ, valdeque fundatæ in intimo cordis: quam vel solam, si benè agnosceremus (ait Gerson) sufficiens esset boni spiritus indicium: sicut superbia & vana gloria certum est indicium spiritus mali. Et propterea dixit sanctus Bernardus animam diuino spiritu plenam, habere sua euidentissima signa, veritatem & humilitatem, quæ cùm simul in ea conueniunt, dat sufficiens testimonium præsentiæ Spiritus sancti. Quamuis autem humilitas multos actus habeat, subijciam eos, qui à Dei visitatione proueniunt.

3 reg de veræ humilit. sapore.

Tr. ct. de dif. verar reuel signo 4. & 1.

S. Bern. Serm. 69. in Cant.

PRIMVS actus est, non desiderare res extraordinarias, non reuelationes, non raptus, non exercitia virtutis singularia & inusitata, quæ videntes in 1.

phantaſticas habeant viſiones, quæ prognoſtica ſunt phreneſis potiùs, quam veri ſpiritus. Et propterea dixit Sapiens: b *ſicut parturientis, cor tuum phantaſias patietur, ne dederis in illis cor tuum*; nec ab illis trahi te patiaris: *multos enim errare fecerunt ſomnia, & exciderunt ſperantes in illis.* Eidem porrò periculo expoſiti ſunt nimis affectuoſi, & qui magno impetu in ſuas actiones feruntur, & qui tenerè facileque lacrymas fundunt. Fouet enim Dæmon humores, ad hos effectus excitandos, vt inanis homo reddatur, & affectus euaneſcant. Et vt minimum, quod naturale eſt credunt eſſe deuotionem, & externis hiſce contenti, incurij ſunt in rebus maioris momenti. Quamobrem hæc duo hominum genera, meritò cautiùs viuent, ſiquidem maiori ſunt expoſiti periculo. Qui verò ſunt animo virili, & conditione magis affabili & quieta; ac ſuprà affectus ſentientis appetitus, magis ſunt expediti ab his illuſionibus, magiſque ſunt certi, quod boni ipſorum ſenſus ſint Dei, qui eos in ſuperiore ſui ſpiritus parte operatur.

b Eccl 34.6.

§. I.

De ſpirituali dulcedine, quam bonus affert ſpiritus.

Secunda regula de ſpirituali ſapore inſpirationum.

SECVNDA regula (licet ſubtilis & paucis cognita) eſt, quod inſpirationes, reuelationes, & alloquia Dei afferre ſecum ſoleant ſpiritualem quendam ſaporem, quem ſoli viri valdè ſpirituales, & in familiaritate interna valdè exercitati percipiunt, & ex eo agnoſcunt alloquia illa eſſe Dei, eaque ab ijs diſcernunt, quæ Dei non ſunt. Vt enim ſingulæ perſonæ, ſpecialem propriamque habent figuram, facieique Phyſiognomiam ac vocis proprium ſonum, formamque loquendi, ex qua ab iis dignoſcuntur, qui frequenter cum iis agunt; & ſic, vt quiſque cibus proprium habet ſaporem, ex quo dignoſcitur ab eo, qui guſtatum non habet deprauatum. Propterea enim dixit Iob: a *Nonne auris verba dijudicat & fauces comedentis ſaporem?* Sic Deus non aliam ſeruat rationem, dum format in anima ſuiipſius figuram, talemque modum loquendi ad cor, cum vocis adeò diuino tono communicando talem modum ſaporis ſpiritualis, vt per eum agnoſci ſe faciat ab eis, qui familiariter cum ipſo agunt. Sicut Apoſt. Chriſtum nouerant, cum eis diceret: b *ego ſum.* Et Magdalena, quando Chriſtus c *dixit ei, Maria.* Hoc documentum poſuit S. Greg. cum dixit, Sanctos diſcernere inter illuſiones & reuelationes, & inter voces & imagines internas, intimo quodam ſapore, quo cognoſcant quod à bono ſpiritu accipiunt, & quod à malo per eius induſtriam patiuntur. & S. Diadochus addit, ſenſum ſpiritus eſſe perfectum quendam guſtatum, quo ille diſcernit inter res internas. & quando ſanus eſt, & à nimiis curis expeditus, ſentit conſolationes diuinas, & non decipitur à contrariis, iuxta illud Dauidis; d *guſtate & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus.*

a Iob 12.11.
b Matt. 14. 27.
b Ioa. 6.20.
c Ioa 20 16
Lib. 4 Dial. c. 48 & l. 8. Mor. c 13
Gerſ. Tract. de diſt. verar. reuel. ſig 4.
Lib. de perfect. ſpecial. c. 36.
d Pſal. 33.9.

Et pro-

Et propterea Apost. dixit: c *Hoc oro, vt charitas vestra magis ac magis abundet in scientia & in omni sensu, vt probetis potiora,* significans ex eo sensu & cognitione practica rerum diuinarum prouenire, vt approbetur quod potius est ac perfectius, & non sit locus deceptioni spiritus mali. Et S. August. de matre sua S. Monica refert, quod cùm oraret Deum, vt sibi manifestaret suam voluntatem, circa Matrimonium filij sui, de quo agebatur, sentiebat intra se ipsam visiones quasdam & repræsentationes, ad quas ducebatur impetu sui proprij spiritus, qui de negotio illo erat solicitus; quas visiones (ait S. Aug.) mihi referebat, non ea securitate, quam habere consueuerat, cùm Deus illi aliquid reuelabat: quin potiùs eas contemnebat dicens, se nescio quo sapore, quem verbo explicare non posset, intelligere magnum esse discrimen inter Dei reuelationes & somnia, siue phantasias animæ suæ. Denique sicut infans, instinctu solo naturæ, faciem vocemque matris agnoscit, & cum ea lætatur: Ita anima assueta huic familiaritati cum Deo, supernaturali quodam gratiæ & lucis diuinæ instinctu, agnoscit veras visiones & alloquia Dei, exultatque in illis. Nullus tamen, quis sit ille sapor, agnoscet, qui non eum delibauerit: & postquam delibauerit, deerunt adhuc illi verba, quibus eum alteri manifestet. Idem etiam dicit S. Basil. & Cassian. de suauitate & lætitia spirituali, quam Dominus noster communicat iis, qui mundo sunt corde: sicut nullus benè potest cognoscere mellis dulcedinem nisi gustauerit; & qui gustauit, non poterit satis illam declarare nisi per ambages, & similitudines cum aliis cibis dulcibus, quos comederit, aut per aliquos effectus, quos efficit in comedente. Et hac ratione possunt manifestari inspirationes, & alta Spiritus Sancti sensa, manifestando scilicet illorum effectus.

c Phil. 1. 9.

Lib. 6. conf. c. 13.

Hom. in id Psal. 33. gustate & videte.
Col. 12. c. 12

§. 2.

De octo humilitatis actibus.

INTER hosce effectus est valdè proprium boni spiritus, efficere in anima saporem humilitatis veræ, valdeque fundatæ in intimo cordis: quam vel solam, si benè agnosceremus (ait Gerson) sufficiens esset boni spiritus indicium: sicut superbia & vana gloria certum est indicium spiritus mali. Et propterea dixit sanctus Bernardus animam diuino spiritu plenam, habere sua euidentissima signa, veritatem & humilitatem, quæ cùm simul in ea conueniunt, dat sufficiens testimonium præsentiæ Spiritus sancti. Quamuis autem humilitas multos actus habeat, subijciam eos, qui à Dei visitatione proueniunt.

3 reg de veræ humilit. sapore.
Tract. de dif. verar reuel signo 4. & 1.
S. Bern. Serm. 69. in Cant.

PRIMVS actus est, non desiderare res extraordinarias, non reuelationes, non raptus, non exercitia virtutis singularia & inusitata, quæ videntes in 1.

admirationem rapiunt. quin potiùs quantum in se est, totum hoc fugiat, contrarium desiderãs, sanctitatem collocans in efficiendis actionibus ordinariis, iuxta suum statum, modo quodam præcellenti ac amore & puritate extraordinaria.

2. SECVNDVS est, indignum se iudicare donis quæ accipit à Deo, nec sibi illa tribuens aut meritis & industriæ suæ, sed misericordiæ & liberalitati largitoris, admirans quod tanta Maiestas rationem aliquam habeat adeò vilis creaturæ, velitque se communicare vili adeò vermiculo, qualis homo est.

3. HINC tertius oritur actus, quando aliqua indicia, odorue aliquis adest extraordinariarum visitationum, repentè interdum venientium, aut præmissis aliquibus prænuntiis, statim humilitas in actum suum prorumpit, seipsam contrahendo, illasque recusando, aut periculum imminens timendo, Deoque Domino dicit, se tantis fauoribus dignam non esse, & malle se hic pati, quàm gaudere, & cum ipso in monte Caluario esse, quam ascendere ad montem Thabor.

4. QVARTVS est, non præsumere, aut seipsum extollere quasi sanctum propter id quod accipit, sed potiùs valdè timere, quod se videat maioribus obligationibus onerari; ac gemere propterea quod pro acceptis non satis respondeat: iudicans quicquid propter Deum faciat, parum esse, si cum eo quod debet, conferatur; & ob ingratitudinem dignum se esse, qui priuetur iis, quæ ex gratia sunt illi collata.

5. QVINTVS non præferre se aliis, aut illis meliorem se existimare, nec in corde suo illos despicere, nec cogitare se solum esse, cui Deus faueat & indulgeat, potiusque credere multos alios tales esse, & minimum se sanctiores, & virtutem habere solidiorem; sibi autem tanquam debiliori Deum magis indulgere.

6. SEXTVS est, occultare pro viribus dona sibi à Deo collata, & quod in se est, optare omnibus esse occulta, & quando necesse esset illa aperire suo confessario, aut alicui alteri consilij capiendi causa, id facere cum humilitate & contemptu sui, & quasi coactum, aperiendo æquè libenter culpas atque ipsas virtutes.

7. SEPTIMVS actus est, ex totis visceribus optare, se ab hominibus despici, non solũ in rebus honorificis, quas mundus magni facit, sed etiã in materia virtutis, gaudendo quod habeatur imperfectus, hypocrita, aut impostor, modo ipse culpabilem ad id occasionem non det: nec tristitiam concipiendo, eò quod Cõfessarius aut Pater spiritualis parui illũ faciat eiusq; res contemnat, aut dicat esse dæmonis fraudes. Nã esto liceat contristari, quod sibi à dęmone imponatur, non est tamen humilis propterea affligi, quod alij demissè de ipso sentiant, ipsumque propterea contemnant.

Denique Dei dona interna & extraordinaria, magnum solent secum lumen afferre, quod profundam imprimit cognitionem nostri nihili & indignitatis, simul cũ insigni confusione & pudore, ob nostra peccata; qui pudor excludit omninò inanem gloriam vanamq; complacentiam, affectusq; prædictis hactenus contrarios. Ad cuius confirmationem dixit Deus D.N. duo præclara S. Angelæ de Fulgino, dubitanti de suis reuelationibus, & internis sensis quæ habebat: semel enim dixit; in hoc agnosces me esse, qui te alloquor, quod pro eo tempore, nec diuerti poteris ad aliquid aliud cogitandum, etiamsi velis, nec inani gloria affici ob id, quod accipis. Et ipsa experiri volens, ad alia tentauit se diuertere, & cogitare num aliquid haberet de quo gloriaretur, mox occurrebant illi sua peccata, cum tanto lumine, vt confunderetur & erubesceret, se vsque ad abyssum humiliaret. Iterum dixit illi Dominus, externa signa quæ à me petis, quod ego sim qui te alloquar, incerta sunt & fraudi subiecta, sed nunc dabo tibi adeò certum, quod non posit dæmon imitari: & illud est desiderium quoddam adeò accensum & vehemens mei amoris causa sustinendi labores & contemptus, vt æquè libenter videas te contemni, atque alij vident se honorari. 8. In vita S. Angelæ.

Ex quo fit, vt regulariter Deus D.N. non inspiret res extraordinarias ei, qui non sit benè in profunda humilitate fundatus; nec ei, qui valdè impetitur à vana gloria, ne talis inspiratio illi sit causa ruinæ: de iis enim, qui parum sunt humiles, præsumere oportet, quod ad res similes ducantur ab spiritu vano, aut meridiano dæmone, cum velo maioris sanctitatis: cuius indicia erunt, si superbię tentationes admittant, & glorientur de gratia deuotionis: aut sibi persuadeant, quod sua diligentia illam obtineant, aut quod sit maior, quam reuera est: aut quod in ea alios excedant, aut quod melius illa vtantur quam alij. Item si optant huiusmodi res extraordinarias: si cum illas habent, magni se propterea faciant; si contemnant non habentes illas; si sensa suæ leuiter manifestent quasi in aliorum vtilitatem id faciant; si tristentur, animumque deiiciant, cùm ab aliis contemnuntur. Hæc omnia indicia sunt, quod miserè decipiantur. Licet ad consolationem infirmorum, opus sit aduertere, non esse indicium mali spiritus, quod misceantur interdum tentationes aliquæ vanitatis & superbiæ, si viriliter illis resistatur, sicut S. Vincent. Fererius de seipso dicebat: inanem gloriam ire quidem & venire, sed in corde suo non hærere. Nec mirandum est, si aliquid interdum tyronibus adhærescat; sicut aliqui dicunt Patriarcham Ioseph, in iuuentute sua, aliquam sui habuisse iactantiam, cùm referret suis fratribus visiones, quas habuisset: sed carò illi stetit illa incuria. Nam a *causa illa somniorum atque sermonum, inuidiæ & odij fomitem* fratribus eius *ministrauit*. Ex quo exemplo apparet, similia non esse leuiter narranda, non solum ad incommodum proprium euitandum; sed etiam aliorum imbecillium, qui

Ex S. Bonauent. Process. 7. Relig. c. 21.

a Gen. 37. 8.

hac occasione impingunt in inuidias & murmurationes, aut certè in desideria eadem experiendi non sine deceptionis periculo. Quod si tamen Dei voluntate & inspiratione, ea manifestentur (sicut credo Iosephum fecisse) non sunt hæc damna pertimescenda. Nam ipsemet Deus magna ex eis commoda faciet euenire, sicut ex humiliationibus ac persecutionibus ipsius Ioseph, elicuit commune bonum pro tota illa terra, & ipsismet persecutoribus suis.

§. 3.

De resignatione proprij iudicij & voluntatis, & perturbationum mortificatione.

Quarta regula de obedientia.

EX prædicta hac humilitate, oritur obedientia, & resignatio proprij iudicij propriæque voluntatis, quæ fit Dei in primis voluntati, deinde voluntati & iudicio eorum, qui eius loco nos gubernant. quæ duplex resignatio, certum est indicium boni spiritus. de prima dubitandum non est, quia omnes reuelationes & visitationes Dei, hanc secum afferunt promptitudinem diuinam voluntatem adimplendi, ita vt eadem voce scriptura diuina exprimat Dei alloquium cum homine, & hominis obedientiã ad Deum. Nam cum Deus loquitur, dicit, quod a *aperit aures virorum:* b *aperire* autem *aurem* est facere illum voci eius obedientem. Nam statim atq; Deus locutus est Isaiæ, ostendit ille suam promptitudinem, dicens c *Ecce ego, mitte me quocunque volueris:* & statim atque Saulus vocem Domini audiuit, dixit; d *Domine quid me vis facere:* Et Dauid ait Deo, e *Cucurri viam mandatorum tuorum, cum dilatasti cor meum.* Sed quoniam malignus Spiritus in bonum transfiguratus, solet hanc promptitudinem efficere ad sibi obediendum, ingerendo quod sic obediatur Deo, necesse est eius præstantiam & eminentiam ostendi in resignatione iudicij & rationis propriæ, sub voluntate ministrorum Dei, qui eius nomine nos gubernant. Et hic est effectus humilitatis certumq; boni Spiritus indicium, qui quod superbis suoq; iudicio adhærentibus aduersetur, nunquam illos alloquitur his blandis & suauibus modis. Quod si quando loquitur, prius illos dociles reddit, subiectosq; maiorum suorum iudicio. In qua re adeo erant exercitati antiqui illi Eremi Patres, vt quando audiuerunt singularẽ & stupendam vitæ rationem, quam ducebat Simeon ille in columna, ad cognoscendum Spiritum, à quo ad eam mouebatur, significarunt illi per quendam Eremitã, vt è columna descendens ad ipsos veniret, redditurus rationẽ vitæ, quam ducebat; monueruntq; ipsumEremitam, vt si statim atq; ipse suum nuncium retulisset, Simeon sese resignaret, & ex columna descendere vellet, ipse adiungeret, vt maneret: humilis enim illa resignatio & ad nutum obedientia, certum illis erat

a Iob. 33. 16.
b Isai 50. 5.
c Isai. 6. 9.
d Actuũ 9. 6
e Ps. 118. 32.

indicium boni ſpiritus, illum ad vitæ adeo ſtupendæ rationem inducentis. Quod ſi proterue reſponderet, ſe nolle deſcendere, eum è veſtigio ex columna deiiceret, eo quod procul omni dubio, illuſus eſſet ac deceptus à Dæmone. Euentus autem aperuit Spiritum Sanctum eſſe, qui virum illum gubernaret. Nam ſtatim atq; Patrum mandatum audiuit, pedem cui innitebatur, eleuauit, vt deſcenderet ac obediret. Contra verò pertinacia proprij iudicij, oſtendit illuſionem mali Spiritus. Sicut euenit in lamentabili illo caſu Heronis & aliorum, qui in Sanctorum Patrum vitis referuntur. Nam (vt ait Caſsianus) qui non ſubijcit ſe iudicio expertorum, decipietur ab Angelo Satanæ, transfigurante ſe in angelum lucis, cuius præcipuum inſtrumentum ad has illuſiones eſt iudicium proprium pertinax, ſibiq; multum tribuens ac deferens, vt poſtea videbimus. *Collat. 2. c. 5 & collat. 16. c. 11. & 12.*

Svpposita reſignatione, de qua iam diximus, certiſsimum indicium boni Spiritus eſt, cum ex eius viſitationibus, ſequitur integra & perfecta mortificatio paſsionum, ſenſuum, & furentium carnis inſultationum, vt enim dicitur in libro Canticorum, cum Deus pulſat ad portas cordis noſtri, noſtrumq; Spiritum alloquitur, f *manus noſtræ ſtillant myrrham, & digiti implentur myrrha probatiſsima:* hoc eſt, ſtatim ſentitur odor, & percipitur ſapor mortificationis perfectiſsimæ. impellimur enim ad domandas paſsiones, refrenandos ſenſus, moderandam linguam, & carnem caſtigandam. Sed quoniam mortificatio externa, non eſt certum indicium boni Spiritus, ad quam etiam malignus ſolet inclinare, ob hypocriſin & vanitatem, oportet oculos conijcere in fructum & finem eius, & in radices, vnde illa oritur, quod totum terminatur in corporis & animæ puritate, quærendo ſcilicet aſperitatibus & mortificationibus iſtis conſcientiam à culpis expurgare. Nam inſtar lucis cœleſtis quò magis creſcit, eò magis manifeſtat culpas etiam minimas, magiſq; illas exaggerat. Quare ſtatim imprimit deſideria magna faciendi pænitentiam, propter admiſſas, & alias euitandas. Sic Sanctus Iob etſi dixiſſet: g *non reprehendit me cor meum in omni vita mea*; quando tamen Deus allocutus eſt illum, cuius luce ipſum agnouit, adeo ſe culpabilem deprehendit, vt dixerit: h *ipſe me reprehendo & ago pænitentiam in fauilla & cinere.* Et S. Propheta Iſaias, cum incepit agere cum Deo cæpit conqueri de exigua ſua puritate, ad quem i *volauit vnus de Seraphin* qui *calculo, quem forcipe tulerat de Altari, tetigit os eius, & abſtulit eius iniquitatem*, & *peccatum mundauit.* Quo ſignificatur nobis, quod quando Deus venit ad viſitandas animas noſtras, adducit ſecum in teſtimonium ſuæ præſentiæ hunc Seraphinum, ardens videlicet deſiderium inſignis puritatis, non in anima ſolum, ſed etiam in corpore. Quare merito ſunt valde ſuſpecti motus illi ſenſuſque cordis, qui ſecum afferunt fœdos motus & voluptates carnis (vt benè expendit S. Bonauent.) dicens:

Regula V. de mortificatione.

f *Cant. 5. 5.*

g *Iob. 27. 6.*

h *c. 42. 6.*

i *Iſa. 6. 5.*

Proceſſu 7. Relig. c. 8.

ſi in tempore Orationis & Deuotionis, ob naturalem corporis constitutionem, ſurgerent huiuſmodi motus, melius eſſe talibus floribus carere, quàm eos ex tali cœno extrahere, cum periculo conſpurcationis. Et propter eandem rationem ait: Erit à Dæmone quæcunq; viſio apparuerit, quæ videatur eſſe Chriſti D.N. aut eius Matris, aut Sancti alterius, ſiue Sanctæ, ſi eius aſpectus turpes huiuſmodi motus adfert, aut indecentem adfert habitum, aut ita ſe mouet tactuſq; oſtendit indignos grauitate aut ſanctitate perſonæ, quam refert. Cum enim Deus ſit ipſa puritas, nihil horum poteſt à re quæ eius ſit, procedere.

§. 4.

De pace & gaudio ſpirituali.

Regula ſexta. De pace & quiete Spiritus.

VLTIMVM deniq; indicium boni Spiritus, eſt pax & quies, quam animæ relinquit iuxta illud Dauidis: a *Audiam quid loquatur in me Dominus, quoniam loquetur pacem in plebem ſuam.* Sicut enim Chriſtus D.N. cum ad ſuos diſcipulos in Cœnaculum ingrederetur, dixit, b *Pax vobis*, iuſsitq; c *in quamcunq; domum intrarent, primum dicere, Pax huic domui*: Ita etiam cum ingreditur animas noſtras, dicit illis; *Pax vobis*. Et quoniam dicere eius eſt efficax, quod dicit etiam facit, efficiens in corde pacem, perturbationes eius componendo, carnem cum Spiritu conciliando, paſsionum inſultus ſedando, & nimium timorem, qui à noſtra infirmitate oritur, remouendo. Et quamuis in ipſo initio timorem aliquem & pauorem afferre ſoleat vt excitet ad reuerentiam & attentionem, mox tamen affert quietem, timore illo remoto. Sicut euenit d *Danieli* & e *Zachariæ*, & alijs Sanctis, vt benè expendit S. Thomas allegans ſententiam S. Antonij Abbatis, qui dixit, non eſt difficile in his caſibus, diſcernere inter bonum & malum Spiritum. Si enim poſt timorem, gaudium & exultatio ſuccedat, ſignum eſt à Deo eſſe auxilium, quod ſentimus. Securitas enim animæ teſtimonio eſt præſentiæ diuinæ Maieſtatis: Si autem timor, qui nos inuadit permanet, ſignum eſt hoſtis in domum noſtram ingreſsi. Verum quidem eſt, vt ibidem Caietanus aduertit, poſſe Dæmonem transfigurantem ſe in Angelum lucis, etiam hoc eius indicium imitari, gaudium aliquod poſt timorem afferendo: ſed quoniam reipſa eſt Spiritus noſtri hoſtis, non ſatis aſſequitur, quomodo illum tranquillet, præcipuè cum ille eſt humilis.

a *Pſal.* 84. 9
b *Ioan.* 20. 20.
c *Luc.* 10. 5.
d *Dan.* 10. 9
e *Luc.* 1. 12.
3 *part.* q. 30. a. 3 ad 3.

HOC quod iam diximus, intelligendum eſt locum habere, quando Spiritus bonus viſitat homines iuſtos. Nam ſi quādo viſitat peccatores, qui cum carne ſua & vitijs. pactum habent & pacē; aut tepidos, qui in ſua tepiditate quietē habent, ſolet intrare ſicut adnotauit S. Pater noſter Ignatius, timorē incutiendo, ac terrendo, vt malam illam pacem diſrumpat, ſalutarē afferens

pugnam,

pugnam, illi contrariam. Christus enim D.N. (vt ipsemet dixit) *non venit in mundũ pacem* mittere ac proinde nec ad visitandas animas, vt eas in ficta hac pace relinquat; *sed gladium*; quo scil. pax illa destruatur. Qui gladius & pugna, non est minus certum indicium Spiritus boni, quàm sancta illa pax, quæ inde resultat: ac forte propterea amicus quidam Iob, narrans modum, quo Devs illi apparuisset, & locutus: f *pauor* (inquit) *tenuit me & tremor, & omnia ossa mea perterrita sunt, & inhorruerunt pili carnis meæ. & vocem quasi auræ lenis audiui: Nunquid homo Dei comparatione iustificabitur, aut factore suo purior erit vir?* Ex quo apparet, pauorem & tremorem, & perterreri omnia ossa, & capitis pilos inhorruisse, fuisse quasi præcursores Dei in homine illo, qui superbia elatus, iustum se esse arbitrabatur. Quare oportuit eum primum ita fuisse perterritum præsentia Domini, vt sic se humiliaret, & vt ossa, internæ scilicet virtutes, perterrerentur, ac dicerent illud Dauidis omnia ossa mea dicent, g *Domine quis similis tibi?* Et quod capilli, hoc est altæ & superfluæ cogitationes inhorrerent, & à corde fugerent, vt his dispositionibus bonum inueniret hospitium Dominus, qui ad illum visitandum veniebat. Sed mox atq; ingressus est, audita est vox diuinæ inspirationis quasi auræ lenis & suauis, quæ animam tranquillauit, reuelando illi veritatem, quam nosse ipsam oportebat, vt humilis euaderet. Simili modo priusquam Deus Eliam in spelunca alloqueretur h *in sibilo auræ tenuis*, præmiserat *spiritum grandem & fortem, subuertentem montes & conterentem petras ante Dominum*, vt significaret, sicut S. Gregorius ait, timore & tremore, Deum humiliare superbiam nostram nostramq; duriciem domare, postea tamen leni voce nos alloqui, reddendo pacem turbato cordi tristiq; lætitiam. remota .n. culpa, quæ tristitiam nobis afferebat, planctum nostrum conuertit in gaudium, veramq; lætitiam. Quod certum est boni Spiritus indicium, qui quoniam est ipsamet lætitia, & cum illa facit omnia opera sua, eam suis inspirationibus infundit, vt illi seruiamus lætitia modesta, graui, tranquilla, & coniuncta timori casto, qui eam reddit securiorem & iucundiorem.

Mat. 10. 34. — f Iob. 4. 14. — g Psal. 34. 10. — h 3. Reg. 19. 11. — Lib. 5. Mor. c. 26.

Hinc est quod lætitia boni spiritus degustata, fructus statim proferat, qui illam prodant, abhorrendo scilicet ab omni lætitia immodesta, sensuali, & mundana. Nam vt D. Greg. ait, *suauitate spiritus degustata, desipit omnis caro.* Et qui centuplum accipit gaudij spiritualis, facile contemnit carnale, magnoque conatu veros fontes desiderat huius gaudij, Regnum scilicet Dei & Iustitiam eius, virtutesque quibuscum Spiritus noster vnitur, & cum diuino coniungitur, vt nihil quod creatum est, diuisionem inter vtrumq; faciat. O i *spiritus* diuine, qui internum *reddis testimonium* dilectissimis tibi iustis, *quod* eos tanquam *filios* accipias, ostendisq; eos esse filios in hoc, quod *spiritu tuo aguntur* ad omne, quod tibi placet; accipe


In Cant. & in Ezech. — i 1. Rom. 8. 16.

Domine cor meum in tuum, ita vt nullus contrarius ſpiritus vnquam illud poſsideat, aut prauo ſuo impetu à te dimoueat: tu illud moue, cæleſtique tua inſpiratione dirige ſemper ad id, quod tibi arridet: & ſiquidem dona tua mihi largiris, da mihi tum lumen ad illa cognoſcenda, tum auxilium ad bene eiſdem vtendum, reſiſtendum malignis ſpiritibus,
Iob. 41. qui illa diſperdere contendunt, & *reuela faciem eorum* à larua, qua ſe contegunt; & aufer *indumentum* falſæ lucis, quo ſuas tenebras operiunt: vt ab omni errore & deceptione eorum expeditus, te ſequar, æternam & veram lucem, qui via es, veritas, & vita, donec te videam & fruar in æterna.

AMEN.

FINIS TRACTATVS PRIMI.





DVCIS SPIRITVALIS TRACTATVS SECVNDVS.

DE SACRA LECTIONE ET MEDITATIONE,

COMPLECTENS QVICQVID PERTINET AD cognitionem ſui ipſius, Chriſti Domini noſtri, eiuſq; Sanctorum, ac Dei, ex rebus creatis, & ad feruentes affectus, qui eandem cognitionem comitantur.



MYSTICA Spiritus ſcientia, quæ tribus vitæ contemplatiuæ actionibus comparatur, LECTIONE, MEDITATIONE vel CONTEMPLATIONE, & ORATIONE, de qua hactenus egimus, ꝓprios ſuos, ex quib. addiſcitur, ſicut reliquæ humanæ ſcientiæ libros habet: quamuis, eò quod hæc ſit myſtica, etiam aliqui eius libri ſint myſtici.

Primus maximeq; proprius, qui & cæteris præſupponitur, eſt ipſa SCRIPTVRA SACRA, in qua reuelata ſunt Diuina myſteria meditanda & contemplanda. A qua diuina Scriptura, tanquam à fonte prodierunt alij libri valdè deuoti, quos Patres Sancti, & huius ſcientiæ magiſtri, conſcripſerunt.

Secundus liber eſt CREATVRARVM ſpectabilis huius mundi, quæ ſunt ſcriptura ipſius creatoris, in quibus tum beneficia & excellentias ſuas, tum noſtras miſerias nobis manifeſtat.

Tertius liber eſt PROPRIAE CONSCIENTIAE, ſiue propriæ vitæ, & animæ cuiuſq; cum omnibus experientijs bonorum & malorum, quæ quiſq; expertus eſt, & experitur in ea.

Quartus liber eſt admiranda viſibilis ECCLESIAE FABRICA, nominatim verò vitæ Sanctorum exemplares, qui præcipuæ ſunt eius partes: tam

qui iam præterierunt, quàm qui nunc supersunt: ipsi enim sunt viuæ spiritualium & æternarum rerum lectiones.

Quintus isq; pretiosissimus est liber VITAE AGNI IESV CHRISTI, veri Dei & hominis, ex quo primum in vtero Sacratissimæ Virginis Matris suæ fuit incarnatus, vsq; ad eius Ascensionem in cœlos, cum vtroq; suo statu, quem nunc habet, altero in cœlo Empyreo, altero in Sanctissimo Sacramento. Et in hoc libro multò eminentius manifestatur *vltimus* liber DIVINAE ipsius ESSENTIAE, eiusq; excellentissimarũ perfectionum; quem idem Agnus aperuit, quò earum aliquas legere ac intelligere possemus: qui liber est proprium perfectæ contemplationis obiectum, de quo in Tertio Tractatu agemus: quinq; reliqui magis propriè spectant ad lectionem & meditationem, quæ ad ipsam contemplationem disponunt; suntq; huius Tractatus argumentum, quamuis ob similitudinem, quæ in multis rebus inter meditationem & contemplationem intercedit, dum de altera agimus, aliquid necesse sit de ijs tractare, quæ ad alteram spectant.

CAPVT I.

DE MEDITATIONE DIVINORVM MYSTERIORUM, & quod eius finis sit tres perfectas cognitiones gignere, Dei videlicet, Christi, suiq; ipsius, ad permouendam voluntatem ad affectus feruentes: & quisnam in eis ordo sit seruandus?



.2. q. 180. rt. 1. ITA Contemplatiua siue spiritus scientia (teste Angelico Doctore) consistit essentialiter in actibus intellectus nostri nobilissimis; cuius finis est visio, cognitio ve perfecta Dei, ac Sacratissimorum eius mysteriorũ, vna cum excellentissimis voluntatis actibus, qui ex ea cognitione proueniunt; quiq; simul adiuuant, vt ea cognitio crescat & ad perfectionem perueniat. Verum cum hæc scientia adeo sit excelsa, (.Tho. 2.2. .180. art. 3.) eiusq; obiectum adeo immensum, non potest in hac vita obtineri, nisi plurimis variisq; actibus, quamuis in eumdem finem directis. Quam ob causam dicitur, a *Spiritus* Diuinæ sapientiæ esse *vnicus & multiplex: vnicus,* quia à solo vno principio, qui est Spiritus Sanctus procedit; habetq; vnicum solum præcipuum finem, ipsam coniunctionem cum Deo: cum quo vnus idemq; Spiritus fit per amorem. est tamen idem *multiplex,* quia complectitur multitudinem actuum & exercitiorum, ad finem hunc adeò excelsum consequendum: quos actus conati SS. Patres & Spiritus Magistri, ad certum numerum reducere, quò facilius comprehendi possent. Quò vero maiori cla-

(*Sap. 7. 22.*) (*August. l. quant. animæ.*)

rita-

ritate procedamus, sufficiet tres intellectus actus assignare, qui spectant ad vitam contemplatiuam, quorum vnus sit tanquam principium & fundamentum, alius tanquam medium, tertius tanquam finis & totius perfectionis complementum, qui vsurpatis clarisq; vocabulis Credendi, Meditandi, & Contemplandi exprimuntur.

Richar. li. 1. de contemplat.
S. Bonauent. lib. de itinerario mentis.

§. I.

De actibus Fidei.

PRimvs actus consistit in simplici Diuinorum mysteriorum apprehensione, cum firmo certoq; iudicio, quod illa sint vera, eaq; firmitate credenda, quòd Deus illa reuelauerit: ad quod nos inclinat supernaturale fidei lumen, quod ipse Deus fidelium mentibus infudit, sine quo impossibile est nostro tantum lumine naturali perfectam horum mysteriorũ cognitionem assequi, vt insinuauit Isaias Propheta, cum dixit, b *si non crediderítis non intelligetis*: quasi diceret, nisi vestrum intellectum captiuaueritis ad credendum quod Deus reuelauit, non assequemini perfectam eius cognitionem. Ex quo prouenit; quod animæ nostræ aspectus in hac vita mortali, sit semper aliqua obscuritate & nebula velatus, vt peruenire non possit ad perfectam illam claritatem qua beati fruuntur in gloria, iuxta illud Apostoli; c *videmus nunc per speculum in AEnigmate, tunc autem facie ad faciem.* Et quamuis multa sint specula, in quibus Deus in hac peregrinatione videatur; omnia tamen, teste Sancto Augustino, reuocantur ad duo, ad *creaturas* videlicet, in quibus creatoris perfectiones resplendent, & ad *sacras scripturas*, in quibus mysteria quæ de seipso Deus reuelauit continentur, licet parabolis ac difficillimis ænigmatis occultata. Et hoc speculum est principalius: quia multò plura complectitur quàm in creaturis visibilibus cognosci possunt; eaq; reuelat maiori spiritu ac certitudine: ideoq; in eo exercetur magis propriè primus actus intellectus, scilicet Credendi; qui adeò efficax esse solet, vt sæpè hæc sola credulitas simplexq; visio, cœlesti illustratione adiuta, absq; nouis ratiocinationibus sufficiens sit ad inflammandum ignem affectuum in puris & synceris cordibus. nam sicut statim atq; silex chalybe percutitur, scintilla erumpit, qua siccum accenditur fomentum, ex quo postea magnus ignis consurgit: ita etiam quoniam fidei nostræ mysteria sunt instar silicis, naturæ videlicet ignis non terreni, sed cœlestis ac diuini; statim atq; intellectus chalybe, hac luce illustrati ea credentis, veraq; iudicantis, tanguntur, erumpunt scintillæ terrenorum affectuum in cordibus, ad eos concipiendos benè dispositis: ex quo postea magni splendores & nouarum considerationum affectuumque flammæ proueniunt, qui amorem ipsum perficiunt. Quod quotidie experiuntur, qui pios libros legunt, & conciones aut spirituales exhortationes audiunt,

b *Isaiæ 7. 9.* iuxta LXX
c *1. Cor. 13. 12.*
In Psal. 34. & 26. & in Proem. lib. de Trinit.
Damasc. li. 1. cap. 1.
S. Thom. Opusc. 7.

etiamsi nouas ipsimet ratiocinationes non addunt. Quo etiam fit, vt ad orationis exercitia, vitæq; contemplatiuæ opera aptissimum sit principium, à feruentibus fidei actibus initium sumere, intellectum applicando, vt scilicet magna viuacitate statuat, credatq; mysterium meditandum; cogitetq; de Dei præsentia, cum quo est collocuturus, ac de necessitate, ob quam ad orandum accedit. ex feruenti enim huiusmodi principio prodire solent feruentes meditationes, illustrante Deo Domino nostro obscuritatem fidei illustratione sua cœlesti, quam expedit petere, hac ratione; O Saluator dulcissime, d *adauge mihi fidem*, quò tua mysteria ita credam, vt eadem intelligam; ita verò intelligam, vt eadem amem, atq; amplectar.

Luc.17.5.

§. 2.

De proprio Meditationis officio.

HOc primo fidei actu præmisso, duo alij vitæ contemplatiuæ proprij supersunt, alter qui per intellectus ratiocinationem efficitur, quem MEDITATIONEM vocamus, alij considerationem aut speculationē; alter, qui absq; ratiocinatione æternam veritatem, magna certitudine ac viuacitate penetrat, ad modum visionis siue aspectus, quem vocamus CONTEMPLATIONEM: de qua in proximo tractatu agemus.

MEDITATIO, teste S. Augustino, est occultæ & latentis veritatis secreta inquisitio; aut iuxta Richardum, est attenta quædam ac diligens intellectus nostri applicatio ad inquirendam & patefaciendam aliquam veritatem, aut mysterium, quod latet; explicando vid. illud, quo penetrari atq; intelligi omninò possit. Ideoq; à re vna in aliam discurrit, quærens & statuens præcipuè hæc quatuor; *Naturam* videl. & proprietates rei, quā meditatur; *Causas* & *fines* eius; *effectusq;* ac *circumstantias* reliquas quæ illam comitantur. Si n. aspiciat librū siue speculum *creaturarum*; ex eis ratiocinando, intelligit excellentias creatoris, à quo illæ processerunt; Fines, ad quos illas ordinauit, propriam scil. ipsius gloriam, & nostram vtilitatem: effectus, quos per easdē operatur; & bona, quæ per eos nobis communicat; Circumstantias deniq; loci, temporis, ordinis & modi, quo illæ factæ fuerunt. Si speculum *sacrarum Scripturarum* inspiciat, euoluit earum parabolas, & ænigmata, proferens in lucem occultas veritates, quas illæ nobis insinuant: nam (vt ait S. Bern.) proprium est Considerationis, extricare & euoluere res confusas, recolligere dispersas, occultas scrutari, quærere veras, & fictas patefacere: quæ dum hac solicitudine diuinas quærit veritates, tandem incidit in illas. Nec est contenta simul & quasi in confuso, fidei mysteria credere; nec aspicit ea, quasi iā præterita tantū, aut futura, aut quasi valdè distātia; sed viuacitate ac velocitate sui discursus, imaginationis suæ vi adiuta, ea aspicit tanquā p̄sentia, & iā proxima. Eadem ad sepulchrū descendit, ad purgatoriū, & ad ipsum infer-

ib. de spi- r & li. de ontempl. p.2. S. Bo- uent. Iti- re.2 ca.2. erson de ysticaThe- og. specu- tiu p.4. nsid 27.

b.1. de onsidera- ne.

num; tendit ad Bethlehemiticam specū, & ad montem Caluariū per ipsa vulnera Christi crucifixi ingreditur, eiusque pectoris interiora penetrat: ascendit quoque ad Empyreum cœlum, & peruenit vsque ad thronum ipsius Dei, & in omnibus his locis aspicit ac circumspicit quicquid in eis agitur, ab vna re in aliam discurrens, donec assequatur omnia quæ desiderat.

Hoc ipsum excellenter explicuit S. Gregorius dicens, quod qui multum Deum diligunt, ingrediuntur ad interiora, vt illum inueniant. & quia Deus, inquit, in superficie non iacet, contendunt suis meditationibus, piis lectionibus, & continuata cogitationum suarum examinatione ac ratiocinatione incessanter illum quærere, donec inueniant. Quasi diceret: perfecta cognitio mysteriorum Dei, qui dicitur e *Verè Deus absconditus*, non inuenitur in superficie creaturarum, aut in diuinarum scripturarum cortice, sed in internis & occultis earum arcanis, eas videlicet interiore animæ oculo penetrando per lectionem, & profundam intellectus meditationem: vnde procedit vera spiritus scientia, perfectaque rerum diuinarum ęstimatio, qui est primus fructus, & meditationis maximè proprius, ex quo alij plures oriuntur.

In id Cant. 1 Adolescētulæ dilexerunt te.

e *Isai.* 45. 15

Sicvt enim simplex aliquis rusticus, qui pretiosum in platea inuenit lapillum, quamuis eius colore & splendore illectus eum accipiat; quia tamen eius virtutem & valorem non intelligit, non magni illum facit; sed facile pro re alia commutat, aut distrahit vili pretio: peritus autē Trapezita ex illa externa specie ex pondere, aliisque occultis signis penetrat ad eius valorem & virtutem: & quia illum benè nouit, etiam magni facit, & solicitè custodit. Ita, inquam, si superficie tenus creaturas aspicias, cognitione quadam externa, quæ te oblectat, & sis contentus, sistasque in credendis rebus fidei simul, & quasi in confuso, eisdemque cursim omninò legendis: paruam rerum æternarum opinionem habebis, easque facilè deseres, vt temporalibus fruaris: quod si tamen meditatione, diuina mysteria penetres, perpendens ac ponderans, quæ in illis latent, maximi ea facies; f *vendesque*, si opus erit, *vniuersa quæ habes*, vt compares *thesaurum*, quem fodiendo *in agro*, vbi erat *absconditus, inuenisti*. Et quoniam virtutes vitæ Christianæ, præcipua sunt huius thesauri pars, & meditationis materiæ, intelliges, *quod virtus in superficie non iacet*, nec in extrema parte corporis, nec in operibus purè externis; sed præcipuè in interiori & secreto cordis. Ac proinde cùm eas meditaris, aut consideras, progrediendum tibi est ab externis ad interna: & ab iis, quæ corpus facit, aut patitur, ad ea quæ in spiritu geruntur. Quæ omnia voluit Christus Dominus noster nos docere, cum dixit, g *scrutamini scripturas, quia vos putatis, in ipsis vitam æternam habere: & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me*, non enim dixit, legite; sed: *scrutamini*, quia scrutari, est diligenter inquirere quod est absconditum. Et quoniam vita æterna, quæ est

f *Mat.* 13. 44

g *Ioan.* 5. 39

Deus ipse trinus & vnus, Christusque Seruator noster; ac ipsæ virtutes, quibus eum honoramus, eidemque seruimus, latent in secretissimis diuinarum scripturarum penetralibus, non satis est eas quomodocunque legere, sed oportet attenta & profunda meditatione eas scrutari. Tunc enim certissimum dabunt nobis testimonium omnium æternæ vitæ mysteriorum, quæ in ipsis latent. Et propter eandem causam potuisset Christus D. N. dicere nobis: scrutamini creaturas, quia illæ testimonium perhibent de me. siquidem Apost. teste h *inuisibilia Dei à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.*

h *Rom.* 1. 20

NON tamen existimare debemus, meditationem hoc suo scrutinio contentam esse, ac sistere in quærendis occultis Dei: nam quod potissimum spectat, est ratiocinationibus & considerationibus suis duplicem cognitionem assequi, quæ sunt instar duorum polorum aut cardinum vitæ contemplatiuæ, *Dei* scilicet ipsius cognitionem, & *nostri ipsorum*, in quibus mouetur tota machina contemplationis & meditationis, transeundo ab vno ad alterum, & i *ascendendo* sicut *Angeli per scalam*, quam vidit Iacob vsque ad eius *cacumen*, vbi *Deus scalæ ipsi innititur*: & descendendo statim ad infimum vsque, vbi iacet Iacob dormiens; iterumque ascendendo & descendendo per gradus ratiocinationum & meditationum, ad probè assequendum quid sit Deus, eiusque excellentias; ac simul, quid sit homo, eiusque miserias, clamando semper ad Deum, cùm S. Aug. *nouerim me, & nouerim te.* O Deus æterne, nouerim, quæso me; idque quod ex meipso habeo: vt profunda ex eo humilitate erubescam: te verò nouerim tuamque magnitudinem, vt me ad tecum ardentissima charitate coniungendum erigam. Colligatio vtriusque huius cognitionis exprimitur nomine Rachelis, quæ figura fuit vitæ contemplatiuæ. Idem enim est teste S. Hieron. ac *videns Deum, vel visio sceleris*, idque fortasse ideo, vt intelligamus, spiritualem animæ visionem in his duabus rebus debere consistere, & ab vno ad alteram esse transeundum: nam in visione sceleris, quod ad propriam cognitionem pertinet, cernuntur infinita magnalia Dei, illud sustinentis, & condonantis; in visione verò ipsius Dei apparet iniquitas fœditasque peccati, quo Deus offenditur.

i *Gen.* 28. 12.

De nomin. Hebrai. in Genes.

II. SED quoniam Deus Dominus noster, vt peccati malum repararet, voluit fieri homo; hinc est, quod eius cognitio sit bipartita: alia scilicet secundum diuinitatem, alia secundum humanitatem: nam in vtraque dixit ipse CHRISTVS Seruator noster, esse k *vitam æternam*. Sunt enim eius principium, medium, ac finis. Principium sunt ob fidem viuam, medium, ob deuotam meditationem; finis ob teneram & beneuolam contemplationem. & propterea fortè Rachelis nomen S. Gregorio teste, interpretatur *videns Deum, vel videns principium.* Quis verò erit principium, nisi ille Dominus, qui interrogatus à Pharisæis, l *tu quis es,* dixit: *Principium qui & lo-*

k *Ioa.* 17. 3.

Lib. 6. Mor. c. 18. & hom. 14. in gen. S. Tho. 2. 2. *q.* 182. *a.* 2.

l *Ioan.* 8. 25.

quor

quor vobis. nam ipse reuera, qua Deus, principium est omnium creaturarum;& bonorum omnium,quæ in eis sunt:quà verò Deus & homo, principium est omnium gratiarum & donorum, quæ de cœlo in nostrum commodum descendunt. O Saluator dulcissime:nouerim me,vt deprehendam, quantoperè indigeam te:nouerim autem te, vt bona videam quæ collocas in me,demittendo me ob miseriam, quam ex meipso habeo; erigendo me verò;ob ea,quæ de infinita tua misericordia spero.

Ex dictis sequitur,vitam contemplatiuam(vt benè obseruauit Gerson) esse instar montis cuiusdam,in quo sunt tres mansiones, in quarum *infima* manet cognitio propria,in qua se meritò exercere debent tyrones,scrutantes vias suas,ac meditantes peccatorum & pœnarum suarum miserias,vt ab eis liberari studeant. In *media* residet cognitio Christi Seruatoris nostri, in qua longiores moras trahere debent proficientes, scrutantes ac meditantes virtutes,operaque cœlestis huius magistri,ad eum studiosè imitandum. In *suprema* habitatione manet cognitio Dei,secundum eius diuinitatem,in qua habitare debent perfecti, meditantes ac expendentes diuinas perfectiones & beneficia, vt suo creatori perfecta amoris vnitione iungantur. Et hic transformatio fit spiritus nostri in diuinum,per contemplationem. Quamuis singuli horum statuum ita propriam sedem teneant, vt aliarum etiam exercitia participent ob connexionem,quam inter se mutuam habent.Qui enim in via purgatiua versatur,in suis miseriis cognoscendis occupatus,non potest non eleuare oculos,vt aspiciat,earumque reparatorem agnoscat.Qui verò in via vnitiua versatur,cognoscens diuinas excellentias; inde quoque suas vtilitates melius deprehendit.Quare ex eisdem libris & eisdem mysteriis deduci possunt prædictæ omnes tres cognitiones, licet aliter atque aliter, vt in progressu declarabitur.

III. *Tract. de monte cont c. 4.*

§. 3.

Qua ratione Meditatio gignat affectus?

VIDEAMVS nunc,qua ratione meditatio in his habitationibus assequatur principalem suum finem,vt moueat scilicet voluntatem ad exercendos nobiles suos actus,tribus his cognitionibus proportionatos,ita vt intellectus conuictus vi veritatis,quam agnoscit, moueat efficaciter voluntatem,vt virtutem velit,erga eandem afficiatur, exerceatq; charitatis ac deuotionis actus, quorum in præcedenti Tractatu mentionem fecimus.Sed quoniam magna deceptio huic rei subesse potest,adferemus similitudinem, quam ibi insinuauimus silicis & excussoris ferri, quo vtimur ad ignem eliciendum. quatuor enim hic eueniunt. nam aliquando, sæpè icto silice,nec scintilla vlla prodit, nisi post multum temporis magnum-

Simile.

que laborem: aliquando exeunt quidem ſcintillæ; ſed in ipſo aëre prius extinguuntur, quam ad fomentum perueniant: aliquando perueniunt quidem ſcintillæ ad ipſum fomentum, ſed quod illud ſit humidum, non concipit: aut certè mox extinguitur; eò quod ſcintillæ valdè fuerint exiles: denique aliæ ſcintillæ receptæ in fomento, ſtatim ignem exuſcitant & flammam. Sic inquam quadruplex eſt ſtatus ſiue conditio meditantium veritates & myſteria fidei. Quidam enim multum temporis conſumunt, eadem myſteria quaſi percutiendo meditatione & ratiocinatione, nullo interim bono affectu aut propoſito concepto, manente ipſa voluntate ſicca, tepida ac frigida vſque ad finem ipſius orationis; in quo aliqua tandem ſcintilla poſt magnum laborem erumpit. Quod quidem euenire ſolet aliqua ex tribus cauſis.

Prima eſt in pœnam peccatorum, & ob negligentias in ſeruitio diuino, aut in præparatione ad orationem aut meditationem: ſicut Moyſes (iuxta mentem ſancti Cyrilli & aliorum Doctorum) non eduxit in *aquam ex ſilice* prima virgæ percuſſione, donec *ſecundò percuſſiſſet:* in pœnam incredulitatis ac diffidentiæ, qua ſilicem primò percuſſit: cum autem *bis percuſſiſſet, egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ:* ablata enim culpa, maior conſueuit dari gratia.

Refert Gloſſæ ordinaria & Lyra. in *Num.* 20 11.

Secunda cauſa eſt, ad probationem noſtræ patientiæ ac perſeuerantiæ, & vt noſtra diligentia curaque in eo quod agimus, creſcat: Ad eum modum quo in *Eliſæus percutiens aquas Iordanis pallio Eliæ,* vt eas diuideret, *non ſunt diuiſæ* ad primum ictum, donec maiori feruore ac fiducia dicens, *vbi eſt Deus Eliæ etiam nunc, percuſſit ſecundò aquas, & diuiſæ ſunt huc atque illuc:* creſcente enim fiducia ac diligentia, Deus non differt ſuam miſericordiam.

in 4. *Reg.* 2. 14.

Tertia cauſa eſſe ſolet, eo quod meditationis argumentum non ſit accommodatum ſtatui & conditioni meditantis: ſicut myſteria diuinitatis, quamuis ſint ſilices, ex quibus Perfecti magnum eliciunt ignem; non tamen ſunt adeò apti ſilices pro Tyronibus & imperfectis, ob ſtatus illorum imperfectionem: vult enim Deus Dominus noſter, prius illos exerceri conſideratione aliorum myſteriorum, quæ eorum neceſsitati magis conueniant. Eſt quoque occultior alia cauſa, ex prouidentia Dei, qui diſtribuit interdum myſteria ſicut ipſos perfectionis gradus: ita vt quibuſdam myſterium Natalis ipſius Chriſti talis ſit ſilex, vt ſtatim atque de eo meditantur, ſentiant ſe deuotione accendi: aliis myſterium orationis Chriſti in horto eſt huiuſmodi ſilex. Expedit autem, vnumquemque attendere illud myſterium, in quo Deus cor eius mouet; vt in eo ordinariè ſe exerceat, quamuis non propterea cætera ſint myſteria omittenda: nam minimè interdum cogitanti aperietur porta ad ingrediendum in ea.

II. ALII ſua meditatione multas ſcintillas bonorum deſideriorum extra-

hunt;

hunt; quæ tamen omnes in aëre ita euanescunt, vt cordi non adhæreant: quod etiam ex triplici alia radice prouenit.

Prima est, quia illa sunt desideria ipsius finis tantum, & non mediorum: talia sunt desideria pigrorum, qui toti sunt in propria salute desideranda, non tamen habent illorum mediorum desideria, quibus voti compotes euadant. Contra quos dixit Saluator, o *quærite regnum Dei & iustitiam eius*, desiderantes videlicet non solum ipsum regnum Dei, & salutem, sed etiam iustitiam bonorum operum, quibus illa obtinetur. o *Matt. 6. 33*

Secunda radix est, eò quod sint desideria rerum valdè vniuersalium, non descendentia ad particulare illud quod est executioni mandandum. Sicut qui desiderant esse sancti & humiles, sed non desiderant efficaciter illa exercitia, in quibus sanctitas consistit & humilitas. Nemo enim est adeò impius, qui non vellet esse bonus: aut cui virtus non probetur, vitium verò displiceat. Sed vt tale desiderium sit homini vtile, necesse est ipsam desiderare humiliationem, qua virtus humilitatis obtinetur. concipienda itaque sunt firma proposita virtutes exercendi, superatis omnibus earum difficultatibus.

Tertia radix est, eo quòd desideria versentur circa res, quæ etsi alioqui sint bonæ, non tamen sunt meditantis necessitati conformes. Si enim plenus ille sit passionibus, expendat verò rationem in excitandis desideriis moriendi, si opus esset, pro Christo, suasque facultates pro ipsius amore largiendi, immemor sit interim desiderare mortem suorum vitiorum, suisque inordinatis affectionibus renũciare: talia inquam desideria sunt instar scintillarum in aëre volantium, quæ nón exerunt vim suam in corde; & instar globorum, qui emittuntur ex tormentis in altum, nec murum, ad quem erant dirigendi, deijciunt.

Alii sunt etiam, qui excutiunt quidem scintillas bonorum desideriorum, perueniuntque ad cor; sed citissimè extinguuntur, non communicato calore ipsi cordi, altera ex duabus causis: *Vna* est, quod ipsa desideria sint tepida, nec satis radicata: quia in ipsa meditatione, quæ illorum fuit causa, non satis profundè fuerunt concepta. 3.

Quemadmodum Oseas propheta dixit, de populo suo, p *misericordia vestra, quasi nubes matutina & quasi ros mane pertransiens*, qui orto sole, statim arescit. talia sunt proposita, quæ concipiuntur, exercendi aliqua virtutum opera ex aliquo bono motiuo, quod repentè offertur; sed facilè frigescunt quacunque oborta difficultate: quia non miserunt radicem in ipsum cor. Quamobrem dixit Sapiens q *vult & non vult piger.* Nam quod modo vult, quia arridet & videtur bonum, statim idem non vult, quia videtur difficile. p *Ose. 6. 5.* q *Prou. 13. 4*

Altera causa est, eo quod scintilla cadat in cor valdè humidum ab

affectionibus rerum terrenarium, quas ni deserat, suffocat statim desiderium illud rerum cœlestium, accurrente mox ad contradicendum spiritu
Iob.40.16 Dæmonis, r *qui delectatur in locis, humentibus*, horret verò arida, illorum scilicet, qui prauas huiusmodi affectiones mortificarunt.

4. COLLOCA ergo te, sicut dicebat Dauid, coram Deo s *sicut terra de-*
Psal. 62.2. *serta & inaquosa*, vt consideres eius virtutem & gloriam: & tunc concipies ignem ex scintillis bonorum desideriorum, quæ tibi communicabit infinita eius misericordia: sicut alij multi in sua Meditatione experiuntur: qui statim atque silices diuinorum mysteriorum attingunt, magnam copiam proferunt feruentium desideriorum, & propositorum efficacissimorum, generosa adeò firmaque resultatione, vt factum putent, quod faciendum
Luc.19 8. proposuerunt, & exemplo Zacchæi dicant Deo suo. t *dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus: & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.* Non dico, dabo aut reddam, sed do, & reddo: adeò enim est firmum decretum innitens diuinę gratiæ, vt non cogitent, se promissis defuturos. Et sicut
Eccl.11.34 u *scintilla vna*, si adhæreat & alatur, ingens *ignis* exsurgit: Ita ab his desideriis, quæ in meditatione erumpunt, si nouis rationibus & considerationibus veritatum, quæ illa excitarunt, alatur, ingens exsurgit amoris ac deuotionis i-
Psal.38.4 gnis, qui ad multos dies perdurat. quod indicauit Dauid cum dixit: x *concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.* Meditatio est, quæ cor accendit scintilla boni desiderij quod ipsa alit, vt crescat, magnaq;
Luc.12.49 flamma exurgat. O Saluator dulcissime, qui dixisti: y *ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt accendatur?* Veni, Domine, in terram cordis mei, cùm tua mysteria meditor: ex quibus scintillas ignis excute, quæ illud inflamment, & qui desideras hunc ignem augeri, ita me in meditatione adiuua, vt semper hic ignis ardeat.

§. 4

De ordine affectuum.

SVPEREST iam vt declaremus horum affectuum varietatem, & ordinem in eis exercendis seruandum, qui adducitur ex dulcissimis illis
Cant.2.4 verbis libri Canticorum, a *Introduxit me Rex in cellam vinariam, & ordinauit in me charitatem.* & quæ hæc cella est nisi profunditas diuinorum mysteriorum, in diuina scriptura reuelata? quæ sunt tanquam cœlestia vasa, ex quibus Meditatio cœlesti lumine illustrata, vinum haurit feruentium affectuum, ei, quod est assecuta, conformium, amoris scilicet, laudis & gratitudinis ad Deum, gaudij aut compassionis & imitationis Christi; contritionis & humiliationis suiipsius; in alios quoque misericordiæ, & zeli boni proximorum. Et quamuis hæc vina propinentur interdum delibanda extra

hanc

hanc cellam, cùm ea Deus repentè, & nulla præcedente causa communicat: ordinariè tamen non propinantur copiosè haurienda, nisi iis, qui eam ingressi sunt per orationem, & Meditationem, aut Contemplationem, sequentes scilicet Regis cœlestis impulsum, illos dirigentis ac manu ducentis, voluntatemque impellentis, vt b *os aperiat*, *& repleatur* cœlestibus his affectibus: qui comparantur c *vino*, eo quod *lætificent cor hominis*, repellendo omnem tristitiam; & animam corroborent ad ea, quæ sunt diuini seruitij, omni humano timore remoto, efficiuntque feruorem spiritus, dum instar musti bulliunt desideriis rerum grandium; excutientes omnem pigritiam in eis aggrediendis; & interdum ebrietate quadam sancta, adferunt homini obliuionem suiipsius, rerum omnium terrenarum, vt aggrediatur ea quæ ipsius vires & facultatem excedunt. Et quamuis præcipua eorum vis sita sit in spiritu: sæpè tamen is abundantiæ suæ facit ipsam carnem participem, deducens illam in eandem cellam; & propinans illi vina, quæ ipse præbibit: ita vt d *cor & caro* simul *exultent in Deum viuum*: exercente etiam inferiori parte eosdem affectus, quos pars superior exercet. sicut supra est dictum de tenera & sensibili deuotione.

b *Psal.* 80.11
c *Psal.* 103.15.
d *Psal.* 83 3.
Tract. 2. c.11 *&* 24.

1. OPORTET tamen, ipsum *Regem* cœlestem, in hac sponsæ in cellam introductione, *ordinare in ea charitatem*, ipsos scilicet affectus certo ordine collocando. Sicut enim vina sunt alterius coloris, & saporis, quædamque aliis pretiosiora: ita magna est affectuum varietas: quorum ordo in eo consistit, vt prius illi exerceantur qui sunt *viæ purgatiuæ*: hauriendo e *vinum compunctionis*, ac doloris nostrorum peccatorum, quò ab eis mundemur: postea sequantur affectus *viæ illuminatiuæ*, hauriendo f *vinum germinans virgines*, & obedientes cum firmis propositis in omni genere virtutum.

e *Psal* 59 5.
f *Zach.* 9 17

ET denique sequantur affectus *viæ vnitiuæ*, qui sunt à vino, quod propinatur g *amicißimis*, & quo *inebriantur charißimi*; faciuntque illos extra se, vt vniantur Deo. hoc est h *vinum bonum* & pretiosissimum, *quod seruat Christus* Seruator noster *in vltimum locum*, quando scilicet anima est iam valdè purificata. Quemadmodum enim *non mittunt* homines i *vinum nouum in vtres veteres, alioquin rumpuntur vtres & vinum effunditur:* Sic inflammati amoris affectus, & vnionis cum Deo, zelique proximorum, non conueniunt illis qui olent sapiuntve hominem veterem: quia nec ipsi eis proficient, nec affectus elucebunt, aut tales esse apparebunt. Vinum itaque nouum in vtres nouos mittatur, & antiquum in veteres, & vtraque seruabuntur accommodatis scilicet spiritus affectibus necessitati recipientis subiecti.

g *Cant.* 5.1.
h *Ioa.* 2.10.
i *Matt* 9.17.

2. IDEM cœlestis Rex alium etiam ordinem in eisdem affectibus constituit, ita scilicet eos commiscendo, vt ne vni tantum tribuatur, vt eius accessus alteri noceat, propterea enim dicitur de sapientia diuina, quod k *miscuerit vinum*, fortius scilicet suauiori; & vinum timoris diuinæ iustitiæ cum

k *Prou* 9.2

vino confidentiæ de eius misericordia; & vinum zeli cum vino compassionis. Si enim purum biberes vinum compunctionis peccatorum tuorum, non admiscendo spem veniæ, incideres in defectionem animi, ac diffidentiam, quæ obstaret, quo minus ab eis liberareris. Immò, vt in libro Canticorum dicitur, l *miscet vinum cum lacte*, vt dulcedo & lenitas cælestium consolationum moderentur amaritudinem & rigorem aliorum affectuum.

Cant. 5. 1.

Ponit quoque ordinem in quantitate ac duratione huiusmodi sensuum & affectuum, m *dans potum in lacrymis in mensura*, teneramque deuotionem vsque ad certum terminum: ne nimia noceat, spirituali ebrietate degenerante in sensualem; & feruore spiritus in feruorem indiscretum, rumpanturque vtres ob nimium vinum nouum in eos infusum; & Dæmonium meridianum, specie deuotionis, deiiciat talem in illusionem.

m Psal. 79. 5.

3. DENIQVE ita in his affectibus ordinem constituit, vt præ omnibus velit eminere charitatem, iuxta illud: *Et vexillum eius super me dilectio*, eleuante scilicet super cor nostrum vexillum suum amore puro Dei, qui est vinum nouum legis nouæ, & n *mandatum nouum*, proprium hominis noui Christi IESV. Ex quo hauriendum tibi est copiosè, si cupis renouari ad eius imaginem & similitudinem; coniungendo simul reliquos virtutum affectus. Et quoniam excelsus hic Dux, & Rex æternus eleuauit vexillum amoris, cùm penderet in cruce; meditatione tibi est ingrediendum in cellam vinariam, sacratissimum scilicet eius cor, per eius vulnera, vt ibi inebrietur accensis affectibus, quos producit meditatio dulcissimorum eius laborum. O Rex cælestis, qui dilectam tuam sponsam in cellam vinorum tuorum cælestium introduxisti (nisi enim tu introduxisses, illa per se ingredi non potuisset) introduc me etiam ad intimum eius recessum, adeoque feruentem fac me inde exire ad virtutes procurandas, vt earum per te perfectionem acquiram, Amen.

n Ioa. 13. 34.

4. Ex dictis deducere licet præstantiam & necessitatem altissimi huius exercitij Meditationis, quo medio Deus tot mirabilia facit, vt enim S. Bernardus ait: consideratio animam purificat, regit affectus, eorum actiones dirigit, superflua corrigit, vitam componit, mores ordinat, perfectam cognitionem, rerumque humanarum ac diuinarum scientiam generat; non vanã, quæ inflat; sed scientiam (vt ait sanctus August.) quæ affert compunctionẽ, & deuotionem, nosque perpetua implet sanctitate. Persuadeas tamen tibi, te absque speciali cælesti auxilio non posse ad prædictum hunc montẽ, eiusq; tres mansiones peruenire; nec discursus rectos facere ad quæsitã intelligentiam obtinendam; nec ingredi in cellam diuinorum horũ affectuum. Nã vt

Lib. 1. de consider.

Lib. de spir. & lit. c. 70

Apost.

Apost.dixit, o *nos nescire quid oremus, sicut oportet*, nisi ipse *spiritus pro nobis postulet:* nos scil. inducens ad petendum *gemitibus inenarrabilibus:* Ita dicere nunc licet, nos nec legere, nec meditari, aut contemplari scire, sicut oportet; nisi ipse Spiritus S. id per nos faciat, supplens nostram ignorantiam sua illustratione; nostramq; infirmitatem sua inspiratione adiuuans. Et nisi ipsemet (vt ait S. Bonauent.) nobis inspiret *quid, qualiter, & quando de diuinis sit meditandum*, meditatio nostra (& idem dico de lectione) erit inanis, vaga, & inutilis: nec in ea accendetur ignis charitatis, sed vanitatis. Quamobrem inchoanda tibi esset Meditatio ab illo versu Dauidis, verbo vno, claritatis causa, mutato: p *Emitte lucem tuam & veritatem tuam, vt ipsa me deducant, & adducant in montem Sanctum tuum & in tabernacula tua.* O Deus æterne, emitte lucem tuam de cœlo, vt mediter, sicut oportet, tua mysteria; & Veritatem tuam, vt verè illa sciam æstimare: his enim ducibus, securus ibo, & perueniam ad montem sanctum vitæ Contemplatiuæ; ingrediarq; ad habitandum in eius mansionibus, donec perueniam ad montem gloriæ, vbi me recipias in tuas æternas mansiones. Amen.


o *Rom. 8. 26.*

Itinere 2. æternit. dist. 5.

p *Psal. 42. 3.*

CAPVT II.

LIBROS SACROS, PRAECIPVE VERO EVANGElia copiosam præbere meditandi materiam, & triplicem eius cognitionem; & qua ratione illi sint cum fructu legendi.



RIMVS liber, in quo discitur scientia Spiritus, sicut prædiximus, est sacra Scriptura, & nominatim Euangeliorum liber, in quo magis expressè habentur præcipua fidei mysteria, quæ sunt obiectum nostræ Considerationis: eadem verò Scriptura est primum Speculum, in quo licet videre triplicem faciem; quam supra indicauimus, Dei scilicet & Christi Seruatoris nostri, nostramq; propriam. In ea enim omnes Veritates proponuntur, & manifestantur, quæ ad perfectam horum trium cognitionem pertinent. Hanc ob causam Spiritus Magistri meritò affirmant, primum gradũ Vitæ Contemplatiuæ esse lectionẽ librorum sacrorum ac piorũ: quorum institutum, vt ait S. Bern. est illustrare nostros intellectus lumine diuinorum Verborum quæ in eis legimus; & prospicere Meditationi de materia copiosa, vera, fixa, ac pia, ne defectu rerum, de quib. cogitet, sterilis maneat, aut breuis sit; nec defectu lucis & veritatis eorum circa quę ratiocinatur, aberret, aut vagetur, ab vna re ad alteram inutiliter transeundo, eo quod determinatum argumentum non habeat,

S. Greg. li. 2. Moral. in princip.

S. August. & S. Bern. in scala claustral.

quo alatur; nec arida sit & absq; succo, eo quod non adsit materia ad rem apta, quæ illam irriget, ac emolliat. Præterea eadem Scriptura nobis prospicit de remediis contra vitia, de armis aduersus tentationes; de consilio in dubiis; de solatio in tristitijs; de animi robore in aduersis; de mediis deniq; ad omnium virtutum perfectionem consequendam. Quæ omnia copiosius in sacris libris inueniuntur, eò quòd illi (teste S. Dionysio) sint a *illa mensa, quam diuina Sapientia proposuit in domo, quam sibi ædificauit*, hoc est, in Ecclesia Sancta, quæ abundat pane & vino: quia in ea est b *panis vitæ & intellectus*, firmæ scilicet solidæq; veritates, ex quibus procedit vita virtutum, & intelligentia rerum æternarum. Est quoq; *vinum* feruentium affectuum, *mixtum* aqua Sapientiæ salutaris, in salutem, fortitudinem, & lætitiam cordis. Est item c *cella Regis* Cœlestis, & *vinorum* eius pretiosorum, in quam ille *introducit* electos suos satiatq́; famem & sitim Iustitiæ, qua laborant. est vniuersalis apotheca plena medicamentis ad omne genus morborum spiritualium; & d *sicut turris Dauid ædificata cum propugnaculis, & omni armatura fortium* aduersus omnes tentationes. Nam, etsi e *mensa* sit delicata, *præparata* tamen *est* (vt ait Dauid) *in conspectu nostro aduersus eos, qui tribulant* & persequuntur *nos*. Quamobrem dixit Apost. f *omnis scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum, ad arguendum ad corripiendum, ad erudiendum in Iustitia: vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus*. quasi diceret: sacram Scripturam efficacissimam esse ad nos docendum veritates saluti nostræ necessarias; & ad eos hostes conuincendos, qui falsis rationibus seducere nos conantur; & ad vitia nostra excessusq; corrigendos; & nos in Virtutũ & bonorum operum exercitatione ita erudiendos, vt perfectionem obtineamus, ad quam sumus vocati; eiusq; finem, qui est g *vita æterna, quæ in diuinis Scripturis esse dicitur*, eò quod eũ reuelent, qui est verè vita æterna, mediaq́; ad eam comparandam apta.

S. Dionys. Epist. ad Titum.
a Prou. 9. 2.
b Eccl. 15. 3.
c Cant. 2. 4.
d Cant. 4. 4.
e Psal. 22. 5.
f 2. Tim. 3. 16.
g Ioan. 5. 39.

§. I.

De quatuor sacris Euangeliis.

HOc tamen totum singulariter eminet in quatuor sacris Euangelijs, quatuor (vt ait S. Gregorius) rotis mystici illius a *currus* adumbratis, quem sancta quatuor animalia, quæ quatuor significant Euangelistas, trahebant. In cuius proprietatibus, quas refert Ezechiel, inueniemus mirificè adumbratas eas, quas Sancti Euangelistæ habent. Quarum illa est velut fundamentum quod Veritates, quas nos docent, suntq́; nostræ Meditationis materia, sint in supremo gradu certæ, excelsæ, admirandæ, terribiles, copiosæ, ac profundissimæ; ad quod significandum rotæ illæ ita describuntur fabricatæ, vt sint *firmæ, altæ, & aspectu horribiles, quasi visio maris*; oẽs enim veri-

Homil. 6. in Ezech.
a Eccl. 49. 10.
Ezech. 1. 18. & c. 10. 16.
Statura erat rotis.

rita-

ritates Euangelicę tantam habent firmitatem,& ſtabilitatem,vt impoſsibile ſit eas deficere in veritate rerum, quas narrant, docent, promittunt,aut minantur. b *Amen* quippe,dixit Chriſtus, *dico vobis: donec tranſeat cœlum & terra,iota vnum,aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.* Eſt quoq; in eis altitudo; reuelant enim altiſsima diuinitatis arcana, excellentiſsimas eius perfectiones,præmiorum præſtantiam,virtutum excelſitatem;& altiſſimam, quæ deſiderari poſsit, perfectionem. Verum aſpectu quoq; ſunt horribiles,& admirandæ, quatenus hinc aperiunt peccati, iudicij,& inferni terribilitatem; vt profundius in propria cognitione fundemur: inde verò proponunt aſpectum terribilem crucis Chriſti; & plurima alia,quæ tum in ea noſtri remedij cauſa eſt perpeſſus; tum aliàs in mundo, ad noſtram inſtructionem & exemplum eſt operatus. Et hinc eſt, quòd eius viſio erat ſicut maris,ob immenſitatem veritatum & myſteriorum, quæ nos docent. & ita impletur quod ſcriptum eſt, quod c *in die illa* id eſt tempore Meſsiæ, *terra replebitur ſcientia Domini, ſicut aquæ maris eam operientes.* Et quamuis aliqua proponat myſteria facilia;alia tamen adeò ſunt profunda,vt non poſſint penetrari, & propterea dixit Sanctus Gregorius: *in pelago diuinarum Scripturarum agnum ambulare & Elephantem natare.* Simplices enim ſicut agni, multas habent veritates expeditas, quas legant & ſecurè meditentur, tranſvadantes profunditatem huius pelagi per eius littus. Qui verò ſunt magni ingenij, inueniunt altiſsima myſteria in tanta profunditate, vt non inueniant vbi pedem figant: non tamen periclitabuntur, ſi natent humiliter,ſubiicientes proprium iudiciũ,& venerantes arcana,quæ non aſſequuntur. Quare vtriq;,lectione & Meditatione,vt oportet,peractis,eaſdem obtinent proprietates, ita vt, ſi cupias ſtabilitatem in diuino ſeruitio, animi magnitudinem,Sanctitatis culmen,& eleuatam contemplationem,ibi ſis omnia inuenturus:& ſi velis altas radices iacere in timore Dei,& terribilitate iudiciorum eius, libenterq; amplecti crucem Chriſti,bibere mare amarum laborum eius, tua peccata amarè deflere; ad hæc omnia lectio hæc & Meditatio,animum tibi addit:ita vt nec propter altitudinem euaneſcas;nec ꝓpter terribilitatem timidior fias;nec tuam ſtabilitatẽ mutes ob quamcunq; amaritudinem, aut te inuadentem tentationem.

b *Matth. 5. 18.*
& altitudo.
aſpectus horribilis.
Viſio quaſi maris.
c *Iſaiæ 11. 9.*
In prol. Moral. c. 4.
S. Bern. Ser. 6. paru.

SED quid refert,quod Sancta Euangelia tot & tantis veritatib. plena ſint, ſi oculos non habemus ad ea videnda? Hinc igitur eorũ excellentiam agnoſces:quia eadem ipſa ſunt nobis oculi ad myſteria diuina valde clarè, ac diſtinctè,& ſine velis figurarum cognoſcenda:Et propterea de rotis illis dicitur,quod eſſent plenæ oculis ex omni parte:ad oſtendendũ,quam ſublimem lucem cõmunicent ea legentib. & Meditantibus:quia illis manifeſtant, quæ ſunt credẽda, præmia quæ ſunt ſperanda; pænas quæ timendæ; peccata quæ fugienda; præcepta & conſilia quæ cuſtodienda; beneficia diuina, pro

Totum corpus earum oculis plenũ in circuitu ipſarum quatuor.

qui-

S. Bern. Ser. ad sororem. quibus sunt gratiæ agendæ: ac deniq; quicquid est petendum ac meditandum. Ac proinde sunt sicut oculi Fidei, Spei, & Charitatis, omniumq; virtutum, ad heroicos earum actus exercendos. quorum auxilio clarificabuntur oculi animæ tuæ, ad imitationem *oculorum* sponsi, de quibus dicitur, quod sint *sicut ipsa columbæ super riuulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ & resident iuxta fluenta plenissima.* Et quæ sunt aquæ istæ Chrystallinæ (ait Origenes) nisi sacræ Scripturæ? in quibus tanquam in speculis cernere licet, culparum tuarum maculas, quas abluas lacte eius doctrinæ & instructionis? Ibi obseruabis vmbras transeuntium auium rapacium, quæ volant per aera, agnoscesq; astutias Dæmonis, vt eas euadas. Ibi oculi tui conuertentur in columbas ob simplicitatem & innocentiam vitæ; & ob velocitatem, qua volabis, vt bonum assequaris, quod cognosces; fugias verò malum quod vidisti.

d Cant. 5. 12.

Homil. 3. in Leuit.

S. Greg. lib. 2. Moral.

HINC alia excellentia oritur Sanctorum Euangeliorum, quod non solum sint nobis oculi ad videndum, sed etiam pedes & alæ ad currendum & volandum summa velocitate, sequentes Deum & Christum Seruatorem nostrum; fugientes verò peccatum. Notitia enim, quam nobis dant, non solum est speculatiua, sed etiam affectiua & practica, quæ magna vi impellit, ad desiderandum & procurandum bonum, quod manifestat. Eam enim ob causam nomen rotarum erat *Gigel* quod interpretatur e *volubiles*, ob velocitatem, qua mouentur, & teste Theodoreto, etiam significat *vim cognitionis*, ad significandum, quod Euangelia, efficacitate lucis cœlestis, quam intellectui communicant, rapiunt ad se cor, & fortitudinem imprimunt, ad currendum hilariter per viam perfectionis, reddentes iugum Christi suauissimum, & onus eius leuissimum. Quare valde propriè comparantur rotis currus, sine quibus ille moueri non potest, cum eis tamen velociter mouetur. Nam sine lectione & Consideratione harum veritatum, graue solet esse onus præceptorum & consiliorum: cum eis tamen valde leue est facileq; portatur. Et sicut rotæ particula tantum quædam eaq; valde exigua terram tangit, cum reliquum eius sit eleuatum ab ea: ita sacra lectio faciet adeò cursim pertransire res terrenas, vt eis cor non adhærescat inordinato amore: sed tantum de terrenis accipias, quantum sit tibi necessarium ad vitam transigendam; & mox eleues te velociter ad res cœlestes.

e Ezech. 10. 13. *Vocauit volubiles.*

4. SED cupies fortè scire, vnde tot bona, quæ dicta sunt, procedant, vt solidius ea feruentiusq; procures? ad hoc respondet idem Sanctus Propheta Ezechiel, dicens semel & iterum: f *quod Spiritus vitæ erat in rotis*, qui eas mouebat & *quocunq; iret spiritus rotæ pariter eleuabantur sequentes eum.* Et quid hoc est, nisi significare, quod Spiritus S. qui auctor est diuinarum Scripturarum & animarum viuificator assistit eas legentibus & meditantibus, eleuando eorum intellectus & voluntates, vt videant, ament, & exequantur,

f Ezech. 1. 20. 21. *Spiritus Vitæ erat in rotis.*

quod

quod in eis latet; quò ſpiritualem gratiæ vitã hic, & poſtea etiam æternam conſequantur. Hic diuinus Spiritus aperit in lectione ſenſum noſtrum, vt eas intelligamus; & in meditatione ignem accendit affectuum, quos ſequamur; & in executione cor lætitia dilatat, vt pari cum ipſo paſſu valde velociter curramus. Et miro quodam modo (vt ait S. Greg.) veritates libri ſequuntur motiones Spiritus; & *quò ſpiritus legentis tendit, eò diuina eloquia eleuantur*; & ſequuntur bonam eius propenſionem ac deſiderium, quod tunc temporis habet; ſuggerens illi rationes varias, motiua & exempla, quæ iuuent conſeruationem, & augmentum promoueant boni illius affectus. Si accedis ad lectionem Spiritu contritionis, aut affectu humilitatis: id, quod leges impellet ad maiorem dolorem, & magis inflammatum deſiderium te humiliandi, quò perfectè humilis euadas. Quòd ſi prædominetur in te Spiritus amoris, aut gratitudinis, inuenies in lectione veritates, & conſiderationes, quibus boni hi affectus foueantur.

Homil. 7. in Ezechiel.

Et hinc fit, quod ſicut rotæ adeò erant Sanctis quatuor animalibus colligatæ, vt quando illa per terrã *ambulabant, rotæ quoq; ita ambularent*; & *quando illa in altum eleuabantur, rotæ quoq; pariter eleuarentur, ſequentes ea, & cum ſtantibus ſtarent*: Ita viri ſpirituales tantam habeant cum lectione & meditatione ſacrorum Euangeliorum connexionem, vt, quod de S. Cæcilia refertur, nõ velint ex manibus ſuis illa dimittere, nec ex cordibus; ſed ſequantur & greſſum & modum vitæ, quam illa habent. Si enim tu ambulas per terrã exercendo vitæ actiuæ actiones, etiam ſcripturæ ſacræ te ſequuntur, dirigentes greſſus tuos, ne fortè in aliquid impingas: iuxta illud Dauidis: g *lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis*. Quòd ſi te in altum extollas; exercendo vitæ contemplatiuæ actiones, etiam te illæ ſequuntur, mentem illuſtrando, vt excelſam perfectionem conſequaris. Quod ſi ſubſiſtis & firmus ſtas, non tam agendo, quàm patiendo, in hoc ipſo illæ te comitantur, & corroborant, ad omnia enim Spiritualia exercitia multum conferunt, & omnibus perſonarum ſtatibus ſeſe accommodant.

g *Pſal.* 118. 105.

Sicut enim h *Manna* vnus tantum erat cibus, *omne* tamen *delectamentum & omnis ſaporis ſuauitatem* in ſe *habens* ita voluntati iuſti illud comedentis ſeſe accommodabat vt ſaporem ei afferret, *quem ille vellet*: Ita (ait Sanctus Gregorius) verbum Dei quod eſt in ſacro Euangelio, audientium & legentium conditioni ſe accommodat, dando cuiq; ſpiritualem refectionem, quam eius neceſsitas bonumq; deſiderium poſtulant. O Saluator dulciſsime, qui gubernas gloriæ tuæ currum, tuam ſcilicet Eccleſiam rotis diuinarum ſcripturarum, ſacriſq; Euangelijs; illuſtra me eorum luce, & ſpiritu viuifica, moue me velociter ad ipſorum greſſum, vt vita mea ſit ita conformis ei, quod illa mihi dicunt, vt conſequar quod promittunt. Amen.

h *Sapi.* 16. 20.

Lib. 10 *Moral. c.* 9.

§. 2. *Quinq; documenta pro lectione.*

August. Psal. 65. Isidor. lib. 3. de sum. bon. 8. Bern. Ser. 4 ad Soror. Ambr & ii, apud urrecre. ract. 14 in gulam S. enedicti. 1. Reg 3. b. lib. 4.

SVPEREST vt modum explicemus, quo Sacri libri, & alij quicunq; pij sint legendi, ad quod præmittendum est discrimen, quod SS. Patres faciunt inter Lectionem & Orationem: Quod in Oratione nos loquamur cum Deo, gratiasq; petamus; in Lectione Deus loquatur nobiscum, inspirans nobis veritates, quas legimus: repetentes scilicet in corde nostro quod earum scriptor de eis dixit. propterea Lectio est copiosa quædam vena diuinarum inspirationum, & internarum Dei allocutionum: quare ad eam, cum eo desiderio est tibi accedendum, vt hoc tibi modo loquatur: dicesq; illi cum Samuele: a *loquere Domine, quia audit seruus tuus.* loquere mihi in hoc libro, quod tibi libuerit: ego enim parebo, faciamq; quod iusseris. Hac ergo animi dispositione illud cogitabis, quod grauissimè perpendit Sanctus Gregorius, dicens: *Quid est scriptura sacra, nisi quædam Epistola omnipotentis Dei ad creaturam suam?* in qua arcana sua tibi reuelat, & diuinam suam voluntatem aperit. & si quis (ait) literas à terreno Imperatore acciperet, non posset quiescere donec legeret; &, quod in eis scriptum esset, intelligeret vt exequeretur: cur ergo tam es piger, vt cum cœlestis Imperator hanc Epistolam tibi miserit in proprium tuum commodum, tu eam legere negligas cum omni perfectione? Stude quæso, te quotidie legendis ac meditandis verbis tui Creatoris exercere, & *disce cor Dei in verbis Dei,* in quibus diuinum cor est sculptum: in eis enim cernes conditionis eius nobilitatem, amoremq; erga te, & quid à te, ipse requirat, vt illi placeas. Accipe igitur sacrum volumen in manibus, tanquam Epistolam supremi tui Domini & Monarchæ, colloca illud super caput tuum, aperi reuerenter, & stude ita b *legere vt intelligas*; quod si non assequeris, loquere tu illi, prope est enim; ac pete, vt tibi sensum aperiat, quo illud intelligas.

b Matt. 24. 5.

2.

HINC est quod lectio non debeat fieri cursim & festinanter, sed cum mora & quiete; vt relinquatur locus illustrationi cœlesti, & loquatur Deus ad cor tuum per id quod legis; & interdum breui aliqua interruptione subsistes, vt meditando expendas quod legeris, illudq; amplius intelligas: aut, quod Sanctus Bernardus monet, hauries dulces aliquos affectus ad ipsum Dominum, tales ad te literas mittentem; & ad Magistrum, talem te doctrinam docentem; aut breues aliquas petitiones inseras circa ea, quæ ibi legis: colloquens cum eo qui tibi loquitur, vt pergat libentius tibi loqui. Quod totum non tam lectionem interrumpere censendum est quam iuuare, vt illa vtilis sit ac deuota; addereque Spiritum vt prolixior esse possit. Licet tantus esse posset sensus internus, vt sit prudentiæ, lectionem tunc commutare, quo frui liceat pio illo affectu & c *consolatione,* ad *quam ipsa Scriptura* dirigitur; & postmodum reuerti licebit, ad lectionem prosequendam.

Ad frat. de Mont. Dei S. Bonauent. in speculo disc. ip. part. 2. c. 7.

c Rom. 15. 4.

3.

Vbi supra.

HVIC documento & illud adiunges, vt libros sacros, sicut S. Bern. monet,

eodem

eodē ſpiritu,& in eundē finē legas, in quē illi ſunt ſcripti: Ita vt ad eorū lectionē nō curioſitatis & vanitatis ſpiritu accedas,ſciēdi V.g.tantū;aut vt magni æſtimeris:ſed ſpiritu Caritatis,vt diſcas ꝑfectiꝰ amare & obedire.In quo expieris mirabilē quendā circulū: incipiens.n.hoc affectu librū legere,ipſe affectꝰ exacuet te,vt,ꝙ legis,intelligas;& ipſa lectio affectū exacuet,quo accedis. Nam experientia (vt ait Caſsian.) docet nos, quod bona cordis ſenſa faciant nos maiori claritate ac teneritate ſentire ſenſus pſalmorum,quos recitamus;& librorum,quos legimus. Et eam ob cauſam expedit,eum librum ad legendum eligere,qui ſit diſpoſitioni cordis conformior. Si enim magnum dolorem tuorum peccatorum ſentias, aut cordis deſolationem ob tuas miſerias, facilius eum librum intelliges, qui de eo argumento tractet. *Collat. 10. c. 10. & collat 14. c. 9.*

PRAE omnib.tamē accedendū tibi eſt ad lectionē firmo quodā ingenuoq; animi decreto, ſequēdi ſpiritꝰ diuini inſpirationē in quacūq; re,quā te ipſe docuerit:ſicut q Epiſtolā æterni Regis aꝑiret,eo animo,vt mox ad illā reſpōderet,nō verbis modò,ſed ipſo oꝑe: nec ſolū orationis affectib.ſed etiā imitationis effectib. Et ſicut q ſedet ad hāc diuinā menſā,non tā vt cibos videat, quā vt eis veſcatur,ſeq; illis alat eos ſibi incorporādo ꝑ amorē & executionē eorū,q̄ lecta ſunt. Propterea.n. d*Angelus* nō ſolū *librū expandit* corā Ezech. & S.Ioan. ſed etiā iuſsit *cōedere volumē*,& intra viſcera ſua illud reponere,vt videbimꝰ poſtea. Et in hunc finē ſtatuit Eccl.Sacerd.cū in ſacro Miſſæ S.Euāgel.legere incipit,formare crucē ſuꝑ librū, & ter in ſeipſo,in frōte vid.ore, & pectore:poſtquā eā lectionē finierit,accipe ipſum in manꝰ & oſculari in ea parte,qua crucē formauit. His cæremonijs ſignificās librū S. Euāgelij ꝓcipuè agere de Chriſto crucifixo,& crucis doctrina;q̄ crux nō debet in libro ſiſtere,quaſi cōtenti ſimꝰ eā legiſſe;ſed tranſire debet,& imprimi noſtris cogitationib. verbis,& oꝑib. conformādo nos crucis ſanctæ doctrinæ,& mortificationi Chriſti Domini noſtri, idq; nō coactè, aut illibenter; ſed magna voluntate & amore,manus ſtatim ad opus applicando, ad exequendum promptè & libenter quicquid nobis ſanctum Euangelium commendat. 4. d *Ezech 3.1* d *Apoc. 10.9*

PRAETER hæc omnia debes in fine lectionis aliquas veritates ſēper eligere,quas in tuæ memoriæ archiuo reponas,ſiue vt habeas argumētū Meditationis ꝓxiꝰ poſtea habēdæ,ſiue vt eaſdē interdiu rumines, fouēdo eis ignē deuotionis,aut vt ſint in prōptu qn̄do eis opꝰerit,colligēdo ſicut alter Dauid *ex clariſsimo hoc e torrēte limpidiſsimos* aliquot *lapides,* veritates ſc.eaſq; in ſinu tui cordis reponere,iaciēdas aduersꝰ inferni Gygātē te aggredientē,vt ad peccatū aliꝗ inducat:ſicut eas iecit Chriſtꝰ D.N. in deſerto cū ab ipſomet tētaretur f*ſcriptū*(inqt) *eſt,non in ſolo pane,*&c. *Et nō tentabis Dominū Deū tuū*,&c. Nec exiſtimes te intrare in hāc *Dauidicā turrim*,vt videas eiꝰ *Propugnacula,clypeoſq; pendētes:& omnē armaturā fortiū.q̄ in ea sūt*:Sed vt arma illa accipiēs,ſis vnꝰ ex h *fortiſs.* illis *Viris,q gladios tenēt*,& sūt ad *bella doctiſs.q enſem ſuꝑ femur ſuū habēt* 5. e *1. Reg. 17. 40.* f *Mat. 4.* g *Cant. 4.* h *Cant. 3.*

propter timores nocturnos, vt se videlicet à tentationibus tueantur, iuxta illud Dauidis: i *Scuto circundabit te veritas eius*, ita vt *non timeas à timore nocturno*, contegendo te scilicet à capite vsq; ad pedes. Et sicut scutum (ait S. Bernardus) ex parte superiori qua operit caput, latius est, ex inferiori verò parte qua tegit pedes, angustum & acuminatum: Ita Dei veritates ex superiori parte, qua cœlestia respiciunt, amplæ sunt & latæ: cor enim spe extendunt, & charitate dilatant: aperientes omnipotentiam, prouidentiam, & fidelitatem Dei in suis promissis adimplendis; ex parte verò inferiori, qua respiciũt ea, quæ in terra, & sub terra geruntur, sunt angustæ & acuminatæ, vt suppliciorum temporalium & æternorum timore, ac periculorum labendi in peccata, in eisq; pereundi, idem cor terreant: & ex vtraq; parte hominem protegunt in tentationibus. Nam interdum rationibus superioribus defendunt eos qui sunt tanquam capita, & melius se gerunt, viâ scilicet amoris. interdum rationibus inferioribus protegunt eos, qui sunt tamquam pedes, & timore magis aguntur. Et quamuis hostium k *tela sint ignea* (vt ait Apostolus) in hoc scuto tamen *extinguuntur*, totamq; vim suam amittunt. Eisdem armis muniendus es etiam, quando accedis ad orationem, ad meditationem, & ad ipsam lectionem. Nam & ibi impugnaberis ab his hostibus, quibus tamen eisdem scutis fidei resistes coniungendo semper alia exercitia cum alijs, audiens quid loquatur tibi DEVS in Lectione: vt exaudiat ille quod tu petiueris in Oratione; & vt prosit tibi, quod cogitaueris in Meditatione. O DEVS æterne, l *cuius verba sunt quasi ignis*: concede mihi, ea tali Spiritu legere ac ruminare; vt meum intellectum illustrent, Voluntatẽ inflamment, & cor à terrenis ad cælestia eleuent: Spiritumq; meum in tuum transforment in æternum.

i Psal. 90. ... Serm 4. & 5. in Ps. Qui habitat.

k Ephes. 6. 6.

l Iere. 23. 9.

6. DENIQVE obseruandum tibi est, si discere velis meditari & ratiocinari circa diuina mysteria, plurimum conferre frequentare lectionem librorum sacrorum, & piorum, facereq; reflexionem circa discursus & ratiocinationes, quas in eis leges. Nam illæ fuerunt meditationes, quas Spiritus S. sacris scriptoribus communicauit; aut quas ipsi industria sua, præueniente diuina illustratione, adinuenerunt, scriptisq; mandarunt, ad quorum imitationem licebit similes alias disponere & fabricare. Quemadmodum enim Christus Dominus noster parabolas aliquas per seipsum declarauit, vt nos doceret (quod Sanctus Gregorius notauit) circa eas ratiocinari, quas ipse non declarauit: ita ex iis, quæ legeris in libris à Sanctis notata & disposita, facilè erit, similia inuenire, quæ te iuuent ad eosdem fines. Et eò referentur, quæ in sequentibus capitibus proponemus.

...at. 13. 18. ...7. ...om. 15. in ...uang.

CAPVT

Capvt III.

Librvm creatvrarvm, amplvm nobis suppeditare Meditationis argumentum ad consequendam cognitionem propriam & ipsius Dei, & quid in eis sit meditandum.



Secvndvs liber valdè vniuersalis, ex quo discitur scientia spiritus, est mundus hic spectabilis, cuius folia siue literæ sunt omnes Creaturæ cœlestes ac terrenæ, à supremo cœlo vsque ad vilissimum vermem, & campi florem; quas scripsit ipsemet Deus a *tribus digitis,* quibus eas etiam conseruat, *sapientia* scilicet, *bonitate, & omnipotentia:* Qui liber semper est apertus ad b *enarrandam gloriam Dei* Creatoris sui, vt omnes homines legere possint, siue literis instructi sint, siue imperiti. sicut Magnus Antonius Philosopho cuidam interroganti quomodo posset vitam ducere sine libris, respondit: liber meus, est ordo Creaturarum, quem præ oculis meis semper apertum habeo, docetque me quæ Dei sunt, & scire aueo. Et magnus ille Sapiens, qui vocatus est Trismegistus, dicere consueuerat, *mundum esse librum* quendam *diuinitate plenum,* literis scilicet ipsam diuinitatem repræsentantibus: *& speculum diuinorum,* in quo liceat res diuinas mentis oculis cernere. Ad quam lectionem multum se mutuo iuuāt duo intellectus nostri lumina. Supernaturale scilicet fidei, fundatæ in iis, quæ sacri libri nobis referunt de creaturis, modoque ac fine in quem fuerunt conditæ; & Naturale rationis, quæ ab his ad illas discurrit, inquirens quid hi characteres significent. Quod si legere illas & intelligere posses, breui peritus euaderes in cognitione propria, & multò magis in cognitione supremi tui Conditoris, qui in omni loco & tempore prospicit tibi de clara valdeque copiosa materia, quam legas, & mediteris, quod vtramque cognitionem possit perfectissimè generare.

a *Isa.* 40.12

b *Isa.* 18.1.

Ne verò multitudine creaturarum confundaris, in omnibus & singulis earum tria præcipuè puncta legere licebit; tuas scilicet necessitates ac miserias, vt in eis teipsum agnoscas, humilies, & contemnas: Deinde beneficia Dei; ac denique excellentiam perfectionum eius: vt sic eum cognoscas ac diligas, & fideliter seruias, dicens cum Dauide: c *Quoniam non cognoui literaturam,* aliorum scilicet librorum, *introibo in potentias Domini,* opera scilicet eius; *Domine memorabor iustitiæ tuæ solius,* & sanctitatis.

c *Psal.* 70. 16.

§. I.

Qua ratione miserias nostras ex creaturis cognoscamus.

I. TOTVS inprimis spectabilis hic mundus est tibi liber, in quo cognoscas tuas miserias. Omnes enim creaturæ clamant tuas necessitates, aut quod summè illis indiges ad tui Esse, vitæque conseruationem: quia sine eis statim perires. & quemadmodum infinitam Dei maiestatem ex eo agnoscis quod ipsa sibi sit sufficiens, nec vllo alio indigeat, iuxta illud
a Psal. 15.1. Dauidis a *Dixi Domino Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*: Ita etiam miseriam tuam profundissimam agnoscere poteris ex eo quod nec tibi, nec tuæ conseruationi sufficias; sed præcisè indigeas omnibus creaturis, viuasque eis subiectus, ab eisque dependens.

NAM quot sunt creaturæ, tot sunt tuæ necessitates, & miseriæ: quod facilè intelliges, si discurras mente per Elementa, Cœlos, & Mixta. Indiges enim terra, quæ te sustineat; aqua quę refrigeret; aëre, quo respires; igne quo calefias; sole, qui te illuminet; cœlis, planetis, & stellis, quæ suis influentiis te viuificent; Plantis & animalibus ad innumeras tuas necessitates sustentationis, vestium, habitationis, & lecti; ad medendum tuis morbis, ad iter faciendum, ad sensus tuos recreandos, ad laborum leuamen. Et quamuis non singulæ Creaturæ necessariæ sint pro tua persona: omnes tamen sunt necessariæ pro aliis, à quibus tua salus & vita dependet. Si enim tu non pasceris fœno: illo pascitur ouis, bos & alia, quibus tu indiges: quorum lanam induis, aut pellem calceas: quod si tu eam lanam non induas, induunt serui tui, & alij artifices, sine quibus tuam vitam non duceres. Et quò amplius tuam miseriam agnoscas, eoque humilieris, voluit Deus, Creaturas viliores esse tibi magis necessarias, vt habere possis quod plurimi facis. Quid enim vilius ape? quid contemptibilius verme? ex illa tamen mel prouenit, quod tuum gustum plurimum recreat: ex altero producitur sericum, quo te induis, honoremque affers tuæ personæ. O superbe, vnde te iactas? ô inanis, vnde euanescis? attende, quicquid in hoc mundo habes, alienum esse, tibique commodatum: & id totum tuam prodere miseriam: siquidem indiges tot rebus ad miseram tuam vitam ducendam. Expende, quid faceres si harum Creaturarum aliqua tibi deesset: & ita deprehendes multitudinem & horrorem tuarum miseriarum: considera, quam fuisset tristis & miserabilis Adamus, si vt conditus fuit à Deo sexta die, conditus fuisset primo: cùm nihil aliud esset, quàm cœlum & terra? quid fuisset manens in tenebris absque luce, quæ primo die fuit creata: & cui vsui lux illa fuisset, nisi facta fuisset diuisio aquarum? & sine plantis & arboribus, quæ secundo, tertio die fuerunt creatæ? & quam citò hæc omnia periissent, nisi adfuissent influentiæ, & temporum varietates, quæ luminaria motibus suis efficiebant, quæ

Deus

Deus creauit die quarto? & quantus fuisset defectus rerum necessariarum, deficientibus auibus, piscibus & animalibus, quæ quinto & sexto die fuerunt producta? Deus vero hominem creauit, postquam prædicta omnia condiderat: id fecit vt ei patefaceret amorem, quo ipsum prosequebatur: cùm sciret, quam fuisset miser futurus sine eis, quibus omninò indigebat. Agnosce itaque in creaturis extremam tuam necessitatem; vt ex ea ascendas, ad considerandam æstimandamque magnitudinem diuinæ liberalitatis, quæ ita illi consuluit.

Ne tamen prius ex hoc puncto recedamus, quam nostræ miseriæ profunditatem penetremus: attende, quantoperè indigeas non solùm creaturis rationis vsu carentibus, sed aliis etiam hominibus, quibuscum versaris. & quamuis omnium sis maximus, indiges tamen etiam minorum opera, quemadmodum dixit Apost. sicut enim b *caput & oculi indigent pedibus:* Ita magni in repub. indigent paruis: & vniuersim alij aliis indigent: & quisq; ferè omnibus. opus enim tibi est alio, qui cibos tibi afferat, & præparet: & qui vestes conficiat & calceos: qui ædificet domum & lectum faciat: & ferè omnes homines admiranda quadam concatenatione & connexione ita sunt occupati, vt alij faciant, quod aliis est necessarium: & omnes aliquid eorum, quæ tibi sunt necessaria, vt comedas, induas, quiescas, & viuas. Et, si aliorum labor & occcupatio cessaret, viueres in summa miseria, quam tu solus reparare non posses. Quod totum ita diuina prouidentia disposuit, ne tu contra paruulos superbires, aut te minores contemneres: cùm videas, te omnibus indigere. Quid ergo dicam de necessitatibus animæ, in quibus non minus ab aliis dependes, quam in corporis necessitatibus. Absque enim aliorum auxilio non addisceres scientiam, nec prudētiam, nec virtutem: in quibus sæpè minor docet maiorem, vt maior agnoscat, se indigere minori. Si membra corporis naturalis ratiocinari possent, & loqui, agnoscerent & faterentur, alia omninò aliis indigere: nec vnum auderet alterum contemnere, ne indignum se redderet auxilio, quod alterū illi impendebat. Sed quod linguis non fatentur, quia illis carent, promulgant operibus, quę sunt voces te monentes, quid in membris mystici corporis agatur: vt intelligas, quo pacto erga illa te gerere debeas. 2.

b 1. Cor. 12. 21.

O Devs æterne, clarifica oculos animæ meæ, vt in his rebus visibilibus meam miseriam agnoscens, ita affectionem meam erga illas moderer, vt non ad sensualitatem fouendam, sed ad occurrendum necessitati, his vtar.

Praetereo aliam viam miserias nostras ex his creaturis cognoscendi, quarum multæ nos cruciant & affligunt: aliæ, etsi in aliquem finem sint nobis vtiles, variis tamen modis nobis sunt noxiæ: ignis enim calefacit quidem nos, sed etiam vrit; aqua refrigerat, sed etiam nos suffocat. Et 3.

quæ maior miseria esse potest, quam in tot periculis versari, vt quod Deus ad nostram vtilitatem creauit, idem in perniciem nostram conuertatur? Sed quoniam hoc prouenit nobis à peccato, ideo ad nostram spectat propriam cognitionem, quæ in eo fundatur: de qua paulò inferiùs dicemus.

§. 2.

Quod Deum per Creaturas cognoscamus.

EX his ascendes ad considerandum, quod totus hic spectabilis mundus sit quidam liber diuinorum beneficiorum, in quo meditanda sint bona quæ à Deo accipis: quæ tot sunt, quot sunt creaturæ; quas tuis quinque sensibus percipis. Omnes enim clamant, & prædicant immensam Dei erga te liberalitatem. Sed, vt, quid dicant, intelligas, necesse est prius aures aperire, vt earum voces audias, quibus tibi manifestant, quis ille sit, qui illas fecerit, & in quem finem condiderit.

1. NE sis autem brutis animantibus ignorantior, cogitans, has res, quibus frueris, casu aliquo in hoc mundo euenisse, nullo alio eis dante esse, quod
Iob.12.7. habent: a *Interroga* (inquit Iob) *iumenta & docebunt te: & volatilia cœli & indicabunt tibi. loquere terræ, & respondebit tibi: & narrabunt pisces maris.* & quod omnia clamant, est: *quis ignorat, quod omnia hæc manus Domini fecerit? in cuius manu anima omnis viuentis, & spiritus vniuersæ carnis hominis.* Quid aliud est, creaturas interrogare, an sit Deus, qui illas condiderit, nisi attentè considerare ordinem & concordiam, quæ est in omnibus simul, & in singulis, componentes admiranda harmonia mundum hunc visibilem, & pulcherrimam eius fabricam? Quæ autem est earum responsio, nisi quod ex hac consideratione deducitur? quod non illæ seipsas fecerint, nec potuerint casu euenire: sed esse vnum verum Deum, qui eas condiderit, semperque gubernet? Si enim pulcherrimum palatium ingredereris, in quo varias cerneres areas, curritoria, aulas pretiosis pendentibus aulæis, & tapetibus mille modis elaboratis, figurisque valdè spectabilibus exornatas: etiamsi neminem in ipso palatio videres, statim procul dubio iudicares magnum aliquem fuisse principem, qui tale opus construxisset; & peritissimum architectum, qui illud delineasset; & ministros ac operarios valdè industrios qui eam delineationem exactè adeò essent assequuti; quia huiusmodi palatium nec seipsum ædificare potuit; nec aliquo casu in tali loco sic fabricatum est inuentum. Conijce itaque oculos per vniuersi huius spectabilis palatia, considera diuersitatem, varietatem, & ordinem Creaturarum; stellati cœli elegantiam, solis splendorem, lunæ pulchritudinem, motuum eorum vniformitatem, annis singulis, singulisque mensibus ac diebus singulis: aspice deinde aërem cum tanta auium diuersitate, quæ sua pulchritudine visum; cantu suo audi-

tum,gustum sapore recreant. Aspice præterea terram tot arboribus adornatam,tot floribus intertextam, innumeris animantibus repletam, magnæ astutiæ & sagacitatis,vt propriam vitam conseruent. Et quando hæc omnia benè consideraueris, etiamsi corporis oculis eum non cernas, qui illa omnia fecit,mentis tamen oculis videre illum poteris, si attentè omnia clamantia audias, ac dicentia, magnum quendam principẽ illa fecisse, qui sapientia sua infinita omnia ita delineauerit; & infinita potentia delineationem fuerit executus. Et propterea apud Iob dicitur: b *omnes homines videre Deum,* quamuis *vnusquisque eum intueatur procul:* quia non in seipso,sed in eius operibus eum intuentur. b Iob.36

2. Postqvam autem legeris in creaturis,quis eas fecerit, attende quoque,vt legas,in quem finem eas condiderit. Nam si benè scias eas interrogare,respondebunt illæ,Deum ipsas fecisse, non propter seipsas, sed vt homo eis vteretur in obsequium Conditoris. Quis adeò est ignorans,vt dicat, vineam in proprium suum bonum esse plantatam, aut domum in suiipsius vtilitatem esse constructam? aut pecora in vtilitatem propriam esse creata? nihil enim horum facerent homines,nisi vtilitatem propriam aut suorũ respicerent. In hunc ergò modum intellige, non creasse Deum hoc vniuersum spectabile,& creaturas rationis expertes, propter illarũ bonum, quod neq; ipsæ agnoscũt,nec gratas se exhibere possunt:sed neq; eas creauit Deus ob vtilitatẽ,quam ipsemet ex eis caperet,cùm absq; eis habeat ipse suum esse æternũ & beatum absq; vlla dependentia à re aliqua,quam fecerit: sed neq; eas condidit propter Angelos,qui vtpote spiritus, rebus corporeis non indigent. Cum itaq; ipse sit infinitè sapiens, certum est eas creasse propter hominem,qui illis indiget;potestq; cognoscere cõmodum quod ex eis accipit & ob id gratũ largitori se exhibere,amando, glorificando, & seruiendo ei, qui adeò liberaliter eas ipsi dedit. Vnaquæq; itaq; creatura est tanquã character quidam libri huius vniuersi,qui character tria tibi significat, necessitatẽ scilicet tuam, vt illa vtaris;omnipotentiã Dei,qui illam creauit;& finem, quem respexit reparandi per illam tuam miseriam: vt tu solicitus esses in eius seruitio,sicut ille fuit liberalis tot rebus tibi indulgendo. Terra tibi dicit:Deus me condidit,non mihi ipsi,sed tibi:vt me tibi seruiente,tu seruires conditori tuo;Cœlum dicit,opus sum Dei,non in meam vtilitatem, sed in tuam,vt gloriã pro me & pro te reddas ei,qui vtrumq; fecit. O Deus æterne,qui omnia creasti ad teipsum, tanquã ad vltimũ omnium finem, & visibilia omnia destinasti ad bonũ hominis,qui illis indigebat;aperi aures meas, vt audiam,& intelligã voces quas edunt,agnoscendo me & te; & humiliãdo me propter meam miseriã,te verò exaltando propter infinitam tuam misericordiam. O Pater amantissime, quam notæ tibi erant necessitates meæ; siquidem antequam me creares, tot condidisti creaturas in earũ remedium?

prius mihi domum præparasti, vestes, alimenta, & quicquid mihi etiam ad leuamen conducebat, vt beneuolam tuam prouidentiam agnoscens eique innitens amarem te, glorificarem, ac maiori cura seruirem; sim, vtinam, ego adeò solicitus in tuo obsequio, atque tu es in mihi subueniendo.

3. HINC progredi licebit ad alias tres voces audiendas, quas edunt Creaturæ (sicut benè perpendit Hugo de S. Vict.) vnaquæque enim dicit tibi. ACCIPE, REDDE, FVGE. *accipe beneficium, redde seruitium, fuge supplicium.* ACCIPE humiliter de manu Dei *beneficium*, quo tuæ necessitati vult occurrere; REDDE verò illi animi *gratitudinem*, eũ laudando, eiq; seruiendo propter bonum in te collatum: quod si non facis, FVGE *supplicium*, quod propterea promereris: vt scilicet priueris beneficio, ob tuam ingratitudinem. *Recipe* donum, quod Deus mittit summa benignitate; & illud ipsum iterum eidem offer inflammata charitate, caue sis infidelis ei, qui est in te adeò liberalis. Omnes Creaturæ has edunt tres voces: licet enim aliquæ sint instrumenta beneficij per modum indulgentiæ; aliæ tamen etiam sunt per modũ supplicij; quamuis & hæ censendæ sint beneficium Dei, qui non eas condidit, vt te castigaret; sed vt moneret, fugere illam pœnam, quò & beneficium accipias, & maiori securitate accepto fruaris.

...6. de ...c. 4. ...2.

4. SED quando Deus tibi dicit hoc verbum, *accipe*, hoc scilicet donum: ne existimes, vnum tantum esse beneficium. Nam in vnoquoque innumera cõtinentur, quæ illud comitantur; aut præcesserunt, vt eo possis gaudere. Et quando vel minimum confert donum, eodem te facit omnium debitorem. Quod manifestè deprehendes, si ea expenderis, quæ præcesserunt vel vnum bolum antequam illum comedas. Omnes enim sementis labores, pluuiæ cœli, vt frumentum nasceretur, messis, trituratio, purgatio, collectio in granaria, contritio in molendino, cribratio, subactio, siue pistura, coctio & alia innumera, quæ cum his omnibus sunt coniuncta, Dei sunt beneficia; sine cuius prouidentia & auxilio non potuisset hic effectus prouenire, vt panis ille ad mensam tuam perueniret, quò tuæ necessitati occurreres vitamque conseruares.

5. VERVM multò adhuc plura sunt perpendenda in hac ipsa indulgentia. Nam dona etiam minima plurimi fiunt, quæ ipsemet Princeps manu sua largitur. Sicut miles ille, qui argenteum Clenodium à suo Capitaneo sibi missum contempsit; quod tamen idem ab ipsomet Capitaneo propria manu oblatum accepit, & plurimi fecit. Quod si donum sit ab ipsomet Principe propriis manibus confectum adhuc multò pluris æstimatur: qualis esset aliqua imago ab ipsomet Principe depicta. Cùm igitur aliqua creatura vteris, quem existimas tibi illam offerre? num Deus in cœlo manens, inde illam tibi mittet, vt ea vtaris in terra? Nihil tale. Nam ipsemet Deus, reipsa & verè manu suæ omnipotentiæ hoc donum fabricauit, & actu etiam componit &

confer-

conseruat, tibique tradit vtendum, ac dicit: *Accipe* hoc donum, quod ego ipse confeci, & propria mea manu tibi offero fruendum. Deus est, qui ædificat domum, in qua habites: c *nisi* enim *Dominus ædificauerit domum, in vanum laborant, qui ædificant eam:* ipse mensam sternit; tibi quotidie cibos apponit, quibus vescaris, vestes offert, quibus tegaris: & reliqua bona, quibus gaudes: ille propriam suam manum aperit, vt te benedictionibus repleat. Cur ergò non aperis tu os tuum, vt illud laudibus eius repleas: & manus vt repleas obsequiis: & cor feruentibus affectibus, amando, laudando & seruiendo ei, qui te replet tot beneficiis. d *Ne sit* (ait Sap.) *manus tua porrecta ad accipiendum, & ad dandum collecta.* Si ergo aperis manum tuam vt accipias donum Dei, aperi etiam eandem, vt reddas gratitudinem, & obsequium propterea debitum. *Fuge supplicium,* tot enim & tanta beneficia per seipsa si benè consideres clamant, tuaque seruitia extorquent. O Pater misericordiarum, & Deus vltionum, qui vltionem proponis, vt copiosiorem & securiorem accipiamus diuinam tuam misericordiam, ego audio voces tuas, quas mihi edis per creaturas: & accipio dona tua cum amore, eo quod sint tua: reddoque vicissim amorem propter illa, siquidem amori nonnisi amore potest responderi. cum itaque charitatem tuam accipio, volo reddere charitatem fugiens supplicium amittendi ipsam charitatem, quæ supremum est donum omnium, quæ mihi largiris. O spiritus diuine, qui es *donum Dei altißimi,* dic cordi meo: *accipe, & redde.* accipe me, qui sum donum amoris, & redde mihi eundem amorem amando me sicut ego te amo. Vtinam te amarem sicut me amas: vt bonis responderem, quæ mihi communicas.

c Psal. 126
Psal. 144. 16
d Eccl. 4. 36

§. 3.

De cognitione Dei creaturis coniuncta.

HINC vlterius ascendes consideratione vt legas in creaturis, earum creatoris excellentias, præcipuè verò immensitatem vnitiuam, & vnionem immensam, quam cum illis habet, cùm sit intra omnes illas, tenens, & conseruans eas tribus illis digitis, de quibus Isaias, quod eis a *appendat molem terræ* sapientia scilicet omnipotētia & bonitate, siue charitate. Nā in spectabilis huius mundi libro potes legere & cognoscere infinitā Dei sapientiam, qui ab æternitate sua tantam creaturarū infinitatē intuens, earum ordinem disposuit, nouitq; quid faciant, quidq; facient, aut facere possint, quādiu in suo esse quod habent, permanserint: nulla prorsus earū re ipsi Deo occultata, quantumuis interna sit & secreta, Deinde perpendenda est magni huius Architecti omnipotentia, qui, vt suam dispositionem executioni mādaret, nec materialibus opus habuit, nec ministris, qui manus suas ad id apponerent: sed sola sua voluntate in momento & ex nihilo cōdidit præcipuas

a Isa. 40. 12

huius vniuersi partes;. quibus tanquam materialibus vtens, reliquas fecit pro libitu, vt voluit, nec opus habuit longo tempore, ad eas fabricandas; nec
Esther. 13. 9. fuit vllus, qui eius *voluntati resistere* posset. Et in hodiernum vsq; diem eadẽ sua omnipotentia eas conseruat in eo Esse, quod vnicuiq; dat, iuuatq; eas in actionibus earum: quas non possent facere, nisi actu ipse cum eis concurreret. Simul etiã perpendes infinitam bonitatẽ & charitatẽ Dei huius adeò sapientis ac potentis, quę illum impulit exire extra se, vt se creaturis cõmunicaret: exercendo ea, quæ de eis statuerat: coniungens se cũ omnibus realiter ac verè per suam essentiam, præsentiam, ac potentiam. Neque enim potuissent esse, nec operari, nisi ipse tribus his digitis appensas teneret, & cũ eis cooperaretur. O altitudo sapientiæ, omnipotentiæ, & charitatis Dei? Quid te Domine permouit, vt hoc totum vniuersum conderes tuamq; diuinitatem, & omnipotentiã non solum cum cœlis, & pulcherrimis sideribus coniungeres: sed cum vermiculis etiam, & abiectissimis terræ creaturis? Et siquidem omnes illas ad vtilitatem, & solatiũ meum condidisti, erit proculdubio in meum quoq; ipsius bonum coniunctio, quam cum illis habes: ita vt, cum aliquam mihi donas creaturam; simul cum illa coniunctus venias, vt conserues donum mihi in illis datum. Et cum dicis mihi *accipe* donum hoc, quod tibi propria mea manu dono: quid aliud dicis, quam *accipe me* in isto dono,
b Ps 70. 16. in quo & ego sum? O anima mea b *intra* cum Dauide *in potentias Domini*, non eas aspicias in iis, quæ exterius habent; nec satis habeas librum hunc in cortice (vt dicitur) aspicere, ingredere etiam ad interiora, in quibus ipsummet Deum inuenies omnibus illis vnitum, vt tibi benefaciat, si illum ames; aut puniat, si offendas: aspice inuisibilem in hoc rerum visibilium speculo, iunge cor tuum amore puro cum Creatore, qui intra illas est: venerare eius sapientiam, admirare omnipotentiam, fruere eius bonitate: & propter eam dilige omnem bonitatem creatam, quatenus in ea emicat etiam diuina. Et hac ratione amor creaturarum non aduersabitur amori Creatoris: quia omnes erunt tibi tanquam cœlum; manifestantes Dei gloriam, quam in se continent. Et ad eam allicientes, cuius causa in libro Canticorum
c Cant. 5. 14 dicuntur c *manus sponsi esse plena hyacinthis*: vt nobis significetur, omnia opera, quæ ab eo procedunt, etiamsi natura sua vilia & terrena, quatenus tamen ab eius manibus prodeunt, illisq; coniunguntur, esse instar gemmarum preciosarum, quas hyacinthos appellamus: vt, quia cœlos colore referunt, erigant nos ad cognitionem, & amorem rerum cœlestium, & diuinitatis in illis existentis. O *manus* sanctissimæ, *tornatiles & aureæ*: aureæ ob infinitam charitatem, qua opera ista perficitis, & tornatiles ob summam in agendo velocitatem: quæ tamen non propterea desinunt esse perfectissimæ: aperimini, vt animam meam cœlestibus vestris donis impleatis; vestraque luce illustrata, quicquid in terra aspexerit, sit ipsi cœlũ, agnoscẽti per hyacinthos

diuini-

diuinitatem manuum, quæ illos ſuſtentant; & per creaturas, digitos Creatoris eaſdem conſeruantes.

IN hunc modum te geres in aſpectu omnium Creaturarum, aſpiciens in ſingulis excellentiam, quam habent; & mox, eleuans oculos animæ ad Creatorem, qui eam illis communicauit, & quam in ſeipſo habet infinitè perfectiorem: vt fuſius in Tractatu tertio dicetur.

§. 4.

De Meditatione per Creaturarum ſimilitudines.

NVNC id ſolum addam: quòd poſsit ex viſibilibus creaturis deduci copioſiſsima materia ad modum quendam meditandi in S. Scriptura valde vſitatum, per ſimilitudines ſcil. & comparationes, diſcurrendo per proprietates earũ, eaſq; ad res inuiſibiles ac diuinas applicando in eo quod proportionem aliquam cum eiſdem habere poſſunt. In eum enim finem Scriptura S. manifeſtat ſecreta regni cœleſtis, gratiæ, & virtutum, & ipſiuſmet Dei per has ſimilitudines. Vocat enim Deum Solem & Ignem, vt diſcurrentes per harum duarum Creaturarum proprietates & effectus, quos faciunt; aſcendamus ad cognoſcendum quod eſt in ipſo Creatore, ſicut fecit S. Dionyſius, referens multa, in quibus tanquam in ſpeculis apparent Dei magnalia. Et ob eandem cauſam Chriſtus D. N. etiam appellatur Agnus, Leo, Lapis angularis, Vitis, & Arbor vitæ. Ipſa Gratia appellatur aqua viua & fons bulliens & ſaliens in altum. Regnum Dei comparatur theſauro abſcondito, margaritæ precioſæ, grano ſinapis. Et Canticorum liber his ſimilitudinibus eſt refertus, quibus declaratur diuini ſponſi excellentia; & animarum, quæ ſunt eius ſponſæ. In quibus ſimilitudinibus aduertendum eſt, vt, cum proprietates rei viſibilis, inuiſibili attribuuntur, addatur id, in quo hæc excellit, vtpote perfectior. Sicut ipſe Chriſtus Dominus gratiam ſuam aquæ comparans, vt intelligeretur, quam gratia eſſet præſtantior, dixit: a *Qui bibit ex aqua hac ſitiet iterum, qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum.* quaſi diceret, vtraq; aqua in hoc eſt ſimilis, quod ſitim extinguit: ſed intereſt, quod hæc corporalis ad modicum tempus extinguit; ſpiritualis verò in æternum. Et comparans panem Sanctiſsimi ſui corporis cum Manna dixit: b *Patres veſtri manducauerunt Manna in deſerto & mortui ſunt:* at de corpore ſuo, addit: *hic eſt panis de cœlo deſcendens, vt, ſi quis ex ipſo manducet, non moriatur.* In hunc ergo modum cum per huiuſmodi ſimilitudines & comparationes, meditationes tuas inſtitues, ita ex rebus viſibilibus ad inuiſibilia conſcendes; vt intelligas, multo plura eſſe in his perpendenda, ob inſignem earum ſupra alias excellentiam & exceſſum. Propterea ſiquidem in Canticis cum c *oculi ſponſæ* dicuntur eſſe *ſicut columbarum*; & d *genæ eius ſicut fragmen aut* e *cortex mali punici*, additur; *abſq; eo*

a Ioan. 4. 13.

b Ioan. 6. 48.

c Cant. 4. 1.
d Ibid. 3.
e cap 6. 6.

quod intrinsecus latet: quod est multò amplius, quam exterior similitudo exprimat.

ADHAEC licebit in Meditatione vti varijs similitudinibus, à minori ad maiorem adscendendo, vt sensim rerum spiritualiũ magnitudo æstimetur, sicut fit in Canticis, vbi dicitur. f *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens pulchra vt luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata.* Quasi diceret: nosse cupis, quæ sit anima iusti? id intelliges ex quatuor his similitudinibus quarum alia alijs est excellentior. in initio enim est sicut aurora, quasi lux exigua; sed crescit semper. Nam postmodum est pulchra vt Luna; deinde electa est & singularis in sua excellentia tanquam Sol; ac deniq; eò proficit, vt sit terribilis, & inuincibilis sicut castrorum acies benè ordinata, militum scil. inter se & cum suo Duce benè conuenientium.

Cant. 6.9.


EADEM quoq; ratione licebit inuisibilia, horrenda, ac detestanda meditari, qualia sunt vitia, & inferorum pœnæ, Dæmonum feritas, & aliorũ peccatorum, quos scriptura Sacra serpentibus, Basiliscis, ac Draconibus comparat; Tygridibus, lupis, alijsq; feris; ventis, tempestatibus, mari, & igni: in illis eorum proprietatibus, quibus sunt hominibus infesta: additis præcipuè illis, in quibus eisdem hominibus magis sunt noxia. His similitudinibus referti sunt libri prophetarum, & Apocalypsis. In quibus comparationibus idem quoq; seruandus est ordo, vt à minus horrendis ad terribiliora procedatur, sicut sapiens monuit g *ne intuearis vinum quando flauescit & cum splenduerit in vitro color eius; ingreditur enim blandè, sed in nouissimo mordebit vt coluber, & sicut regulus venena diffundet.*

Prou. 23.

NEC sine magno mysterio voluit DEVS vti frequenter his similitudinibus, non solùm quod hæ magis sunt nostræ naturæ conformes vt quæ inuisibilia solùm possit cernere in speculis rerum visibilium, sed etiam, vt frequens harum similitudinum aspectus, sit nobis continuum motiuum, quo recordemur rerum, quas illæ nobis referunt. & sicut eædem res, iuxta diuersas suas proprietates conferunt, ad agnoscendum vitium, & Virtutem; præmium, & pœnam; bonum Spiritum, & malum: Ita ex eisdem oportet nos excitari ad affectus diuersos, amoris, & odij; spei, & timoris; gaudij, & tristitiæ: alios alijs moderantes. Itaq; in luna agnosces Iusti pulchritudinẽ, Deum tanquam solem suum respicientis; & Insipientis mutabilitatem, se ab illo separantis: In Leone, Christi magnanimitatem, & Dęmonis feritatem; in igne, charitatis vigorem, & ardorem cupiditatis. In meditatione itaq; his rebus vteris, nunc ad vnum finem, nunc ad alterum, iuxta exigentiam & desiderium tuum. Siquidem ipse Deus (vt inferius videbimus) in supernaturali & extraordinaria oratione communicat internè hunc modum similitudinum, quo reuelat res altissimas & occultas.

CAPVT IV.

INCHOATVR TRACTATIO PROPRIAE COGNItionis, quæ obtinetur legendo, & meditando in libro propriæ Conscientiæ: aperiuntur tria maxima damna, quæ ex ignoratione ipsius proueniunt, & in quo illa consistat.



RIMA cura cupientium in scientia mystica proficere, & vitæ Contemplatiuæ præstantiam assequi, ea debet esse, vt multum studij ponant in cognitione sui ipsorum, legendo, & meditando in libro suæ Conscientiæ & vitæ propriæ. Hæc enim cognitio est prima litera Alphabeti Spiritualis; vt insinuauit Ieremias propheta, qui incipiens caput tertium suarum lamentationū ab Aleph primo Hebraici Alphabeti charactere, statim subiungit: a *Ego vir videns paupertatem meam* quasi diceret: Primū exercitium vitæ meæ, primumq; visus mei objectū est paupertas mea, in qua meditor, & in quo ostendo me esse virum: virilis.n.animus necessarius est ei, qui videns tantam paupertatem, non animo deficiat: nec me occupo in aliena paupertate inspicienda, quæ me non concernit, sed in mea, quæ me pungit: hic enim aspectus erit initium mei remedij, & quāuis vir sim valde excellens, non deerit mihi paupertas, quam aspiciam in meipso. quæ verè est paupertas mea. Nam, si quid boni habeo, illud non est meum, sed alienum, & à Deo mihi prouenit, cuius est totum quod est optimum. Nam ex me non habeo, nisi boni priuationem, quæ adeo ingens est, vt nec habeam oculos ad eam discernendam, nisi Deus illos mihi communicet. Nam à Diuino Spiritu oportet venire lucem, qua me videam & cognoscam.

a *Thren.* 3.1.

HI oculi, quos Deus dat ad sic videndū, non sunt sicut corporei, qui vident alios, sed seipsos & quod intra ipsos est videre non possunt: sed potius occupantur videndo seipsos, & sua; vt postea rectè aspicere possint reliqua. Huius figuram ait S.Greg. fuisse expressam, in ea quam vidit Ezechiel quatuor Sanctorum animalium sequentium impetum diuini Spiritus, b *vnumquodq;* (ait) *coram facie sua ambulabat.* Quid enim est coram facie sua ambulare, nisi seipsa sibi præsentia habere; sicut ambulare corā facie Dei est Deum sibi facere præsentem? Et quamuis vtrumq; sit ad spiritualem perfectionem necessariū, primum tamen horū dispositio quædam est ad secundum: ideoq; est ab eo inchoandum, vt monuit S. Bern. Papam Eugenium; à te (inquit) tua consideratio inchoet, ne frustra extendaris in alia, te neglecto. nam licet noueris omnia mysteria, noueris latitudinem terræ, altitudinem cœli, profunda maris, si te nescieris, eris similis ædificanti sine fundamento, qui laborat in structura, q̄ citò ruet. quicquid struxeris extra te, erit instar con-

Homil 4. *in Ezechiel.*
b *Ezech.* 1. 12.
Lib. 2. *de Consid. ad Eugenium P.*

gesti

gesti pulueris, ventis obnoxium. Non ergo sapiens qui sibi non est sapiens. à te proinde incipiat tua consideratio: non solum autem, sed in te finiatur. quocunq; euagetur, ad te reuocaueris eam cum salutis fructu. Quod si negligas teipsum aspicere, & cognoscere, euanescet quoq; à tuo conspectu Deus, & omnia bona, quæ in eius domo, in eius familiaritate, & societate obtinueras: sicut ipsemet monuit sponsam horrendis & terribilibus minis, c Cant. 1. 8. dicens ei: c *Si ignoras te ô pulcherrima inter mulieres, egredere & abi post vestigia gregum, & pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum.* O tremendam sententiam, à cœlesti sponso iustoq; iudice pronunciatam contra propriam sponsam, non turpem, sed pulcherrimam; non peccatricem, sed iustam; non rebellem, sed subjectam: nec animo illam è domo & societate sua repellendi, sed præseruandi ab eo, quod posset illam è domo exturbare. O quam horrendum est malum ignorantia sui ipsius: siquidem creaturam adeò pulcram, dignam facit tam aspera sententia. potuisset quidem Dominus blandius illam monere, vt seipsam cognoscere studeret, noluit tamen blandè, sed summo rigore vti, quia vera cognitio sui ipsius, non tam in suauitate & fauore, quàm in laboribus & repulsa consistit. In his enim facilius deprehenditur, quid ex nobis ipsis habeamus, quidq; nostra culpa promereamur. Ideoq; non sine magno mysterio dixit Ieremias, se agnoscere paupertatem d Thren. 3. 1. suam, d *in virga indignationis Dei.* Esto enim certissimè id cognoscatur ex lectione sacrarum Scripturarum, vbi supplicia, pœnæ, & minæ referuntur; multo tamen clarius eadem leguntur in propria experientia: cum oculis proprijs videmus, & auribus prope nos audimus, & intra nostras animas sentimus. Sed nunc videamus harum minarum atrocitatem in alieno capite, vt ita cauti ex ea euadamus, ne recidat in nostra propria.

§. I.

Tria grandia mala affert ignorantia sui ipsius.

Serm. 27. in Cant.

TRIA maledicta includunt hæ Domini nostri minæ aduersus omnes seipsos non agnoscentes, quatenus videlicet ignorantia sui ipsius (teste S. Bernardo) mater est, & socia superbiæ, omniumq; filiarum, quæ ab ea procedunt cuius prima pæna & maledictio indicatur primo illo verbo: *Egredere*, quod est dicere: Si te non agnoscis, recede à domo mea, in qua tanquam sponsam recepi; discede à protectione & gubernatione mea: ego enim nec pasco nec protego ignorantes se. Separa te à grege ouium mearum electarum, inter quas permanere non licet seipsam ignoranti; recede ab amicitia & familiaritate mea, non enim delector cum ea conuersari, quæ non nouit quid sit, & quid habeat. Exi quoq; à te ipsa, & à proprio corde tuo. Non enim intra seipsam quietem inueniet, quæ se ignorat. Exi de ab-

scon-

ſcondito faciei meæ, & vulnerum ac foraminum corporis mei. In his enim locis non poteſt conſiſtere, qui ita eſt cæcus, vt ſeipſum non videat. Deniq; recede procul à regno meo cœleſti, quo ingredi non poſſunt, qui paupertatem ſuam non agnoſcunt. Nec fidas pulchritudini præſenti. Nam ignorantia tui ipſius conuertet eam in deformitatem, & nigredinem; nec illa me continebit, quo minus tibi dicam: *Egredere & vade.* Pulcherrimi erant Lucifer in cœlo, & Adamus in Paradyſo; ſed quia ſeipſos non agnouerunt, nec ego illos noui, & repuli ex glorioſo adeò loco, quem occupabant. Nam a *ignorans ignorabitur.* qui videlicet ſeipſum ignorat, ignorabitur nec approbabitur à me: dicam illi in die nouiſsimo quod b *fatuis virginibus & operariis iniquitatis: neſcio vos*: d *diſcedite à me maledicti.* Talis enim ignorantia hanc etiam pœnam meretur, vt non patiar vos in mea præſentia conſiſtere. O Deus æterne, nouerim me, vt tu me agnoſcas: nec vnquam deſinam me in tua præſentia agnoſcere, ne mihi aliquando dicas: egredere ex domo mea.

a 1. Cor. 14 38.
b Matth. 25 12.
d Matth. 25 41.

2.

SED quò mihi eundum eſt, ſi me ignorem? *abi*(inquit)*poſt veſtigia gregum.* O tremendam maledictionem, nec minus horrendam, quàm fuerit proxima! Quid enim hoc aliud eſt dicere, quàm abi poſt brutas animantes, mores earum imitando, abi poſt tuas paſsiones earum explendo deſideria, vadat voluntas tua poſt id quod ei lubet; appetitus poſt ſuas cupiditates; ſenſus poſt voluptates ſuas; caro poſt ſuas libidines; imaginatio poſt ſuas chymæras; & ipſum iudicium poſt ſuos errores, permittam enim in tuæ ignorantiæ pœnam te in has deuenire miſerias. Et quæ maior miſeria paſtori euenire poteſt, quàm vt, qui gregem ſuum gubernare deberet, & quo ipſe vellet deducere, id non præſtet; ſed ſequatur ipſe potius, trahaturq; à grege ipſo errante, quò ille voluerit. Et quæ maior infelicitas rationali homini accidere poteſt, quàm quod ſe ſubijciat appetitionibus brutis, ratione carentibus, quæ illi pro meritis reddāt, e *facientes eum*(vt ait Sapiens) *in gaudium inimicis ſuis*? Hoc damnum timebat ipſa ſponſa, cum petijt à ſuo ſponſo: f *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi paſcas, ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum.* ad quod reſpondit ipſe: ſi ignoras te, incides in damnum quod prætimeſcis, & in horrendam maledictionem de qua dixit Deus: g *abſcondi ab eo faciem meam & indignatus ſum, & abijt vagus in via cordis ſui*, viuens pro ſuo libitu abſq; freno rationis. Ex quo prouenit, vt non ſolum veſtigia ſequatur brutorum; ſed etiam (vt S. Bernardus perpendit) procul & retro, tanquam illis miſerior, ſequatur. Nam illa miſeriam ſuam finiunt cum morte, poſtquam ſupplicia non timent: tu autem niſi te agnoſcas h *ligatis manibus & pedibus mitteris in tenebras exteriores*, luens pœna incredibili culpam tuæ ignorantiæ.

e Eccl 18. 31.
f Cant. 1, 7.
g Iſa 57. 17.
Serm. 35. in Cant.
h Matth. 22. 13.

3.

EODEM tendit maledictio tertia, quæ oſtendit ſeueritatem huius diuinæ

permiſsionis,qua dicit:*paſce hædos tuos*.quaſi diceret,non ſolum ſequere beſtiales tuas paſsiones; ſed etiam illas ale, illiſq; multum indulge, quaſi qui iam non ex ſola paſsione, ſed etiam ex malitia peccat. Paſce malas tuas cogitationes,phantaſias fœdas,deprauatas volũtates, & errantia iudicia,& opera laſciua ab his ad illa tranſeundo, nullo appoſito limine aut termino. Hi ſunt hædi tui: tui, quia tuum eſt quod peccas; hædi,quia eorum cauſa inter reprobos computaberis. Et quæ ad dexteram iudicis manum tanquam ouis eius gregis fuiſſes futura, collocaberis ad ſiniſtram inter hædos, qui ad gregem pertinent Dæmonis. Et propterea addit, *iuxta tabernacula paſtorum,* falſorum ſcil.faciendo quod illi faciunt; & ſequendo eorũ errores,falſaſq; doctrinas. Nam, qui ſeipſum non agnoſcit, facilè decipitur;& qui veſtigia Chriſti ſequi ſolebat, ſequitur nunc Antichriſti; & qui prius cogitationes ſuas ac deſideria in paſcuis cœleſtib. paſcebat, nunc eaſdem paſcit in paſcuis inferni; & qui habitationem ſuam prope Sanctos & Apoſtolos collocabat, nunc aſſociatur infidelibus & abominandis peccatoribus, cum quibus partem ſuam habebit ex DEI ſententia dicentis: i *Quo pulchrior es, deſcende & dormi cum incircumciſis*.O anima,quæ iactas magnam tuam pulchritudinem, niſi te agnoſcas,quò eras pulchrior,eò eris abiectior:deſcende ex iſta altitudine,dormi cum incircumciſis:morieris enim cum infidelibus, & cum gentibus peribis.O fons veræ pulchritudinis, da mihi cognitionem propriam, quæ illam generat & conſeruat: aufer verò mei ipſius ignorantiam, vt pulcher ſim in tuo conſpectu, nec me vnquam è domo tua repellas.

Greg. ib. — *Ezech. 32.* — *Greg. 24. moral. c. 3.*

§. 2.

Variæ ſuipſius Ignorantiæ.

VT GRAVISSIMA hæc damna ignorantiæ tui ipſius euadas, neceſſe erit explicare in quo hæc ignorantia conſiſtat. multi enim ea laborant,qui tamen eam non nouerunt;& exiſtimantes, quod ſeipſos agnoſcant, vehementer in eo errant. fabricant enim conceptum quendam ſuipſorum, rerumq; ſuarum adeò à veritate alienum, vt non imago aut exemplar ſit verum eius quod habent; ſed fictum quoddam idolum propriæ ſuæ apprehenſionis.Quod vt oſtendamus,ſufficiet ſcire,hanc ignorantiam ad extrema duo perueniſſe, quæ magis inter ſe diſtant, quàm cœlum & terra,vtrumq; cæcum & ſtultum. Quoſdam enim adeò excæcauit ſuperbia, vt formarent de ſe conceptum quendam diuinitatis,faciendo ſeipſos Deos,& collocando ſe tanquam idolum cæterorum hominum, ſicut Princeps ille Tyri,qui dixit: a *Deus ego ſum,& in cathedra Dei ſedi in corde maris.*

Ezech. 28.

ALIOS in contrario extremo adeo carnalitas excæcauit, vt beſtialitatis quendam conceptum de ſeipſis fabricarent,iudicantes ſc. animam ſuã mor-

talem esse,& sicut brutorum corruptibilem, vt quæ simul cum corpore intereat. Tales illi fuerunt,qui dicebant : b *comedamus & bibamus,cras enim moriemur*.Quæ ergo extrema esse possunt magis dissita & stulta, quam isti duo sint errores? Quos non solum sacra fides reprobat, sed ipsum naturale lumen planè condemnat, clarissimè ostendens, neq; animam esse Deum,nec esse posse nisi Dei facturam,qui illam ex nihilo creauit;à quo esse accepit,& ab eodē ita dependet, sicut lumen à sole, qui illud producit, & conseruat. Nec tamen mortalis est,aut perit cum corpore; sed immortalis & æterna,vt ostēdit ratiocinationis eius nobilitas,& ingenuitas liberi eius arbitrij,eiusq; independentia à carne in his actionibus, ac deniq; naturalis appetitus,quem habet ad sui memoriam perpetuam in mundo efficiendam.

b *Isai.22.13.*
b *Sapien.2.6.*

1. SED his ignorantijs,tanquam crassioribus relictis,ad alias subtiliores veniamus. Quarum *prima* est circa iudicium bonorum & malorum , quæ intra nostram ipsam animam habemus, circa quæ sunt intolerabiles deceptiones, stultæ cogitationes,idola & statuæ insignis vanitatis. Vix enim est qui penuriam suorum bonorum , grauitatem verò malorum agnoscat.extollunt enim bona,quæ habent,& imminuunt mala,omnino aliter quam reuera sint. Multi se iustos reputant , qui tamen sunt peccatores ; sapientes iudicant ac prudentes, & sunt ignari & imprudentes ; credunt se humiles esse,& mortificatas habere suas passiones , qui pleni sunt superbia, valdeq; in illis viuunt inordinati affectus : peccata sua iudicant fuisse leuissima , cum grauissima fuerint ; persuadent sibi egregia se facinora perfecisse , cum valde fuerint communes & abiectæ actiones:fingunt itaq; formantq; conceptum suipsorum rerumq; suarum contrarium omninò ei quem Deus de ipsis habet;ac proinde valde erroneum. Nam conceptus,quem Deus de nobis habet,verus est,ac proprius:& ille esse debet regula nostrorum conceptuum. Talis erat cogitatio,quam ille Episcop. habuit,cui hæc verba dixit Deus : c *dicis quod diues sum,& locupletatus , & nullus egeo: & nescis,* quia es ignorans & insipiens.contrarium.n.ego iudico & video : quia *tu es miser & miserabilis;& pauper,& cæcus; & nudus* ab omni bono, quod tu tibi cogitas.

c *Apoc. 3.17.*

2. QVID aūt dicam de ignorantia earundem actionum,quas quotidie exercemus,in quibus similes errores passim inueniuntur?dum.n. opus facimus, sæpe cogitamus esse bonum , Deoq; placere : cum tamen prauum sit,Deiq; oculis displiceat. Fingimus nobis,illud ex Zelo prouenire, oritur aūt ex ira; aut ex amore diuino procedere , quod procedit à proprio;aut ita esse perfectum vt nihil ei desit perfectionis: cum tamen multis imperfectionib.ac defectib.scateat.Propterea siquidem dixit Sapiens : d *est via, quæ videtur homini recta,& nouissima eius ducunt ad mortem.* Et Isaias horrendum *væ* minatur *ijs, qui dicunt malum bonum , & bonum malum : ponentes tenebras lucem , & lucem tenebras ; ponentes amarum in dulce , & dulce in amarum.*

d *Prou. 16.25.*
Isai.5.20.

3. NEQVE minor est ignorantia in eo quod facere possumus, quàm in eo quod facimus, dũ nostræ naturæ tribuimus, quod est gratiæ DEI; nostrisq; meritis, quod ipsius est misericordiæ; nostris deniq; viribus, ꝙ præstamus alienis, communicatis scil. à liberalitate Conditoris. Hac ignorantia excæcati fuerunt Pelagiani, eorumq; sequaces, hodieq; excæcantur multi superbi, præsumentes ac iactantes, dicentes intra se: e *manus nostra excelsa, & non Dominus fecit hæc omnia*; aut f *in fortitudine manus meæ feci* hæc omnia, *& in sapientia mea intellexi.*

Deuter. 32. 7. Isaiæ 10.

4. SED quid mirum, si in rebus animæ nostræ secretiorib. adeò cœcutiamus, cùm sint plurimæ multò clariores, quæ ipsum corpus concernunt, quæ tamen æq; ignoramus, eò quod earum originem finemq; & inconstantiam earundem non consideremus. cogitabis, te bona valetudine vti, fortunas in multos annos & honorẽ habere: & eodem tempore disponitur intra ipsum corpus morbus, vt ꝓpè iam sis ad portas mortis; aut calũnia aliqua texitur, aut lis, ob quam bonis tuis spoliaberis, sicut diues ille, qui dicebat sibi: g *habes anima mea multa bona posita in annos plurimos: requiesce, cõede, bibe, epulare:* cogitanti autem hæc Deus aperuit illius ignorantiam & stultitiam, dicens: *stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te, quæ autem parasti cuius erunt?* ô quam iustè deflebat S. Iob miseriam h *viri, cuius abscondita est via, & circumdedit eum Deus tenebris.* Nescit enim, num via, quam ambulat, recta sit; & num felicem sit sortitura finem, cùm enim omni ex parte sit tenebris circumdatus, præteritorum non recordatur; & quæ futura sunt ignorat; & multa eorum, quæ sunt præsentia, non assequitur. Nam cùm nihil ipsi sit magis proximum, quam ipsemet, nihil tamen minus cognoscit, quam seipsum. Quamobrem ait S. Basilius; verissimum esse Homeri dictum: Quod nihil sit difficilius, quam se ipsum agnoscere. Quod ipse Deus confirmat dicens: i *prauum esse cor hominis & inscrutabile: quis cognoscet illud? ego Dominus scrutans cor.* O iudex viuorum & mortuorum, doce me cor meum scrutari, ac in libro meæ conscientiæ ita legere; vt eam agnoscam, malaq; eius reparem: quò in die nouissimo, quando hic k *liber aperietur*, inueniatur benè scriptus, omnibus deletis malis.

Luc. 12. 9. Iob. 3. 23. Hom. 18 de ...um & van. ...lor. Ier. 17. 9. Apoc. 20 2.


Ex dictis hactenus facilè intelliges, quàm sit necessarium, frequentare exercitia, & considerationes, quib. tui ipsius cognitionẽ consequaris, designato sufficienti tempore, quo in hanc rem incumbas, donec eam perfectè assequaris. Hæ considerationes duo rerum genera complectuntur: mala scil. nostra, & miserias; bonaq; ac dona, quæ Deus nobis tradidit, ad miserias reparandas. Primæ illæ res magis propriè pertinent ad nostri cognitionem: mala enim & miseriæ sunt verè nostræ, & à nobis ipsis originem ducunt: sed bona sunt Dei, quæ si dicamus nostra, ideo est, qui ex misericordia & gratia sua illa in nobis collocauit.

HINC

HINC fit, vt propria tuiipsius cognitio in hoc consistat, vt formes conceptum quendam tuipsius, rerumque tuarum verum, integrum & bene plenum, separando preciosum à vili, quod scilicet habes à teipso, ab eo quod habes à tuo creatore, & eius gratia. Considerans teipsum tanquam pauperem, mendicum, egenum, & ab omnibus bonis nudum: innumeris verò malis oneratum. cùm verò aspicis bona, illa considera tanquam aliena, & ex eleemosyna & gratia accepta: tribuens illa Deo largitori, eo modo, qui in sequentibus capitibus declarabitur, incipiendo à cognitione miseriarum, quæ in decursu vitæ nobis eueniunt, ab ipsa natiuitate vsque ad mortem, iis præmissis, quæ in prima parte Meditationum sunt posita.

CAPVT V.

DE PROPRIA COGNITIONE EX MISERIIS, quæ tum à peccato Originali, tum ab aliis actualibus nobis eueniunt; & ex nihilo, quod ex nobis ad bona opera habemus: & quod ex his ascenditur ad cognitionem Dei.



VONIAM propria cognitio obtinetur legendo & meditando librum propriæ conscientiæ, ac vitæ nostræ, redigenda sunt in ordinem, quæ in eo sunt scripta: perpendendo & ruminando tria præcipuè genera characterum, seu sententiarum, quarum sacri libri prolixam faciunt mentionem.

QVAEDAM enim sunt sententiæ scriptæ manu primi nostri parentis Adami, per generationem scilicet carnis: alias tu ipse scripsisti, ac verò scribis quotidie propria manu, addens sponte tua miserias voluntarias supra naturales & hæreditarias: alias scripsit ipse Deus, scribitq; quotidie, ac verò scribet, vt tuas promeritis pœnis afficiat, iuxta illud quod ei dixit Iob: a *scribis contra me amaritudines, & consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ.* Sicut enim tu in hoc libro culpas, & peccata scribis; ita Deus scribit pœnas. Et ex vtroque simul disces cognitionem Dei, quo ad seueritatem iustitiæ eius, & profunditatem iudiciorum, aliorumque diuinorum attributorum his affinium: & progrediens, peruenies ad cognitionem rerum, quas Deus scribit in eodem libro, ad reparandas tuas miserias, teque ipsum suis misericordiis implendum.

a Iob. 13. 26.

VT hæc omnia exactiùs intelligas, adhibere quoque licebit speculum

siue librum alium præter eum, in quo continetur diuina scriptura, speculum videlicet, in quo videas, quæ cæteris hominibus quotidie eueniunt. eorum enim miseriæ clarius tuas patefaciunt. Nam (vt S. Gregorius ait) amor proprius excæcat oculos animæ in rebus propriis, vt turpe quod amat, pulchrum esse iudicet: quod idem, si videt in alio, melius aduertit eius fœditatem. Sicut Dauid proprium peccatum agnouit in alieno, quod Nathan propheta illi proponebat, dicens, b *peccaui Domino.* Necesse tamen est, considerationem hanc esse profundam, humilem, dolentem, & cum applicatione ad reparandum malum, quod deprehendes; alioquin c *comparaberis* (vt ait S. Iacobus Apost. *viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo: considerauit enim se, & abiit: & statim oblitus est, qualis fuerit.*

Hom. 4. in Ezech.
b 2 Reg. 12. 13.
c Iacob. 1. 23

§. I.

De peccato originali eiusque vulneribus.

INCHOANDO itaque à primis libri characteribus quos propria manu depinxit Adamus terrenus in ipso puncto tuæ conceptionis, deprehendes (sicut dixit Dauid) a *quod in iniquitatibus fueris conceptus: & in peccatis te conceperit mater tua.* licet enim in solo peccato originis fueris conceptus: eo ipso tamen plurima accepisti vulnera, quæ initia sunt innumerabilium peccatorum. Hæc vulnera (vt ait Beda) sunt quatuor, ignorantia scilicet, malitia, debilitas, & concupiscentia; quibus quatuor præcipuæ animæ facultates afficiuntur. Nam intellectus repletus fuit ignorantiis & tenebris. Natus enim es absque fidei lumine, naturali etiam obscurato, sine prudentia, sine scientia, sine cognitione veritatum, subiectus mille erroribus, illusionibus, ac deceptionibus. Voluntas accepit etiam vulnus malitiæ, ob defectum charitatis, peruersæ inclinationis ad seipsam, vt legem diuinam nihili faceret. eodem tendit concupiscibilis, accepto vulnere concupiscentiarum, & cupiditatum, quibus quærit quæ delectabilia sunt huius vitæ, quæ per sensus aditum habent: de quibus propterea ait Scriptura, quod b *sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia,* & natiuitate *sua.* & pro omnium miseriarum coronide accedit vulnus infirmitatis seu debilitatis ad quodcunque bonum præstandum: quod vulnus inflictum est facultati irascibili, quæ esto sit audax & animosa ad prosequendum quod carnem delectat; est tamen pusillanimis ac debilissima ad ei contradicendum, & obediendum spiritui. Ingredere igitur teipsum consideratione, & incipe legere ac meditari quatuor has miserias; & quanta earum pars tibi contigerit: vt sic humilieris, nec tibi aliquid tribuas, vt qui procedas à tam corrupta radice, adeoq; infectus ab ea processeris, cum periculis perpetuæ damnationis, nisi diuina misericordia tuam intercipiat miseriam. c *Radix tua* ait ipse

a Psal. 50. 7
Ex Gloss. in Luc. 10. S. Tho. 1. 2. 85. 4. 3.
b Gen. 8. 21.
c Ezech 16. 3

Deus

Deus per Ezech. *& generatio tua de terra Chanaan, pater tuus Amorrhæus & mater tua Cethæa & quando nata es in die ortus tui, non est præcisus vmbilicus tuus,* nec vena tui nutrimenti fuit alligata, *& aqua non es lota in salutem, nec sale salita, nec inuoluta pannis, nec pepercit super te,* aut misertus est tui *oculus, vt faceret tibi vnum de his,* in refrigerium scilicet tui: *sed proiecta es super faciem terræ in abiectione,* & periculo *animæ tuæ. transiens autem ego per te, vidi te conculcari in sanguine tuo, & dixi tibi: viue: dixi, inquam, tibi: in sanguine tuo viue.* O si rectè scires teipsum in hoc speculo intueri, vt cognosceres, quid sis ex tua natiuitate; & quid fecerit Deus tibi. Si enim radicem tuam aspicias, procedis à terra Chanaan, qui fuit à patre suo Noe maledictus. Natus enim fuisti in peccato originis, maledicto subiectus, quod inde nobis prouenit. Pater tuus fuit Amorrhæus quod significat rebellem, seu amarum: es enim filius Adami, qui superbè quærens dignitatem & excellentiam, cecidit in amaritudinem culpæ, mortisque, quam sua superbia est promeritus. Mater tua est *Cethæa,* quod interpretatur stulta, aut quæ alios stultos facit. es enim filius Euæ, quæ passa est se à serpente seduci, existimans se futurã sicut Deũ: quam stultitiam suis quoque filiis communicauit, sicut Adam amaritudinem. d *Qualis* enim *Adam terrenus, tales & terreni.*

D. Hieron. & Lyra ibi.

d 1. *Cor.* 15. 48.

AB his parentibus natus es filius iræ, peccatorum sanguine maculatus, & multis miseriis infectus: vt in tota natura non sit aqua salutis, potens lauare illam culpam; nec sapientiæ sal sufficiat ad subueniendum tuæ tantæ ignorantiæ: nec panni virtutum, quibus tua nuditas & malitia contegatur; nec est, qui ruptas tuorum appetituũ venas alliget, ne sanguis erumpat cupiditatum: nec est, qui abiectionem tuam erigat, teq; animet, vt tot miserias euadas. omnes enim creaturæ te abiectam relinquunt in terra; corde adhærentem rebus terrenis; inbecillem, & absque virtute, vt possis te ab eis extricare. Sic itaque constituto quid aliud tibi sperandum erat, nisi æterna damnatio? aut certè dic mihi quid infelix ille homo spei habere poterat, qui e *descendens ab Ierusalem in Iericho incidit in latrones, qui dispoliauerunt eum,* & in multis partibus vulnerarunt, & sanguinem ex vulneribus fundens in eam animi defectionem venit, vt *semiuiuus,* aut semimortuus *relinqueretur.* & supra hæc omnia illud accessit mali, vt à *sacerdotibus & leuitis,* qui illum viderunt & *transiuerunt,* desertus fuerit, & absque vllo remedio relictus, sine vllo dubio mortuus fuisset, nisi pius *Samaritanus accessisset, & curam eius gessisset.* Tu autem es ille infelix, qui dum in voluntate Adami peccasti, in manus infernalium latronum incidisti, qui te iustitia & sanctitate spoliatum vulnerarũt, tuasque facultates quatuor prædictis vulneribus sauciarunt, semique viuum reliquerunt. Quia nihil aliud in te viuum remansit nisi scintilla rationis ac liberi arbitrij, adeò tamen debilitati, vt neque ipsum possit se sanare; aut reparare vitam, nec sit vlla Creatura, ad eam reparatio-

e *Luc.* 10. 30

nem

nem sufficiens. Quid ergo stulte superbis, sicut mater tua Eua? ô superbe, quid quæris famam & honorem, sicut pater tuus Adamus? ô miser, cur te non abiicis, cùm tot in te cernas miserias, tot vulnera, tot pericula & exiguum eorum remedium.

SED postquam quis ipse sis cognoueris, ne animo deiiciaris, & aspectu rei adeò abiectæ, stomachumque mouentis affligaris: eleua oculos ad videndum, quid sit Deus, & qualem se exhibuerit erga te, in misero illo statu iacentem. Tunc enim magnus ille misericordiarum Pater, pericula tua & miserias videns, commiseratione tui permotus dixit tibi: *viue, dixit, inquam, viue.* Et quoniam ipsius dicere est facere, simul restituit tibi vitam gratiæ, magnaque præstitit auxilia, vt culpæ tuæ reliquias abstergeret. Aqua salutis te lauit in Baptismo, mundans à peccato originis, infudit sapientiæ cœlestis salem cum lumine fidei, qua tuam expulit ignorantiam; induit te vestimento charitatis aduersus malitiam, dedit tibi supernaturales virtutes, quibus tuarum cupiditatum venæ ruptæ ligarentur, deiectæque tuæ vires erigerentur: certum etiam præbens pignus, quod ex parte sua sit subsidia præbiturus suæ gratiæ, ad consequendam vitam æternam. Pius enim hic Samaritanus, non solùm alligat vulnera; sed etiam infundens vinum & oleum suorum Sacramentorum, restituit sanitatem; teque collocat in hospitio Ecclesiæ suæ, alium tibi assignans patrem, & aliam Matrem, non terrenos sed cœlestes, qui curam tui gerant: multosque ministros suos constituit, qui te iuuent, vt perfectè sanitati restituaris. Laudent te, Deus meus Angeli & creaturæ omnes benedicant, ob tot beneficia in adeò indignum collata: nouerim me, & quid sim ab origine meæ carnis, vt me humiliem: nouerim & te, & quod à te accepi in spirituali regeneratione, vt resumam spiritum ad tibi constanter seruiendum, donec consequar coronam gloriæ. Amen.

§. 2.

De peccatis actualibus aliisq; miseriis.

POSTQUAM legeris, meditatusque fueris characteres in te scriptos, tum à terreno Adamo; tum à cœlesti, ad reparandum, quæ ille destruxerat, poteris aggredi ea, quæ tu ipse propria tua manu scripsisti, libertate tua vtens, ad innumera actualia peccata admittenda, per totum vitæ tuæ progressum: ad eum modum, quo id faciebat S. ille Rex, qui Deo di-
Isa. 38. 15 cebat: a *recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ:* his verbis significans, hanc cogitationem debere esse profundam, quæ scrutetur secretissima quæque per omnes actus & exercitia totius vitæ, cum dolore cordis, & in ipsius Dei conspectu: vt maiorem tibi adferat pudorem, & inde ascendas ad cognitionem eius Domini, qui tam diu te sustinuit.

INCIPE igitur recogitare omnia peccata, quæ à quatuor prædictis vulneribus à culpa originis inflictis, processerunt: Et inuenies tot esse peccata ignorantiæ, tot inaduertentiæ, & obliuionis, vt nec numerare ea sufficias; nec lumen habeas ad ea cognoscenda; nisi vt cum Dauide dicere possis: b *delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris*: c *& ab occultis meis munda me*. Quomodo ergò enumerabis peccata passionum, quæ fluxerunt ex vulneribus effrenium cupiditatum? & ea, quę ex infirmitate admisisti, ob timiditatem & pusillanimitatem tuam? & quis numerus erit peccatorũ malitiæ, quæ praua tuæ voluntatis inclinatio produxit? Hæc enim est d *sanguisuga*, cuius ait Sap. *duas esse filias dicentes, affer, affer*. Hæc enim bestiola duo habet ora, quæ Sap. appellat filias: alterum in capite, alterum in cauda: quibus carnem arripiens, sugit sanguinem tanta auiditate, vt videatur nunquã satura futura: Ita ait S. Bernard. voluntas propria, originis culpa sauciata, duas habet vehementes inclinationes, alteram superiorem, ad honores & excellentias; alteram inferiorem, ad delicias seu voluptates: & vtraque est insatiabilis: quia nec animus vnquam vanitatibus satiatur, nec voluptatibus caro: quas vt assequantur; eisq; fruantur, sugunt & hauriunt innumera peccata, quibus cruentant & maculant animã: quia semper dicunt: affer, affer.

b Psal. 24.
c Psal. 18.
d Prou. 30. 15.
Iansen. in eum locũ. In declamat, *ecce nos reliquimus omnia*.

NAM admissa vna vanitate & voluptate, alteram mox appetit; & statim atque vni culpæ consentit, pro altera suspirat; & post minorem concupiscit maiorem; & sic vsque ad supremam: id quod facit continuato tempore, die ac nocte. Statim enim atque homo euigilat à somno, illa quoque euigilat, aperitque ora sua, appetens escam & sanguinem suum sugens. Statim atque videt honorem aut voluptatem, illis adhærescit, & affectione arripit, cupiens sibi sugere: imò etiam bona opera arripit, vt aliquid vanitatis, sensualitatis, aut interesse, siue vtilitatis sugat. Quibus ita eam maculat, vt omnes tales e *iustitiæ tanquam pannus menstruatæ sunt* & stomachum moueat vel ipse eorum aspectus.

e Isa. 64. 6.

2. ET vt semel concludam; si ad fundum venire velis propriæ cognitionis existimare debes, adeo esse insatiabilem maledictæ huius sanguisugæ sitim, cum vtraq; sua filia: tantumq; sanguinem peccatorum, quem vtroque ore haurire cupit, vt, nisi diuina misericordia ea clauderet gratia sua, maledicta illa inclinatio te deduceret eoque abijceret, vt omnia peccata, quę in mundo fiunt, admitteres. & quotquot vides in aliis hominibus, & audiuisti aut legisti in libris sacris ac prophanis. Et cùm tu adeò sis debilis, vt solis viribus tuis nec has filias mactare, neque ora hæc claudere possis: tibi ipsi attribuere potes omnia peccata, quæ posses admittere, quò altiùs in humilitate funderis; & similiter omnes pœnas, quæ propter illa peccata sunt cõstitutę, siue temporales siue æternas, existimare potes te esse promeritum, vt magis in Dei amore eiusque iustitia proficias. Quod si pertingere posses, ingre-

dique in abyssum diuinæ sapientiæ, & in profunditatem occultorum eius iudiciorum, intelligeres peccata, quæ Deus in te nouit, siue quæ hactenus admisisti, siue quæ admitteres, si manum ille suam à te subtraheret: & in quę fortè incides, permittente id ipso in pœnam tuæ superbiæ & negligentiæ. & hæc consideratio altius te fundabit in cognitione tuiipsius, vt studeas, magis te coniungere Deo, à quo vides te omninò dependere.

QVÒ verò clarius adhuc aliquid horum perspicias, statui ponere tibi ob oculos quendam librum, quem ostendit Angelus Zachariæ prophetæ, Zach. 5. 1. tanquam magnam membranam; quæ per aërem volabat: & f *longitudo eius erat viginti cubitorum, & latitudo eius decem cubitorum:* cuius titulus & argumentum erat: *Hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem omnis terræ: quia omnis fur sicut ibi scriptum est, iudicabitur, & omnis iurans ex hoc similiter iudicabitur: Ego educam, ait Dominus exercituum illud* in lucem: *& veniet ad domum furis, & ad domum iurantis in nomine meo mendaciter, & commorabitur in medio domus eius, & consumet eam, & ligna eius & lapides eius.* O si magni consilij Angelus oculos tibi aperiret, vt eius libri scripturam legeres & intelligeres, & eius longitudinem & latitudinem, & titulum siue inscriptionem, & modum, quo descendit de cœlo: locum, ad quem tendit, & in quo moratur: & stragem, quam ibi facit. Non enim est aliud hoc volumen, quam distincta notitia, quam Deus habet eorum peccatorum, quæ homines scribunt in libris suarum conscientiarum: & suppliciorum, quæ propter illa merentur, vt eos iudicet tempore suo, & cuique infligat pœnam, culpæ eius proportionatam: & in illo libro designata & constituta est pars pœnæ, quæ te continget.

ELEVA igitur oculos mentis ad legendum quod in eo libro continetur: & inuenies horrendas quatuor miserias culparum & pœnarum.

Prima miseria est, quod peccata sint innumera, ideo enim libri latitudo Gen 31. 7. erat decem cubitorum, denario illo numero significans, iuxta scripturæ sa- Apoc. 2. 10. cræ consuetudinem, innumeram multitudinem. Quamuis enim propheta solum dicat, scripta ibi esse furta & periuria: quia illa tunc magis in vsu erãt: per illa tamen duo vitia, quorum alterum est recta contra proximum, alterum contra Deum, intelliguntur cætera peccata cogitationis, verbi, & operis: quia Deus non obliuiscitur scribère in libro suæ memoriæ aliquid eorum, quæ tu scribis in libro tuæ conscientiæ: simul verò cum ipsa culpa scripta & notata est pœna, quæ tibi inferetur, nisi pœnitentiam egeris.

2. HAEC miseria crescit multum, accedente secunda, duratione scilicet continua & perpetua, quam pœnæ illæ ex seipsis habent. Propterea enim liber ille duplo plures cubitos habet in longitudine, quam in latitudine, vt significetur, quod ibi scriptum est, æternum duraturum, nisi Deus, ob nostrã pœnitentiam, illud deleuerit, quæ in sola ipsius misericordia fundatur. Peccatum enim, quod semel admisisti, quantum est ex parte tua, esset æternum,

& gra-

& gratiæ vita, quam semel amittis, æternùm esset amissa: quia non habes facultatem ad illam reparandam. Sicut violentas tibi manus inferens; occidere te potes: te autem resuscitare non potes. Et propterea pœna, in mortali peccato decedentis, est æterna: quia eius culpa semper durabit in inferno, vbi non est locus pœnitentiæ.

ET quamuis hæc duo mala adeò sint grauia, additur tamen illis tertia miseria, certitudo videlicet & velocitas, qua veniunt, quæ exprimitur per volatum: *volumen* enim erat *volans*, magno scilicet impetu. Nihil enim est in mundo certius, facilius, ac velocius, quam labi hominem in peccata, & mittere Deum de cœlo ei debitas pœnas. 3.

QVID verò dicis de strage quam adferunt? nam etsi mala illa volent, non tamen citò transeunt, sed in illa infelici anima commorantur, quasi ex instituto: & sicut peccatum semel admissum instar pestis, inficit omnes potentias, & omnes destruit virtutes: sic à Deo constitutum supplicium destruit postea animam & corpus horrendis inflictis cruciatibus. 4.

ET propterea non est sine mysterio, vt quod translatio vulgata vocat volumen; alia, quam sequitur S. Chrysostomus vocet *falcem volantem*: ad significandam atrocitatem, infallibilitatem, & festinationem horum suppliciorum & pœnarum. Quod si me interroges, quibus personis hæ minæ dicantur? Titulus voluminis ad id respondet: *hæc est maledictio, quæ egredietur supra faciem omnis terræ.* Omnes enim ei subijciuntur, & omnes comprehendit, cadetque super omnes, nisi diuina misericordia eam prohibeat. Ingredere itaque ô miser, intra teipsum & attentè lege ac meditare, quicquid liber hic continet, priusquam DEVS in die nouißimo illum in lucem proferat. Aspice illam partem, quæ iam prodiit in peccatis, quæ hactenus admisisti, & in pœnis hactenus tibi inflictis: & statim illam aliam, quæ iam imminet: & attende, quod liber & falx diuinæ iustitiæ venit volans, & fortè prope est, vt super te sedeat: sentiasque ictum eius cum id minime cogitas: & siquidem tot miseriis subiectus es, agnosce illas & humiliare.

Hom. 15. 19. & 27. ad pop. Theodoret. & Patres Græci.

NE tamen animum omninò abiicias, poteris per hunc eundem gradum propriæ cognitionis, ascendere ad cognitionem infinitæ Dei misericordiæ & omnipotentiæ; vt eum diligas, laudes, & fideliter eidem seruias. Ipse enim est Deus, qui vtrumque maledictæ huius sanguisugæ os occlusit; ne totum sanguinem peccatorum, quem vehementer cupiebat, exsugeret. Idem Deus est, qui ex eiusdem sanguisugæ ventre sanguinem, quem illa iam exsuxerat, extraxit: cùm te ad veram pœnitentiam permouit. Hic Deus est, qui ostendit tibi librum, & falcem per aëra volantem, vt videas, legas, & contempleris, priusquam descendat, feriatque terram, vt fugias, & ictum præuenias. Hic Deus est, (ait S. Gregor.) qui ob oculos tibi ponit scripturam diuinam, *Lib. 15 Mor.* 5.

ſignificatam etiam per hoc ipſum volumen, volans eleuatum ſuper terram: vt legens & meditans quæ in eo ſcripta ſunt, eleues cor tuum à terrenis ad cœleſtia; fugiaſque peccata, quæ prohibet; & euadas pœnas, quas minatur; ames verò ſeruiaſque fideliter iudici adeo beneuolo, qui tanquam pater monet in tempore, vt teipſum malaque tua agnoſcens remedium adhibeas. O pater miſericordiarum? *nouerim me, & nouerim te.* Nouerim innumeras miſerias meas, vt me humiliem: & ex eiſdem cognoſcam ſeueram tuam Iuſtitiā, vt te timeam; & immenſam miſericordiam, vt te diligam; tibique obediam.

§. 3.

De menſura peccatorum vniuſcuiuſque.

SED adhuc ſupereſt multo amplius, in quo poſsis profundius deſcendere in cognitione tuorum peccatorum, ſi verè deſideres cognoſcere teipſum. Nam vel in vno ſolo peccato lethali latentes inuenies, tanquam in ſemine, omnes miſerias temporales, & æternas, quæ euenire tibi poſſunt, cum modo quodam tremendo: & quandocunque illud admittis, exponis te periculo eas ſubeundi. Nam, quod in te eſt, omnibus illis te ſubijcis.

1. QVOD vt intelligas, diligentius attende magnum Deum, æternum & ſapientiſsimum, a *qui omnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuit*, ab ipſa ſua æternitate vidiſſe, ac limitaſſe numerum annorum menſium, dierum, & horarum, quo velit ſuſtinere & expectare omnes peccatores; menſuram quoque peccatorum, & pondus ac grauitatem eorum, quam velit permittere: quo numero expleto, & qua menſura impleta, eos caſtigat vltimâ miſeriâ, mortis ſcilicet temporalis, & æternę. Et, ob ſecreta ſua iudicia interdū numerus ille maior eſt, & latior menſura, interdum verò & numerus eſt paruus, & menſura anguſta. Nā ſunt aliqui prædones qui ad primū furtū incidunt in manus Iudicis, & in patibulo culpā ſuam luūt; alij verò perueniunt ad ſenectutem poſt multa latrocinia, & tunc incidunt in manus Iudicis, eandemq; ſubeunt pœnam, quā alij propter primū latrocinium: Sic inquā occulto diuinæ iuſtitiæ ordine euenit, vt aliquis peccator primis vitæ ſuæ annis, & cum paucis peccatis, & fortè vnico ſolo impleat deſtinatam menſurā: & qui vix dum viuere incœperat in mundo, repente transferatur ad infernū. Sicut miſerandus ille puer quinquennis de quo refert Sanctus Gregorius quod blaſphemans in vlnis ſui parentis, raptus fuerit à Dæmonibus ad infernū: eò quòd tantum haberet vſum rationis, vt cognoſceret ſe malefacere blaſphemando. Alios verò ſuffert Deus vſq; ad ſenectā, & tūc admittunt aliquod delictum, quo implent ſuam menſuram; inciduntq; in manus diuinæ iuſtitiæ, à qua b *quantum glorificarunt ſe, & in delicijs fuerunt, tantū accipiunt tormentum & luctum.* ſicut euenit miſeris illis ſenibus, qui S. Suſannam

a Sap. 11. 21

Lib. 4. Dial. cap. 18.

b Apoc. 18. 7

con-

concupiuerunt, quibus Daniel dixit: c *inueterate dierum malorum nunc venerunt peccata tua,* & numerus eorum impletus est, vt simul omnia luas. Et quamuis in primo casu emineat magis diuina Iustitia, admixta tamen est ei misericordia, quæ præuenit peccata Iuuenis, vt leuiores ferret pœnas in inferno. Contra verò, licet in secundo casu resplendeat misericordia diuina, tam diu expectans peccatorem ad pœnitentiam; eidem tamen admiscetur seuera Iustitia, nam, vt dicitur in libro Machabæorum: d *expectat Deus patienter alias nationes, vt eas cum iudicij dies aduenerit, in plenitudine peccatorum puniat.*

c Dan 13. 52.

d 2. Mach. 6. 14.

2. HINC licebit colligere, quòd cum nullus hominum nosse posit numerum & mensuram à DEO constitutam, fortè primum lethale peccatum, quod admiseris, erit tibi vltimum huius numeri, & quod deerat ad implendam mensuram, post quod sequatur æterna tua damnatio: inuadente te morte in illa culpa; aut minimum, deserente te Deo, propter eam; ita vt quod Isaias aliam ob causam dixit, e *de radice colubri egredietur regulus, & semen eius absorbens volucrem,* siue, (vt LXX. vertunt) *serpentes alati,* qui auem deuorent, siue animam tuam in eas culpas labentem serpentes infernales. Quomodo ergo non horreas quodcunq; peccatum, quod esse potest semen adeo horrendi & æterni mali? Quomodo potes de te præsumere, multumq; tibi fidere, cum hinc adeò sis procliuis ad lapsum in culpam; inde verò nescias, num illa vltima sit, quæ deerat ad implendum numerum & mensuram, qua causæ tuæ finis infeliciter imponatur. O cæce, agnosce te ipsum: & attende diligenter, te semper versari propè serpentem qui posit te mordere, tali morsu, qui tibi afferat mortem æternam; aut quod ex eo basilisci nascantur, & dracones, qui suis venenis te in æternum mactent.

e Isai. 14. 19.

3. VT AVTEM maiorem vim apud te habeant hæ veritates, audi admirandam quandam visionem, quam habuit Zacharias, qui vidit in aëre amphoram quandam, qua liquores mensurari solent. &, cum interrogaret Angelum, qui eam ostendebat, quid sibi illa vellet, respondit Angelus: f *Hæc est oculus eorum in vniuersa terra.* Hæc scilicet est mensura in quam vniuersæ terræ homines oculos suos coniectos habent, vt illam impleant, *& ecce* repente *talentum plumbi portabatur* per aera, quod erat necessarium, vt amphora occluderetur. *& ecce mulier vna sedens in medio amphoræ, cuius nomen erat impietas, & proiecit Angelus eam in medio amphoræ, & misit massam plumbeam in os eius,* qua illam clausit: & mox *accesserunt duæ mulieres, quæ habebant alas milui,* à malo spiritu ductæ, & *leuauerunt amphoram inter terram & cœlum, vt eam deferrent in terra Sennar,* quæ est Babylonia, vbi collocetur in propria domo & *stabiliatur* in æternum *super basin suam.* Quæ visio etsi ad literam intelligatur de peccatis, & pœnis Iudæorum, quibus

f Zach. 5. 6.

S. Cyrillus S. Hieron. & alii Patres.

Christus dixit: g *implete mensuram patrum vestrorum: genimina viperarum, quomodo fugietis à iudicio gehennæ:* potest nihilominus cuiuis peccatori accommodari eo modo quo iam diximus. Cogita itaq; frater, te esse illum, qui oculos tuos in eam mensuram coniectos habeas, vt illam impleas; & quod iam impietas cæperit in eam intrare: quæ licet interdum vno quasi impetu ingrediatur; eamq; Deus ita concludat, vt nunquam exeat; ordinariè tamen intrat pedetentim, imponens primum pedem, de quo Dauid: h *ne veniat mihi pes superbiæ* interioris. & quoniam habet mores inciuiles plane & rusticanos, vt si ei pedem porrigas, mox arripiat manum: statim atq; pedem imposuerit prauæ affectionis, introducit manum mali operis, & multorũ malorum, quod Apostolus appellat i *corpus peccati* mox verò atq; ingressa est, *sedet in medio amphoræ:* neq; enim satis sibi esse putat, in medio cordis stare, tanquam transiens; sed sedet, quiescitq; prauam inducens consuetudinem: statim inducit caput, oculos, & omnes sensus; oblectando in se ipsa, & in rebus suis; vt multis alijs peccatis mensuram impleat; in quam, iusto Dei iudicio, cadit massa illa plumbea, vt inde non exeant: sed permittit, miserum peccatorem excæcari, & cor eius indurari, obstinatione Diabolica: subito verò accurrunt spiritus maligni, in forma *duarum mulierum cum alis milui*, referentes figuram, quam induerant ad decipiendum, & inducendum eum ad vanitates & voluptates: quem rapiunt ex propria terra & præsentant ante tribunal Dei, à quo damnatum transferant ad terram Sennaar, quod fætorem significat. vbi ædificata fuit turris Babel, quod significat confusionem. finis enim eius est terra miseriarum, cooperta vmbra mortis: in qua est fœtor intolerabilis, & æterna confusio, cum mensura æternorum cruciatuum, mensuræ peccatorum proportionata. O mensura horrenda, ô tremenda miseria! O DEVS æterne, ne sinas me de numero esse horum miserorum, qui oculos suos statuerunt ad implendam hanc mensuram: meos quæso ita clarifica, vt meipsum cognoscam, & peccata quæ hactenus in eam amphoram inieci; studeamq; ea inde extrahere, & ita pœnitentia dissoluere, vt liberer à tam horrenda miseria.

g *Matth. 23 32.*

h *Psal 35. 12.*

i *Rom. 6.6. Psal. 1 in via peccatorum non stetit: neque in cathedra pestilentiæ sedit.*

Isaiæ 6. excæca cor populi huius: & aures eius aggraua.

S. Greg. li. 14. Mor c. 16.

§. 4.

Quod sine Deo nihil simus ad opera bona facienda.

HINC ascendere poteris ad vltimum & perfectissimum gradum cognitionis tuiipsius; quod nihil ex teipso habeas ad bona aliqua opera facienda. Perpende itaq; Deũ D. N. æterna sua sapientia & prouidentia, quã de suis electis habet, designasse etiam eis numerum & mensuram meritorũ, quæ in hac vita sint habituri, vt ea remuneret in futura, ea gloriæ mensura, quam ipse appellat a *bonam, & confertam, & coagitatam & supereffluẽtem.* Sed in hoc extremam tuam miseriam potes aduertere, quod cùm sola tua vo-

a *Luc. 6.38.*

lun-

luntate,propriisq; naturæ viribus implere posis mensuram peccatorum,ac proinde in æterna tormenta incidere;non tamen posis per teipsum mensuram implere tuorum meritorum. Et quid dico implere? nec vel vnum meritum,etiam solius cogitationis, potes per te ipsum habere, nisi adiutus ab ipso Deo, qui dixit: b *perditio tua Israel: tantummodo in me auxilium tuum:* & Apostolus, c *non sumus sufficientes cogitare aliquid* boni *à nobis, quasi ex nobis;sed sufficientia nostra ex Deo est:* & d *ipse est, qui operatur in nobis & velle & perficere*, quod valeat ad meritum æternæ vitæ. A Deo itaque auxilium & fauorem venire oportet, vt impleas mensuram & meritorum,& præmiorum,quæ speras in gloria; & cum eius gratia scribendi tibi sunt in libro tuæ conscientiæ characteres, qui illi placeant, & opera bona quæ sit remuneraturus, quando librum aperiet, ex quo te iudicet. Adeoq; es miser,vt eadem ipsa bona, quæ accipis, agnoscere nescias; & multo minus æstimare, nisi ex gratia & fauore eiusdem Dei. quod fassus est sapiens ille. qui dixit: e *Sciui quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det: & hoc ipsum erat Sapientia, scire cuius esset hoc donum.* Et quamuis à Deo petendum tibi sit hoc donum, tanta tamen adhuc tua est miseria, vt f *quod ores, sicut oportet, nescias*, nisi *Spiritus ipse* Sanctus *adiuuet infirmitatem tuam, & postulet pro te*, aut postulare faciat, *gemitibus inenarrabilibus.* Quid amplius de te dicam, vt bene, quis sis, agnoscas? tu qui ad peccandum es gigas, es ad benefaciendum infans. es sicut g *palmes qui* non *potest ferre fructum* vllum *à semetipso,nisi manserit in vite*; quæ est Christus; à qua virtutem accipias, ad fructum proferendum. es tanquam h *securis, aut serra,* ita vt nullum bonum motum habere posis, nisi Deus dederit. es sicut aër, qui ex seipso est tenebrosus,ita vt nec lucem vllam,aut splendorem veritatum & virtutum cœlestium habere posis nisi à Iustitiæ sole tibi communicentur,& continuè conseruentur. Nam quemadmodum aër, etiamsi iam à sex millibus annorum à sole quotidie illustretur, nunquam tamen habitum aliquem fecit, quo lucem sibi absq; præsentia solis, eam communicantis, retineret: (nam ipso occumbente in eisdem manet tenebris) sic tu, etiamsi magnos fauores donaq; recipias à Deo, etiamsi per multos annos illa in te perseuerent, non tamen potes ea tibi tribuere, & tanquã ꝓpria vsurpare.Nam,si Deus manũ subtrahat ab eorũ conseruatione,remanebis in propria tua miseria,& in tuo nihilo:in ꝗ oculos tuos conijcere debes, vt teipsum bene agnoscas;& in ea cognitione ac sensu tota vita tua ꝑseuerare,vt mensurã implere posis.Etsi.n.nihil ex te ipso sine eo valeas, habes tamen tã ad manũ tuã & in prõptu eius auxiliũ & fauorem,atq; si per te ipsum solum idem fuisses facturus.Ita vt nunquam Deus defuturus sit, nisi tu tibi desis.Et hinc licet mentẽ eleuare ad infinitam liberalitatẽ,bonitatẽ,&omnipotentiam tui conditoris cognoscendam,qui adeo est paratus ad iuuandam

b Osee.13 9.
c 2.Cor.3.5.
d Phil.2.13.
e Sap 8.21.
f Rom.8. 26.
g Ioan. 15. 40.
h Isa 10. 15.
Insignis similitudo.

vilem adeo creaturam, qualis tu es. siquidem vt certum est, nihil te per teipsum posse, ita certum est, te omnia posse cum Deo. O DEVS animæ meæ, in me quidem nihil, in te verò omnia possum, nouerim me, & nihilum, quod ex me habeo, vt me humiliem: nouerim etiam te, & plurimum quod per te possum, vt te glorificem in æternum. Amen.

CAPVT VI.

DE PROPRIA COGNITIONE EX MISERIIS, quæ tempore mortis euenire possunt.



I cvpis miserias tuas perfectè cognoscere, necesse est, te legere & studere in quodam libro in quo reteguntur deceptiones, quem Deus quotidie tibi ante oculos ponit, mortem scilicet, in quo legere possis & euidenter cognoscere corporis tui miserias: siquidem omnia mortuorum ossa clamant: a *memor esto iudicij mei, sic enim erit & tuũ: mihi heri, & tibi hodie.* Sed animæ miseriæ adhuc sunt occultiores, ad quas cognoscendas, fidei lumen est necessarium. quarum summam intelliges legendo & meditando tria illa tantum verba, quæ ipsemet Deus scribi iussit coram magno illo peccatore, Rege b *Balthasare, qui in grandi illo conuiuio, quod fecit optimatibus suis mille, in eadem hora, apparuerunt digiti quasi manus hominis scribentis contra candelabrum, in superficie parietis aulæ regiæ: & Rex aspiciebat articulos manus scribentis. Tunc facies regis commutata est, & cogitationes eius conturbabant eum: & compages renum eius soluebantur, & genua eius ad se inuicem collidebantur.* qui, cum scripturam legere ipse non posset, consuluit Magos Chaldæos & aruspices, qui cũm nec legere nec interpretari possent, vocatus est Daniel, qui Dei spiritu legit scripturam, quæ sic habebat: MANE, THECEL, PHARES. cuius hæc erat interpretatio. NVMERAVIT, APPENDIT, DIVISIT: Quæ verba mox declarauit in hunc modum. *Deus numerauit regnũ tuum, & compleuit illud:* quia finis eius peruenit: appẽdit, siue *appensus es in statera, & inuẽtus es minus habens. & diuisum est regnum tuum, & datum est Medis & Persis.* quòd ita omnino euenit. *eadem* enim *nocte interfectus est ipse Rex Balthasar* ab hostibus suis. Et quamuis miser ille hac lectione vti non sciuerit, quia nihil de eius pœnitentia legitur, tu tamen ea vti potes, si in exemplo hoc visibili consideres, ac mediteris, quod inuisibiliter in hora mortis eueniet tibi, si te in aliquo lethali peccato, quodcunq; illud sit, deprehenderit. manus enim diuinæ Omnipotentiæ, in pariete conscientiæ tuæ, has veritates scribet tam clarè, vt lumen, quod est in candelabro tui intellectus, illas plane videat ac intelli-

a Eccl. 38. 23.

b Dan. 5. 6.

gat; talesq; tremores & horrores in misera tua anima efficiet, quales nec imaginari quidem posses in hac vita. Tunc autem lectio quidem earum veritatum erit clara, sed tibi inutilis: quia tunc remedium nullum erit. nunc autem etsi lectio obscuritatem habeat fidei, erit tamen certissima, tibiq; vtilissima. potest enim esse principium excellentis cuiusdam vitæ, fundatæ in profunda tui ipsius cognitione, ob miserias, quibus subiaces. Quod si tam es ignorans atq; rex Balthasar, pete à Deo lumen, quod Prophetæ Danieli concessit, vt & legere possis, & intelligere in eo sensu, quo eas iam obeuntes Danielis prophetæ officium, declarabimus, ob oculos tibi ponentes, quod in ea scriptura latet.

§. 1.

Quod Deus numeratos habeat dies vitæ nostræ, rerumq; nostrarum.

PRIMVM illius scripturæ verbum fuit. MANE. cuius germanus sensus, pro ijs qui ad horam mortis peruenerunt, hic est: numerauit Deus dies vitæ tuæ, qui iam sunt completi. Non potest in hac computatione vlla esse deceptio quia calculator est infinitè sapiens, c *& omnia in mensura, & numero, & pondere disposuit.* Nec appellatio ad aliud Rationum consilium admittitur: quia ipsius consilium est supremum. nec est, qui cogere illum possit, vt vel vnum diem decretis ipsius addat: quia omnipotens est & immutabilis. quod si quando preces admittit & propter illas aliquos addit annos, sicut d *Regi Ezechiæ*; hos ipsos iam numeratos habebat, & comprehendebantur definitiua ipsius sententia; e *qui* quando implentur, (vt habetur apud Iob) *præteriri non possunt.* Quid ergo dices, miserrime peccator, in illa tristi hora, quando velis nolis aperientur oculi animæ tuæ, qui eousq; fuerunt clausi; vt hanc videas scripturam, & vltimam audias sententiam, subscriptam à Sanctissima Trinitate? Qui enim scribit, est ipse pater; eius manus est filius; & digiti significant Spiritum sanctum omnesq; tres personæ vnanimi consensu talem sententiam ferunt. Quid in illa anxietate positus respondebis? quos habebis adiutores? quis tibi poterit aliquod solatium dare? num Regem Balthasarem magnates regni eius, qui cum illo ad mensam epulabantur, defendere valuerunt? num consolari potuerunt vxores & concubinæ, quæ illum circumdabant? num aliquod leuamen illi attulerunt egregia illa vasa auri & argenti, quibus vtebatur? aut cibi delicati, & pretiosa vina, quæ in mensa proponebantur? sciueruntne consilium aliquod illi dare sapientes, magi, & aruspices aulæ ipsius? omnes illum in ea hora deseruerunt. & quod prius esca erat sensualitatis eius & superbiæ, cæpit ipsius afflictionem & cruciatum alere. f *O mors, quàm amara est memoria tua, homini pacem habenti in substantia?* Quod si memoria tua adeò est amara, quantò erit amarior ipsa præsentia? Hoc solum inuenio discrimen, quod tua præ-

c Sap. 11. 21. 1 part. Medit. 7.

d 4. Reg. 20. 6.

e Iob. 14. 5.

f Eccl. 41. 1.

ſentia malis ſit amara, abſq; ſpe remedij; tua verò memoria amaritudinem adferre poteſt cum vtilitate, ſi ex ea permoueantur ad amarè flenda ſua peccata, ſtatuentes ita vitam ſuam inſtituere, ſicut hora illa mortis vellent inueniri. Perpende itaq;, frater, vim huius ſcripturæ, quando DEVS inſpiratione ſua eam ſuggerit memoriæ tuæ. cogita quotidie, quod inuiſibilis Dei manus in conſcientia tua ſcribat illud verbum, MANE, hoc eſt computati ſunt dies tui, & forte hodie complebuntur. & hoc ſenſu excita in te ſanctum quendam timorem, & dolorem de tuis peccatis, qui te iuuet vt ab eis libereris. & ita quotidie inſtitue vitam tuam, atq; ſi dies ille vltimus eſſet. Agnoſce benè eius breuitatem, & inconſtantiam; & ita ſtatue, quaſi iam præteriiſſet. Nam ipſimet damnati qui ſunt in inferno, etſi eam aliquando longam putauerunt, inſtruentes nunc te dicunt: *nos nati, continuò deſijmus eſſe*, tardè aduertentes, ſe valde fuiſſe deceptos.

Sapient 5. 13. Greg. lib. 14. 2.

SED ſupereſt adhuc, quod legas in eodem verbo, MANE: quod eſt: *numerauit Deus regnum tuum & compleuit illud*: quia ſcilicet finis eius adeſt. non enim ſolum DEVS vitæ tuæ dies numerat; ſed etiam illos, quibus res tuæ, quas poſsides, ſunt duraturæ. Numeratos habet Deus dies regni tui, ſi es Rex; & prælationis, ſi es prælatus; diuitiarum tuarum, ſi es diues; & quib. durabit tuum matrimoniũ, ſi es coniugatus. quæ computatio adeò eſt infallibilis, ſicut præcedens: vt impoſsibile ſit, vel diem vnũ, vel horam vnam conſtituto ad eam numero addi. qui numerus interdum eſt minor, quam ipſius vitæ: eò quod decreuerit Deus res illas ante mortẽ nobis auferre, in pœnã ſceleratæ noſtræ vitæ, aut ob alios fines, quos prouidentia ſua ſecreta intendit. Ex quo prouenit, vt repentè hic facultates ſuas, & ille honorem amittat; hunc ab officio ſuo deijciant, illum à ſuo regno: eò quod peruentũ ſit ad terminũ, quem Deus in æterno ſuo conſilio definiuit. Aliàs cõputatio hæc æqualis eſt ipſi vitæ, nunquã tamen illam excedit. vt.n. dixit Dauid: h *cum interierit diues, non ſumet ſecũ omnia, neq; deſcendet cum eo gloria eius.* i *nudus egreſſus es de vtero matris tuæ, & nudus reuerteris illuc*: niſi quod ſecunda mater, terra ſc. tibi ſit nouerca adeo crudelis non contenta nudũ te recipere ab omnib. externis bonis; exuat quoq; à pelle & carne, quæ oſſa tua tegebãt. Et hoc totum incipit repente. nam ſicut Rex Balthaſar numquam minus credidit perueniſſe finem imperij ſui, & vitæ, quàm cum hæc ſententia fuit illi in mediis epulis intimata: Ita cum minimè cogitaueris, & k *qua hora non putaueris filius hominis venturus eſt*, Chriſtus iudex ſupremus, qui nocte domũ tuam ingreſſus, auferet quicquid tibi accommodauerat; quia peruenit terminus illius cõmodationis, & quandoquidẽ Dei manus non ceſſat quotidie pulſare, prudentiæ erit deceptionẽ tuam tempeſtiuè retexere, & externarũ rerum mutabilitatem agnoſcere, & ita eas poſsidere (vt ait Apoſt.) *quaſi eas non poſsideres*, exiſtimans, illas tibi eſſe à Deo cõmodatas: ideoq; paratus eſſe

h Pſal. 48. 18. i Iob 1. 21. k Matt. 24. 42. Luc 12. 9 l 1 Cor 7.

debes

debes ad easdẽ ei reddẽdas, quãdo illi placebit repetere: nihil earũ occasione faciendo, quod eum offendat, qui tam liberaliter eas tibi cõmodauit. O Deus æterne, qui sapientia tua m *gressus meos dinumerasti*, fac tales illos esse, quos tua approbet misericordia, remuneret verò Iustitia, Amen. m Iob. 14. 16.

§. 2.

Quod Deus appendat opera nostra.

SECVNDVM scripturæ huius verbum est, THECEL; cuius interpretatio fuit, *appensus es in statera, & inuentus es minus habens.* Qua sententia significatur nobis seuerum examen, strictumq; iudiciũ, quod facit Deus de nostris actionibus in hora mortis, quod iudicium in eadem S. Scriptura, appellatur a *pondus & statera.* Sicut enim statera duas habet bilances, in quarum altera collocantur pondera, sigillo regio aut reipub. notata, in altera vero res, quæ ponderantur, vt deprehendatur num pondus sit iustum, an aliquid desit: Ita cogitare licet, stateram diuinæ Iustitiæ, duas quoq; habere bilances; in quarum altera collocentur cogitationes, ac desideria, verba & opera, quæ libere feceris à tempore, quo ratione vti cœpisti, vsq; ad illud pũctum, quo expirasti; In altera verò põdera, ex quibus discernendus sit valor & pondus, cui opera respondere debent, vt iusta sint. Hæc pondera sunt præcepta legis Dei, & Ecclesię sanctæ, statusq; tui: quod si opera tua cum his ponderib. momento stateræ respõdebunt, vt sint illis conformia, & fundata in diuina gratia approbentur, tu sententia iudicis, iustus declaraberis, remunerabiturq; Deus te corona Iustitiæ, quam illis es promeritus. hanc securitatem habebat S. Iob, innixus testimonio bonæ suæ conscientiæ, cũ dicebat: b *ipse Deus considerat vias meas, & cunctos gressus meos dinumerat: si ambulaui in vanitate, & festinauit in dolo pes meus, appendat me in statera iusta, & sciat Deus simplicitatem meam.* hoc est, declaret sententia sua meam puritatẽ, & fidelitatem in seruitio eius, qua meas actiones omnes direxi iuxta eius mandata. Quod si actiones tuæ non erunt benè directæ iuxta regulam diuinæ legis, & quando DEVS eas in iusta sua statera collocauerit, inuenientur minus habere, ponderis scilicet, quod habere debebant: quia non fuerunt diuinis præceptis, regulisq; virtutum conformes, quibus ponderibus sunt examinandæ, iudicio diuino notabuntur tanquam prauæ, ac minus habentes, & tu ipse quoq; earum causa. Ex nunc igitur incipe ponderare id, quod in hora mortis tibi eueniet: cum intra conscientiam tuam Deus multas accendet c *lucernas*, quibus *scrutetur Ierusalem*, animæ scilicet tuæ angulos, vt tu ipse clarè videas quicquid in ea est, & intelligas, quousq; pondus tuarum actionum perueniat, defectumque & malitiam earum. Tunc seriò incipiẽt timores, ac tremores; anxietates, & agoniæ ipsa morte terribi-

a Prou. 16. 11.

b Iob. 31. 4 S Greg lib. 21. Mor. c. 4

c Soph. 1. 12

Medit. 11. part. 1.

liores.quam atrocitatē nemo intelligere poteſt, niſi miſer ille, qui eam patitur:quamuis interdum ipſum corpus indicia det eius, quod infelix anima intus patitur.ſicut Rex Balthaſar, iuxta aliquorum Doctorum ſententiam, ſolus vidit digitos manus ſcribentis in pariete; qui vero aderant,exhorrendis Regis tremoribus, & clamorib. ingentib.coniecerunt, Regem terrificas aliquas res vidiſſe:Ita ſolus peccator videt, quas Deus d*ſcribit contra eum amaritudines* in illa hora. Sæpè tamen ex hoc eius ſenſu prodeunt horrendi motus,& corporis geſtus,quibus manifeſtatur rigidum iudicium, quod intra miſeram animam geritur.Id ita diſponente Deo noſtro(vt notat Sanct. Gregorius in multis caſibus huius argumenti, quos ipſe refert)ad cautelam eorum,qui adhuc viuunt.Et præcipuè vt cogitent de ſuis operibus ponderandis,& cognoſcendis in vita; &, antequam dies rationis reddendæ adueniat,corrigendis.

colaus ...ra. *Iob.*13. ...*b.*4.*Dial.* 37. & 38.

Memor quoq; eſto ſimilis alterius ſcripturæ,quam in modum cuiuſdam Epiſtolæ, miſit Chriſtus Dominus noſter cuidam Epiſcopo in Apocalypſi dicens: e *Scio opera tua, quia nomen habes quod viuas & mortuus es: eſto vigilās, & confirma cætera, quæ moritura erant. non enim inuenio opera tua plena coram Deo meo,in mente ergo habe,qualiter doctrinam acceperis & audieris,& ſerua, & pœnitentiam age. Si ergo non vigilaueris, veniam ad te tanquam fur* vt rationem exigam,*& neſcies qua hora veniam ad te* quaſi ei diceret: Attende, quod ſis ignorans,neſciens quid ſis,nec vanitatem operum tuorū, quæ tu non ponderas ſicut ego:ex quib. ego hoc deduco, quod etſi tu nomen habeas quod viuas,opera tamen ſunt mortui;titulum habes Chriſtiani,opera verò hominis mundani;in ſtatu es Epiſcopali, ſed vita tua eſt ſæcularis. Nam tua opera etſi coram hominib. iuſta videantur, coram Deo tamen non ſunt plena, ſed vacua,inania,& plena defectibus; & in ſtatera meæ iuſtitiæ multò minus habent, quàm tu exiſtimes, & illa habere deberent. Quamobrem agnoſce teipſum, memor eſto doctrinæ fidei, quam audiuiſti, præceptorumq; legis, quæ tibi eſt promulgata;& iudicij ſeueri,quod te expectat. Et hac memoria teipſum excita,& anima ad faciendam pœnitentiam, vt me ad iudicandum te adueniente, opera tua inueniantur plena, & abſq; vllo defectu:& obtineas præmium,quod tibi pro eis reddam. O iuſtiſsime viuorum atq; mortuorum Iudex,ſiquidem talem ad nos mittis Epiſtolam,vt nos agnoſcamus, ac reformemus, & ad rationem reddendam præparemus, concede nobis copioſam tuam gratiam, qua opera noſtra itá impleamus,vt in tua iuſta ſtatera poſita,non inueniantur minus habere.

Apoc. 3.1.

§. 3.

Quod Deus malos diuidat, regnoq; ſuo ſpoliet.

TERTIVM verbum prædictæ ſcripturæ erat, PHARES: cuius ſenſus pro peccatoribus,cum in morte verſantur, eſt: *diuiſum eſt regnum*

tuum

tuum à te, & hostibus tuis traditum. pro cuius maiori intelligentia est aduertendum, quatuor esse regna, quibus peccatores in sua morte priuantur. *Vnum* est extra ipsos in terra: *Secundum* propè ipsos: *Tertium* intra: *Quartum* supra eosdem in cœlo.

Primum regnum, quod est extra ipsos, est mundus hic spectabilis: in quo fuit homo conditus, vt a *praeesset,* instar regis, *vniuersis creaturis terræ,* in quo regno numerantur parentes, fratres, & amici, quos habemus: principatus, dignitates, diuitiæ, & bona reliqua, quæ possidemus, à quibus omnibus separamur, atque diuidimur omnes in morte. sed interest, quod iustus agnoscens vanitatem & mutabilitatem huius regni, non habet illud pro suo: sed cum Christo Seruatore nostro dicit, b *regnum meum non est de hoc mundo:* ideoque absque vllo dolore illud relinquit: quia non diligit illud: at peccator, quia inordinato amore illud diligebat, ac possidebat, non relinquit sine magno dolore: & interdum deuenit ad hæredes, maximos eius hostes. Ad hoc propositum dixit S. Iob. c *diues cùm dormierit, nihil secum auferet; aperiet oculos suos, & nihil inueniet; apprehendet eum quasi aqua inopia; nocte obruet eum tempestas; tollet eum ventus vrens & auferet, & velut turbo rapiet eum de loco suo.* Nulla potuit magis propria similitudo afferri, ad exprimendam primæ huius separationis infelicitatem. Cogita diuitem aliquem, & potentem, qui nocte aliqua reciperet se in domum aliquam recreationis in villa cum magno famulorum comitatu, quique in camera aliqua pulcherrimè ornata, & in lecto pretiosis ac delicatis stragulis strato, somno se dederet: ad quem profundo somno immersum, multi latrones ingrederentur, qui omnes famulos in fugam conijcerent, & omnes eius diuitias deprædarentur: ipsum verò extractum ex lecto, & domo sua proijcerent in campum, vbi repentè exorta tempestas aquæ, & grandinis, cum vento frigidissimo, malè illum tractaret, & à profundo illo lethargo excitaret: quando miser ille homo, aperiens oculos, videret se solum absque famulis, absque diuitiis, extra domum & lectum, & absque vllo subsidio, in medio horrendæ adeò tempestatis: quis inquam hunc diuitem stupor inuaderet, qui timores & anxietates, afflictum eius cor premerent? Hoc igitur idem (ait S. Iob) eueniet tibi, bona huius vitæ inordinatè amanti. dum enim viuis, lethargus tuorum peccatorum, & cupiditates oculos tuos claudunt, ne te ipsum agnoscas; & pericula, quibus expositus es, videas; neque de imminentibus tibi malis plus cogites, quàm si fidem de eis non haberes: sed, cum primum mortuus fueris, aperies oculos etiam nolens; & videbis te solum, pauperem, desertum. Mors enim, latronis instar crudelis & furentis, spoliabit te omnibus quæ habebas, & separabit omnes amicos & famulos. Ventus verò vrens diuinæ iustitiæ extrahet te ex loco honorato, deliciisque pleno, quem occupabas in hoc mundo, proiicietque in horribilem inferni cloacam, vbi tantum erit fletus

I.
a Gen. 1. 26
b Ioan. 18. 36
S. Greg. 31. Mor. c. 8.
c Iob. 27. 19

& stridor dentium in tremenda illa vmbra, ex repentina adeò mutatione, quæ eò erit grauior magisque sentietur, quò fuit minus præcogitata: eoque amarior, quò minus spei superest obtinendi remedium.

HOC ipsum verò melius intelliges, si perpendas diuisionem reliquorum regnorum, quæ tunc fit.

2. *Secundum* itaque regnum, quod anima nostra prope se habet, est dilectum ipsum corpus cui præsidet, gubernando omnes eius facultates, ac sensus, ipsaque membra externa, cuius imperio parent omnia, alia instar mancipiorum, alia instar ciuiũ liberorum. Hoc regnũ diuiditur in hora mortis, imò propriè mors non aliud est, quam hæc separatio animæ à corpore, proueniens violenter ex morbis, humoribus, & rebus aliis externis, quæ tanquam hostes miserum hominem aggrediuntur, animamque compellunt cedere regno corporis sui. Et sicut absente rege à suo regno, subditi, qui prius erant concordes, incipiunt inuicem dissentire; & hostes accedere, vt illud expugnent eiusque spoliis ditentur: Ita, anima discedente, incipiunt corporis partes diuidi, & ab inuicem seiungi; ac in elementa, ex quibus erant compositæ, resolui, vt sententia illa in Adamum eiusque posteros lata executio-
Gen. 3. 19. ni mandetur: d *puluis es & in puluerem reuerteris.* & mox hostes illi accedunt, Medis Persisque crudeliores, quibus iustitia diuina regnum hoc diuisum
Eccl. 10. 13 tradit. Sunt enim (vt ait Sapiens) e *serpentes, & bestiæ & vermes,* qui corpus ipsum lacerant, eiusque spoliis impinguantur, rabidam suam famem carnibus illis saturantes, donec illas omninò consumant. Et quamuis reges sint & Monarchæ, hæc tamen sors misera illis quoque continget, sicut cuidam illo-
Isa 14. 11. rum dixit Isaias: f *detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadauer tuum, subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* Huius regni diui-
3. sio priori est amarior, quia est rei magis dilectæ. Sed vtraque est terribilior
Luc. 17. 21. diuisio *tertij regni,* quod est intra ipsum hominem, de quo dixit Christus
Rom. 14. 7. Dominus: g *regnum Dei intra vos est.* & Apostolus, quod *regnum Dei non sit esca, & potus, sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto.* qui nomine iustitiæ omnes virtutes comprehend t, quæ nos faciunt iustos: quarum charitas est instar reginæ, illas gubernantis, ac dirigentis ad suos fines; & ipsemet Deus, qui charitas est, vt supremus rex omnium iustos gubernans, adiuuat ad earum conseruationem & augmentum. Hoc virtutum regnum diuidere à se incipit peccator in vita sua, cum peccatis suis fidem & spem diuidit à gratia & charitate, illas retinendo, has dimittendo; sed in ipso mortis mo-
1. p. Med 30 punct. 4. mento, iusto Dei iudicio ac sententia, etiam quod reliquum erat, illis auferetur, vt suo loco diximus.

Per totam itaque æternitatem nec Christus habitabit in damnato per fidem; nec Deus regnabit in eodem per gratiam, nec spes vlla supererit ad eius
h Prou. 11. 7 amicitiam redeundi. Nam, vt ait Sap. h *mortuo homine impio, nulla erit vltra*

spes,

spes & expectatio solicitorum cum ipsis peribit. Hac diuisione facta sequitur vltima, regni quarti, cœlorum scilicet in quo regnant electi, fruentes cum æterno suo rege, præmio æterno laborum suorum, in illo enim instanti, sonabit in auribus peccatoris tremenda illa sententia: i *separetur impius ne videat gloriam Dei: & qui in terra sanctorum iniqua gessit*, repellatur ab eorum societate, ne videat, quod illi vidēt; nec fruatur eo, quo illi fruuntur. audiet simul & illam aliam tremendam sententiam, quæ dicit: k *foris* maneant exclusi ab hoc regno *canes & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis seruientes, & omnis qui amat & facit mendacium: ego Iesus misi Angelum meum, testificari vobis hæc in Ecclesiis.* Denique iudex supremus, æternæ huius diuisionis sententiam pronunciabit: l *discede à me maledicte in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis eius*, quorum opera es imitatus. Huius sententiæ virtute, tradetur infelix ille hostibus suis dæmonibus, qui trahent eum ad carceres æternos, in quibus æternum diuisus à iustis omnibus, & bonis, quibus beati fruuntur. O quantus tremor, quantæ angustiæ, rabiesque furiosæ occupabunt infelicem animam, cùm experiri cœperit æternæ huius diuisionis damna? O anima mea, agnosce teipsam, & attentè considera diuisionem, quæ tibi imminet ab his quatuor regnis, & animare, vt mundi huius regnum contemnas; sanctoque odio regnum tui corporis prosequaris: m *destrue* magna animi fortitudine regnum & *corpus peccati, vt vltra non seruias peccato.* caue verò diuidas regnum virtutum; ne eò deuenias, vt eas amittas: ne n *diuidas cor tuum*, eiusque affectiones inter Deum & creaturas, *ne intereas*; & separet te Deus ab æterna sua societate. recollige, quæ à te sunt diuisa; recupera charitatem, amissumque feruorem, vt in die mortis tuæ, & si diuidaris ab hoc mundo, & à corpore tuo, non tamen excludaris à requie, & regno æterno, Amen.

4.

i *Isa.* 26. 10 iuxta LXX

k *Apoc.* 22. 15.

l *Mat.* 25. 4[1]

m *Rom.* 6. 6

n *Ose.* 10. 2.

CAPVT VII.

VARII AFFECTVS, ET VTILIA EXERCITIA, quæ peccatorum & miseriarum nostrarum cognitionem comitantur.



CVM finis Meditationis, vt prędictum est, sit ingredi animā in cellam Dei vinariam, feruentium scilicet voluntatis eius affectuum, operæ pretium erit exponere, quomodo id præstent meditationes miseriarum nostrarum, aut vt magis propriè loquamur, quomodo id faciat Deus per eas; siquidem ipse est a *rex qui introducit* in eam *cellam*, non

a *Cant.* 2. 4

b Psal 59 5. non solùm dilectam sponsam, sed eos etiam, qui his miseriis & difficultatibus implicantur, iuxta illud Dauidis: b *ostendisti populo tuo dura, potasti nos vino compunctionis: dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus, vt liberentur dilecti tui.* Quid est Deum ostendere nobis *dura*, nisi miserias nostras nobis patefacere? tum permittendo, vt illas experiamur, & ipsa experientia agnoscamus: tum lucem cœlestem nobis communicando, qua easdē in Meditatione videamus, ac sentiamus? Et quid est, *potare nos vino compunctionis*, nisi nobis communicare in hac recollectione affectus doloris, & pœnitentiæ, qui cor nostrum pungant contritione, magnoque nostrorum peccatorum sensu? & hæc præcipua est *significatio*, quam nobis dat, vt *fugiamus arcum* iræ, & seueræ ipsius iustitiæ, arcumque hostium nostrorum, quem in nos intendentes, tentationum sagittas iaculantur, ne illis succumbamus. Et hoc fauore eos prosequitur Dominus, qui ipsum timent: & amicos quos ipse diligit. talis enim lux, tale vinum, talis significatio, & fuga talis, salus atque libertas, magnæ amicitiæ sunt indicia inter Deum & animam, quæ seriò de eo agit, vt se cognoscat, quo suo dilecto securius vniatur.

SED, vt magis in particulari modum intelligas, quo id fieri debeat; conijce oculos in proprium finem cognitionis tuarum miseriarum, in purificationem scilicet cordis tui, ab omnibus culpis & imperfectionibus eius. Propterea enim Deus illam communicat etiam perfectioribus in sua contemplatione, sicut fecit cum Isaia, cum ei manifestauit gloriam suam in medio Seraphinorum. Simul enim ei manifestauit defectum puritatis, quo laborabat, cumque ipse conquereretur de ea, ac diceret: c *Væ mihi, quia vir pollutis*
c Isa 6.7. *labiis ego sum, & Regem Dominum vidi oculis meis: statim ad eum volauit vnus de Seraphin, & tulit calculum*, siue prunam, *quam tulerat de altari*, tangensque eius labia, dixit: *Ecce, tetigi hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.* Ita nobis significans, proprium esse spiritus diuini, mittere inflammatos Seraphinos, feruentes scilicet inspirationes, quę ponant in corde nostro ardentes prunas valdè feruentium affectuum, cum quibus purificemus nos à culpis omnibus nobis in meditatione patefactis, & quoniam hæc purificatio non est Seraphinorum tantum opus, sed nostri etiam ipsorum; ei est tibi attendendum in ipsa meditatione: sicut Dauid faciebat, cum
d Psal. 76 6. dixit, d *Meditatus sum nocte cum corde meo anxie, & exercitabar, & scopebam spiritum meum*, quasi diceret: recipiebam me de nocte ad ea meditanda, quæ habeo intra meipsum: meque ipsum magnis affectibus excitabam, & spiritū scopebam, ab omnibus sordibus culparum, quæ in eo erant. Et ne existimaretur hæc scopatio esse rudis, tantumque in superficie, alia versio dicit *sarriebam vel limabavi spiritum meum*, euellendo scilicet inutiles herbas affectionum inordinatarum, quæ ipsa consuetudine radices iam miserant, & *limabam* li-

bam lima mortificationis, vt vitiorum ferruginem imperfectionesque euaderem, quamuis tenaciter inhærerent. Vide Genebrardũ.

Meditatio itaque producebat affectus viæ purgatiuæ: & illi seuerè, exacteque purificationem spiritus exequebantur. & in hoc consistit excellentia nobilissimi illius exercitij, quod examen conscientię appellamus, estque modus quidam orandi, & meditandi circa propriam cognitionem, vt spiritus purificetur, *sarriendo, limando & scopando*, ac demũ accendendo eum prunis accensorum affectuum, qui ex altari, Christo scilicet excussi recipiuntur in altari cordis nostri, sicut inferius declarabitur.

§. I.

Qua ratione quis iudicium de seipso ferat in conspectu Dei.

1. Praestantem huius exercitij praxim delineauit S. Iob in seipso dicens: a *Quis mihi tribuat, vt cognoscam & inueniam Deum, & veniam vsque ad solium eius? ponam coram eo iudicium, & os meum replebo increpationibus, vt sciam verba, quæ mihi respondeat: & intelligam, quid loquatur mihi.* Planum est, Iob hic non esse locutum de iudicio nouissimo, quod fit in morte: hoc enim timetur potius, quàm desideretur. locutus itaque est de iudicio, quod fit in hac vita, vt euadamus illud, quod fiet in eius fine, aut in futura. Mos enim est delinquentium, cùm nouerint iudicem esse misericordem, legesque & pœnas in agnoscentes & confitentes culpas suas esse leues ac pias: accedere per seipsos ad ipsum tribunal, priusquam ab aliis accusentur; sperantes, hac via, se aliquo modo sui delicti veniam impetraturos. Et quamuis hoc in humano tribunali sæpè deficiat, nunquam deficit in diuino, in quo infallibiliter obtinebis tuorum peccatorum veniam, si te humiliter huic tribunali præsentaueris, vt in eo iudiceris. Nam (vt ait Apostolus) b *si nosmetipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur.* & idem Iob: c *iudicare coram Deo, & expecta eum,* scilicet confidenter, quando venerit ad iudicandum. eò enim securius (ait S. Gregorius) expectat quisque aduentum Dei ad iudicium, quò maiori cura examinat quotidie vitam suam: vt cùm venerit, iam iudicatum inueniat. Iudicabo (inquit S. Bernardus) mea opera, mala & bona; & scrutabor vias meas, vt cùm venerit Dominus *scrutari Ierusalem in lucernis*, nihil inueniat, quod non ego scrutatus fuerim ac iudicauerim. Scriptum est enim d *non iudicabit bis in idipsum:* condemnans scilicet postea eum, qui se hic condemnauerat, & pro peccatis suis satisfecerat: quin magna potius fiducia dicere poterit cum Dauide: e *feci iudicium & iustitiam, non tradas me calumniantibus me.*

a Iob. 23, 3.
b 1. Cor. 11. 32.
c Iob. 35. 14.
Lib. 25. Mor. c. 5.
S. Bernard. Serm. 55. in Cant. & ser. 4. de aduẽt.
Soph. 1. 12.
d Nah 1. 9. iuxta LXX
e Ps. 118. 121

2. Hac igitur firma fide magnum concipies desiderium, sicut Iob, tuum iudicem cognoscendi, cognoscendi inquam eius bonitatẽ, & misericordiam,

liberalitatem,& benignitatem,in recipiendis peccatoribus, cum visceribus paternis. Hæc enim Dei cognitio animabit te in hoc examine, ne animo deijciaris,etiamsi multas inuenias miserias; animabit quoque ad eiusdem Domini præsentiam quærendam, locumque in quo ipse habet tribunal suum, hoc est in ipsomet corde tuo. Ibi poteris illum intueri millibus Angelorum stipatum,sicut eum vidit Daniel;aut Seraphinis, sicut vidit Isaias: & humillimè feruenterque illi supplica, vt conscientiæ tuæ angulos omnes illustret lucernis illis,quas adhibebit, quando veniet, ad iudicandam Ierusalem:vt lumen earum tum intellectum illustret, tum voluntatem ita inflammet,vt nullum te effugiat peccatum, quod non charitas vrat & consumat.Huiusmodi petitiones,efficacissimæ esse solent ad propriam cognitionem impetrandam.Nam(vt sanctus Gregorius ait) *sæpe melius scrutamur conscientiam nostram orando, quàm inquirendo:* erecta enim anima in altum, cum spiritu compunctionis plus penetrat quod in se habet,vt integrè de eo iudicet.

Lib. 1. Mor. c. 17.

3. FORMA huius iudicij hæc erit summatim & compendio, vt cùm ingressus fueris in aulam tui cordis,cogitatio tua primum accuset delicta,quæ admisisti;tua conscientia testis sit,affirmetque ita esse: ratio officium præstat iudicis,ad pœnam te damnando,quam propterea es promeritus:Timor sit tibi tanquam compedes, quæ te supplicio subijciant: dolor sit carnifex, qui cor tuum cruciet,& conterat;lachrymæ sint pro sanguine; & proposita efficacia satisfaciendi sint pro executione, donec veniat tempus illam præstandi.

Greg 25. l. Mor c 5. Aug. apud S. Tho lect. in 1. Cor 11

HIS peractis, offer tuam sententiam ante tribunal Domini,qui præsens adest,allegans rationes & titulos quos habes,vt tibi parcat; mundet te ac sanctificet:Ipse enim dixit:f *reduc me in memoriam, & iudicemur simul. narrasi quid habes,vt iustificeris.* Sed quid ego potero pro me afferre,Deus meus, vt in tuo conspectu iustificer?nolo excusationes prætendere, vt culpam imminuam;sed multas rationes afferre,ad eam exaggerandam: est enim multò maior,quàm mea mens assequatur. Verùm quò maior est mea miseria, eò eminebit magis tua misericordia, eidem subueniendo: g *propter* gloriam *nominis tui Domine propitiaberis peccatis meis,* quæ plurima sunt, valdeque grauia: Tu mihi dicis,Domine, *narra, si quid habes vt iustificeris:* plurima certè habeo,quæ ad hoc possum allegare: non tamen ex parte mea, sed ex parte filij tui. Allego itaque eius incarnationem, natiuitatem,vitam,passionem, ac mortem, totum sanguinis eius pretium: sufficientes hæ sunt rationes, vt ego iustificer, & tu permouearis, ad me liberum pronunciandum in tuo iudicio, remunerans in peccatore pœnitente innocentis filij seruitia; acceptans pœnam,quam luit filius,pro ea,quam meritus erat seruus.

f Isa. 43. 26

g Psal. 24. 11

SI hoc spiritu te reprehenderis, animamque tuam h *repleueris increpationibus*, licebit tibi, cum Iob, dicere: i *si vias meas in conspectu eius arguam, ipse erit Saluator meus:* loquetur enim ad cor tuum verba salutis, remittendo tibi tuas culpas, & eripiendo te à tuis miseriis. h *Iob.23 4.* i *Cap.13.15.*

§. 2.

Ratio spiritualiter confitendi in conspectu Dei.

HINC deduci potest vtilis quidam modus faciendi sub ipsa oratione, spiritualem quandam peccatorum nostrorum confessionem, quę vicem suppleat sacramentalis, quemadmodum de communione spirituali dici solet, faciendo quod dixit Dauid: a *Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Nam (vt ait sanctus Augustinus) *cessat vindicta diuina, vbi confessio pracurrit humana.* a *Psal 31.5.* *Apud Glos.* *1. Cor. 11.*

CONSTITVTVS itaque in præsentia huius Domini, *statue tibi* (vt ait Ierem.) & conscende b *speculam, pone tibi amaritudines* tuas coram te. & quæ hæc est specula, nisi profunda tuiipsius cognitio, coniuncta cognitioni altissimi Dei tui, in cuius conspectu es constitutus? & quæ illæ sunt amaritudines, nisi culpæ & miseriæ tuæ, quas constituere debes coram tuis oculis & Dei, c *recogitando* sicut B. Rex Ezechias, *omnes annos tuos in amaritudine animæ tuæ,* easque confitendo, sicut Daniel, cum pudore & d *confusione faciei tuæ,* nulla prætermissa cogitatione, verbo, aut opere, quod non manifestes, atque si sacerdoti confitereris: non, quò Deus illa sciat, qui, etiam te tacente, omnia nouit: sed quò tu erubescas, ea exprimendo: addesque (iuxta morem Ecclesiæ in generali confessione) ter: *mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa:* quasi dicens, non conijcio culpam in dæmonem, qui me tentauit: neque in carnem, quæ me impulit; neque in occasionem externam, quę occurrit; neque in defectum auxilij cœlestis: sed in solam meam voluntatem, quæ acquieuit, & voluit: ego enim culpa mea consensi in malam cogitationem; & culpa mea protuli malum verbum; & maiori culpa mea malum opus commisi, & statim subiunges: plura esse peccata, quæ non inuenisti, & accusabis te de ipsa radice & causis, cur illa sint tibi occulta: quæ sunt tres, ignorantia videlicet, obliuioq; eorum, quæ teneris scire & meminisse, illusio ac deceptio dæmonis, proprijq; iudicij, quod cooperit vitium pallio virtutis; & desidia incuriaq; tui profectus. eò quod parui facias culpas, quæ tibi videtur, quas tamen oēs Deus optimè nouit, & e *conditas habet in thesauris* memoriæ suæ, quas tēpore suo patefaciet. Quamobrem dixit Apost. etsi f *nihil mihi conscius sim, sed non in hoc iustificatus sum: qui quia iudicat me, Dominus est,* qui facilè inueniet culpas, quas ego nō assequor. O Iudex iustissime, 1. b *Iere.31.21* c *Isa.38. 15.* d *Dan.9.7.* e *Deut 32. 34.* f *1. Cor.4.4*

& ſapientiſsime, coram te propono non ſolùm meas culpas, quas ego inueni & agnoſco; ſed illas etiam, quas me non agnoſcente, tu noſti: quas ſi & ego noſcerem, etiam confiterer: dimitte vtraſque vt mundus ſim in oculis tuis, quamuis ſim viliſsimus in meis.

2. POSTHAEC excitandus eſt affectus perfectæ contritionis ac doloris de ipſis peccatis: & hoc eſt vinum cōpunctionis, quod in cœleſti cella hauritur. qui affectus excellentiſsimè exprimitur verbis illis Dauidis: g *Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci.* quod fere eſt idem cum eo, quod dixit filius prodigus: h *pater, peccaui in cœlum & coram te, iam non ſum dignus vocari filius tuus.* qui enim dicit, ſe peccaſſe *ſoli* Deo, aut *in cœlum*, manifeſtè oſtendit, ſe iam non tanti facere propria incommoda, aut humanos, terrenoſue reſpectus; nec moueri timoribus inferni, aut aliarum pœnarum, aut incommodorum temporalium; nec, quod ipſum peccatum fuerit contra honorē ſuū aut facultates, aut contra inanes ſuos fines, aut contra alios homines, quibus cupiebat placere: ſed quod eſſet contra Deum, & ſolum Deum. Nā reſpectu huius motiui, nihil curat reliqua. Incipe itaque conſiderare, & expendere, contra quem peccaueris: & inuenies innumera grauiſsimi doloris motiua, propterea quod peccaueris. Peccaui, dices, contra Deum trinum & vnum; contra patrem æternum, qui me de nihilo creauit; contra Dei filium, qui ſuo me ſanguine redemit; contra Spiritum S. qui me in baptiſmo ſanctificauit; contra totam ſanctiſsimam Trinitatem, quæ ſuam mihi dedit imaginem, & in ſuum habitaculum elegit; peccaui contra infinitam eius bonitatē, quæ ſe impendit ad mihi benefaciendum; contra eius charitatem, quæ me gratis dilexit; contra miſericordiam, quæ ex gratia mihi peccata remiſit; contra omnipotentiā, quæ me iuuat in omnibus, quæ facio; & contra eius omnes perfectiones peccaui, eas conculcando, vt propriā meā ſequerer volūtatem: peccaui etiam contra Deum, qui eſt meus pater, meus magiſter, meus paſtor, rex meus, protector meus, & benefactor infinitus: & contra beneficia, quæ ſummo amore mihi contulit; & hoc nomine peccaui in cœlū, quod me illuminat; in terram, quæ me ſuſtentat; in reliquas creaturas, quæ mihi miniſtrant; in Angelos, qui me cuſtodiunt; in animam meā & corpus meum, quæ ſunt factura mei creatoris. Peccaui itē in lumen ipſius rationis & fidei, quas conculcaui; contra gratiāDei, quā deſtruxi; contra dona Spiritus S. quę abieci; cōtra virtutes, quas aboleui aut obfuſcaui; ſed in his omnib. tibi ſoli Deo meo peccaui; creaturarum n. iniuriæ redūdant in iniuriā Creatoris; iniuria autem Creatoris adeo eſt infinita, vt iniuria creaturæ cenſeatur, quaſi non fuerit. Sed attēde te non ſolū in Deū peccaſſe, ſed ēt corā Deo, & ipſo aſpiciente, te verò infinitā eius maieſtatē contemnente, non in eius abſentia, ſed in ipſamet eius præſentia. peccaui coram diuina eius ſapientia, quæ me aſpiciebat; coram eius infinita Charitate, quæ mihi indulgebat; coram

g Pſal. 50 6

h Luc. 15 21

ſumma

summa liberalitate, quæ me ditabat; & coram ipsa omnipotentia, quæ me adiuuabat. O cæce, cur non attendisti contra quem, & in cuius præsentia peccares? ô DEVS æterne, iam non sum dignus vocari filius tuus, non sum dignus nomine hominis; nec ipso esse, quod habeo. Siquidem ipsum offendi, qui mihi illud dedit: eratq; iustissimum, vt illud auferret, antequam illum offenderem. mallem non esse, quàm te offendisse; & potius vniuersi mundi, omniumq; creaturarum iacturam facere vellem, quàm te vel vnico peccato amplius offendere. Parce Domine, dimitte quod feci contra te, & coram te; vt eluceat infinita bonitas & tua misericordia, condonando tantam iniuriam; meq; à tanta miseria liberando.

Hac ratione licebit multiplicare innumeros doloris affectus, discurrendo per diuinas personas, earum perfectiones, officia, donaq; & per omnia beneficia, quæ in te contulit, & in omnes creaturas; dolendo de iniuria, quæ in horum singulis includitur.

§. 3.

De variis affectibus, sanctoq; suipsius odio.

EX HOC dolore & tristitia secundum Deum, varij alij affectus oriuntur, quos Apostol. vocat a *solicitudinem, defensionem, indignationem, timorem, desiderium, æmulationem, & vindictam.* *Solicitudo* est in adhibendis medijs, quoad possibile sit, ad assecurandam veniam peccatorum, cum proposito Sacramentalis confessionis suo tempore instituendæ; *Defensio*, non qua tuam culpam, sed qua DEI honorem defendas, eius scilicet causam iustam pronuntiando; *Indignatio*, non contra alios, sed contra teipsum, ob iniuriam Creatori tuo à te illatam; *Timor* relabendi in easdem culpas; *Desiderium* proficiendi in omnibus virtutibus; *Æmulatio*, vt alios in eisdem virtutibus excellas; *Vindicta*, quam sumas de teipso, eo quod peccaueris: satis faciendo pro culpa; castigando eius autores, propriam scilicet voluntatem, appetitum, sensus, & carnem: iuxta illud Dauidis: b *in matutino interficiebam omnes peccatores terræ, vt disperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatē*. quasi diceret: in primo ortu diei, & statim atq; illucescit mihi lux propriæ cognitionis, firmiter & efficaciter statuo interficere ac destruere ex terra animæ meę omne peccatū & iniquitatem: Quod propositum meum adeò est virile & efficax, vt reipsa factum putem, quod propono: nullum scilicet peccatum permittere vt in me viuat. Et sicut qui habitantes in aliqua ciuitate interficiunt gladio, non eo sunt contenti, quod eos interfecerint: sed interfectorum corpora eijciunt è ciuitate, ne suo fœtore illam inficiant: Sic ego non sum contentus, quod ipsa peccata interficiam, per dolorem & contritionem; sed etiam pergo, donec destruam & expellam ex anima mea malos habitus, vitiosas consuetudines, omnesq; ea-

a 2. Cor. 7. 11.

b Psal. 100. 8.

rum reliquias:ne me inficiant, & ad noua peccata prouocent. Totum enim hoc amplectitur perfectũ c *vinum compunctionis*, quo Deus *nos potat*, vt plenè purificemur. Nam ſicut materialis vini duplex eſt vſus: alter principalis, vt ſcil.hauriatur & in ſtomachum traijciatur: Alter ad lauandum,& confortandum,ſiue ad curanda vulnera exterius; ad eum modum,quo pius ille d *Samaritanus* ea curauit,*adhibendo* ſimul,*vinum & oleum*: Ita vinum hoc compunctionis præcipuè penetrat animæ interiora, affectibus & propoſitis feruentibus & efficacibus;producit verò exterius admirandos quoq; effectus, ſatisfactionis & pænitentiæ,ad e *ſanandum* & confortandum *totum hominem*, interiorem & exteriorem in ſuis operibus.

Psal. 59. 5. Luc. 10. Ioan. 7.

SED omnes iſti actus originem ducunt ab vno, qui eſt valdè perfectus, Sancto ſcil.odio ſuiipſius. Nam ſicut perfecta Dei cognitio, cum nos in cellam pretioſorum vinorum introducit, inebriat pręcipuè amore diuino, in quo tanquam in origine reliqui affectus continentur,ad quos felix hæc noſtri ipſorum cognitio impellit. Ita etiam,quãdo propria cognitio in cœleſtem hanc cellam nos introducit, inebriat ſancto odio noſtri ipſorum: ex quo reliqui affectus oriuntur, qui ex hac luce procedũt. Et iure optimo ſtatim atque peccatorem te agnoſcis,debes te odio habere,quatenus es auctor peccati;tuamq; voluntatem deteſtari, vt quæ ſuo conſenſu illud admiſerit; tuãq; ſenſualitatẽ,quæ ſua cupiditate ad illud admittendũ induxerit,& ſenſus tuos,qui portas aperuerint,per quas tentationes aditum inuenerunt;carnem deniq; tuam quæ ſuis delicijs illas fouit & aluit: Et præteritam vitam malè actam;deſidioſam præſentẽ;& quicquid in te eſt,quod te poſsit in poſterũ diſturbare. Quid eſt autem,odio te habere,niſi te,vt hoſtem tuum tractare? teneriq; interno cordis deſiderio interficiendi & mortificandi in te, quicquid eſt Deo contrarium;& concipere efficaciſſimum propoſitum abnegandi teipſum in omnibus quæ tua voluntas inordinatè voluerit,concupiuerit ſenſualitas,caroq; ipſa cũ ſuis ſenſib.appetiuerit. Sed hic modus & ratio odij,potius eſt amor valdè intenſus: non ſolũ Dei,cuius cauſa ea facis; ſed etiã tui ipſius:nunquam.n. tantũ te amas,atq; quando te ita odiſti. Amare.n.eſt velle alteri benè:quando autẽ maius bonũ vis tibi,quam cũ in ſpecie tibi vis malè? Siquidẽ, vt ipſe Saluator dixit: f *qui ſic odit animam ſuã in hoc mundo: in vitam æternam cuſtodiet eã.* Si mactas propriam tuam voluntatem,viuet in te diuina: Nam g *vita* tua *in voluntate eius.* h *ſi carnem tuam crucifixeris cum vitiis & concupiſcentiis* eius,viuet in te Chriſtus cum ſuis virtutibus & gratijs. O i *fortis vt mors dilectio*,quæ diligendo occidis,& occidendo diligis:& in hoc magnã tuã fortitudinẽ manifeſtas,odiendo & mactando in te quicquid ei diſplicet,quẽ diligis:vt vehemẽtius illũ ames. O Deus æterne, nouerim ego me vt oderim; oderim verò me,vt te diligã;diligã te vt me odio ꝑſequar,eo gradu,quo tu vis:vt ſummũ bonũ impetrẽ,ꝗ mihi ꝓmittis,

Ioan. 12. Pſal. 29. Galat. 5. Cant. 8. 6

§. 4.

De quodam alio modo nostra opera examinandi.

Levandi fastidij causa per aliquam varietatem, ponam hic aliã praxin ad propriam cognitionem assequendam in examinatione operum nostrorum, ex morali scilicet sensu, quem S. Gregorius posuit circa ea, quæ diuina scriptura refert de Gedeone, qui a *cum excuteret atque purgaret frumẽta in torculari*, vt munda secum acciperet, & *fugeret, Madian* hostem suum, *apparuit ei Angelus Domini*, & consolatus est eum; *qui cum hædum coxißet, vt sacrificium offerret, iußit Angelus tollere carnes & azymos panes, & ponere supra petram, & ius desuper fundere. cumque Angelus Domini extendisset summitatem virgæ, quam tenebat in manu, & tetigißet carnes & panes azymos, ascendit ignis de petra, & carnes azymosq; panes consumpsit.* in hac iucunda Historia delineatũ perspicies quendam modum tua opera cognoscendi & examinandi. cuius finis debet esse, fugere furorem Madian, qui est Dæmon, vt si b *acceßerit* te vt scrutetur tua, *nihil inueniat quod sit eius*, ex quo possit te accusare & dãnare. 1.

Lib.3. Mor. c.22.
a Iudic 6. 11.

Ad id autem faciendum, recipies te ad locum aliquem secretum, & ab omni strepitu expeditum: quamvis nullus aptior sit & collectior ipso torculari passionis Christi, collocando te in Spiritu prope crucem, & in conspectu Christi crucifixi, tuiq; causa cruciati: attendendo, quo pacto dura illa crux, trabis instar c *torcularis* compresserit diuinum illum botrum expresseritq; sanguinem ex venis eius corporis, in pœnam tuorum peccatorum, vt eo exemplo te ad eorum pænitentiam induceret. Cur enim non studeas tu animam tuam à vitijs purificare, si mortẽ aspicias, quam tuus Saluator sustinuit vt ab eis te liberaret? & cur non castiges tu carnem tuam ob eius excessus, si vides carnem Christi à trabe illa crucis fuisse oppressam, quò te ab eis eriperet? Et siquidem ille crudelissimis cruciatibus sanguinem ex suis venis emittere voluit: quid magnum, si tu peccatorum tuorum sanguinem à te separes, lauando illa pretioso illo sanguine, quem Christus, vt ea curaret, effudit?

b Ioan. 14. 30.
c Isa 63. 3. Torcular calcaui solus.

Ingredere itaq; torcular illud, & examinare incipe omnes cogitationes, & desideria; verba, & opera, quæ fecisti: Sicut qui excutit & purgat triticum, secernit granum à palea, & næuis, abjectaq; palea, mundum granũ retinet: sic tibi curandũ est, omnia tua opera cognoscere, & preciosum à vili, granũq; virtutũ à palea vitiorum, & næuis tuarum imperfectionum separare. cumq; id cognitione tantũ feceris, perge etiam, vt separes affectu, detestando mala opera; & dolendo, quod ea admiseris, addito efficaci proposito ad ea non redeundi sed excutiendo illa à te tanquã paleã, quæ ad aliud non valet, quàm vt ignẽ alat inferni aut purgatorij. Quod si bona aliqua inueneris, retinenda sunt tibi, & approbanda; gloriaq; Deo reddenda, 3.

quod

quod talia grana tritici tibi dederit ad tuam ſuſtentationem: & maiorem animum concipies progrediendi ſemper in eius ſeruitio. Quod ſi feceris magno ſpiritu, veniet tibi (vt ait Gregorius) Angelus de cœlo, vt te comitetur, & conſoletur, ſicut Gedeonem. Angeli enim accedunt inuiſibiliter & ipſe Dominus Angelorum ad eos iuuandos, qui ſeriò de ſui cognitione & vitæ emendatione agunt, dirigendo eos in hac exercitatione, vt maiori cum fructu in ea pergant.

4. HINC fit, vt ijdem diuina inſpiratione, in hoc eodem examine ſeriò agant de ſacrificandis Deo appetitionibus & perturbationibus carnis, per *hædum* ſignificatis; & omnibus deſiderijs & cogitationibus rerum delectabilium huius vitæ, per *ius*, in quo coquitur hædus, ſignificatis. ſi enim ſeriò agnoſcis ac deteſtaris miſeriam tuarum culparum, ſtatim adijcies animum; ad cognoſcendas ac deteſtandas earum occaſiones & radices: nihil permittendo in te viuere, quod te prouocet ad recidiuam. Ita vt materia propriæ cognitionis, & huius examinis non ſolum ſit ipſum opus malum, ſed eius quoq; radix, & origo tam interior, quàm occaſio exterior: vt offeratur Deo perfectiſsimum quoddam ex his omnibus holocauſtum.

5. SED quo igne holocauſtum hoc eſt offerendum? non alio quam amoris Dei, igneq; feruentium affectuum, qui prodeunt ex petra, qui eſt Chriſtus Dominus noſter. Nam, examine tuo peracto, conceptiſq; deſiderijs & firmo propoſito, id totum ponendum eſt ſuper hanc viuam petram, innitendo potius virtuti eius & gratiæ, quam tuæ induſtriæ ac diligentiæ. Virgâ quoq; meditationis & conſiderationis, à diuina omnipotentia præuentæ, quæ tecum eſt, vt te adiuuet tangenda eſt petra prædicta, conſiderando
d *Iſa.* 50.7. plurima, quæ ipſe pro te tulit, & paſſus eſt: d *ponens*, vt ipſe dixit *faciem ſuam, vt petram duriſsimam*, quo ictus ſuſtineret crudelium ſuorum hoſtium. Ex his conſiderationibus prodibunt, in virtute huius petræ affectus amoris & doloris adeo accenſi, vt omnino exurant & conſumant totum ſacrificium, quo tuus Spiritus, & caro, omneſq; tuæ potentiæ maneant totaliter ſacrificatæ & oblatæ ſeruitio tui Creatoris.

6. QVID verò dicemus de animi illa fortitudine, quam recipit Spiritus ex hoc modo examinis, ad reſiſtendum dæmonibus & omnia vitia inpoſterum vincenda? Videtur enim tunc dicere illi Deus, quod Angelus Gedeoni: *vade in hac fortitudine tua, & liberabis Iſrael de manu Madian.* quaſi diceret: ante fugiebas Madian cum timore: nunc aggredieris illum cum fortitudine; antea contentus eras, ſi te liberares à tyrannide Dæmonis & peccati; nunc ſpiritum & animum tibi dabo; vt alios quoq; iuues, & liberentur. nam qui adeò fortem ſe oſtendit circa ſui cognitionem, & huiuſmodi holocauſti oblationem, dignus eſt, qui ad res maiores diuini ſeruitij eleuetur.
c *Iud.* 6. 32. In cuius teſtimonium mutatum fuit nomen c *Gedeonis* in nomen *Ierobaal.*

Ge-

Gedeon enim significat circumeuntem in vtero: Ierob ial aũt, idem est quod fortis contra idolum Baal. Nam qui prius tanquam infans timidus erat, aut intra seipsum inclusus proprio tantum profectui attendens, prodit iam cum magna animi fortitudine, ad destruendum Dæmonem, & peccatum, in se & vniuerso mundo. O Saluator dulcissime, qui postquam inclusus fuisti in vtero Virginis Sanctissimæ, existi inde magna fortitudine ad destruendum peccatum, & spoliandum infernum: doce, quæso, me colligere in tua præsentia; taleq; examen mearum actionum instituere, vt ingens amoris ignis accendatur, quo perfectum omnium eorum holocaustum tibi offeram.

Gloss inter linea S. Isidorus & Lyra.

§. 5.

De frequentia harum examinationum.

VT AD tantam perfectionem, qualem proposuimus, peruenìatur, necesse est, magno spiritu frequentare excelsum hoc propriæ cognitionis exercitiũ, quod esse debet tanquã panis quotidianus, de quo singulis diebus aliquid sumas; inserendæ tamen sunt reliquæ meditationes etiam ipsius diuinitatis. Nam in omnibus occasionem inuenies ac fundamentum ad instituendum. Propterea enim dixit S. Iob: a *cum oculus meus vidit te, ipse me reprehendo, & ago pænitentiam in fauilla & cinere*: agnoscendo scil. nihilum suum & miseriam. Et eam ob causam est consilium salutare, vt recollectio orationis inchoetur ab aliquo breui exercitio propriæ cognitionis, examinatis scilicet admissis defectibus in illa die, aut nocte præcedente: & humiliando te, ac de eisdem coram Deo accusando. Sicut insinuauit Ieremias, cum dixit: b *Scrutemur vias nostras, & leuemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cælos.* quasi diceret: prius scrutemur, & culpas nostras defleamus, vt in contemplatione liceat affectus nostros puros ad Deum eleuare; & Sapiens dixit, c *Iustus prior est accusator sui.*

a *Iob.* 42.5.

1.

b *Thren.* 3. 40.

c *Prou.* 18. 17.

2.

PRAETEREA vtile valde est, quadrantem saltem temporis in hoc exercitio singulis noctibus, antequam incumbatur, consumere: studendo scilicet cognoscere, qualis illa die fueris, & qualia tua opera, omnia in memoriam reuocando, nullo prætermisso: & exigendo, vt ait S. Chrysostomus, à te ipso rationem, sicut à famulis tuis exigere consueuisti ad finem diei, petendo librum Dati & Accepti. Ita inquam, tu quoq; librum habere debes rationum, tuam scilicet memoriam & conscientiam, in quo singulis noctibus legas beneficia, quæ à Deo acceperis in illa die: & operum expensas, quæ feceris, benè examinando, quid mali in eis fuerit: teq; accusando, quæ acceptis beneficiis male responderis: tantoq; feruore culpas tuas lugendo, vt rationes feliciter expediantur. Modus hoc examen instituendi positus fuit Med. 27. partis primæ.

Homil. in id Psal. 4. Irascimini &c. & hom. 2. in Psal. 50.

Ad frat. de monte Dei col. 12.

QVOD ſi tamen multum proficere cupias in propria cognitione, frequentius adhuc, bis ſcilicet aut ter in die hoc examẽ inſtitues; ſicut monuit Sanctus Bernardus, videlicet antequam incumbas, & ante prandiũ, & mane, circa ea, quę in nocte tibi euenerunt. Sicut qui bis terue horologij pondera trahit, vt à continuo motu non ſiſtat. nam, ſi te bene cognoſces, inuenies; quod ſicut pondera horologij, dum mouent horologium deſcendunt ad terram, ita, vt ait S. Gregorius, continuo bonorum operum exercitio ſenſim fis tepidior, & pondere affectionum inclinas ad res terrenas. Quamobrem neceſſe eſt, frequenter ſcrutari vitam tuam, & attrahere pondera ac deſideria tua ad res cœleſtes.

Li. 19. Mor. c. 16. & lib. 18. c. 5.

4. *In regula Saluatoris.*

QVOD ſi maiorem perfectionem deſideras, amplectere conſiliũ, quod Chriſtus Dominus noſter dedit S. Brigittæ in quadam reuelatione, dicens, vt ſingulis horis diei examen inſtitueret ſuæ conſcientiæ, quod exactiſsimè ſeruabat Beatus Pater noſter Ignatius: ita vt ſi non liceret aliqua hora illud facere ob neceſſariam aliam occupationem, ſtatim atque ab illa ſe expediebat ſeſe examinaret: & cum nocte excitabatur, idem breuiter faciebat. Hoc idem ſuadebat Abbas Paſtor, (vt refert Sanctus Ioannes Climacus) dicens proprium eſſe feruentium negociatorum in tabella aliqua notare ſingulis horis, quid in eis eſſet factum: & Sanctus Dorotheus addit: *ſingulis horis, & per qualibet temporum momenta* examen operũ noſtrorum eſſe inſtituendũ: tanta ſcilicet frequentia, vt ſtatim repares culpam tuam eiuſque obliuionẽ: teque ipſum ſemper tibi præſentem habeas, vt bene quis ſis agnoſcas. Propterea ſiquidem de *Iuſto* dicitur, quod *ſepties cadat in die, & reſurgat*. Non itaque expectat noctem, vt reſurgat; ſed ſtatim atq; ceciderit. nec abſq; cauſa dicitur (vt Sanctus Bernardus notat) quod cadat, non de nocte, ſicut cadunt improbi non agnoſcentes ſuum lapſum, ſed *in die* & in lumine, aduertens ſtatim ſuam miſeriam, & de eius remedio ſolicitus. Et hoc, ait Sanctus Baſilius, voluiſſe Dauidem, cum dixit: e *in matutino interficiebam omnes peccatores*? Nam ſtatim atque lucem habuit, qua in anima ſua peccatũ aliquod deprehenderet, pœnitentiâ illud iugulabat, iuxta conſilium Apoſtoli, dicentis: f *ſol non occidat ſuper iracundiam veſtram*; nec vel ad momentum patiamini hoſtem veſtrum ſuperuiuere, qui domum veſtram inuaſit. Nec exiſtimes, inanem eſſe laborem, toties in hac examinatione occupari. inuenies enim, veriſsimum eſſe quod Sanctus Bernardus de ſe dixit: *quo diligentius me ipſum examino, eo plures defectus in conſcientia mea angulis reperio.* hoc enim feruore lux creſcit, quæ mihi manifeſtat quod antea non videbam: quando autem culpa valde ſentitur, ipſemet ſenſus oculos aperit, ad eam melius cognoſcendam ac deprehendendos malos ramos, qui ab ea procedunt.

Lib. 5. c. 1. in manuſcript.

cap. 4.

Ser. 10. & 11.

d Prou. 14. 16.

Serm. 57. in Cant.

e In Pſal. 100.

f Eph. 4. 26.

In Med. c. 12. & c. 5. Ex S. Greg. lib. 6. Mor. c. 13.

HINC eſt, quod alij feruentiores non ſolum ſingulis horis, quid egerint

exami-

examinant; sed in singulis actionibus suis, præcipuè quæ alicuius sunt momenti examinant num aliquis defectus interuenerit. Sicut murarij nō differunt regulam siue amussim suam adhibere ad finem diei, nec post vnam horam; sed cum primum laterem vel magnum quempiam lapidem collocarunt, adhibita amussi experiuntur num rectè sit collocatus, & in loco suo; & si quem defectum aduertunt mox rectificant: Sic deceret in hoc Spirituali bonorum operum ædificio statim illam regulare, & videre num sint conformia primæ omnium regulæ, quæ est diuina voluntas: vt, quod inuenitur curuum, rectificetur, & statuatur à simili curuitate in posterum abstinere.

O DEVS æterne, qui in ipsa mundi creatione super singula tua opera reflexionem faciens, tanquam bona approbabas, cum ad hoc, vt illa bona essent, sufficeret quòd essent tua; doce me cognoscere & examinare mea, quibus ferè semper aliqua mala miscentur, vt meam in eis miseriam agnoscam; & ita reparem, vt g *cum tempus acceperis, vt iudices iustitias*, inuenias iam iudicatas & purificatas, earumque præmium reddas. AMEN. g *Psal.* 74. 3.

PROPTER ea, quæ hactenus diximus, ne accipias occasionem in eorum extremum incidendi, qui totam vitam consumunt in Meditationibus pœnalibus suorum peccatorum & miseriarum, non dantes locum luci diuinarum misericordiarum, quos Sanctus Bernardus reprehendit, monens, vt interdum auertentes oculos à suis culpis se in diuinis laudibus & gratiarum actione exerceant, cùm ipse Deus dulci hoc h *laudum* suarum freno *infrenare nos* velit, *ne intereamus*. *Serm.* 11. *in Can.* h *Isa.* 48. 9.

ET QVAMVIS deberemus semper lapsus nostros deflere, id tamen (vt monet Cassianus) non debet fieri semper euoluendo fœtidam vitæ nostræ præteritæ cloacam: ne exhalans ex ea fœtor, nos inficiat: sed ob alios excelsiores & nobiliores respectus, qui dolorem afferunt sine huiusmodi animi defectione; & tristitiam cum lætitia coniunctam, ob fiduciam, quæ illam comitatur; & considerationem bonorum, quæ DEVS nobis contulit. De quibus proximo capite agetur. *Col.* 20. *c.* 9. & 10.



CAPVT VIII.

DE PROPRIA COGNITIONE CIRCA BONA quæ habemus, per quæ ascendimus ad cognitionem Dei, per heroicos humilitatis & gratitudinis affectus.



ENIAMVS nunc ad alteram propriæ cognitionis partem; quæ versatur circa bona, quæ habemus naturalia vel supernaturalia; corporalia aut spiritualia: ad quam ipsemet Deus, qui ea donauit, nos impellit iuxta illud Apostoli: a *Nos non spiritum huius mundi accepimus*, qui cœcus & fallax; *sed spiritum qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.* hæc enim cognitio, quæ à tali spiritu procedit non potest nō esse vtilis: imò aliquo modo est necessaria, nisi enim ea cognosceremus, quomodo largitorem eorum diligeremus? Quomodo gratos nos pro eis exhiberemus? Quomodo studiosè conseruaremus? quomodo eis vteremur in obsequium eius, cuius illa sunt? quomodo in afflictionibus animiq; deiectionibus respiraremus; & fiduciam haberemus, in rebus magni momenti voti compotes euadendi? & quomodo Deum agnosceremus ex donorum experientia, quæ nobis largitur? Hæc & similia commoda nobis cessarent, nisi agnosceremus bona spiritualia, quæ habemus; cùm dixerit Sapiens: b *thesaurus inuisus quam affert vtilitatem?* aliundè verò, nisi valdè cautè in hoc agamus, periculum imminet superbiæ, vanæ gloriæ, præsumptionis, & in graues errores incidendi, cum iniuria ipsius Dei, & proximorum, & cum iactura eorundem bonorum, amissa videlicet recta eorum cognitione. Sicut ille superbus, de quo dixit Propheta c *perdidisti sapientiam tuam in decore tuo:* ad hæc incommoda aduertenda consulit S. Gregorius, vt scientes, nesciamus. Studendo scilicet cognoscere ex eis, quantum sat est, ad prædictos fructus percipiendos: excœcando verò nos sanctè ad id, quod est prædictorum incommodorum occasio.

a 1. Cor. 2. 2.
b Eccl. 10. 2.
c Ezech. 17. 9.
Lib. 9. Mor. 13.

AD cuius declarationem aduertendum est, propriam cognitionē circa bona nostra ad duo potissimum respicere posse: ad originem sc. & fontē, vnde illa promanant, qui est ipse Deus; & ad alios homines, qui similium bonorum sunt participes.

ET ita duo procedunt gradus humilitatis, alter erga Deum Dominum nostrum, alter erga omnes proximos: & vterq; est necessarius iuxta illud Apostoli Petri: d *omnes inuicem humilitatem insinuate, & humiliamini sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in die visitationis.* Inter quos hoc in-

d 1. Pet. 5. 5.

ter-

tereſt, quod ſecundus impedit illa incommoda, eò quod bona ſua ita agnoſcat, vt recta æſtimet ac minima: & quà recta æſtimamus, grati ſimus Deo; quà verò minima, nos aliis hominibus humiliamus, vltimum inter omnes locum eligentes, de quo in 4. Tract. fuſiùs; nunc ſolum ad noſtrum inſtitutum de prima cognitione primoque gradu humilitatis dicemus, qui gradus non reputat, num, quæ habet bona, ſint magna aut parua; maiora, aut minora, quam reliquorum; ſed qualiacunque illa ſint, tranſit ad conſiderandas, & expendendas tres veritates, quibus ille innititur.

Prima veritas eſt, quod homo ex ſeipſo ſit nihil, nec bonum vllum habeat magnum aut paruum.

Secunda, quod quicquid boni habet, originem habeat à Deo, auctore naturæ & gratiæ, qui ex bonitate & miſericordia ſua illa eſt largitus.

Tertia veritas eſt, quod teneatur homo quicquid habet, Deo reddere: gloriam ſcilicet propter illud Deo reddendo, & eidem obſequium præſtando. Quæ tres veritates ita ſunt connexæ, vt vna ſine altera ſatis expendi non poſsit.

PRIMVM, ſi vis te radicitus omninò cognoſcere: oportet benè penetrare nihilum, quod ex te ipſo habes, in quatuor partes illud diuidendo, quas licet quatuor nihila appellare. 1.

Primum nihilum eſt in Eſſe, cui innituntur bona naturalia, quæ fundantur in nihilo, quod eras antequam Deus te crearet; & in eo reuertereris, niſi ipſe in eo Eſſe, quod tibi dedit, te conſeruaret. Sicut Iob dixit, quod Deus, e *appendit terram ſuper nihilum*: quia eam ex nihilo condidit, & nullo alio fulcro illam ſuſtentat, quàm ſua omnipotentia, quà illam tenet appenſam. e *Iob. 26. 7.*

Secundum nihilum eſt meritorum, cui innituntur bona ſupernaturalia & gratiæ dona: abſque vllis enim tuis meritis, ex ſola meraque gratia Deus incipit illa tibi communicare. Propterea enim dixit Dauid: f *pro nihilo ſaluos facies nos*, gratis ſcilicet & nullo à nobis oblato precio quod vocationem & gratiam quam nobis dat, promereatur. 2. f *Pſal 55. 8.*

HVC accedit *tertium* nihilum circa actiones, quod valdè ſe extendit. Nam, vt ſuperius expendimus, ſine Deo nihil ſumus, ad facienda quæcunque opera ſiue naturalia, ſiue ſupernaturalia, ſiue magna, ſiue parua. In hac cognitione horum trium nihil, fundatur heroica humilitas animæ Chriſti D.N. eiuſque Matris ſanctiſsimæ, Angelorum, & Sanctorum, qui non peccauerunt. 3.

SED eſt *quartum* aliud nihil, ſcilicet peccatum, quod S. Auguſtinus appellat nihilum, ſic intelligens quod S. Ioannes dixit: g *ſine ipſo factum eſt nihil*; culpa ſcilicet, ſiue peccatum. Et in huius nihili cognitione fundatur humilitas ſanctorum, qui fuerunt aliquando peccatores; de quo hactenus diximus. 4. g *Ioan. 1. 3. & ib S. Aug.*

1. IVXTA hæc quotiescunque aliquod bonum, quod habes, consideras, demittere debes oculos ad illud nihilum, in quo illud bonum fundatur, & in eodem nihilo teipsum fundare cum profunda humilitate contemnendo te sicut ipsum nihilum, & iudicare de te quod non sis dignus, cuius maior ratio habeatur, quàm eius quod nunquam fuit, & quod est nihil. Hoc siquidem tantum habes ex teipso. Dices ergo coram Deo, magno humilitatis spiritu: nihil sum, nihil mereor, nihil possum, ex meipso propendeo in nihilum, quod est peccatum, propter quod adhuc me reddidi deteriorem ipso nihilo. In hoc mei nihili abysso viuam & me continebo, vt securiora sint mihi bona quæ habuero.

2. MOX eleuandi sunt oculi mentis ad videndum & considerandum fontem primum, ex quo bona omnia oriuntur, quæ huic nihilo sunt addita. qui fons, est ipse altissimus Deus, creator & sanctificator tuus: vt ames illum ob infinitam bonitatem & charitatem, quam ostendit erga te, cui talia bona impertitur immeritò; gratiasque illi propterea agas, & illum laudes. Ab eodem enim oritur principio, quod te humilies ob defectum bonorum; & quod ames laudesque benefactorem, qui illa tibi dedit: obuiantibus sibi seque coniungentibus humilitate & charitate ad implendum quod dixit Isaias: h *mittet id, quod saluatum fuit de domo Iuda,* (quod significat confessionem & laudem) *radicem deorsum* (confitendo humiliter suum nihilum) *& faciet fructum sursum,* laudando scilicet Deum ac diligendo, eique cum charitate seruiendo. Et vtrumque horum præstant in oratione quando agunt de propria cognitione de qua hactenus.

h Isa. 37. 31.

3. EX his fit, vt omnia hæc bona sint eorum largitori reddenda, offerendo ei fructus, quos ex manu eius acceperunt. *Quis* enim (ait Apostolus) i *plantat vineam, & de fructu eius non edit*? Cùm ergo Deus in medio huius mundi suæque Ecclesiæ, animæ tuæ vineam plantauerit, cùm omnibus vitibus & palmitibus potentiarum, virtutum, ac bonorum, quæ habet corporalium & Spiritualium, æquum est, Deum ex eius fructu edere; teque omnia ea collocare & occupare in eius obsequio, & ad maiorem ipsius gloriam dicere cũ sponsa: k *omnia poma* vineæ meæ *noua & vetera,* naturę & gratię *dilecte mi seruaui tibi:* quia tua sunt potius quam mea, accipe illa ad gloriam tuam, quia illa tibi offerre magnum mihi est lucrum. *Omnia flumina* (inquit Ecclesiastes) reuertuntur l *ad mare, vnde exiuerunt, vt iterum fluant*: Ita omnia bona, quæ habeo, exierunt ab immenso tuæ diuinitatis mari: vt æquum propterea sit, ad eandem redire, vt copiosius iterum fluant, & iterum ad te reuertantur, qui principium & finis es vitæ meæ in quo sita est tota mea beatitudo.

i 1. Cor. 9. 7.
k Cant. 7. 13.
l Eccl. 1. 7.

§. 1.

Declaratio prædictorum ex oratione & excessu siue extasi Dauidis.

TRIA hæc proximè posita puncta, docuit ipsemet Deus Dauidem quæ mirificè ipse in praxin deduxit in altissima quadam contemplatione, quam appellauit excessum, cuius fecimus mentionem in præcedente Tractatu, ad quam peruenit, postquam dixit: a *credidi, propter quod locutus sum: ego autem humiliatus sum nimis.* quasi diceret: multum me in actibus fidei exercui, & in clamoribus orationis: & in multis humiliationibus, quę mihi ob mea peccata acciderunt: quasq; ego ipse elegi, vt magis propter illa me humiliarem. Propter quod totum eleuauit me Dominus ad excessum quendam lucis & cognitionis admirabilis, ac feruentis: in quo mihi tres admirandas veritates manifestauit, quas easdem idem Dominus manifestabit tibi, si te ad eas, eisdem exercitiis præparaueris, quibus Dauid.

Cap. 13. a Psal 115.2. S. Dionys. c. 4. de diuin. nomin. p. 1. S. Thom 2. 2. q. 175. a. 3. ad 1. & 1. 2. q. 28. a. 3.

I. PRIMA veritas fuit illius nihili & miseriæ quam quod homo esset, ex seipso habebat: est enim Spiritui S. familiare, excessus lucis suæ inchoare à manifestatione nostrarum miseriarum, quodam excessus modo, quē declarauit ipse Dauid dicens: *Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax:* quasi diceret, primum quod in meo excessu cognoui, & apertè intellexi, fuit quod omnis homo, nullo excepto, ex seipso sit res quædam inanis, mendax, inconstans, & mutabilis. cùm enim videatur aliquid esse; & firmitatem quandam, & in suo esse stabilitatem prę se ferre; nihil tamen ex seipso habet, ipseq; sibi ipsi mentitur, si aliquid se habere existimet. Nam (vt dixit Apostolus) b *si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit.* Quia alium se existimat, quam reipsa sit: & alia translatio habet (vt aduertit S. Chrysostom.) *omnis homo est mendacium & nihil.* Nam quicquid habet fundatur in nihilo, transitque instar vmbræ & fumi: estque c *vniuersa mundi vanitas,* nihil habens soliditatis, & substantiæ; sed ex se inclinat ad mendacium, quod prouenit à dæmone, qui d *cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur.* O propheta sancte, attende benè quid dicas, quamque illud sit verum. Si enim omnis homo mendax, ergò & tu talis es, qui hæc dicis: siquidem es homo, quomodo ergo mendaci fidem adhibebimus, qui in hoc ipso, quod dicit mentitur? Sed non sum homo (respondebit ipse) quando hæc dico, sed supra hominem; meipsum enim excedo, & in hoc excessu loquor, Deo meo coniunctus, cuius luce agnosco me ex meipso nihil esse, & mendacem; & quicquid boni habeo esse ab excessu diuini amoris, qui à se exiuit, vt mihi benefaceret, meque ex abysso mei nihili educeret, bonisque me repleret, quæ excedunt totum quod est meum, quantum ipsum esse excedit non esse; quantum veritas excedit mendacium, vanitatem & vmbram. O Deus æterne, veritas summa, tu es, qui es ita vt non possis desinere esse: illustra me, vt agnoscam ego me

b Galat. 6. 3. In eundem Psal. 115. c Psal. 38. 6. d Ioan. 8. 44 S. Greg. l. 22 Mor. c. 20. S Dionys. supra.

est. O dilecte cordis mei, quid tibi reddere potero pro bonis quæ in me posuisti; nisi vt accipiam calicem salutaris, preciosis amoris tui vinis plenum? ego te diligam ex toto corde meo; laudabo perpetuò, sanctumque nomen tuum inuocabo: en offero me ad bibendum calicem, quem Saluator meus bibit; & ad patiendum pro te, quod ille est pro me passus. accipiam calicem diuinissimi Sacramenti, quod ipse instituit in actionem gratiarum propter collata mihi beneficia: dabo tibi quicquid habeo: totum siquidem est tuum, non meum: à te accipio, quod tibi reddo; & quod illud minus habet, propterea quod ego offeram, suppleatur propterea quod tu sis, qui illud mihi dederis. O dilecte animæ meæ, parum mihi omninò videtur quod do, etiamsi ex omnibus viribus meis: quia illæ sunt valdè debiles. Eleua ergo me supra me, vt excedam supra id quod possum, & augeam vires, & potestatem, ad amandum iuxta vota mea. *Hæc sunt vota & proposita, quibus ostenditur gratitudo, propter bona quæ nobis dat Deus: quæ non sumus promeriti, vt supra est fusius declaratum.*

§. 2.

De cognitione Dei, quæ hinc eruitur.

POSTQVAM agnoueris, Dei esse omnia bona quæ habes; per eadem ascendes, ad eiusdem Domini excellentias agnoscendas. ad quod tutò licebit pro argumento Meditationis accipere bona corporis & animæ, quæ cæteris quoque hominibus sunt communia, conijciendo ex eis infinita magnalia & perfectiones Creatoris, ex iis quas in hac nobili creatura posuit, quæ ab eius omnipotentia prodiit. Propterea siquidem dixit Dauid: a *mirabilis facta est scientia tua ex me*, & iis quæ in me video, quæ ita tamen excellens est, *vt non possim ad eam* peruenire. hoc inquit S. Gregor. significat illud Ezechielis, quod in templo Dei b *ostium esset contra ostium* è regione scilicet alterius, quò alterum transitum præberet ad alterum. Duæ enim sunt portæ, quibus aditus est ad perfectionem, & ad intimum vnionis diuinæ. altera est suiipsius propriæque animæ suæ cognitio, qua excellentias & dona naturalia, quæ accepit à suo creatore cognouit: altera est cognitio Dei, & infinitorum magnalium, quæ in ipso sunt. Prima porta siue cognitio est contra alteram, siue è regione alterius: cognitio enim suiipsius aditum præbet ad cognitionem Dei: vt cùm ingressus fueris perfectè primam portam; statim tibi præluceat, quod est intra secundam: vt idem contempleris in Deo cum infinito excessu, quod in teipso cognoueris. Sicut anima tua est purus spiritus; ita Deus est spiritus purissimus absque vllius rei corporeæ aut materialis admixtione. Illa tota est in tuo corpore, & tota in singulis eius partibus: Deus est totus in hoc mundo & in singulis cœli & terræ an-

a *Psal.* 138 6. *Hom* 17. *in Ezech.*
b *Ezech* 40 13.

ſiquidem angelica & omnis humana ſapientia, ad eam comparata eſt quaſi non eſſet? Doce me agnoſcere dona, quæ mihi contuliſti tali moderatione, vt neque ignorantia faciat me ingratum; neque cognitio tumentem & vanum. Amen.

HAEC Dei cognitio ex ea, quam de ſupernaturalibus bonis, quæ in nobis ſunt, habemus, ſecurius & perfectius obtinetur, ſi meditemur in quarto *libro* ſcientiæ *myſtica*, Eccleſia ſcilicet, & ſanctis eius: de qua in proximo capite dicetur.

CAPVT IX.

ECCLESIAM ET EIVS SANCTOS LIBRVM ESSE vivum, ex quo diſcitur ſcientia ſpiritus, & propria, Deiq́; cognitio.



SICVT Deus Dominus noſter, quà eſt autor naturæ, ſcripſit manu ſua librum viſibilis huius vniuerſi, cuius characteres ſunt omnes creaturæ in eos fines, quos ſupra indicauimus: Ita quà eſt ſanctificator & author gratiæ, ſcripſit alium librum intra ipſum vniuerſum, ſuam videlicet Eccleſiam, cum omnibus ſuis ornamentis in qua diſci poſſit valdè exactè myſtica ſcientia, & cognitio propria ac Dei. Si enim hanc Eccleſiam iuxta ea, quæ ex ſe habet, intueamur, illa eſt cõgregatio quædam hominum ſubiectorum innumeris calamitatibus, & miſeriis corporis & Spiritus; & indigentium multis medicamentis & antidotis ad illas expellendas. Sin eandem conſideremus iuxta ea, quæ habet à Deo, & Chriſto Seruatore noſtro, qui eam fundauit & ex latere ſuo eduxit, eſt congregatio hominum admirandis gratiis & virtutibus ornatorum, in quibus elucent perfectiones diuinæ. Itaque ipſamet de ſe dicit: a *nigra ſum, ſed formoſa, filia Ieruſalem: ficut tabernacula Cedar.* ſicut ipſa videlicet nigredo & triſtitia: ſed pulchra tamen, *ſicut pelles Salomonis,* ſicut ipſa videlicet pax & pulchritudo. nigra propter ea quæ ex me ipſa habeo, & exterius apparent iudicio huius ſæculi: ſed pulchra propter ea quæ habeo per gratiam in occulto, & in iudicio & æſtimatione ipſius Dei, qui infinita ſua ſapientia, magis admirabili quàm fuerit Salomonis, nouit coniungere in ſua Eccleſia cum tali nigredine talem pulchritudinem, vt in illa agnoſcens ſeipſam, in humilitate fundaretur; in hac verò, agnoſcens ſuum benefactorem, radicaretur in charitate: diligendo eum, à quo adeò fuit dilecta, vt fieret homo, & ſeipſum morti offerret pro illa b *quam* (vt Sanctus Apoſtolus ait)

a *Cant.* 1. 4.

b *Eph.* 5 26

ipse sibi exhiberet gloriosam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, mundando eam ab omnibus maculis, quas habebat, *vt sit sancta & immaculata.*

QVOD si clarè vtrumque videre velis, coniice oculos in septem res admirabiles quas habet Ecclesia instar septem foliorum huius libri.

1. *Prima* res est admirabilis eius doctrina, in qua omnia sunt reuelata, quæ ad hominis miserias, Deique & eius operum magnalia pertinent, quæ in sacris libris continentur.

2. *Secunda* res est puritas diuinæ & Euangelicæ legis in omnibus eius præceptis & consiliis, cum maxima, quæ vel concipi possit, sanctitate: in qua neque admittitur, neque approbatur minimus culpæ odor, aut imperfectio: Sicut in doctrina nulla est erroris aut mendacij species.

3. *Tertia* est excellentia & efficacitas septem eius Sacramentorum ad omne genus particularium morborum curandum, & prospiciendum de omni genere gratiarum, ad exercitationem omnium virtutum.

4. *Quarta* res est pręstantia & excellentia Sacrificiorum & oblationum eius. in vnico enim habet quicquid posset desiderare. quo offert rem optimam & efficacissimam, quam posset, ad ea quæ intendit, offerre: cui coniungitur.

5. *Quinta,* magna scilicet efficacitas orationum, & postulationum ob infallibilia promissa Dei, quod assistet eis audiendis & expediendis.

6. *Sexta* est stupenda varietas graduum, officiorum, & ministeriorum, quæ conficiunt hierachiam Ecclesiasticam ad eius conseruationem & augmentum, cum non minori connexione & harmonia in mystico hoc corpore, quàm habeant membra corporis humani.

7. *Septima* est omnium harum rerum, perpetuitas, & ipsius Ecclesiæ, etiamsi innumeris persecutionibus & contradictionibus oppugnetur à potestatibus huius mundi, & inferni: quę vt hactenus non potuerunt, sic nec in posterum *Mat. 16. 18* c *praeualebunt aduersus eam*: quia prouidentia diuina eam defendit ac protegit.

§. I.

Qua ratione has septem excellentias meditemur.

CVM leges aut meditaberis septem has Ecclesiæ notas & excellentias, tria puncta in omnibus & singulis erunt tibi perpendenda: extrema scilicet tua necessitas, qua illa opus habebas; beneficij magnitudo, quod tibi contulit Deus, cū eam tibi cōmunicauit; & infinita ipsius largitoris bonitas. Ex primo enim cognosces, qui tu sis; ex secundo, quis Deus sit erga te: qui adeo liberaliter accurrit, vt tibi subueniat: ex tertio agnosces,
1. quis Deus sit in seipso, à quo tantū bonū promanat. Hinc ergo agnosces tuā ignorantiam sine hac doctrina; tuam malitiam, sine hac lege: & tuas necessi-

tates,

tates, sine his sacrificijs, & orationibus, & absque hujusmodi ministris ac ministerijs, tua denique magna pericula, nisi hæc tanta bona sint tibi perpetua. Imaginare quoque, hæc omnia clamare ac dicere tibi tria illa verba, quæ omnes creaturas dicere supernis attigimus: *Accipe, redde, fuge.*

2.
ACCIPE hanc doctrinam & hanc legem. & REDDE hoc donum, vt vitam tuam illis conformes. quod nisi feceris, caue, & FVGE supplicium, quod tibi imminet. Accipe item sacramenta hæc & Sacrificia, & redde pro eis debita seruitia, nisi magnos velis experiri cruciatus. Accipe donum tot ministeriorum, eisque vtere cum magna animi gratitudine: & fuge supplicium & pœnam eius, qui talentum suum fodit. O anima mea, ne ad has voces obsurdescas: cum tua vita in eis audiendis consistat: mors verò reijciendis. doctrina & lex Euangelica, est lex gratiæ, quam abundè communicat, vt impleri posit, quod præcipit. Sacramenta sunt antidota, quæ vitam, salutem, & virtutem, quam significant, impertiunt. in statibus ac ministerijs assistit Spiritus diuinus, auxilium præstans, ad ea, vt oportet, præstanda: & in tribulationibus ac periculis nunquam tibi eius protectio deerit, quæ te ab eis eijciat.

HINC perges perpendenda ad Dei magnalia, quæ in septem his rebus resplendent. In *doctrina*. n. fidei, quam sacra Scriptura continet, animaduertes infinitam Dei sapientiam, cognoscentis præsentia, & absentia: præterita & futura, & occulta cordium, quæ figuris & modis stupendis mysteria manifestat operum suorum. In Euangelica *lege* cognosces immensam bonitatem, & sanctitatem supremi huius legislatoris ac Iesu Christi Seruatoris nostri, qui eam promulgauit: & ex virtutibus suis exemplaribus, eas deduxit quas in suis præceptis & consilijs commendat. In septem *Sacramentis* legere licet excellentissimam eius charitatem, & misericordiam: qua nos regenerat, confirmat, ac nutrit in esse gratiæ: nosque à peccatis omnibus, eorumque reliquijs liberat, ac remedium affert contra nostras concupiscentias; ordinem constituit in *ministeriis* nostris, in quorum varietate ac dispositione stupenda, licebit tibi altissimam eius prouidentiam legere quæ multò ampliorem tibi admirationem afferet, quàm habuerit Regina Saba, cum vidit ordinem domus, familiæque Regis Salomonis, Quod si efficacitatem aspicias *sacrificiorum & orationum*, ibi leges immensam liberalitatem DEI, qua diuitiarum suarum thesauros cuicunque impertit, qui est Ecclesiæ coniunctus. Nam plus ipse desiderat dona sua largiri, quàm homines desiderent accipere. Denique in *perpetuitate* rei adeò fragilis, in medio tot impugnationum, diuinam legere poteris omnipotentiam, quæ rem tam infirmam adeò corroborat, vt vel fortissimis resistere possit. & in despectum tyrannorum & Dæmonum firma stat eius domus, eò quod *fundata sit super* viuam *petram*. Hæc est domus illa admirabilis, de qua Salomon, quod *Sapi-* Matth. 7. 24 Prou. 9. 1.

entia ædificauerit sibi domum, vt scilicet infinitas suas perfectiones in hominū vtilitates manifestaret. Diuina enim Sapientia proposuit in ea mensam doctrinæ; eius bonitas excîdit præcipuas columnas præceptorum & consiliorum, quibus illa innititur; eius misericordia panem posuit & vinum sacramentorum, quibus nos nutrit; eius liberalitas distribuit vnicuiq; portionē, quam petit; eius charitas immolauit victimas sacrificiorum, quibus nos sibi reconciliat; eius prouidentia distribuit mittitq; ancillas suas, per quarum ministeria homines vocat ad arcem, & mœnia ciuitatis, vt ipsi seruiant; omnipotentia sua totum ædificium sustentat ita, vt nunquam destruatur, aut deficiat, quod in se continet.

4. QVOD si beneficij hujus magnitudinē, & reliqua, quæ in his tribus pun-
Genes. 6. & ctis sunt dicta, clarius videre velis. conijce oculos in *arcam* illam quam *diuina sapientia* fabricauit, vt paucos electos à morte, quæ per diluuium immi-
1. Pet. 3. 20 nebat, liberaret: extra quam nullus homo aut bestia potuit vitam conseruare; sed omnes diluuio perierunt: in arca tamen seruatus est Noë cum sua familia & animalibus, quæ eius industria & Angelorum eum adiuuantium ministerio, in eam intrauerunt: ipso DEO, vt ait Sapiens, *per contemptibile lignum iustum gubernante.* lignum enim vocat ipsam arcam ex ligno fabre-
Sapi. 10. 4. factam, tum quod illud ex se esset vile; tum quod eius temporis homines ipsum Noë contemnerent, & irriderent, quod talem arcam fabricaret, in eamq; cum sua familia ingrederetur; & quod ipsos moneret, quòd essent veniente diluuio perituri, qui extra illam inuenirentur. Sed breui, deceptione propria retecta, viderunt se illusos, qui ipsum Noë irriserant. Nam in contemptibili hoc ligno suos Deus saluauit electos, mirificè eos gubernans absque arcæ, & in ea habitantium detrimento. Deducebatur arca inter scopulos & rupes securè; quia Deus erat eius gubernator: nec aquæ gutta in eam ingrediebatur, quia ipsemet aforis eam clausit, eamque vt opus erat, muniuit: nunquam illis defuit alimentū, quia intus erat sufficiens pro hominibus & animantibus; non fuit pugna, aut discordia, quamuis multæ essent feræ & aues, quæ sua natura erant inuicem inimicæ: gubernatio enim Dei, & eius Angelorum, eas continebat & ordinabat: nullæ ibi infirmitates, nec mors vlla toto tempore, quo in arca fuerunt, diuina misericordia eas præseruante: magnus semper fuit ordo & concordia, quia diuina sapientia assistebat cum Noë ad omnia in loco & ordine continenda. ac deniq; omninò integra & absq; vlla corruptione tota arca perseuerauit vsque ad diluuij finem. O clarissima Ecclesia, quàm commodè tibi omnes mysticæ huius arcæ proprietates, adaptantur! Si enim aspicio, quod ex teipsa habes, lignum es contemptibile: vt quæ tota composita sis ex infirmis, vilibus, cor-
1. Cor. 1. 23. ruptionique subiectis hominibus; & fundata in contemptibili ligno crucis

Christi,

Christi, quæ *Iudæis fuit scandalum, gentibus* autem *stultitia* : vtrisq; irridentibus fideles ad confugientes, & per Baptismi portam intrantes, vt tui fierēt habitatores. ridebant enim, cū illis prædicaretur, omnes, qui extra te essent, peccatorum diluuio perituros, & ad infernum deuenturos; irridebant, cum diceretur, in te inuenturos vitam, sustentationē, pacem & requiem; extra te mortē, famem, bellū & tormenta. Verū hoc ipsum, quod *Iudæis* erat *scandalū & gentibus stultitia*, Electis fidelib. per tuas portas ingressus fuit. *Dei virtus & Dei sapientia*, quia Deus ipse in se recepit, per hoc contemptibile lignum eos gubernare, donec ad æternæ quietis portū peruenirent. O arca nobilissima, quàm prosperè per tot scopulos, rupesq; tribulationū per tot persecutionū fluctus & horrendas tribulationes nauigasti? contra te insurrexerunt potestates inferni, tyranni huius mundi, & astutiæ carnis: sed non potuerunt præualere: quia Deus est gubernator tu⁹, qui & clausit, & bitumine suæ protectionis ita liniuit, vt vndiq; sis munita ac defendaris. Nam quamuis oculis tuis videas diluuiū errorum & peccatorum, quo mundus submergitur; tuisq; auribus percipias strepitū miseriarū, quæ illū conturbant: hæ tamen aquæ te non ita penetrant, vt submergant: Dominus enim oēs rimas tuas ita occlusit, vt his omnibus præualeas, & ab eisdē te defendas. Intra te fames esse non potest, eo quod gubernator tuus de pane doctrinæ, de aqua sapientiæ, de vino charitatis, de Sacramentorū nutrimento, paneq; illo Angelorū, qui de Cœlo descendit pro mundi vita, tibi prospexerit: qui panis, quamuis in multos diuidatur, vnicuiq; tamen tantū datur, quantū omnibus: nec vnquam consumitur, quamuis semper comedatur. Et quamuis in te habitent homines, qui vel nationis vel naturalis constitutionis occasione sint inuicē inimici, si tamen secundū tuas leges vitā instituant summa concordia, paceq; fruentur: de te enim dictū est, quod *habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit; vitulus, & leo, & ouis simul morabuntur; & puer paruulus minabit eos.* vnusquisq; enim prælatus, etiāsi conditione sit parvus & simplex, in virtute tamē Dei sufficiens erit ad gubernandū gregē, charitate gratiaq; adeo vnitum & concordē, sicut prius diuisus erat, ob deprauatam inclinationē, prauosq; mores. Non erunt intra te nec morbi neq; mortes, si tui filij vti voluerint medicamentis præseruantibus, quæ Deus prouidit, ne in eos inciderent; aut si incidissent, ab eis liberarentur. Quicquid in te est, summa concordia ordineq; consistit: quia diuina sapientia rem ita direxit, vt alij maiores sint, alij minores; alij subditi, alij prælati, qui illos gubernent; singulos adiuuans, vt officio suo dignè fungantur.

Isa. 11. 6 & c. 65 25.

Et vt verbo concludam, cum Sancto Hieronymo dico: *quod arca in diluuio, hoc Ecclesia præstat in mundo.* In ea enim omnes viuere possunt: extra eam necesse est omnes perire: in ea satietas esse potest; extra eam ne-

In c. 11. Isai.

cesse

cesse est esse famem: in ea pax esse potest, salus, solatium & vera requies; extra eam nihil tale solidum esse potest, sed quasi in cortice & perfunctoriè. Felices filij Ecclesię, qui talem habent matrem, talem habent gubernatorem & Patrem. O supreme pater, gratias tibi, quod me in hanc arcam induxeris, quam fabricasti ad gratiæ tuæ diuitias, & infinitæ sapientiæ thesauros ostendendos: guberna me Deus in ea ita, ut ad desideratum gloriæ portum tandem perueniam. Amen.

§. 2.

De ratione meditandi gesta Sanctorum.

TRANSEAMVS nunc ad legendos viuos Ecclesiæ libros, sanctos scilicet homines, in quibus Spiritus diuinus, ipsis cooperantibus, scribit excellentias sanctitatis prædictas, imprimens in tabulis cordium eorum doctrinam fidei, viuosque virtutum characteres; charitatis legem, cũ præceptis & consiliis suis; fructus Sacramentorum, & Sacrificiorum, & constantiam in laboribus, & persecutionibus. Quamobrem dixit Sanctus Gregorius: *viuam lectionem esse vitam bonorum*, lectionem scilicet Sanctitatis & mediorum. quibus illa comparatur; & magnalium Dei illa inspirantis. In qua lectione, ne qua sit deceptio, est obseruandum, tria rerum genera in his libris considerari posse, tanquam tria genera characterum: quosdam enim ipsi Sancti scripserunt proprijs tantum manibus; alios manu Dei adiuti, alios denique DEVS ipse sine ipsis sculpsit, vt iam explicabitur.

ib. 24. tor. c. 6.

Prima Consideratio.

PRIMVM aliqui Sanctorũ, quoniam natura sua filij fuerunt Adami terreni, imitati parentem, scripserunt in libro suarum conscientiarũ grauia aliqua peccata propria sua manu tantum (peccare enim nostrum est tantum) quæ peccata in duobus temporibus scripserunt. *Primum* fuit ante suam conuersionem: in quo laxissimè vixerunt, sicut Maria Magdalena, Matthæus, Saulus & similes, qui in primis librorum suorum folijs tot characteres culparum carbone nigriorum scripserunt, vt aliqui eorũ fassi sint, eas excedere a *arenas maris*, b *& capillos capitis*. Sed huiusmodi characteres nõ permanserunt libro inscripti: quia eos pœnitentia deleuerunt; licet non ipsi soli sed manus præcipue DEI potens, ob IESV CHRISTI filij sui merita, manifestans infinitam misericordiam suam in hoc, quod in charta adeo maculata superscribere voluerit illustrationes & inspirationes suas cœlestes, gratiamque vocationis efficacissimam, qua illos permouit, ad suas culpas deflendas; quas ipse ex eorum animis ita deleuit, vt nec vestigium reliquerit: sed adeò purus & immaculatus liber remanserit, atque si tales maculas nunquam habuisset. c *Ego* (inquit ipse Dominus) *deleui, vt nubem ini*

1.

In orat. tanass Ps. 39. 13.

Isai. 44. 2.

qui-

quitates tuas; & quasi nebulam peccata tua. Nam ſicut nubes ac nebulæ vidẽtur eſſe quædã maculæ ipſius cœli, ſed calore ſolis ita diſſoluuntur, vt nullum earum veſtigium maneat: Sic (inquit) deleui ego iniquitates, & peccata tua, & iterum, d *Ego ſum, ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates tuas, propter me,* & gloriam nominis mei, *nec peccatorum tuorum recordabor amplius*, vt vlciſcar de eis. Quod totum ſapientia diuina diſpoſuit, vt in eodem libro, eodemque eius folio legere poſſes, & cognoſcere, quis homo ſit, & quis DEVS; qualis homo fuerit contra DEVM, qualisque DEVS erga hominem: & in hoc homine te ipſum agnoſces, attendens, quid ex te ipſo habeas; & in eodẽ agnoſces ipſum DEVM videns quantum ipſius gratia valeas obtinere. Primum impellet te ad humilitatem & timorem; ſecundum ad amorem & fiduciam: Vtrumque verò ad inſignem pudorem & contritionem. Vis noſſe quid ſis ex corrupta tua natura peruerſaq; libertate? aſpice quam fuerit carnalis Magdalena, ante ſuam conuerſionem? quam cupidus Matthæus? quam ſuperbus feroxq; Saulus? Nam quales illi fuerunt, es tu; multoq; peior eſſes, ſi à Deo tibi relinquereris. Siquidem (teſte Sancto Auguſtino) nullum eſt peccatum, quod faciat aliquis homo, quod non poſsit alius homo facere. Vis ſtatim cognoſcere, quis ſit Deus erga te? aſpice, quid cum eiſdem fecerit, & quæ bona eiſdem communicauerit: & intellige, eius bonitatem & omnipotentiam non eſſe imminutam, ſed promptam eſſe, vt tibi ſicut illis faueat. &, vt dixit Sanctus Paulinus, *oſtendit in raris, quod omnibus, ſi velint, proſit.* Aperi itaq; animæ tuæ aures, cum legere incipis vitas horum Sanctorum, audiq; breuiſsimam ſed altiſsimam lectionem, quã Chriſtus Dominus noſter Saulo prælegit, cum dixit: e *Ego ſum Ieſus Nazarenus quem tu perſequeris*: quaſi illi dixerit, Saule, agnoſce teipſum, & agnoſce me. agnoſce, te eſſe perſecutorem illius, qui te vult ſaluare: me verò Saluatorẽ eius, qui me perſequitur. Quo peruenire potuit vltra tua malitia, quã peruenit; perſequendo miſericordem adeo Seruatorẽ? & in quo potuit manifeſtari magis mea miſericordia, quam in peccatore adeò miſerabili, ad mentem & ſanitatẽ reducendo. Aſpice anima mea, vtramq; hanc effigiem: alteram infinitæ miſeriæ & alteram infinitæ miſericordiæ. in prima agnoſce quis tu ſis, vt odio te habeas; in ſecunda agnoſce quis ſit Deus, vt illum diligas.

d *Iſa. 43. 25.*
In ſolilo. c. 15.
Refert Bellarm. tomo. 3. lib. de gratia c 5.
e *Act. 9. 5.*

2. VT autem in vtraq; cognitione proficias, & creſcas: aſpice ſtatim peccata, quæ aliqui Sancti in libro ſuo ſcripſerunt, poſt ſuam conuerſionem, & poſtquam agnouerunt & multum cum Deo egerunt; qualis fuit Moyſis incredulitas, Dauidis adulterium, Petri negatio, & alia ſimilia, qui nigros hoſce characteres ſoli & per ſe ſcripſerunt, quos etſi deleuerunt, non tamen ſoli, ſed magnis Dei auxilijs illos præuenientis, & adiuuantis, ad eos amaris lacrymis & grauibus pœnitentijs delendos: vt & tu etiam in hoc libro legas,

clariusque cognoscas, quis homo sit aduersus Deum; & quid Deus erga hominem; quàm infidelis, ingratus, inconstans, & mutabilis homo in Dei obsequio: quàm verò fidelis, constansq; Deus in benefaciendo misero homini? Ex primo disces tuam infirmitatem vereri: præteritæ sanctitati non fidere; nec securum te putare ob acceptos prius fauores; nec multũ tibi propter eos tribuere? Ex secundo verò disces nõ desperare de misericordia diuina, si contingat te labi; & sperare, quod ex tuis malis Deus eliciat bona; & vbi creuit culpa, cresciturã & gratiam, vt sic manifestetur diuina bonitas & omnipotentia. O Deus omnipotens, qui deles in tuis electis peccata, sicut nubes; vt claros illos serenosq; relinquas, in quibus habites postea per tuam gratiam: dele in me, quæso, quicquid mali ego feci, vt anima mea sit tanquam cœlũ, quod enarret gloriam tuam, propter bona, quæ à te accepit. Amen.

Secunda Consideratio.

PROGREDIERIS statim ad legendum cũ longiori mora admirandos characteres, quos scripserunt sancti in libris suarum conscientiarũ, propria quidem manu, & industria, sed præueniente tamen & adiuuãte gratia. Deus enim a *dedit legem suam in visceribus eorum & in cordibus eorũ scripsit eam.* ipsi verò, eodem adiuuante, eandem receperunt, & ea perfectione b *scripserunt* qua scripta erat in tabulis lapideis, & in libris ipsis scripturæ S. ita, vt si oculos haberes ad vtrumq; hunc librum legendum, stupendam deprehenderes similitudinẽ inter illos: eò quod valde ad viuum descriptæ sint in altero virtutes, quas alter commendat: aut dic mihi, quid aliud fuit conscientia magni illius sancti Abrahami, nisi liber quidam, in quo Deus scripsit id quod est fidei perfectissimum; spei valde arduum: supremum obedientiæ; & excellentissimum resignationis & charitatis? Et quamuis Deus velociori manu legem suam scriberet in corde sanctissimi viri; ipse tamen exactissimè & velocissimè ipsum sequebatur: scribens manu sua simul cum Deo clarissimas harum virtutum actiones. obedit ad nutum vocationi diuinæ, exit ex terra sua, & cognatione sua peregrinatur per multas prouincias, c *contra spem in spem credit*, præparat se ad offerendum proprium filium Isaac, d *extendit manum, arripit gladium, vt immolaret filium suũ quẽ diligebat* & in omnibus studet e *esse perfectus, ambulando coram Deo:* & familiarissimè cũ eo agendo. Quid verò dicam de S. Iob, cuius vita fuit admirabilis quidam liber, in quo scripta erant illustrissima opera religionis versus Deum, zeli versus filios suos, misericordiæ erga pauperes, iustitiæ erga ciues & seruos suos, patientiæ in aduersis, tolerantiæ in iniurijs, puritatis & sanctitatis in cogitationibus & verbis: hic erat liber, quem ipsemet scribi cupiebat cum dixit: f *quis mihi tribuat, vt librum scribat ipse qui iudicat: vt in humero meo*

a Ierem. 31. 33.
b Hebr. 10. 16.
Prou 3. & c. 7. 3.
c Rom 4. 18.
d Genes. 22. 10.
e Gen. 17. 1.
f Iob. 31. 35.

portem illum, & circundem illum quasi coronam mihi? per singulos gradus meos pronunciabo illum; & quasi principi offeram eum. Erat autem hic liber, quem S. Iob desiderabat, sententia quædam definitiua Dei Iudicis viuorum atq; mortuorum scriptis mandata, in qua referrentur ipsius Iob opera, labores, calamitates & calumniæ, quas eius aduersarij ipsi obiecissent; & responsa illius ad illas: & circa hæc omnia in fine libri iustissimam ipse supremus iudex sententiam ferret: qua quicquid gestum fuisset approbaret: sicut re ipsa fecit. Sed & talis liber est quæcunq; scriptura, quæ refert vitas sanctorum: in qua, Dei spiritu, referuntur persecutiones, quas pertulerunt; tentationes quas vicerunt; & insignia opera, quæ præstiterunt: eorum pœnitentiæ, ieiunia, prolixæ vigiliæ, & orationes; eleemosynæ & opera misericordiæ, & charitatis erga proximos; & heroica alia facinora, quibus seipsos excelluerunt, & ipsam humanam naturam ob diuinæ gratiæ abundantiam, quæ illis assistebat, eosq; iuuabat. Quod totum approbauit Deus, & bonum esse ostendit, editis multis signis ac miraculis per eos, & fauoribus extraordinariis, quibus eos prosequebatur, in testimonium sui erga illos amoris. In his libris vult idem Dominus te frequenter legere, meditando & ruminando omnia, quæ in illis scripta sunt. Nec tamen vult te hoc solo esse contentum: sed vt eos ponas super tuos humeros, subiens onera diuinæ legis, quæ sancti tulerunt; & pondus laborum, quos ipsi magno spiritu & feruore subierunt; moxq; liber ille tanquam corona super caput tuum est collocandus, vt pugnes viriliter ad imitationem sanctorum, ea spe, quod sis coronandus ab ipso Deo, sicut & illi fuerunt, magnifaciendo sanctitatem, tanquam coronam, præferendo eam omnibus, quæ in hac vita desiderare, aut quærere posis, ad singulos passus, ad singulos gradus quos ascendes, hunc librum pronunciabis, vtendo, & adhibendo exempla Sanctorum, vt ambulare posis, & in virtutibus crescere, sicut illi fecerunt, ac deniq; eundem librum offeres principi cœli, accipiens in tuis manibus eius opera, vt ea imitaris.

Hoc itaq; modo legendi tibi sunt cœlestes hi libri, qui clarissima sunt specula, in quibus cognoscere posis teipsum, Deum, & Christum, tuum Saluatorem.

1. Si enim aspexeris, quid Sancti fecerint, deprehendes, malum, quod tu facis; & bonum, quod facere negligis; debilem tuam virtutem, & exiguos in ea progressus. *Ostende* (inquit DEVS Ezechieli) g *domui Israel templum, & confundantur ab iniquitatibus suis & metiantur fabricam, & erubescant ex omnibus, quæ fecerunt.* Et quodnam hoc templum est, ait Sanctus Gregorius, nisi vita Sanctorum, qui nos præcesserunt, fueruntque templum DEI viui? quod templum si aspicias, eiusque fabricam consideratione metiaris, perpendens ac ru-

g *Ezec.* 43. 10.

Lib. 24. *mor.* c. 6.

minans, quid illi fecerint, confunderis, & erubesces ex ijs, quæ tu facis. Et intuens clarissimos hos viros, dices quod scriptum est apud Iob h *respiciet homines, & dicet, peccaui, & verè deliqui, &, vt eram dignus, non recepi.*

Iob. 33. 7.

2. Psal. 67. 36.

Ex eisdem libris disces cognitionem Dei, qui est *mirabilis in sanctis suis*, & in eis manifestat infinitam suam charitatem, & bonitatem, & admirabilium suarum perfectionum excellentiam. & sicut videmus sæpè solem in pulchritudine nubium & in splendore montium, iuxta illud Dauidis: i *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis.* Ita (ait S. Greg.) in illustrib. Sanctorum exemplis aduertimus pulchritudinem ipsius Creatoris, qui adeò illos fecit excellentes, ac perfectos.

Psal. 75. 5. i. 27. Mor. 5.

3. Apoc. 20. 2. Greg. lib. 0. Mor. ca. 9. & lib. 4. c. 6.

Sed distinctius in eisdem cognosces solem iustitiæ Iesum Christũ, cuius viuæ imagines fuerunt Sancti, qui apertum coram se habuerunt k *librum vitæ* huius Agni, de quo paulò post dicemus: in quo legerunt ac meditati sunt describendo illum in seipsis: quem & posuerunt super humeros suos, portantes iugum & onus crucis eius; & eodem seipsos coronarunt; præferentes eum omnibus rebus creatis; ac pronunciantes illum ad singulos passus; imitantes heroicas eius virtutes. & ex ijs, quas ipsi Sancti exercuerunt, clarè perspicies, quàm fuerint excellentiores illæ, quæ in diuino hoc libro sunt scriptæ: scriptus siquidem fuit, vt esset earum exemplar in toto mundo. O Pater æterne, hunc Principis filij tui librum tibi offero, cum infinitis rationibus ac titulis, qui sunt in eo, vt me exaudias. Concede mihi, vt opera mea, ipsius operib. conformem: vt in die nouissimo, quando libri omnes aperientur, liber meæ conscientiæ similis inueniatur libro eius vitæ. Amen.

Tertia consideratio.

Vltimò legendæ sunt in his libris res illæ, quas ipsemet Deus manu sua scripsit vltra vires & industrias ipsorum sanctorum. Prætereo illas admirabiles, quas erga eos fecit, præueniẽdo eos ante omnia eorum merita, vt conuerterentur, & ad ipsius obsequium accederent: de quocunq; enim veniente ad Christum, ait sanctus Augustinus, quod *trahatur miris modis*, quamuis occultis, & stupendis funiculis, catenisq; beneficiorum, & internis externisque vocibus, donec consentientes accedant. Venio itaque ad ea, quæ ipsemet Dominus operatus est in Sanctis suis, ad eorum seruitia remuneranda, & ad eos inducendos ad profectum in eis. Quis autem explicar poterit fauores, quibus eos est prosecutus? contemplationis amplitudinem, deuotionis teneritatem, & lacrymas, delicias, iubilos, solatia excellentia, reuelationes, prophetias, gratias miraculorum, & clarissima alia beneficia, quæ manifestabant infinitam charitatem & omnipo-

Lib. cont. 2. epist. Pelag. 19.

tentiam

tentiam Domini illa largientis, & ſcribentis horum librorum ſententias, characteribus aureis, & quidem pulcherrimè illuminatis, vt nos alliceret, & in eis legendis, meditandis, ac imitandis oblectaret, transferendo in animas noſtras, non ipſas illuminationes, ſed ſententias, vt virtutes imitaremur; miracula verò, Deique fauores admiraremur. Quamuis ipſæ virtutes non fuerint minus admirabiles, vt quæ in ſuo genere fuerint etiam prodigioſæ. Vt autem aliquid horum diſtinctiùs perſpicias, conijce oculos in prodigioſam illam a *mulierem*, quam vidit ſanctus Ioannes *in cœlo amictam Sole, & Luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim*. Quæ erat figura Eccleſiæ, quatenus ſanctorum & perfectorum congregationem complectitur, quorum vitæ ſunt veluti prodigium & miraculum diuinæ omnipotentiæ. Quis enim alius, niſi Deus, dare potuiſſet huic mulieri excelſum adeo locum, atque eſt cœlum: adeoque ſplendens indumentum, atque eſt Sol: fundamentum adeo ſolidum & elegans, atque eſt Luna: & coronam adeoglorioſam qualis eſt duodecim ſtellarum? Deus eſt, qui ſanctos ſuos extollit ad id, quod eſt in actiua & contemplatiua vita altiſsimum, ſeparando eos à rebus terrenis, vt ſuas cogitationes, affectiones collocent in rebus cœleſtibus: ille induit illos ſole iuſtitiæ, vniendo ſibi illos per cognitionem & amorem, in magna vitæ ſimilitudine. Ipſe eos fundat ſuper magnam & perfectam puritatem, quam ſignificat Luna plena quæ obſcuritates omnes, quas habebat, abiecit. Ipſe denique coronat eos, omnium virtutum ſplendore, quæ ſtellarum inſtar, partem eius animæ ſuperiorem exornant. Quicquid itaque Deus pretioſum habet in cœlo, totum collocat in ſuis electis exornandis; eſtque adeo admirandum illud ornamentum, vt ipſi Angeli obſtupeſcant dicentes: b *Quæ eſt iſta, quæ progreditur, quaſi aurora conſurgens; pulchra, vt Luna: electa, vt Sol; terribilis, vt caſtrorum acies ordinata?* O DEVS æterne, qui tàm es admirabilis in Sanctis tuis, quos c *elegiſti*: non quod ipſi, Sancti eſſent; ſed, *vt eſſent ſancti & immaculati in conſpectu tuo*, præueniat me copioſa gratia tua, vt ei cooperando ſanctorum vitas ita mediter, vt etiam imiter; & comiter in loco, veſtimento, fundamento, & corona. Amen.

a *Apoc.* 12

b *Cant.* 6.

c *Ephes.* 1.

§. 3.

De excellentiis Virginis ſanctiſsimæ.

NON decet ſilentio præterire optimum librum, quem habet Chriſtus D. N. inter Sanctos Eccleſiæ ſuæ, ſacratiſsimam ſcilicet Virginem Matrem ſuam, præſignatam ſpeciali quadam excellentia per prodigioſam illam mulierem, de qua proximè dicebamus: cuius vitam par eſt meditari te, ad Dei magnalia cognoſcenda; eamque accipere tanquam exemplar vitæ tuæ, in iis in quibus imitari eam licet, perpendendo diſtinctè

quatuor illas excellentias, quas ornatus eius, quem audiuisti, tibi ob oculos proponit. in quo reliquos Sanctos incomparabiliter excedit: qui quod fuerint in peccato concepti, cor habuerunt aliquo tempore in terram deiectum, manseruntque nudi à vestimento illo Solis iustitiæ, & eius gratiæ. qui vitam suam inceperunt à vita purgatiua pedetentim se purificantes à culpis suis ad eum modum, quo Luna in suo cremēto paulatim dimittit tenebras,
1. donec veniat ad plenitudinem lucis. Quamuis enim habuerint omnes virtutes, non tamen singuli fuerunt in omnibus insignes: sed hi in vna, illi in alia; vnoquoque se aliqua coronante: At Virgo sacratissima ab instanti suæ conceptionis filia fuit lucis, absque vlla admixtione tenebrarum; cœlumque clarum ab splendore gratiæ, & altitudine vitæ, qua semper erat à terra eleuata, ita vt nunquam eius cor, rei alicui terrenæ adhæresceret; vtque omnes suas cogitationes ac desideria fixa haberet in cœlo, in quo totum suum habebat thesaurum.

2. SEMPER fuit ex omni parte amicta Sole iustitiæ, vnitione quadã charitatis adeò accensæ, & similitudine adeò perfecta. vt tota appareret Sol quidam diuinitatis; eiusq; exemplar adeò ad viuum, vt magnus ille Dionysius Areopagita fuisset deceptus, cogitans eam esse Deum, nisi naturale & fidei lumen, deceptionem illam retexisset. Ex quo fit, vt nulla pura creatura, tam distinctè nobis aperiat Dei excellentias, atque hæc Virgo sanctissima, ob admirandam similitudinem, quam cum illo habet. Quare sicut dicit Dauid, quod a *Deus in Sole posuerit tabernaculum suum* ad significandum, (vt ait S. Thom.) quod quærens perfectam Creatoris & perfectionum eius cognitionem, inuenturus sit eam, contemplando eas, quæ sunt Solis, in quo valdè ad viuum illæ repræsentantur, & similiter, ait idem Sanctus, posuisse Deum tabernaculum suum in Sole sanctissimæ Virginis, cuius heroicas virtutes meditantes, perfectam inueniemus ipsius Dei cognitionem, quà auctor est gratiæ. Quamobrem dixit S. Petrus Chrysologus: eum nescire, quam magnus sit Deus, qui non nouerit animam sacratissimæ Virginis, nec spiritum eius admiretur, in quo Deus adeò se admirabilem ostendit, vt per excellentiam, illa appelletur *electa vt Sol*, cum quo singularem habet similitudinem. Nam ita reliquos Sanctos excellit, (teste Petro Damiano) sicut Sol reliqua excellit astra, in cuius præsentia videntur non esse, ob excessum eius supra illa.

Refert Dionys. Carthu. in c. 4. de diuin. nomin.

Psal. 15. 6. ibid.

Serm. 140.

Serm. de Assumpt.

3. Ex quo fit, vt ista virgo sanctissima semper fuerit supra puritatem & pulchritudinem plenæ lunæ fundata, incipiens vitam suam ab eo puritatis gradu, quem reliqui sancti in fine vitę suæ obtinuerunt, fruendo ex priuilegio singulari in terra, ea puritate, quã habent ij, qui sunt in cœlo; vtpotè quę nullum vnquam habuerit peccatum, nec originale, nec actuale, nec imperfectionis alicuius vestigium, nec aliquã inconstantiam, quæ plenitudinẽ lu-

cis &

cis & splendoris eius imminueret, iuxta id quod scriptum est, quod b *Thronus* Christi, mater scilicet eius sanctissima (vt interpretatur S. Ioannes Damascenus) esset *sicut sol in conspectu Dei, & sicut luna perfecta in æternum*, imitata scilicet solis magnitudinem, perfectæque lunæ pulchritudinem, & vtrumque in æternum.

b *Psal* 88.38. *Lib.* 4 *fide c.* 15.

Hinc etiam ortum est, vt stellis duodecim esset coronata, quæ significant totam multitudinem virtutum; & Sanctorum, qui in eis eluxerunt. Ipsa enim Virgo singulari eminentia in omnibus resplenduit, ad supremum singularum gradum perueniens, vt cæteri omnes ab ea illas discerent. Quamobrem non solum duodecim Apostoli; sed omnes quoque Martyres, Doctores, & Virgines, ac reliqui sancti eorum successores, sunt huius Dominæ corona; bonus siquidem discipulus (teste Apostolo) c *corona* est sui magistri. illa autem fuit omnium Magistra, quæ suis exemplis & orationibus iuuit illos, vt sancti essent. O Virgo clarissima, Sanctorum Sancta, & miraculum miraculorum, ac prodigiorum mundi, fac me stellam aliquam capitis tui: docens me ita vitam tuam meditari, vt meam cum illa conformem. 4.

c *Phil.* 4.1.

§. 4.

Quod Sanctorum exempla doceant nos modum vtiliter orandi.

Ex prædictis omnibus deducitur, quod ad perfectè discendam Spiritus scientiam, de qua agimus, sit medium valdè efficax, aspicere in libris viuis Sanctorum, modum orandi & meditandi, quo illi sunt vsi; si ingenuè statuamus, eorum exempla imitari. per eos enim solet Deus stupendas facere mutationes: infirmos animando, vt ad sanctitatem & perfectionē eorum adspirent, & verò etiam perueniant: siquidem a *manus Domini* (vt ait Isaias) *non est abbreuiata, vt saluare nequeat*, & nos Sanctos efficere: qui omnes exhortatur, vt tales sint, cùm dicit: b *sancti estote, quia ego sanctus sum.* Vt vero animum resumas ad tantam perfectionem, modumque teneas, quo eam assequaris, memor esto mysticæ illius mutationis, quam Samuel Sauli prædixit his verbis: c *venies in collem Dei, vbi est statio Phylistinorum: & cum ingressus fueris ibi vrbem, obuium habebis gregem prophetarum descendentium de excelso, & ante eos psalterium, & tympanum, & tibiam, & citharam, ipsosq; prophetantes. Et insiliet in te spiritus Domini, & prophetabis cum eis; & mutaberis in virum alium.* Quod totum ita illi euenit, *vt videntes*, præ admiratione *dicerent ad inuicem: quænam res accidit filio Cis? num & Saul inter prophetas?* in quo euentu adumbrata mirificè inuenies spiritualia Sanctorum exercitia; & admirandos effectus, quos eorum exempla efficiūt. In primis. n. student, frequētissimè ascēdere ad collē Dei, in quo (vt ait S. Greg.) occupatur in lectione ac meditatione mysteriorū, quæ sunt in 1.

a *Isai.* 59.1.

b *Leuit.* 11. 44. & c. 19.2.

c 1. *Reg.* 10. 5.

Lib. 4. *in* 1. *Reg. c.* 4.

diuina

Cant. 4.6 diuina ſcriptura,& ab eo colle(qui etiam d *thuris* appellatur) feruentes ſuas orationes dirigunt in cœlum. Et in hoc aſcenſu ſeipſos inuicem comitantur,ſicut in deſcenſu: vt inuicem ſe ſuis exemplis iuuent,& ad feruorem in ſuis exercitiis prouocent: ad eum modum,quo e *Seraphin clamabāt alter ad alterum:*& f *ſancta quatuor animalia,alis ſuis inuicem percutiebant*, quaſi ſeipſa incitarent ad exercitia diuinarum laudum; & ad volatum ſpiritus, vt myſteria diuina contemplarentur. Et quoniam in hoc colle ſtatio eſt Phyliſtinorum,eò quod plurimi ſint hoſtes oppugnantes orationem, & contemplationem,Sancti ſe mutuò iuuant,vt illis reſiſtentes, in ſanctis ſuis exercitiis perſeuerent.

Iſa.7.3. Ezec.1.24. Greg. l.24 Mor.c.6.

2. SVPRA hunc collem conſtituti ſancti in ſua meditatione, quatuor internè exercent affectuum & valdè efficacium propoſitorum genera, tanquā quatuor muſica inſtrumenta pulſantes non terrena ſed cœleſtia: quæ Scriptura vocat *pſalterium,tympanum,tibiam,*& *citharam*. *Primi* affectus ſunt doloris & contritionis,quaſi tibiam inflantes, quarum vſus olim erat in exequiis defunctorum: lugent enim ob ſua & proximorum, qui vita gratiæ priuati ſunt,peccata. Hos affectus ſequuntur propoſita mortificationis,quæ per tympana,ex animalium pellibus exſiccatis, fortiterque tractis confecta ſignificantur:quia decreuerunt carnem caſtigare ac domare,vt trahatur vltra,id,quod ipſa vellet; & ſeipſam dedat ſubijciatque ſpiritui. Exercent deinde feruentia obedientiæ deſideria, pulſantes pſalterium decem chordarum,cum eo animi firmo decreto, vt perfectè impleant decem legis mādata,reliquaque præcepta,& conſilia,quæ ad ipſius ſtatum pertinent.Ac denique citharas pulſant cum iubilo & cordis exultatione,ob ea beneficia,quę à Deo accipiunt,& in poſterum accipere ſperant.

Ex S.Greg.

3. ET vt horum animi propoſitorum efficacitas magis appareat, quoniam non ſemper poſſunt in alto eius collis hærere,nec in ſua recollectione ſemper eſſe:cùm inde deſcendunt prodeuntque in publicum, portant ſecum eadem inſtrumenta in manibus,magna induſtria ea pullantes, exercentes videlicet magno feruore, quod facere propoſuerunt. prodeunt verò etiam prophetantes, verbis ſcilicet & operibus laudantes Deum; eius magnalia prædicantes exemploque ſuo oſtendentes, quod ſint contemnenda temporalia,& æterna quærenda,quæ retro ſunt obliuioni tradenda; & ad ea,quæ ſunt ante,aſpirandum. Hæc enim altiſsima eſt,& vtiliſsima prophetia, quæ diſcitur in colle orationis & meditationis.

O FELIX contemplatio,quæ ad tantam eleuas altitudinem? ô muſica paradiſi? ô cœleſtis cantus,Deo gratus,Angelis admirabilis,& Eccleſiæ vtilis,iuſtis iucundus,ſæcularibus ſtupendus,& potens ad corda omninò mutanda?ô felices prophetæ in huiuſmodi exercitiis occupati? ô quā eſt ſuauis muſica veſtræ obedientiæ,& mortificationis, in qua caro concordat cum

ſpiritu,

ſpiritu, & humana voluntas cum diuina? ô quam ſunt dulces veſtræ lacrymæ? quàm amabile veſtrum gaudium, & veſtrum exemplum ad corda mutanda potens? ſuauitate enim veſtræ muſicæ malignos ſpiritus terretis, diuinum verò ſpiritum è cœlo attrahitis, qui corda mutat ex terrenis in cœleſtia, faciatque illa vobis ſimilia.

QVEMADMODVM enim, cum primum vidit Saul prophetas prædictos, ſpiritus Dei venit ſuper eum, mutauitque virum in alterum illis ſimilem: Ita licet ſis improbus, durus, aut valdè remiſſus, ſi frequenter conuerſeris cum his viris ſpiritualibus, & contemplationi deditis eorum aſpiciendo exempla, aut in libris attentè legendo, veniet ſuper te ſpiritus Dei cum ſanctis ſuis inſpirationibus, & impulſibus internis, commutabitque cor tuum, alliciendo illud ad ſimilia exercitia; tibique perſuadendo, vt eadem inſtrumenta muſica arripiens, ea pulſes, ſicut prophetæ, factus illis ſimilis, cum tanta omnium, qui te prius nouerant, admiratione, vt mutuò ſibi dicant: *quid eſt hoc quod accidit filio Cis*? & quomodo *Saul eſt inter prophetas*? quis hunc hominem ex carnali in ſpiritualem tranſmutauit; ex tepido in feruentem; ex terreno in diuinum? Quis eum tam repentè in alium virum mutauit? & quis talem fecit mutationem? Tuæ ſunt Deus meus, iſtæ mutationes, & à tua dextera proueniunt: licet media adhibeas, ſocietatem viuorum contemplantium, & exempla clariſsimarum eorum virtutum. 4.

O HOMO tepide, durique cordis, ſi vis à Deo mutari, fierique ſicut vnus ex hiſce viris ſanctis, coniungere illis, lege in viuis hiſce libris, diſce formam orandi, quam te ſuis exemplis docent; aſcende cum eis ad collem Dei, depoſito Phyliſtinorum timore; tecum eſt enim ſpiritus diuinus, qui illos proſternet; & muſica inſtrumenta quę pulſaueris, incutient illis metum: ſocijque tui ſancti animum tibi addent, ad pugnandum contra illos. Quod ſi Deus hanc tibi miſericordiam exhiberet, vt te ad conſcendendum collem religionis vocaret in qua diutius practicatur oratio, eiuſque exempla ſunt frequentiora & feruentiora, certior eſſet tua victoria, & emolumentum copioſius? & eſto non voceris, in quocunque tamen fueris vitæ ſtatu, conſcende hunc collem thuris: Deus enim te comitabitur, ſuaque fouebit præſentia. O Sponſe animarum caſtarum, qui ad hunc collem aſcendens, tecum deducis dilectas ſponſas tuas: clarifica oculos meos, vt exemplum videam, quod tu mihi dediſti, dum in hac vita degeres, & quod Sancti tui, quos in cœlo apud te habes, dum hic viuerent, dederunt; & nunc dant ij, quos adhuc habes in terra, vt in his libris legens, diſcam ita orare, & contemplari, ſicut tu vis; eoque feruore & perfectione, quam mihi conſulis. Amen. 5.

CAPVT X.

INCIPIMVS AGERE DE PERFECTA IESV CHRISTI *Domini nostri cognitione, quæ obtinetur meditando viuum ipsius vitæ librum: proponuntur summatim omnia eius mysteria, & virtutes.*



XCELLENTISSIMVS maximeque naturæ nostræ accommodatus liber, ad studẽdum mysticæ spiritus scientiæ, & ad perfectam contemplationem ascendendam, est IESVS CHRISTVS Seruator noster, DEVS & homo verus, in quo simul est, quod est Dei excelsum, & quod est hominis infimum: qui de se dixit: a *Ego sum ostium: per me, si quis introierit, saluabitur: & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet.* Sic nobis significans: se vnicum esse medium obtinendi verã salutem, & vitam æternam; pascuaque perfectæ cognitionis, amoris, omnium virtutum, donorum, & solatiorum spiritualium. Per hanc portam ingrediendum est nobis, ad contemplanda arcana, & inuisibilia eius diuinitatis; & exeundum ad contemplanda externa, & visibilia eius humanitatis; ingrediendo & egrediendo frequenter: quia semel id facere non sufficit, ad cognoscendum quicquid in Christo est: & quotidie opus est nouam refectionem accipere. Et simul oportet ingredi & egredi, quia non satis est externa cognoscere humanitatis, nisi cognoscas etiam interna diuinitatis: nec benè poteris cognoscere interna diuinitatis, nisi transeas per externa humanitatis. Nam vita æterna, totaque nostra beatitudo consistit in hoc, vt fide viua vtrumque credamus, & perfecta beneuolaque cognitione vtrumque cognoscamus. Nam qui ea non nouerit, non poterit in cœlum intrare: b *sine fide*, qua creditur quis Deus sit, & quis Christus, *impossibile est placere Deo*, & salutem habere, & vitam spiritualem, Et, vt dixit S. Petrus: c *non est aliud nomen sub cœlo, in quo oporteat nos saluos fieri, nisi nomen Iesu.* Nam viua huius Saluatoris fide, salui facti sunt legis antiquæ iusti, quamuis non fuerit illis adeò expressa, atque est nobis.

a Ioan. 10. 9

Ioan. 17. 3.

b Heb. 11. 6.

c Act 4. 12. D. Thom. 2. 2. q. 2. a 7.

§. I.

Mysteria Saluatoris secundum eius humanitatem.

PRO HVIVS materiæ fundamento præmittimus, vitam CHRISTI Domini nostri, eiusque mysteria, sicut in libro æternæ sapientiæ

S. Hilar. Præfat. in Psal. S. Greg. 4. Dialog. c. 4.

erat præordinatum, iuxta ea, quæ in ſacra Scriptura continentur, eſſe ſicut illum a *librum* quem Sanctus Ioannes *vidit in dextera ſedentis ſuper thronum, ſcriptum intus & foris*; plicatum ad inſtar membranæ ex vtraque parte ſcriptæ; *ſignatum ſigillis ſeptem, & nemo poterat neque in cœlo, neque in terra neque ſubtus terram, aperire librum donec Agnus, qui ſtabat tanquam occiſus, venit & accepit de dextra ſedentis in throno librum, quem aperuit*, ac reſignauit. Vita enim Seruatoris noſtri ſcripta fuit characteribus excellentiſsimarum perfectionum, ac virtutum, tàm ex parte interiori diuinitatis ſuæ, quàm in exteriore humanitatis; ſicut etiam in interiori ſanctiſsimæ eius animæ, & in exteriori ſanctiſsimi corporis: quod totum accepit de manu Dei. Nam ab æterno patre per æternam generationem accepit, quod habebat quà erat Deus; & ab eiuſdem omnipotentia, quod fecit accipiendo formam hominis. Id quod totum, ante eius Incarnationem, erat inſtar libri clauſi, & ſigillis multis obſignati, ita vt plebs antiqua non ſciret diſtinctè legere, aut intelligere quod in eo latebat; licet omnes viderent ſeptem ſigilla, prophetias videlicet, parabolas, ſacrificia, cæremonias, ſacramenta, ſtupendos euentus, & varios qui inſtar imaginum & figurarum referebant id, quod poſtea erat venturum. Hæc ſigilla reſignauit Agnus filius Dei viui, cum producere cæpit in lucem myſteria vitæ ſuæ, quæ ſub illis latebant: quæ licebit educere ad ſeptem principaliora, quæ Sancta Eccleſia nobis proponit in ſeptem articulis ſacræ humanitatis.

a *Apoc. 5. 1.*

PRIMVM ſigillum aperuit in inſtanti ſuæ Incarnationis, quando magnus ille Deus maieſtatis, quem nec cœli nec terra capiunt, ita ſe dimiſit & anguſtauit, vt infantuli formā acciperet in vtero vnius virginis, in quo fuit conceptus, non viri alicuius operâ, ſed virtute Spiritus Sancti cum tāta gratiarum immenſitate in anima, quanta conueniebat vnigenito filio æterni patris. Et tunc apertæ fuerunt & explicatæ prophetiæ & figuræ, quæ altiſsimū hoc myſteriū adumbrabāt: ita vt omnes iā ſciamus, de quo dixerint prophetæ: b *Virgo concipiet parietq; filium, & vocabitur nomē eius Emanuel:* & quod c *fœmina circumdabit virum*, habebit, ſ. in ſuo vtero virum perfectum. ſcimus quoq; quid ſignificet, quod Deus deſcendit tanquam d *ignis in medium rubi, qui cū arderet, non comburebatur*: & e *rorem* totum è cœlo deſcendere *in* exiguum *vellus lanæ*: & f *virgam* ſiccam *Aaron floruiſſe, fructuſque protuliſſe.* 1.

Tract. 1. c. 10 aliquid eſt inſinuatum. S. Bernar. in Serm. de Reſurrect.

b *Iſai. 7. 14.* c *Iere. 31. 22* d *Exo. 32.* e *Iud. 6. 37.* f *Num. 17. 8*

POST nouem menſes incepit *ſecundum* ſigillum aperire, quando in porticu Bethleemitica natus eſt, abſque detrimento integritatis & virginitatis matris eius; & octauo die fuit circumciſus; & paulò poſt à Magis adoratus, præſentatus in templo; ductus in AEgyptum, & reductus in Nazareth; vbi vitam quandam duxit occultam, ſed admirandam, ob eius paupertatem, ſilentium, & humilitatem. 2.

CVM peruenit ad annum ætatis ſuæ trigeſimum, cæpit ſigillum, *tertium* 3.

aperire, cum ſcilicet voluit ſe mundo manifeſtare: incipiens à baptiſmo, vbi cœli aperti ſunt, Paterque & Spiritus S. teſtimonium dederunt diuinitatis & Sanctitatis eius & paulò poſt (vt refert S. Luc.) g *cum intraſſet in Synagogam traditus eſt illi liber* clauſus, quem ille aperuit, & vt *reuoluit illum, inuenit locum* apud Iſaiam, qui de eius in mundum aduentu ad prædicandum Euangelium loquebatur: dixitque omnibus *hodie impleta eſt hæc Scriptura in auribus veſtris.* Et ex eo quod videtis & auditis ſublatum eſt ſigillum, quo illa erat clauſa. Hoc modo perrexit in ſua prædicatione cum clariſsimis miraculis & horrendis perſecutionibus ac laboribus, donec inimici eius ex odio & inuidia de morte ei inferenda egerint. à quibus fuit captus, flagellis cæſus, ſpinis coronatus, ac deniq; cruci affixus: in qua paulo antequã expiraret, aliquid aceti deguſtauit, vt ſcriptura impleretur, quę ea de re loquebatur; & ſtatim dixit: h *conſummatũ eſt*, quicquid, ſ. de me erat prædictũ, & ſcriptũ: ac proinde totũ iã manet manifeſtũ & explicatum in cuius teſtimoniũ i *velũ templũ* quod Sancta Sanctorũ tegebat, *ſciſſum eſt medium à ſummo vſque deorſum:* vt intelligerentur eſſe k *propalata* myſteria, quæ euſque erant ibi occulta & figurata: & cuique licere iam illa videre, & intelligere.

Luc. 4. 17.

Ioa. 19. 30

Mat. 27. 51 Heb. 9. 8.

SED ſtatim atque expirauit aperuit *quartum* ſigillum cum anima eius ſanctiſsima verbo diuino vnita ad inferos deſcendit, penetrans inferiores partes terræ, vbi ſuæ paſsionis virtute infernales portas aperuit: ſuoſque captiuos libertate donauit, magnaque victoriâ ac triumpho cum eiſdem inde exiuit. Tertio die *quintum* aperuit ſigillũ, dum ſanctiſsima illa anima ingreſſa ſepulcrum, corpori in eo iacenti ſe coniunxit: & exiuit nobilis iſte triumphator ingenti gloria renouatus, triũphans de morte, & peccato, de inferno, & Principe huius mundi; certa reddẽs teſtimonia ſuæ glorioſę Reſurrectionis, l *interpretans* (vt ait S. Lucas) *quæ in omnibus Scripturis de ipſo* occulta *erant; & aperiens ſenſum diſcipulorum, vt ea intelligerent.*

5.

Luc. 24. 27. & 45.

6. POST dies quadraginta *ſextum* aperuit ſigillum: aſcendens propria virtute in cœlum, ſecumq; ducens captiuos, quos è limbo eduxerat; ſingulos collocans in throno gloriæ, quam quiſque eſſet promeritus: ipſe verò ſedit ad dexteram Dei patris, apud quem noſtrum agit aduocatum; & vterque mittit nobis Spiritum Sanctum cũ ſtupendis gratiæ ſuæ donis, ad perficiendam conuerſionem & ſanctificationem animarum. in quo munere, ad finem vſque mundi perſeuerabit, quando tandem aperietur *ſeptimum* ſigillum Iudicij, quod ex parte eſt iam apertum. magna enim claritate, & abſq; ænigmate, vmbris aut figuris, aduentum ſuum ad iudicium in magna gloria & maieſtate prædicauit ac prædixit, explicans circumſtantias præcipuas futuri Iudicij, reſurrectionem corporum, & ſeparationem Iuſtorũ ab impiis; ſententiam in fauorem illorum, & contra hos eiuſq; executionem. Quãuis occultũ ſit adhuc, quãdo illa dies futura ſit; quæ vbi aderit, erit liber omni-

nò apertus,ita vt omnes in vniuersum homines in valle Iosaphat sint visuri magnitudinem & maiestatem Seruatoris sui,vt impij confusi maneant; exultent verò iusti.

HAEC sunt mysteria septem, & præcipui humanitatis Christi D.N. articuli,quos antiqui confusè & implicitè credebant,sub varijs figuris: sicut qui libri sigilla vident,sed non quòd intus scriptum continetur. Qui autem in lege noua viuimus eadem explicitè ac distinctè videmus:quia sigilla sunt iam aperta;& ipse Saluator omnia est executus, sicut diximus. Fide itaq; explicitâ valde,ac distinctâ ea credimus & intelligimus,sicut in sanctis Euãgelijs reuelata sunt & expressa: quæ esse nobis debent continua meditationis nostræ materia,vt penetremus & sentiamus,quod in singulis scriptum est intus & foris: interiora scilicet diuinitatis, & exteriora sacratissimæ humanitatis,eiusq; opera heroica,corporis labores, & animæ virtutes atq; affectus. Quare necesse est, eundem agnum Iesum Christum,qui librũ hunc toti populo Christiano aperit,eâ ratione qua diximus,in particulari singulis nostrum eum aperire; & interne diuina sua illustratione manifestare, quæ in singulis mysterijs continentur,quod faciet ipse liberalissmè nisi nos ipsi nobis desimus.decet tamen nos recognoscere felicem nostram sortem,quæ nobis in lege gratiæ existentibus obtigit: quod scilicet legere ac meditari possimus in hoc libro adeò distinctè.m *Beati* enim(inquit ipse Saluator suis Apostolis) *oculi,qui vident,quod vos videtis,& aures,quæ audiunt, quæ vos auditis. Amen quippe dico vobis,quod multi prophetæ,& Reges & iusti cupiuerunt videre,quæ vos videtis,& non viderunt;& audire,quæ auditis,& non audierũt.* Cũ itaq; hoc nos obtinuerimus, laudemus,demusq; gloriam ei,qui tantũ nobis contulit beneficium. Et iure optimo (vt S. Ioannes refert) n *cum agnus aperuisset librum,quatuor animalia & viginti quatuor seniores ceciderunt coram agno: habentes singuli citharas & phialas aureas plenas odoramentorum quæ sunt orationes Sanctorum: & cantabant canticum nouum dicentes: Dignus es Domine accipere librum,& aperire signacula eius: quoniam occisus es & redemisti nos Deo, in sanguine tuo ex omni tribu & lingua & populo,& natione:& fecisti nos Deo nostro regnum,& sacerdotes:& regnabimus super terram. Et vidi & audiui vocem Angelorum multorũ in circuitu throni & animalium & seniorum:& erat numerus eorum millia millium dicentium voce magna: Dignus est agnus qui occisus est accipere virtutem & diuinitatem,& sapientiam,& fortitudinem,& honorem, & gloriam,& benedictionem.* O Saluator dulcissime gaudeo & exulto cum istis sanctis,& cœlestibus hierarchiis;gratiasq; cum illis ago,quod admirabilem istum librum aperueris,& re ipsa patefeceris,quod ab æterna tua Sapientia decretum erat,sed figuris antiquæ legis obuelatum; eundem quæso mihi aperi,lucemq; tuam cœlestem mihi concede,vt ita legam,mediter,& intelligam,vt laudum cantica tibi cantem, offeramq; feruentes fragrantesq; o-

m *Matt.* 13 16. *Luc.* 10. 23.

n *Apoc.* 5 8.

rationes, & musicam dulcium affectuum; fruarq; summo regno,& sacerdotio,quod mihi comparasti,vt tecum & cum sanctis tuis regnem in æternum. Amen.

§. 2.

De præcipuis Seruatoris nostri virtutibus.

QVAE hactenus de Christo D.N.septemq; Sanctissimæ eius humanitatis mysterijs diximus,possunt proportione quadam intelligi de perfectione Euangelicâ,quam ipse exercuit ac docuit:q̃ similiter est a *liber* quidam *in dextera* manu *Dei* sicut prædixit Moyses dicens: b *in dextera eius ignea lex.* qui intus & foris scriptus est: complectitur enim excellentes virtutes & opera interna & externa,præmiaq; eorum clarissima, tum in hac,tum in futura vita. qui tamen clausus ante erat, septemq; sigillis obsignatus. multæ enim difficultates & asperitates,quas habet annexas, in causa fuerunt, cur antiqui nec legere nec intelligere eũ possent: donec Christus supremus noster Magister in mundum veniens, eundem librum aperiret,& ab his difficultatibus expediret; manifestando omnes has virtutes: primum in seipso ad exemplum: deinde easdem verbo prædicando, gratiamq; S.Spiritus cõmunicando, qua possent suauiter ab alijs executioni mandari. Hoc apertè constabit ex iis,quę prædicauit in solemni illo sermone,quẽ habuit in monte,cum aperuit os suum, vt ap̃ret ac declararet clausum & obsignatũ cœlestis suæ doctrinæ librum. & incepit ab octo heroicis virtutibus, adeo arduis,ac difficilibus,vt vix cognitæ fuerint in mundo,eo modo & sensu,quo ille declarauit. Quod vt discipuli melius caperent, statim illis dixit: c *audistis quia dictum est antiquis: non occides; non mæchaberis; non peierabis; diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum: Ego autem dico vobis,* & altiorem aliam perfectionem docere vos volo, quæ hactenus clausa & obsignata fuit ipsis antiquis: ideoq; pauci eorum fuerunt perfecti, & vnus aut alter attigit aliquam ex his virtutibus,quas nunc volo,omnibus esse apertas & patentes. Et quamuis multæ illæ sint, valdeq; præclaræ: omnes tamen in illis,quas initio sermonis proposuit, tanquam compendio comprehenduntur: quas beatitudines appellamus, & respondent septem huius libri sigillis. Quamuis enim distinctæ fuerint octo, at (vt S. Thomas aduertit) octaua continetur in septima, ideoq; præmia non ponuntur nisi septem.

a Apoc 5.1.
b Deut. 33. 2.
c Matt. 5. 21.
1. 2. q 69. a. 3. ad 5.

1. PRIMVM ergo resignauit sigillum PAVPERTATIS dicens: *Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Et quid fuit in mundo magis occultum & incognitũ quàm beatitudinem collocare in renunciatione rerum omnium,& in exuendo corde ab affectu earum; in eisdem distribuendis, si opus esset, pauperibus? Et quis diceret, beatum illum esse qui abnegat semetipsum,& honoribus ac præeminẽtijs renunciat. eligens potius sibi

Matth. 5. 3.

vlti-

vltimum inter alios locum? Hoc itaq;, quod obsignatum erat in libro perfectionis,& sanctitatis,resignauit agnus Christus Iesus, factus ipse pauper & humilis pro nobis:docensq; suos discipulos,eandem paupertatem,& humilitatem amplecti,vt ipsum imitarentur; in ea enim ipsos inuenturos perfectionem & beatitudinem temporalem & æternam.

Mox *mansuetudinis* sigillum aperuit, dicens: *Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram.* idq; declarans,docuit;reprimendos esse iræ motus,non exteriores tantum,sed etiam interiores,auertendo omnem contentionem,tolerando contemptum,condonando iniurias; nosq; promptos offerendo,ad nouas potius tolerandas,quàm vindicandas antiquas: vt d *si quis te percusserit in dextram maxillam tuam, præbeas illi & alteram*, scil. percutiendam: & *si quis tuam tunicam velit tollere,dimittes ei & pallium*: res tēporales potius, honorem & vitam cupiens perdere, quàm veram sanctitatem & Iustitiam lædere. d Matt. 5. 39.

APERVIT deinde tertium sigillum dicens: *Beati qui* LVGENT: *quoniam ipsi consolabuntur*, non enim veram consolationem consistere in ludendo,& ridendo, sicut mundus existimat; sed in peccatis nostris lugendis & pœnitentiâ eorum subeundâ; castigando carnem, & cōpellendo eam intrare per angustam mortificationis portam: cogendo illam ad tollendam crucē suā; & si opus ita erit, etiam ad moriendum in ea. Et ne hoc ipsum cum tristitia tædioq; faciamus, quartum sigillum aperuit dicens: *beatos esse* QVI ESVRIANT ET SITIANT IVSTITIAM,cibū suum potumq; existimātes esse, Deo obedire,eiusq; legem seruare;implere sui status onera,& obligationes, & propriam voluntatem conculcare, quò Dei & ministrorū eius voluntatem sequantur:seipsos in tali obedientia oblectando,sicut,qui esurit & sitit, oblectatur,cum cibū & potum sumit; & hac ratione Dei voluntatē in terra faciendo,sicut fit in cœlo. Hinc perrexit ad quintum sigillū, dicens: *Beatos esse* MISERICORDES, & valde minutim commemorat misericordiæ opera tum corporalia tū spiritualia erga omnes proximos,extendendo ea etiam ad inimicos:faciendo scil. benè ijs à quib. malum acceperis; eiq; benedicendo, qui tibi maledixerit;& honorando,qui nos calumniantur, & persequuntur: vt hac ratione misericordes,& perfecti simus,sicut est pater noster cœlestis, qui benefacit bonis & malis, iustis & iniustis. 3. 5.

VENIT postea ad sextum sigillum CORDIS scilicet MVNDITIEM, dicens: *Beatos* esse qui *corde* essent *mundo*: statuens hanc mundiciem, adeò heroicam esse debere, vt neq; opere, neq; verbo, neq; cogitatione, tale quid admitteremus,quod maculam illi adferret. & vt hæc perfectior esset etiam ad corporis munditiem suasit extendi; renunciando scilicet omnibus carnis voluptatibus, non modò prohibitis,sed multis etiam quæ licitæ esse poterant, vt in carne mortali viuentes, vitam ducerent angelicam: 6.

per-

perfectéq; ſpiritualem & dignam, quæ poſſet videre Deum, eoq; frui in terra dulci contemplatione, quæ maiori claritate poſsidetur in cœlo.

7. DENIQVE aperuit ſeptimum ſigillum, qui fructus eſt charitatis, proprius filiorum Dei: *beati* (inquit) *pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur:* ſic declarans, beatitudinem noſtram conſiſtere in perfecta vnitione, paceq;, & cõcordia cum ipſomet Deo, & cum proximis noſtris; & in eo, quod omnibus noſtris viribus iuuemus, vt & illi cum Deo, & inter ſeipſos ſint conformes, & inuicem ſe diligant in Deo, & propter Deum: quò diuina eius gloria dilatetur, creſcatq; in ſanctitate corpus Eccleſiæ myſticum. Et quoniam in executione omnium harum virtutum magnæ ſunt contradictiones, cõcluſit dicens, beatos eſſe, qui PERSECVTIONEM PATIANTVR PROPTER IVSTITIAM, ob conſeruandam. ſi virtutem & ſanctitatem prædictam, ita vt, ſi fortiter patienterq; in ea perſeuerẽt, manſuri ſint in poſſeſsione regni cœlorum plenè fruentes omnibus prædictis præmijs.

HAE ſunt præcipuæ virtutes, ſcriptæ in libro vitæ Chriſti Domini noſtri, qui in ſeipſo illas produxit in lucem; eas exercens à tempore Natiuitatis ſuæ in ſpecu Bethlehemitica, vſq; ad mortem in cruce: vt omnium illarum exemplum nobis præberet, iuxta prophetiam Iſaiæ, cui DEVS loquens de vnigenito filio ſuo dixit: c *ſume tibi librum grandem* (LXX. dicunt: *grandem, & nouum*) *& ſcribe in eo ſtylo hominis*, quæ ventura ſunt. Hoc ſignificãs, quod filius eius Sanctiſsimus futurus eſſet inſtar libri cuiuſdã magni & noui; magni in ſanctitate; noui in modo eam exercendi: in quo ſcribenda eſſet perfectio ſtylo hominis, magnis ſcilicet, claris, & patentibus characteribus, virtutum conformium naturæ hominum; ita vt omnes à maiore ad minorẽ poſſent legere, intelligere, & in praxin eas deducere: ſimul indicans, quod vera perfectio & ſanctitas tunc in eiſdem virtutibus conſiſtere cenſebuntur, ſi erunt illis ſimiles, quas in diuino hoc libro ſcriptas viderẽt, Et quia fuimus tam felices, vt librum hunc apertum & extenſum videremus, præcipuũ noſtrum ſtudium eſſe debet, quotidie in eo legere ac meditari; conando aſpicere, ruminare & imitari in ſingulis virtutibus interiora & exteriora, quæ illæ complectuntur; præmiumque, quod illis proportione reſpondet: ſicut ſuo loco de octo beatitudinibus diximus, & poſtea aliquid etiam earum declarabimus.

c *Iſai. 8.1.*

3. p. Medit. 11.
Infra tract. 4. c. 2.
In Iſaiæ. 8.

SED non præteribo ſilentio, quod S. Hieronymus perpendit: prophetam Iſaiam, ad ſcribendum prædictum librum ſtylo hominis adhibuiſſe duos teſtes, *Vriam*, quod ſignificat lumen aut ignem Domini; & *Zachariam*, quod Dei memoriam ſignificat. Quid autem hoc aliud fuit, quam vt te doceret: ad legendum & meditandum vtiliter myſteria & virtutes Saluatoris, opus eſſe lumine cœli, & igne Spiritus Sancti, cum memoria præſentiæ Dei. hac enim luce intelliges, quæ legeris, & meditaberis: & eo igne ac-

Arias mont.

cenderis desiderio illud imitandi & opere exequendi. & hac memoria Domini te aspicientis, diligentius attendes, quid agas. O mundi Saluator. qui simul es liber, & Magister; auxiliator, & testis; lux & ignis: assiste mecum, ad legendum, & meditandum mysteria & virtutes tuas: comitare meã memoriam, illustra intellectum, & ita accende voluntatem, vt, quod meditabor, intelligam: quod intelligam amem; & opere exequar, quod amabo. Amen.

§. 3.

Mysteria & perfectiones diuinitatis.

ADHVC multò est altius & excellentius, quod Christus Seruator noster reuelauit de sua ipsius diuinitate, eiusq; infinitis perfectionibus. Nam de illa quoq; dicere licet, quod sit liber scriptus intus & foris: sed sigillis septem obsignatus, quo ad multa valde arcana & admirabilia, quæ in lege antiqua adeò explicata non erant: donec idem agnus Iesus Christus, librum eum aperiendo, reuelauit. iuxta id quod eius Euangelista de eo dixit: a *Deum nemo vidit vnquam, Vnigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarrauit.* a *Ioan.* 1 18.

ET quamuis multa nobis mysteria reuelauerit, quædam, quæ spectant ad interiora ipsius diuinitatis, quædam quæ ad eius operationes externas, quę ab ea procedunt omnia tamen reuocari possunt ad septem mysteria, siue articulos ipsius diuinitatis, quos Ecclesia in hunc modum proponit.

PRIMVM aperuit sigillum æternæ suæ generationis, reuelãs nobis, quod 1.
Deus sit verè PATER infinitæ maiestatis, non habens ab alio principium;
sed in æternitate sua, per notitiam sui intellectus, generat diuinũ VERBVM, 2.
quod est eius filius. Etiam manifestauit arcanum processionis SPIRITVS 3.
sancti, qui à Patre & filio procedit, per amorem, quo æternum se amant. Et 4.
quamuis tres sint personæ re ipsa distinctæ, VNVM tamen idemq; sunt in diuinitate, cum summa æqualitate in omnibus suis perfectionibus, ita vt omnes tres sint VNVS idemq; DEVS, in vna æternitate & bonitate, ita vt vnus altero non sit antiquior, sapientior, potentior aut sanctior; ex quo prouenit, vt omnes tres summam habeant in operando vnionem: quia sicut cognoscunt, volunt & possunt vnum & idem: ita absq; vlla diuisione, illud idem operantur: & omnes tres sunt VNVS idemq; CREATOR, gubernator, &
prospector mundi. Verum præ alijs nobis manifestauit indulgentissimam 5.
sanctissimæ Trinitatis prouidentiã, circa salutem hominum, per filij IN- 6.
CARNATIONEM: in qua omnes tres personæ infinitam suam charitatem, & misericordiam summæ Iustitiæ coniunctam, manifestarunt. Neq; n. Pater potuit amplius nos amare, quam dando nobis filium suum unigenitum, qui nos redimeret; nec potuit filius amplius nostri commiseratione affici, quàm in se suscipiẽdo pænas quibus satisfaceret pro nostris culpis. Quia

eius Iustitia non voluit culpas condonare, nisi æqualis pro eis satisfactio ipsi offerretur: quod cum homo præstare non posset, ipsemet factus est homo, vt pro eo solueret quod ille debebat. Et ipse Spiritus S. inuisibiliter venit, vt huius Saluationis sit executor, suis nos præueniens inspirationib. ad credendū, orandū, & operandū sicut oportet: communicando nobis in magna abūdātia admirabiles suę gratię thesauros. Ac deniq; ipsemet Deus vult esse GLORIFICATOR, & præmium suorum electorum, cœlos suos omnib. aperiendo, & ad claram ipsiusmet diuinitatis visionem admittendo: vt eodē modo ipsi sint beati, quo ipse beatus est, & eisdem bonis fruantur, quibus fruitur ipse.

HAEC septem mysteria, sicut posita sunt, nobis reuelauit Seruator noster, debentq; esse materia nostræ meditationis, & contemplationis, cum desiderio cognoscendi, & amandi magnū hunc Deum, Trinum & vnū; eiusq; exēplares virtutes, quo modo imitari possumus, æmulandi. Sed vt ipse Euangelista S. Ioannes multis lacrymis impetrauit, vt agnus, ipso præsente, librum aperiret, vt legere posset & intelligere: b *quia nemo poterat neq; in cœlo, neq; in terra, neq; subtus terram aperire librum: neq;* dignus erat qui *illū respiceret*, ita fatendum tibi est, solum Saluatorem dare tibi posse veram cognitionem & æstimationem altissimorū horum mysteriorum; neq; te aut creaturam vllam posse per seipsam ea assequi; lacrymis verò ac suspirijs supplicare illi oportet, vt illa tibi aperiat, & intra tuum Spiritū reuelet: alioquin clausa tibi & velata remansura. O agnus Dei, qui habes clauem Dauid & c *quod tu aperis, nemo claudit; & quod tu claudis, nemo aperit:* supplex te oro, vt claue diuinæ tuæ scientiæ intelligentiam mihi altissimorum mysteriorum tuorum aperias; vt ea intelligam, eoq; modo sentiam, quo tu illa reuelasti; & assequar finem, ob quem illa nobis aperuisti. Amen.

b *Apoc. 5. 3.*

c *Apoc. 3. 7.*

CAPVT XI.

PERNICIOSAM ESSE IGNORANTIAM EIVS quod est Deus & Christus Seruator noster: & perfectam eius cognitionem consistere in transformatione quadam Spiritus nostri in viuam eius gloriæ imaginem; & qua ratione hæc transformatio fiat; & quæ eius excellentia.



TIAMSI Christus Dominus noster librum hunc, vt prædictum est, aperuerit, quidq; in eo contineretur, stylo adeò familiari declararit, vt qui viua fide illum voluerit a *legere, percurrere possit* sine periculo offensionis; multi tamen fuerunt, qui non potuerunt illum legere; sed adhuc illis est adeò occlusus, atq; si reclusus non fuisset; eò quod

a *Hab. 2.*
Isa. 8. 16.

du-

duplici graui ignorantia laborent: altera Christi Seruatoris mundi; altera b *ipsiusmet Dei*, admiscentes mille errores iis, quæ de illis audiuerunt: quorum miseriam deplorabat Apostolus dicens, c *O insensati Galatæ, quis vos fascinauit, non obedire veritati, ante quorum oculos* IESVS CHRISTVS *præscriptus est*, & sententia in scriptis lata ad mortem damnatus? aut (sicut S. Chrysostomus ait) qui habetis coram vobis Christum, tanquam scripturam & picturam, in qua legeratis veritatem Euangelij eius? ô quàm est plenus mundus huiusmodi insipientibus, qui videntur fascinati, & quasi absorpti à bonis delectabilib. terræ, nec habent oculos, vt videant mysteria cœlestia? Sed quid mirum, quod miser homo ignorantiæ sui ipsius, qua laborat, cùm adeò sibi sit coniunctus, hanc quoq; miseriam adiungat, vt etiam sui Creatoris & Saluatoris ignorantia laboret? Et si magna incommoda ex priori ignorantia proueniunt, vt supra diximus: multò maiora prouenient ex posteriori. Vt enim ait Apostolus: d *Qui ignorat, ignorabitur*. quasi diceret, qui Deum & Christum non nouit: neq; ab ipso cognoscetur, cognitione scilicet approbationis, qua suos electos cognoscit. potius in die nouissimo, dicet illi: e *nescio vos*. Nam sicut f *vita æterna est, vt cognoscatur* benè *Deus, & Iesus Christus, quem ille misit*: ita erit mors æterna, quod ijdem non cognoscantur; sed ignorentur. ex quo innumera mala & peccata proueniunt, sicut ipsemet Dominus dixit: g *vastata est omnis terra, quia stultus populus meus me non cognouit*: h *& propterea captiuus ductus est: quia non habuit scientiam*. Esto. n. multas alias habeat scientias, si hæc illi desit, idem est, ac si nullã haberet. Nam huius ignorantia captiuus ducetur à suis hostib. dœmonibus, ligatus propriarum passionum catenis, propriisq; peccatis irretitus & eijcietur à terra promissionis, quæ est Ecclesia; vt transferatur in Babylonem æternæ confusionis, quæ est infernus.

b 1. Cor. 15. 14.
c Galat. 3. 1.
d 1. Cor. 14. 38.
e Mat. 25. 13
f Ioan. 17. 3.
g Ierem. 4. 20. 22.
h Isa. 5. 13.

§. I.

De duplici ignorantia.

SED quoniam miseria nostra tanta est, vt ignorantia submersi, existimemus, nos ea carere: aduertendum est, duplicem esse ignorantiam siue errorem circa Deum & Christum Dominum: alteram speculatiuam, alteram practicam.

PRIMA lædit fidem, cùm deest vera cognitio eius, quod illa credendum præscribit; aut est aliquis error contra id, quod reuelatum est de Deo, & Christo D.N. Talis est ignorantia, qua laborant miseri Hæretici, ac Iudæi, qui etsi non fabricant sibi sicut gentes Deos aureos, & argenteos, qui sint imagines falsorum Deorum; in suo tamen intellectu tales formant cogitationes & conceptus, vt illi non sint imagines veri Dei, verique Christi Seruatoris 1.

i 1. Cor. 8. 4.

nostri; sed inania idola Dei alicuius, & Christi ficti, ab eorum ignorantia adinuenti. Si enim faciunt conceptum alicuius Dei, qui non sit spiritus, sed corpus; aut qui non sit trinus in personis; aut qui creaturarum non habeat prouidentiam; aut talis Christi, qui sit purus homo, & non Deus; aut qui non habeat verum corpus, sed fictum: hoc totum est idolum. quia non est in mundo talis Deus; nec talis Christus sicut isti, quem illi fingunt, & cuius causa Deum verum contemnunt, quem ignorant: quia, vt dixit S. Apost. Iudas: k *Quæcunq; ignorant blasphemant*; negant quod nō intelligunt, & loquuntur malè de eo, quod nec credunt, nec nouerunt. Et in hodiernum vsq; diem Christus D. N. vt prædixit Isaias, multis infidelib. est l *sicut liber signatus* septem sigillis. Quia ipsamet mysteria infantiæ, eius vitæ, passionis, & mortis illos excœcant: vt non credant, esse diuinitatem in eo, qui adeò se humiliauit: sicut euenit Iudæis, qui Messiæ, quem sperabant, conceptum quendam sibi formauerant, cum mille erroribus: fingentes sibi tanquam Regem temporalem, opulentum, potentem, & bellicosum. cùm autem viderunt Christum adeo pauperem, humilem, & abiectum, non cognouerunt esse Messiam, ac propterea eum abiecerunt, & affixerunt cruci.

k Iudas in sua Canon. 10.
l Isa. 29. 11.

Cor. 2. 8.
Act. 7. 1. 2.

SED hos omittamus, tanquam gentem sine Deo, & sine Christo; contra quorum ignorantias agitur in aliis libris: & accedamus ad alteram ignorantiā & errorem practicum, qui est multorum fidelium, quibus competit, quod Apostolus dixit: m *confitentur, se nosse* DEVM, *factis autem negant.* Et illud Sancti Ioannis: n *Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est, & in hoc veritas non est.* & o *qui peccat, non vidit eum, nec cognouit eum.* quia non nouit sicut oportet, nec cum ea veritate & puritate, quam in seipso habet: sed cum multis nebulis & obscuritatibus, formans conceptum Dei, rerumq; eius valdè confusum & breuem; & admixtis plurimis apprehensionibus alienis ab eo, quod ipse habet, & quo dignus est: quod mirificè explicat S. Bernardus dicens: omnes peccatores, qui nolūt conuerti, laborare hac ignorantia Dei. Siquidem nullam ob causam negligunt, quam quod sibi fingant, grauem & seuerum eum, qui est pius; implacabilem ac durum eum, qui est misericors; ferum ac terribilem eum qui est mitis & amabilis: & ipsa iniquitas mentitur sibi ipsi dum format sibi idolum pro eo quod non est ipse, sed statua aliqua aut fictus Deus. neq; enim talis est Deus in mundo, qualem ipsius imaginatio eum depinxit. Talis fuit ignorantia, & error pigri illius serui, qui p *fodit talentum, & abscondit pecuniam Domini sui:* & tempore rationis reddendæ, ostendit quam finxisset sibi effigiem Domini sui: *Scio quia homo durus es, metis vbi non seminasti; & congregas, vbi non sparsisti; & timens abij, & abscondi talentum tuum in terra: ecce habes quod tuum est.* Et in hunc modum singuli peccatores, desides, & imperfecti, formant intra se Deum quendam, & Christum iuxta

m Tit. 1. 16.
n 1. Ioan. 2. 4.
o c. 3. 6.

Serm. 38. in Cant.

p Matt. 25. 18. 24.

suam apprehensionem, aut humorem. Scrupulosus enim iudicat Deum valdè exactum, & quorumcunque minimorum rationem habêtem. qui anxius est, illum imaginatur, quasi longas moras trahentem in rebus suis, quia non statim succurrit anxietati suæ: pusillanimis depingit illum inexorabilem; seuerum in iudicando, & qui illatas sibi iniurias vlciscitur: delicatus, illum facit sibi nimium misericordem, & qui q *multitudinis peccatorum eius ad finem vitæ miserebitur*. q *Eccl*. 5. 6

3. SICVT tempore, quo Christus Dominus noster prædicabat varios de ipso conceptus, quis ipse esset, homines formabant, r *alij* enim existimabant ipsum esse *Ioannem Baptistam, alij Eliam, aut Ieremiam, aut vnum ex prophetis*: sic nunc aliqui Christum cogitant seuerum pœnitentem, solitarium, sicut Ioannem Baptistam; existimantes, hoc & non aliud esse ingenium Christi; & neminem saluandum, qui talem eum non existimet. alij fingunt Christum sicut Eliam, qui ignem de cœlo mittat contra peccatores, nec vllum relinquat impunitum, qui contra ipsum aliquid admiserit, sed statim vlciscatur: cuius contrarium ipsemet dixit duobus discipulis valdè zelantibus, qui proprium Magistri sui spiritum non satis agnouerant: alij Christum Dominum apprehendunt mœstum, & flentem, sicut Ieremiam, continendo spiritum Christi in continua tristitia & lacrymis: quasi non possit vnquam habere lætitiam, qui vel semel peccauerit. Hos & huiusmodi alios falsos conceptus habent multi homines, non quod Christiani talia de Christo aut Domino Deo credant, sed quod ipsorum opera testimonium dent harum fictionum, à vero aberrantium: qui agunt tanquam qui suas actiones talibus phantasiis moderentur. Ex quo prouenit, vt alij in fiducia deficiant, alij in eadem excedant, ac præsumant, alij sint nimium laxæ conscientiæ, alij nimium arctæ: omnes tamen in apprehensione sua aberrant, quia non est in Deo nec in Christo, quod ipsi imaginantur. r *Mat*. 16. 14. *Luc*. 9. 55.

4. HIS practicis erroribus sunt alij similes circa virtutes Christianas, earumque valorem. Quamobrem dixit philosophus: omnem hominem improbum, esse ignorantem: & Sapiens ait: ſ *errare* omnes, *qui operantur malum*. Maximus verò eorum error in eo consistit, quod non habeant æstimationem, quã debent habere de Deo, de eius bonitate, & iustitia, de virtute & sanctitate; & quod non integrum exactumque conceptum faciant de grauitate atque malitia vnius peccati. & similiter sunt alij errores practici circa præcepta, præmia & pœnas; eò quod non satis apprehendant suauitatem legis diuinæ, sed t *fingant* quasi inaccessibilem, & vt ait Dauid, *laborem in præcepto*: nec felicitatem cœlestem, aut inferni atrocitatem; quia horum omniũ faciunt conceptus valdè falsos & confusos. Vt his malis occurras, & hos errores euites, refert plurimum, si te solicitè exerceas in legendis ac meditandis omnibus, quæ continentur in libro gloriosissimæ vitæ ac doctrinæ Ser- 3. *Ethic*. c. 1 ſ *Prou*. 14. 22. *S. Tho*. 1. 2 q. 76. a. 4. ad 1. & q. 78 a. 1. ad 1. t *Psal*. 93. 20

uatoris D.N. ſicut ipſe librum illum aperuit ac declarauit: in quo deprehendes verum conceptum, effigiem, & figuram, quam debeas tibi formare de vero Deo, & eius Chriſto, ac virtutibus, quibus ille glorificatur: ne decipiaris in cognitione eius, quem amare debes ac imitari.

§. 2.

Qua ratione perfecta Dei, Chriſtiq; cognitio formetur.

2.Cor.3. 18 MODVM, quo perfecta hæc cognitio ſit formanda, mirificè declarauit Apoſtolus dicens: a *Nos reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur, à claritate in claritatem, tanquam à Domini ſpiritu.* Gloriam Domini vocat myſteria in quibus ſplendet gloria diuinitatis ac Trinitatis Dei, cum omnibus ſuis excellentiis, & perfectionibus; & gloria Ieſu Chriſti, qui ſplendor eſt ſubſtantiæ Patris æterni, cum omnibus virtutibus, gratiis, ac donis, quæ elucent in myſteriis diuini huius libri, de quo diximus: quæ ait Apoſtolus, ſpeculamur, non ſicut Iſraelitæ, qui non potentes, ferre ſplendorem ex facie Moyſis prodeuntem, aſpiciebant illum velo tectum: & in hodiernum vſque diem aſpiciunt illi myſteria CHRISTI velo tecta, & cortice ſuarum ſcripturarum; & tanquam librum obſignatum ſigillis ſuarum figurarum, & cæremoniarum externarum: non penetrantes latentem in eis ſpiritum: quia non remouent velum ignorantiæ, & incredulitatis, quod impoſuerunt duro cordi ſuo: nos autem aſpicimus hæc myſteria, *reuelata facie*, ſubmoto ſcilicet velo, & ablatis ſigillis, ſicut in ſancto Euangelio ſunt explicata, quod tanquam librum patentem *ſpeculamur*, tanquam in claro ſpeculo, quod planè oſtendit nobis, quicquid repræſentat; & ibi vultum videmus Chriſti glorioſiſsimum, variaſque figuras, quas pro nobis aſſumpſit, in quas *transformamur*, diſcurrentes ab vna in alteram, & ab vno gradu *claritatis* in alterum, permoti ac directi *à Domini ſpiritu.*

Speculari eſt in ſpeculo videre. S. Tho. ibid. Lect. 2. & 2. 2. q. 180. a. 3. ad 4.

CVM hoc dicit Apoſtolus, obiter nos docet, proprietates virorum ſpiritualium, orationi & contemplationi vacantium: in quo diſcernuntur à tepidis & imperfectis, qui de his non agunt, aut ea parui faciunt: fidei enim myſteria aſpiciunt tanquam velo & nebula cooperta; aut tanquam in ſpeculo vapore aliquo aut pulueribus obducto: in quo non cernuntur diſtinctè vultus hominum, ſed quaſi confusè: eò quod fidem habeant obfuſcatam, culpis & affectionibus terrenis; parumque exercitatam in conſiderandis eiſdem myſteriis, ideoque ſatis ſibi exiſtimant, ſi confusè illa credant; nō formantes diſtinctum conceptum eius, quod eſt Deus & Chriſtus, infernus, aut cœlum. Et quoniam non penetrant, quæ intra has res ſunt, eas non ſen-

tiunt;

tiunt;nec dant operam,vt transformentur in diuinam imaginem;nec vt ſequantur, quod fides illis dictat.

At viri ſpirituales has res aſpiciunt vultu aperto & ſine velo aut nebula,& in libro aperto,& in ſpeculo claro, in quo vultus aſpicientium diſtinctè cernuntur;& formatur diſtinctus conceptus eius, quod eſt in illis, iuxta id quod fides de eis reuelauit:quam habent valdè clarificatam,& puram cum munditia cordis. 1.

Ex quo procedit, vt etiam contemplentur hæc myſteria non vultu rubore aut pudore cooperto,quaſi erubeſcerent aſpicere opprobria, & contemptus Saluatoris;ſed aperta facie, læta ac ſerena, formantes ſibi conceptũ quendam valdè glorioſum de his omnibus: honorem & gloriam eiuſdem Domini exiſtimantes,non ſolum quod eſt de diuinitate reuelatum, ſed etiam quod geſsit,& perpeſſus eſt in humanitate: de vtriſque enim intelligi poteſt,quod dixit S.Ioan. b *Vidimus gloriam eius,gloriam quaſi vnigeniti à Patre plenum gratiæ & veritatis.* & Angeli in eius natali cecinerunt: c *Gloria in excelſis Deo.*in his enim vilitatibus emicuerunt virtutes & perfectiones præclariſsimæ:& de eiſdem gloriantur,qui eas benè intelligunt, quas ſibi ipſis præeligunt,& d *gloriantur*,non in alia re,*niſi in cruce D.N. Ieſu Chriſti.* 2.

b *Ioan.1.14*
c *Luc. 2.14.*
d *Galat. 6. 14.*

Hinc eſt, quod cùm hæc myſteria cogitant & meditantur, conentur pertingere ad finem principalem ſuæ contemplationis: de quo Apoſt.quod *in eandem imaginem transformantur* eius Domini,quem meditantur & contemplantur,participes eius claritatis & ſplendoris cum magna ſimilitudine: ad modum,quo ferrum,miſſum in focum,transformatur in imaginẽ ignis; tantum concipiens ſplendoris,& caloris,vt ignis potiùs videatur,quam ferrum:ſic iuſtus contemplans diuinitatem, & ſacratiſsimam Chriſti humanitatem, transformatur in diuinam eius imaginem. Infinita enim claritas, pulchritudo,& ſanctitas,quam intuetur,& contemplatur,efficit in ipſomet aliam ſimilem ingentis ſplendoris, gratiarum, & virtutum, donorumque cœleſtium: quæ illum efficiunt valdè ſimilem Deo & Chriſto. Et quemadmodum hic Dominus in ſuis myſteriis varias induit imagines, vt apparet in præſepio,in monte Thabor,& in monte Caluario; in omnes eas conatur iuſtus ſe transformare eo modo, quo poteſt *à claritate in claritatem.* non quod ipſe ſolus poſsit eam transformationem efficere,cùm dicat Apoſt. *tanquam à Domini ſpiritu:* quia ſcilicet diuini ſpiritus eſt proprius effectus: ſed quod præuenienti ſpiritui cooperetur omni diligentia poſsibili in hunc modum. 3.

S. Bonauen. de 7. gradib contempl. tom. 2. in eadem imaginata transformamur.

Primvm ſupponendum eſt, intellectum noſtrum eſſe ſicut aliquem pictorem, cuius munus eſt facere imagines, figuras, & effigies rerum omnium viſibilium,& inuiſibilium,quæ ad ipſius notitiam perueniunt; quas imagines appellamus conceptus: quando enim intellectus noſter aliquid 1.

cogno-

cognoſcit, id quod intra ſe concipit, eſt imago & idea quędam ſpiritualis rei quam cognouit, tanquam prolem, quæ etiam ab ea producitur. Quamobrẽ dixit S. Ioan. e *nos* in cœlo *futuros ſimiles* Deo, *quoniam videbimus* (inquit) *eum ſicuti eſt*. ſignificans, viſionem Dei claram eſſe quandam ipſius Dei ſimilitudinem effigiatam in ſpiritu noſtro, per quam illi aſsimilamur. & quemadmodum pictores, cum alicuius vultum pingendo imitantur, interdum effigiem faciunt valdè diſsimilem rei quam imitari volebant, aut omninò, aut ex parte: at ſi periti ſint pictores, ſolent valdè ad viuum effigiem delineare, quæ ſit rei ſimillima, quam imitari intendebant: Ita etiam cùm intellectus noſter vult de Deo cogitare, aut de Chriſto, interdum format conceptum ſeu effigiem valdè falſam, atque abſimilem ei, quam reuera habent in ſeipſis, quales ſunt conceptus inſipientium, & improborum, de quibus ſupra eſt dictum: ſed interdum tamen format conceptum Dei & Chriſti verum, proprium, plenum, valdeque ſimilem ei, quod eſt de illis reuelatum, & quod reuera ipſi habent: & talem conceptum formant viri ſpirituales in ſua contemplatione. talem etiam ſibi formauerat Sponſa, cum interrogata, qualis eſſet dilectus eius, reſpondit, minutim referendo omnes eius proprietates, f *dilectus* (inquit) *meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus: caput eius aurum optimum; coma eius ſicut elatæ palmarum; nigræ quaſi coruus: oculi eius ſicut columbæ, quæ lacte ſunt lotæ.* & ita pergit referendo reliquas partes eius corporis, oſtendens his ſimilibus quàm exactè eum nouiſſet, eiuſque perfectiones ac virtutes aſſecuta eſſet. In hunc ergo modum ſtudere debes, lectione & meditatione formare intra teipſum conceptum quendam & cogitationem, quæ imago ſit, valdeque viua idea eius, quod eſt Deus & Chriſtus in ſeipſis. Bonitatis ſcilicet, charitatis, ſapientiæ, patientiæ, cæterarumque virtutum ac perfectionum, quas fides nos docet: altiſsimè de ſingulis ſentiendo; vt figura, in qua illum cernis, & apud te habes, ſimilis ſit ei, quam de ſeipſo nobis reuelauit: & tunc incipis transformari per cognitionem in imaginem gloriæ eius.

1 Ioan. 3. 2

Cant. 5. 9

2. SED non hic ſiſtit transformatio. Nam ab hac imagine, quæ imprimitur intellectui, procedere debet alia imago, & idea affectuum, & virtutum, ac perfectionum ſupremi iſtius Domini, ad noſtram voluntatem, eo modo quo poſſunt Creaturæ illum imitari. Sicut itaque intellectu depinxiſti imaginem Chriſti miſericordis & Sancti; aut figuram eiuſdem infantuli, pauperis, contempti, aut in cruce pendentis: Ita imprimas voluntati tuæ ideam aliam viuam affectuum, quos Chriſtus Dominus habebat: ex qua prodeant in te opera valdè ſimilia ipſius operibus. vt ſic impleas, quod ipſe tantopere commendauit, cùm dixit: g *Pone me, vt ſignaculum, ſuper cor tuum: vt ſignaculum ſuper brachium tuum.* neque enim abſque magna cauſa & myſterio voluit ſe comparare imagini & figuræ in ſigillo ſculptæ, quæ non eum vſum ha-

g Cant. 8. 6.

bet, quemadmodum aliæ imagines, vt visum tantum recreet, aut in memoriam reuocet personam, quam refert: sed præcipuus eius vsus est, vt aliquid obsignetur, propriam suam omninò figuram imprimendo rei quæ obsignatur, vt apertè appareat cuius sit: aut vt benè sit custodita. Hoc igitur modo viua Iesu Christi D.N. imago & idea eiusque virtutum, & clarissimorũ operum, quæ ob oculos tibi ponit in lectione & meditatione, non debet tãtum oculos tuos recreare, aut ipsum tibi in memoriam reuocare eo tempore, quo meditaris: sed vt te verè obsignet, imprimendo animæ tuæ viuam eiusdem Domini imaginem, ipsius imagini simillimam, quam interius & exterius habebat. Propterea enim dicit: *vt signaculum hoc* super cor tuum, & super brachium tuum ponas. Per cor (inquit Theodoretus) intelligitur hic vita contemplatiua, quæ tota est interna, & cognitione & affectu; per brachium autem intelligitur vita actiua, quæ externis rebus occupatur. ac propterea Deus in veteri lege iussit, vt sacerdotes acciperent h *pectusculum & armum*, cum brachio arietis, quæ *cederent in vsum* eorum, vt intelligerent; se debere valdè expertos & exercitatos esse in operibus interioribus vitę contemplatiuæ & affectiuæ, & in externis vitæ actiuæ. Quid itaque est, quod Christus tibi dicat: *pone me sicut signaculum super cor & brachium tuum,* nisi quod te moneat, vt diuinam ipsius imaginem imprimas intellectui tuo, cum illam agnoscis: & voluntati, per affectus amoris & virtutum internarum: & sensibus ac potentiis externis, & earum operibus, transformando te totum in viuam ipsius imaginem: sicut transformatur cera in imaginem sigilli: tunc enim maximè completur trãsformatio, de qua dicit Apost. transeundo à claritate in claritatem: à claritate scilicet Iesu Christi, ad nostram claritatem: & à claritate cognitionis, ad claritatem affectus; & ab hac, ad claritatem operum: ita vt omnia sint clarificata imagine diuini istius signaculi. O dilecte animæ meæ, tu iubes, me ponere te tanquam signaculum super cor meum, & brachium meum: sed ego supplex oro, vt tuipse ponas te, vt signaculum supra totum spiritum meum: ego enim sine te id præstare non sciam. pone te igitur sicut signaculum super meas potentias, imprimendo illis imaginem eius, qui tu es, vt te agnoscam, amem & æmuler: totusque transformer in te, tuque viuas in me in æternum. Amen.

Vide Martin. del R. hic.

h *Exo. 29. 26.*

§. 3.

De culmine & celsitate, ad quam hac perfecta cognitio ascendere potest.

Sed quis declarare poterit, quomodo Christus D. N. impleat hoc desiderium imprimendi seipsum tanquam signaculum spiritui nostro? ipsemet hoc declarauit, loquens cum æterno suo Patre: a *ego* (inquit)

a *Ioan. 17*

claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis: vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus: ego in eis sum, *& tu in me, vt sint consummati in vnum*, & perfecti in hac vnione, *& cognoscat mundus, quia tu me misisti & dilexisti eos, sicut & me.* O altitudo charitatis Christi, quò potuit illa vlterius ascendere, quam vt electis suis eam impertiretur claritatem, quam ipse ab æterno suo Patre acceperat? & quæ hæc est claritas, nisi claritas cognitionis & amoris cum clarissimis donis gratiarum & virtutum, quæ illam comitantur? hanc ipsemet nobis largitur. nisi enim ipse det, non possumus viribus nostris eam adipisci. ipse ponit se tanquã signaculum super spiritum nostrum; vt suam imprimat imaginem, cum
b 1. Cor. 6. 17 tanta similitudine, vt simus vnum cum ipso: & vt ait Apostolus: b *qui adhæret Domino, vnus spiritus est*, scilicet cum eius spiritu: ita, vt propter hanc similitudinem, mundus agnoscat excellentiam illius Domini, cuius gerimus sigillum; credatque patrem eius, ipsum misisse, vt noster esset Magister, redemptor & exemplar omnium. Resignauit septem sigilla figurarum, & cæremoniarum externarum, quibus eius liber erat clausus, & obsignabatur populus Hebræus: & loco illarum vult eundem librum clarissimæ suæ vitę sigillum esse, quo obsignetur populus Christianus: imprimens electis suis
c 2. Cor. 4. 10 viuam vitæ suæ imaginem: vt c *vita Iesu manifestetur* (vt ait Apost.) *in corporibus eorum:* eaque muniti sint, ac securi, donec transferantur in cœlum, vbi erit vnio perfecta per visionem beatificam.

I. SED videamus nunc, quàm altè ascendat hic in terra? eousque progre-
d Ioan. 10. 14. ditur, vt sit vnum, sicut pater & filius vnum sunt: d *Ego*, inquit, *sum pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ, sicut nouit me Pater, & sicut ego cognosco Patrem.* Videamus nunc quomodo Pater cognoscat filium & quomodo filius agnoscat Patrem, ouesque sui gregis. Fides nos docet, quod æternus pater cognoscens diuinam suam essentiam, per eam cognitionẽ producat viuam & infinitam imaginem suiipsius, filium scilicet suum vnigenitum, quem propterea verbum appellamus, & sapientiam patris, quam æternùm generat, communicans illi suam diuinitatem, omnesque suas perfectiones tanta similitudine, vt vterque sit vna eademque res in essentia: idque tanto amore & gaudio, vt non posit sibi non complacere, & oblectari in eo, eumq; amare infinito amore: & per eundem omnia operatur, quia vnum omninò est vtriusque velle, & posse. Hoc ergo modo bonus hic pastor Christus Iesus, cognoscit electas suas oues; cognitione comprehensiua, beneuola, & efficaci: imprimens eis imaginem & similitudinem diuinę suę naturæ, gratiam scilicet, & charitatem, cum reliquis virtutibus, donisq; supernaturalibus; vniturq; ac coniungitur eis sicut sigillum; accipiens eas in suas, ac diligens, & complacens sibi in eis: & per easdem operatur res valde gloriosas. In hunc ergo modum non quidem æqualiter, sed valde proportionaliter, perfecti Christi discipuli, qui optimæ sunt oues eius gregis, eò per-

ueniunt, vt in Contemplatione eum agnoſcant, cognitione quadam adeò robuſta, & efficaci, vt in ſuis intellectibus forment perfectam quandam imaginem ipſiuſmet Chriſti, eiuſque virtutum ac perfectionum, placentes ſibi & oblectantes in eis: & eadem viuacitate ac efficacia illas imprimunt ſuæ voluntati, amando hunc paſtorem, & pro ſuo eum accipiendo, ſeque ipſos illi coniungendo; nec volentes quicquam agere aut facere, niſi cum ipſo, & propter ipſum, & ad ipſiuſmet ſimilitudinem, ita vt cum Apoſtolo dicant: e *Viuo iam non ego; viuit verò in me Chriſtus.* Ego viuo vitam naturalem, ipſe verò in me viuit vitam ſupernaturalem, cognitio mea, amor meus, affectus & opera mea ab ipſo procedunt, ipſum referunt, per ipſum ego illa facio, & ipſe in me: quia Spiritu vnum ſumus. ipſe eſt in me, & ego in eo per amorem. hoc modo ipſemet Chriſtus, quà homo eſt, patrem ſuum agnoſcit, cognitione beneuola, quæ diuinam eius voluntatem ſcrutatur, imitatur eius perfectiones, approbat quicquid ille diſponit, illudque ad nutum exequitur, ita vt imaginem infinitæ perfectionis, quam à Patre accipit, quà Deus eſt, imprimit ſibi ipſi quà eſt homo, cum ineffabili ſimilitudine. propter quam, in ſuo tamen gradu, dicere licet, qualis eſt Pater, talem eſſe & filium, &: f *qui videt Filium videre etiam Patrem.* O Pater æterne, qui tuos electos, g *prædeſtinaſti conformes fieri imaginis filij tui:* per eum te ſupplex oro, vt mihi concedas illum cognoſcere, amare, tantoque ſpiritu imitari, vt me conformem, & transformem in imaginem gloriæ eius. O Redemptor dulciſsime, qui h *dum orares in monte* Thabor, transformaſti & h *transfiguraſti* corpus tuum in glorioſam animæ tuæ imaginem; & *Moyſen atque Eliam* transformaſti in imaginem gloriæ & i *Maieſtatis*, quam tu habebas: transforma & transfigura animam meam in tuam, imprimens ei figuram excellentium virtutum tuarum: vt per earum ſimilitudinem ſim vnum tecum, Amen.

e Gal. 2. 20.
f Ioan. 14. 9.
g Rom. 8. 29.
h Luc. 9. 28.
i Matt. 17. 2.

2. Vt perueniamus ad cognitionem adeo excelſam, voluit Chriſtus Dominus noſter docere nos ſtatim quandam aliam, infirmitati noſtræ magis conformem, dicens: proprietatem eſſe ouium k *agnoſcere ſuum paſtorem, & ſequi eum; agnoſcere vocem eius,* obedire ei, *ſequendo eum; alienum autem non ſequi, quia non nouerunt vocem alienorum,* quaſi diceret: ſi vis eſſe ouis Chriſti, opus eſt ſupremum hunc paſtorem agnoſcere, ad duo oculos conijciendo, ad ipſius ſcilicet l *veſtigia* vt ea *ſequaris*, conſiderans exempla quæ tibi dedit, & opera quæ fecit: & ad eius vocem & ſibilum, vt ſtudeas illum agnoſcere in præceptis & conſiliis legis, quam promulgauit, & admirandâ doctrinâ quam prædicauit, obediendo ei in omnibus quæ præceperit, aut tibi inſpirauerit. hoc eſt enim, illũ perfectè cognoſcere; ſicut ipſemet dixit: m *Ego noui patrem, & ſcio eum, & ſermonem eius ſeruo* quod ſi hoc modo cognoſces tuum paſtorem, ille te ſignabit tanquam ouẽ ſuam ſignaculo viuæ ſuæ ima-

k Ioa. 10. 4. 14.
l 1. Pet. 2. 21.
m Ioa. 8. 55.

ginis & similitudinis impressæ in intimo animi tui, ipse enim dixit: n *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.* Frater erit, quia accipiet à Patre æterno imaginem gratiæ eius, qua similis fiet Christo; erit & mater, quia spiritualiter ipsum concipiet intra seipsum, formans in se ipsammet Christi imaginem, sicut iam diximus. & de hac cognitione adeò beneuola & obediente potius gloriari debes, quàm de omnibus aliis scientiis, dignitatibus, aut terrenis diuitiis, iuxta illud quod ipse per Ieremiam dixit: o *in hoc glorietur qui gloriatur, scire & nosse me.* scire (inquam) vt verum conceptum, quis ego sim formet: cognoscere verò, vt approbet quicquid in me videbit: *quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam, & iudicium, & Iustitiam in terra: hac enim placent mihi.* & eadem opus est facere eum, qui me cognouerit. O dilecte cordis mei, ex nunc cupio gloriari, quod te cognoscam & amem, sicut tu vis: in eo collocans meam oblectationem, vt me in tuæ gloriæ imaginem transformem, transiens à claritate in claritatem, vt crescam & proficiam in cognitione & amore tui, donec videam te in claritate æternæ tuæ gloriæ, AMEN.

Matt.12. Iere.9.24

CAPVT XII.

QVOD IN LIBRO VITAE CHRISTI DOMINI nostri meditandæ sint septem admirabiles vnitiones siue coniunctiones rerum valdè distantium, cum variis affectibus humilitatis & charitatis.



NTER prodigia & mirabilia quæ Deus operatus est, & in suis electis quotidie operatur, non est minimum (vt Sanctus Bernardus expendit:) quod cum humano intellectu coniunxerit cognitionem rerum altissimarum, quæ fide nituntur, ita vt in intellectu, qui consueuit sensibus duci, & humanæ rationis discursibus, his omnibus reiectis, eleuet se supra seipsum, ad credendum multa, quæ excedunt id totum, quod sensus & ratio assequi possunt; eaque admittat ac sentiat maiori multò certitudine, quàm si ea videret aut palparet, aut naturali ratione penetraret. Id quod singulariter elucet in mysteriis Christi Domini nostri, in quibus talis est vnio & coniunctio rerum adeò distantiũ, vt, eas ita coniungere, videretur impossibile. Quæ distantia inter illas, præcipuè in septem rebus valdè mysticis, fuit, tanquam septem signacula, quibus a *liber vitæ*, qui est ipse Christus, occlusus & obsignatus mansit ita, vt

Ser.3 de vigil. Natiuit. a Apoc.20. 12. & c.5.1.

multi

multi non potuerint legere illum, aut meditari; nec adhuc possunt, donec ipsemet Christus Seruator noster sigilla resignet, & faciat in illis coniunctionem intellectus eorum, cum certissima rerum illarum fide. Nos autem in quibus iam infinita Dei charitas, hæc mirabilia est operata, largiendo nobis distinctam suorum mysteriorum fidem, meritò debemus illam clarificare, & cum ipsius auxilio perficere, meditantes ac perpendentes prædictas stupendas coniunctiones: omnes enim sunt necessariæ ad obtinendam perfectam huius Domini cognitionem, cum iucunda sapientiæ, omnipotentiæ, ac charitatis admiratione, quam ostendit in eo, quòd sciuerit, potuerit, volueritq; res adeò distantes in vnum coniungere, pro nostra reparatione.

Prima vnio siue coniunctio, quæ radix & fons est reliquarum, est vnio duarum naturarum diuinæ scil. & humanæ, in vna eademq; persona, ita vt etsi infinita sit distantia inter Devm & hominem, inter vitam Dei & vitam hominis, coniungantur tamen in vno eodemq; Christo Domino, qui simul est verus Deus & verus homo, & simul viuebat vitam diuinam, faciens propria opera Dei, creando scilicet, conseruando, & gubernando mundum: & simul viuebat vitam humanam, faciendo opera hominis propria, comedendo scilicet, dormiendo, crescendo, sentiendo, ac discurrendo: & reliqua, quæ faciunt puri homines; ita vt alia opera alia non impedirent. 1.

Hinc processit secunda coniunctio, animæ scilicet beatæ ac glorificatæ cum corpore mortali ac patibili, ita vt vnus idemq; Christus duas simul vitas duceret, alteram beati, quo ad animam, qua Deum clarè videbat, cum immenso gaudio, & cum omnibus excellentijs, quibus fruuntur beati in cœlo empyreo: & simul vitam viueret Viatoris, subiectam quo ad corpus omnibus miserijs mortalitatis, quas patiuntur homines in hac lacrymarum valle. Ex quo etiam procedebat, vt in eadem anima alia duo coniungerentur valde inter se dissita, summum videlicet gaudium, ex clara Dei visione; & summa tristitia, ex nostrorum peccatorum aspectu: Diuina sapientia ita hanc coniunctionem disponente; vt hic Deus & homo sine detrimento gloriæ & maiestatis, quæ debebatur animæ coniunctæ vnigenito filio æterni Patris, simul haberet b *corpus aptum* vt sacrificari posset, ac mori pro salute generis humani. 2.

b *Hebr.* 10 5

Hinc etiam tertia vnio prouenit, viri scilicet & infantis in vno eodemq; Christo, qui existens in ventre suæ matris, vitam ducebat viri perfectissimi, in sapientia, & discretione, vsuq; rationis; sicut cum esset triginta annorum: simul verò infantis vitam ducebat, ad instar omnino aliorum infantium: in qua progrediens post Natiuitatem suam, toto tempore infantiæ, nihil prætermisit eorum, quæ essent infantium propria; magis quam si 3.

Ierem. 31. 2. non fuisset vir:& hoc est c *Nouum* illud stupendum, quod Isaias dixit, *Dominum creasse super terram: quia fœmina circumdabit virum,* in suo videlicet vtero virum gestabit.

4. HVIC adeò nouæ coniunctioni aliam adiecit plane inauditam, qua coniunxit conceptionem hominis absq; viri opera, & vt idem nasceretur ex Matre, quæ non propterea desineret esse virgo: ita vt idẽ Christus Dominus haberet in terra veram matrem absq; Patre:& vna eademq; fœmina simul esset mater & virgo,& hoc fuit stupendũ illud d *signum* quod Isaias dedit Regi Achaz: *Ecce* inquit *virgo concipiet & pariet filium; & vocabitur nomen eius Emmanuel,* quod significat nobiscum Deus:quia reuera erat Deus, & nihilominus *butyrum & mel comedet*, sicut cæteri infantes. Isai. 7. 14.

5. QVINTA vnio, quæ mundum obscurauit, fuit coniunctio summæ gloriæ cum summa ignominia per totum eius vitæ decursum, è Natiuitate scil. eius in Bethlehem, vsq; ad mortem in monte Caluario. ita vt ducens vitam cum summa gloria, qualẽ decebat ducere filium Dei, in sapientia, sanctitate,& potentia: quas tres excellentias stupendis ostendit operibus; simul tamen vitam duxerit adeo pauperem, contemptibilem, & molestam,& quod amplius est cum summa infamia, ac dedecore apud multos ex populo suo: quoniam & habebatur & tractabatur tanquam ignarus quispiam, stultus,& furiosus contra infinitam ipsius sapientiam, & tanquã peccator,& blasphemus detestandus, contra infinitam eius sanctitatem; & tanquã infirmus impostor,& habens dæmonium, contra diuinam ipsius omnipotentiam.

6. HINC secuta est SEXTA vnio rerum aliarum non minus distantium quàm fuerint præcedentes; mortis scil.& victoriæ, cruciatus crucis ignominiosæ,& gloriosi triumphi de suis hostibus: ita vt vnus idemq; Christus simul esset occisus, ex malitia & inuidia Iudæorum, Dæmonibus eos ad id instigantibus; qui tamen sua morte vinceret ipsammet mortem,& peccatum, & infernum. & in eodem ligno opprobriorũ & cruciatuum ipsius, titulus poneretur eius regni:& inde inciperet regnare tanquam Rex, & Dominus vniuersorum ; & corpore ipsius in sepulcro iacente, anima simul spoliaret infernum.

7. HVIC coniunctioni accessit vltima, in qua Sanctissima illa anima, ꝓpria virtute coniunxit se corpori mortuo, iacenti in sepulcro; illudq́; resuscitauit immortale & impatibile, relictis in eo tamen vulnerum cicatricibus, quas dum viueret, accepit in cruce, in manib. scil. pedibus & latere. quæ signa essent mortalitatis, quam prius habuit; & ignominiæ, quam sustinuit in cruce. Et postmodum propria Virtute per aëra ascendit, penetrans cœlos vsq; ad omnium supremum: in quo sedet ad dexteram Patris. & qui in humana natura minor est quam Angeli, est omnium supremus in dignitate filij Dei, donisq; gloriæ.

Praetereo hic aliam vnionem rerum disiunctissimarum, quam idem Dominus fecit sua Omnipotentia, renouatq; quotidie in Sanctissimo Altaris sacramento, de qua postea fusius dicetur.

§. I.

Qua ratione stupenda hæ coniunctiones sint perpendendæ.

HAec sunt septem mirabilia Dei hominis facti, quæ incredulis sunt tanquam liber obsignatus; & vt Apost. dixit: a *Iudæis scandalum, gentibus* autē *stultitia: credentibus autem Iudæis atq; Græcis*, sunt liber apertus, in quo splendet ipse *Christus*, qui est *Dei virtus, & Dei sapientia.* per illa enim admiranda opera ipsum cognoscunt ac venerantur. Quamuis magno stupore & admiratione, iuxta illud Habacuc Prophetæ secundum versionem LXX. quam recepit Ecclesia: b *Domine* (inquit) *consideraui opera tua & expaui*, siue obstupui, *in medio duorum animalium cognosceris.* quæ verba (vt notat S. Augu st. & S. Hieron.) referri possunt ad vtrumq; extremum vitæ Christi D. N. ex quib. iudicium ferri possit de ijs, quæ in medio eorum euenerunt, à primo scil. ingressu eius in mundū per Natiuitatem in specu Bethleemitica, vsq; ad eius exitum per mortem in mōte Caluario. Quando enim natus est, positus est in præsepio, vt canit Ecclesia, in medio duorum animalium; vbi ab vtroq; populo fuit agnitus Hebræo, scil. ac Gentili; conuenientibus c *pastoribus* tanquam primitiis vnius populi; d *Magis* vero tanquam primitiis alterius, vt illum adorarent, eiq; tanquam Regi *aurum*; tanquam Deo, *thus*; & tanquam homini mortali *myrrham offerrent*, nihil de cognitione tantæ maiestatis imminuentes eò, quod illam adeò abiectam viderent. Et quando idem Dominus mortuus est, fuit affixus cruci in medio duorum latronum, brutis animantibus deteriorum: vbi tamen à *Centurione*, quamuis gentili; & à multa plebe fuit cognitus, qui e *reuertebantur percutientes pectora sua ac dicentes: Verè hic homo iustus erat: &* f *verè filius Dei erat iste*; & *vnus de his qui pendebant, latronibus*, eum agnouit, & confessus est Regem paradisi, dicens: *memento mei, cum veneris in regnum tuum.* considerans igitur hæc opera, ait Propheta: *expaui*, & extra me factus obstupui: videns hinc maiestatem Dei infinitam adeò humiliatam, vt se collocet inter brutas animantes, & latrones: inde verò, quod in vtraq; humiliatione cognoscatur, & venerationi sit; ita vt eædem humiliationes & vilitates, quæ in causa esse poterant, cur non agnosceretur, ac proinde contemneretur; ei vsui sint, vt eadem cognoscatur, & venerationi sit Iudæis, & genti-

a 1. Cor. 1. 23.

b Hab. 3.

S. de Ciuit. c. 23 & in Orat. contra Iud. & Paga cap. 13. S. Hier. in Habac 3.

c Luc 2. 16.

d Matth. 2. 11.

e Luc. 23. 48. 42.

f Marc 15. 39.

f Matth. 25 4.

libus;

libus; sapientibus, & insipientibus; iustis, & peccatoribus, & iis qui sunt brutis deteriores, quos idem Dominus, diuini sui vultus lumine adeo illustrabat, vt ipsum agnoscerent, quis esset; adorarent, & æstimarent. O altitudo diuitiarum, & sapientiæ Dei, ô immensa Charitatis & omnipotentiæ magnitudo? quis alius præter Deum manifestare potuisset tantam maiestatem in medio extremarum vilitatum? quid admirabilius, quàm filium Dei videre factum filium hominis, vt homines redimeret? Et quid stupendum magis, quam videre sapientiam infinitam in vno infantulo, in specie rerum ignaro, iacere in præsepio in medio duorum animalium? Quis non fiat extra se, cum videt bonitatem infinitam, in forma peccatoris, in medio duorum latronum, atq; si ipse talis esset? & quis non obstupescens obmutescat, considerans summam Omnipotentiam in forma tantæ infirmitatis, vt pannis inuoluatur, ac ligetur; eademq; durissimis clauis cruci affigatur? Vere Domine *consideraui opera tua, & expaui*, & in medio duorum horum animalium agnoui, quis sis: vt qui noueris, potueris, ac volueris res adeò altas coniungere rebus adeo vilibus: vt superbiam meam curares, torporem accenderes, & cor meum igne amoris tui inflammares. O Dilecte mi, *quantò pro me vilior tanto mihi charior*: in tuis abiectionibus, tuas agnoscam excellentias; & de his æquè ac illis gloriabor, libenter me collocans inter duo animalia, & inter duos latrones, optans numerari inter ignaros & peccatores, vt ipsa experientia cognoscam, quantum pro me feceris; & virtutes consequar, quas mihi comparasti.

S. Bern. Serm. 1. Epiphani.

SED vlterius adhuc huius cognitionis Christi Domini nostri perfectionem assequeris, si perpendas vocis significationem, qua LXX. interpretes explicarunt, quod Deus cognosceretur in medio duorum animalium quod nomen (vt notant Eusebius & Theophilactus) significat etiam vitas; quasi diceret: *cognosceris in medio duarum vitarum*, diuinæ scilicet & æternæ, quam viuit, quà Deus est; & humanæ ac temporalis, quam viuet, quà erit homo: Vt intelligas, si cupias perfectè cognoscere Christum Dominum, omniaq; eius mysteria, ab incarnatione vsq; ad expirationem in cruce, debere te simul considerare duplicem hanc vitam & opera, quæ in eis facit: alia cum aliis conferendo. ex quorum omnium coniunctione, cognosces infinitam sapientiam, bonitatem & omnipotentiam Domini, qui illas in vnitate personæ coniunxit, vt arrham tibi daret, magnáq; fiduciam, quod facturus esset in te aliam huic similem vnitionem, ob quam duplicem quoq; vitam tu ducas, duplici ipsius vitæ similem, vitam scilicet hominis ex natura tua; & vitam Dei, ex ipsius gratia vnitas in vno spiritu vna cum ipso diuino. Cum Christum Dominum in matris suæ vtero consideras, in quo fuit Spiritus Sancti opera conceptus, aspicisq; vitam, quam in loco illo adeo angusto, obscuro, & horrendo viuit: eleua statim oculos, ad eundem in

Ob accentum diuersum. *Lib. 6 Demonstr. Euang. c. 15.*

im-

immenſo Patris æterni ſinu contemplandum: in quo æternùm generatur, recipitq́; ipſammet vitam Dei,& ſimul cum illo,eam communicat Spiritui Sancto,amore & gaudio infinito. Et cum eundem inſpexeris in præſepio inter duo animalia;aut in cruce inter duos latrones:& attenderis vitam, quam ibi ducit in tanta paupertate, contemptu, dolore,ac labore: tranſi mox,ad eundem conſiderandum in cœlo empyreo,inter Cherubinos & Seraphinos, & in throno infinitæ maieſtatis vitam ducentem, infinitis diuitijs & gaudijs plenam;& eorum participes facientem creaturas ſuas:quas vitas,earumq́; opera,ſi ad inuicem contuleris, agnoſces immenſam magni huius Dei bonitatem,in eo emicantem, quod hanc vnitionem facere voluerit, non ſuæ neceſsitatis aut commodi intuitu,ſed animo ſolum tibi manifeſtandi amorem, quo te proſequitur;& quanti faciat tuum remedium,magnumq́; ſuum deſiderium te exultandi,hunc honorem tuæ vilitati tribuendo, vt ipſius magnitudini vniatur. Et tunc dices cum Propheta: O vita viuentium:*conſideraui opera tua & expaui.* Conſideraui opera tuæ diuinitatis, mundi creationem,prouidentiam in gubernando; ſupplicia prodigioſa, quæ AEgypto intuliſti:ſtupenda illa,quæ in populo tuo feciſti,cum mare diuideres, manna de cœlo plueres: aquam educeres è petra; ſolemq́; ipſum in ſuo curſu ſiſteres:per quæ opera agnoſco, quis ſis ingenteſq; tuarum virtutum excellentias. Verum adhuc multò amplius te agnoſco, & expaueſco,cum attendo coniunctionem vtriuſq; vitæ in te humanæ & diuinæ,quam in tua perſona effeciſti. hic inquam altiſsimam tuam ſapientiam video, ſtupendam omnipotentiam,ſeueram iuſtitiam,liberalem miſericordiam, tuamq; dulciſsimã charitatem. O vtinam me tibi ſimilem in vtraq; vita faceres,obſignans diuinâ cor meum: & brachium, humana? viuat exterior meus homo, ſicut tu viuebas vitam humanam, g *portans in corpore meo ſtigmata* corporis tui,tuãq; *continuam mortificationem*: vt h *vita tua, in mea manifeſtetur.* interior verò homo meus viuat,ſicut tu diuinam tuam vitam viuebas,renouatus de die in diem,& occupatus in te cognoſcendo, diligendo, ac fruendo;vt *vita mea ſit tecum abſcondita in Deo,* transformata in tuam Deitatem in æternum.

g *Gal.* 6. 17.
h 2. *Cor.* 4. 10.
i *Coloſ.* 3. 3.

In hunc modum conferes reliquos vitarum huius Domini modos prædictos, vt in medio illarum eum agnoſcas: applicando eas ad myſterium, quod conſideras. In præſepio licebit conferre vitam viri, cum vita infantis;in horto Gethſemani,vitam Beati lætitia plenam, cum Viatoris vita,timore ac triſtitia plena;in progreſſu vitæ eius, licebit aſpicere operum coniunctionem,humanorum ſcilicet ac diuinorum, cum ſtupenda miracula erga alios patrauerit: ſibi verò quæ pœnam doloremq́; afferrent acceperit: nolens miraculis vti ad aliquod proprium leuamen. Diuinum quoque modum attende,quo virtutes exercet,quæ propriè ſunt humanæ,qualis eſt humilitas in contemptu:Spiritus paupertas, in rerum omnium abrenuncia-

tione;patientia in diuersis,mansuetudo in tolerandis persecutionibus;obedientia in præceptis; compassio ac tristitia malorum alienorum.

DENIQVE perpendes,quomodo exercuerit coniunxeritq; duplicem illam vitam actiuam & Contemplatiuam, in quarum medio etiam agnoscitur,in cuius testimonium, quando in Baptismo iecit vitæ actiuæ primordia exercitiis pœnitentiæ: & in transfiguratione aperuit vitæ Contemplatiuæ præstantiam,exercitiis orationis: in vtroq; loco fuit paterna voce declaratus filius eius naturalis. vt intelligas in vtriusq; huius vitæ medio, te illum inuenturum & cogniturum, ita vt illum ames, & transformeris in viuam eius imaginem, ob insignem gratiæ & Charitatis eius participationem.

Matth 3. 17. & 17. 5.

§. 2.

Harum septem coniunctionum motiua & causa.

PERGENS porrò,perpēdes præcipuas causas,ob quas magnus ille Deus, stupendas has coniunctiones,rerum adeò distantium fecerit: & mixturam,qua illas tanta harmonia colligauit. quæ causæ ad duas præcipuè,easq; maximas reduci possunt. *alteram* ex parte ipsiusmet Dei, quò scil.aperiret nobis (vt ait S. Aug.) immensum charitatis ignē qui in diuino ipsius pectore ardebat:*alteram* ex parte hominis, vt infinitam peccati eius miseriam repararet,secumq; illum vniret vnitione eiusdē charitatis. Amor.n.cuius proprietas(teste S. Dionysio)est,amantem à seipso educere,vt se cōmunicet rei amatæ;etsi ita Deum à seipso eduxit in Creatione mundi, vt multis modis se creaturis suis communicaret:id tamen totum adeò erat modicum infinitę ipsius charitati, vt potuerit reputari quasi non fuerit, donec idem infinitus ignis impulit illum à seipso exire, vt ꝓprium suum esse cōmunicaret,vniendo diuinam suam naturam cum humana,in persona filij. Et quò ignis hic magis resplenderet,non elegit naturam Angelicam; sed hominis,qui fuerat eius proditor,& inimicus.neq; enim maior charitas esse potest, quàm adeò infinitum bonum hosti & inimico suo conferre, vt illum sibi reddat amicum.

De Catechizan rudib.c. 4 Tho. 3. p. 1. art. 2.

4. de Diuinis nominibus.

HOC voluit significare diuina Maiestas,cum se aperuit Ezech.prophetæ, in *aspectu & figura hominis quasi specie electri*, quod est auri & argenti mixtura,qui totus *per gyrum* erat quasi igne accensus: *à lumbis eius sursum ignis erat intrinsecus à lumbis vero vsq; deorsum, quasi species ignis splendentis in circuitu, velut arcus cum fuerit in nube in die pluuiæ.* Quis alius (ait Sanctus Gregorius) homo iste erat nisi Iesus Christus Dominus noster, in quo conuenerunt aurum diuinitatis, & argentum humanitatis, faciente hanc vnitionem infinito igne charitatis & amoris, quo ille nos prosequebatur,qui ignis (vt idem Sanctus perpendit) antequam hoc mysterium perficeretur,

Ezech.1. 27.

S.Hiero ibi. Homil 1. & 3.in supra.

Homil. 8. supra.

Chri-

Christusq; generaretur in esse hominis,erat quasi intrinsecus inclusus in pectore Dei,& absconditus in intimo cœli sui Empyrei recessu,vbi se Angelis communicans, eos in sui amorem incendebat, vixq; ab hominibus cognoscebatur, & amabatur; nisi fortè à paucis aliquib. in Iudæa. quicquid .n.eorum gratia fecerat,etsi in se plurimum esset,non tamen plus erat quam scintilla quædam fornacis immensæ ipsius charitatis. At postquam mysterium hoc fuit peractum,Deusq; factus est homo, sparsit hunc ignem super terrã, vt amore sui animas accenderet,constituens figuram cœlestis arcus in signũ quod illas sibi reconciliaret,pluuiaq; gratiarum suarum iustificaret: placando patris sui irã; & peccatorum diluuium, quod mundum submergebat,remouendo.

Hos autem ignis radios, in figura arcus emittebat,à lumbis suis vsq; deorsum:significans,omnia mysteria, gressus omnes, & opera ipsius,à Conceptione & Natiuitate,vsq; ad expirationem in cruce, amoris radios producere,& affectus reconciliationis. Quis enim impulit, vt in virginis vterũ ingrederetur? quis vt nasceretur in porticu, & collocaretur inter duo animalia? quis vt circumcideretur & fugeret in AEgyptum? quis coëgit,vt capi se sineret & flagellari, & inter duos latrones occidi? id totum fecit amoris ignis,arcus reconciliationis, & pluuia gratiarum ac donorum cœlestium, quæ secum in nostram reparationem afferebat:vbicunq; illum aspicias,siue in præsepio, siue in cruce, vbiq; clamat: b *ignem veni mittere in terram, & quid volo,nisi vt accendatur?* Veni, vt mundum reconciliarem, & saluarem, & quid volo,nisi vt saluetur?mecum affero gratiarum & virtutum copiam, quas pluuiæ instar spargam super terram. Quid ergò volo, nisi vt super omnes spargantur? O Saluator dulcissime, exple desiderium tuum in me,vt & ego meam expleam: quod non est aliud, nisi tuum. Tu enim c *factus es mihi sapientia* mea,mea *iustitia,sanctificatio, & redemptio* mea,imple me hoc ipso quod mihi es, vt eodem tibi fideliter seruiam. O anima mea,surge, sicut alter Moyses,& dic tibi ipsi: d *vadam & videbo visionem hanc magnam: quare rubus ardeat,& non comburatur.* Volo contemplari hanc ignis diuinitatis cum rubo nostræ humanitatis vnionem, considerare splendores ignis & rubi spinas, ardentes cordis Christi affectus, doloresq; & cruciatus,quos in suo corpore tulit. Videbo,quantum amauerit, quantum fecerit,meiq; remedij causa pertulerit: accedens valdè prope, vt igne suo me illustret, accendat, atque purificet; & vt eius spinæ me pungant, & pungendo sanent. ô ignis diuine, coniungere rubo huic meæ humanitatis, tuæ similis in natura: vt etiam sit in gratia, per vnitionem charitatis. AMEN.

b *Luc.* 12. 49

c 1.*Cor.* 1. 30.

d *Exod.* 3 3.

§. 3.

De affectibus hinc prouenientibus.

HOc itaq; spiritu, accedendum tibi est ad diuinorum horum mysteriorum meditationem, coniectis in id oculis, vt affectus & proposita sanctitatis concipias, iis conformia, quæ Christus D.N. intendit vnitione vtriusq; naturæ, vtriusq; vitę, & operum earum, studendo coniungere te cum Deo tuo; vitamq́; tuam, Christi Domini vitæ conformare: & amoris igne, quo ille ardet, accendi: fructumq́; sumere ex reconciliatione, quam ipse tibi affert: & ex pluuia gratiarum ac virtutum, quibus te inuitat: affectusq; tuos semper cum eius affectibus conformare: amando videl. illum, sicut ipse te amat; humiliando te, sicut ipse se humiliat; tolerando, sicut ipse tolerat; & obediendo, sicut ipse obedit. Nec verò animum abijcias, eò quod videas infinitam distantiam inter te & Deum: ipsius enim omnipotentiæ facilè est, res etiam disiunctissimas vnire, & coniungere; nec diffidas, eò quod te valdè frigidum inuenias: quia diuinus ignis in momento valet huiusmodi glaciē liquefacere, & in affectus ardentes conuertere. Nec te peccata tua timidum reddant: nam statim atq; Deus arcum hunc cœlestem aspexerit, meminerit pacti te cū initi, & ignoscet propter eum, si tu humiliter in eius conspectu illum constituas. Si te videris sicut terram sine aqua, in conspectu Dei; intellige, Christum esse instar nubis, immensis gratiarum aquis plenæ, vt aridam cordis tui terram spargat, faciatq; ferre fructus, quos desiderat. Deniq; si assuescas diuina hæc mysteria quotidie meditari, illa te prouocabunt ad virtutum omnium exercitia: quò crescas quotidie, & in eis proficias, iuxta illud Canticorum; a *dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suū:* Qui sunt hi accubitus, & loca, in quibus Rex cœlestis conuiuium facit suis electis, nisi loca illa, in quibus vitæ suæ mysteria prædicta celebrat? Quæ verò nardus dat odorem suum in huius regis præsentia, nisi præstantiores virtutes, quibus ipse amplius oblectatur? Nardus (ait Sanctus Gregorius & S. Bernardus) est parua quædam plantula, natura calida, quæ pectoris frigiditates abstergit: estq; vehementis odoris, quem eò vehementius emittit, quò magis conteritur. Ideoq; repræsentat humilitatem, quæ inclinat ad paruitatem; & charitatem, quæ inflammat cor; pœnitentiam & contritionem, quæ culpas abstergit; feruorem spiritus, qui torporem repellit: ac deniq; animæ deuotionem, quæ profert affectus odoriferos & exemplaria opera.

a *Cant. 1. 12.*

S. Greg. in eum locum. S. Bern Ser 42. in Cant. Gloss. ibid. & Silua Allegoriarum.

1. OMNES hæ virtutes actus suos proferunt, dum est Rex in accubitu suo. in quocunq;. n. horum loco eum aspexeris, mox te ad abyssum vsq; tui nihili demittes: tum ob humiliationem, quam tua peccata meruerunt: tum ob raram humilitatem Regis, in eius exemplis relucentem. Nam cur non

ſe humiliet ſeruus, cùm videt Regem ſuum adeò humiliatum? Intoleranda (inquit S. Bernardus) eſſet impudentia, ſi adeò ſe humiliante diuina Maieſtate, vilis vermiculus ſuperbiat. humiliat ſe Deus, vt hominis ſuperbiam ſanet: & non ſe humiliabit homo, vt Dei humilitatem imitetur? & quamuis verè tibi perfecta tua miſeria te non humiliaret, id meritò facere deberet charitas tui Saluatoris, ſe ad illam reparandam humiliantis. O Rex ſupreme, me vidente adeò te eſſe humiliatum *nardus mea dabit odorem ſuum.* qui tamen odor non meus erit, ſed tuus, vtpotè productus à tua virtute & exemplo, & ad imitationem odoris humilitatis, quem nardus tua produxit: tantò excellentiorem meo, quantò amplius eſt ipſum Creatorem ſe dimittere, quàm creaturam ſe humiliare; ſed coniungo tamen nardum meam cũ tua, humiliationem meam cum tua, vt ſimul vtraque odorem ſuum producat, qui tibi patrique tuo placeat; meque faciat dignum, qui in eius conſpectu inueniam gratiam.

Serm. 1. de Natiuit.

Odorẽ ſuum, ſiue eius, ſcilicet ſponſi.

2. IN conſpectu eiuſdem ſupremi Regis, nardus charitatis vſitatum ſuum profert odorem, affectuum ſcilicet amantiſsimorum, ipſius Regis affectibus ſimilium, & iuxta exigentiam diſpoſitionemque illum aſpicientis. Nam, ſi diſpliceant tibi peccata tua, profert affectus amabilis contritionis, cùm videt quo ſenſu idem Dominus afficiatur propter illa, quidque agat, patiaturque, vt remedium illis afferat. Debes autem exemplo Magdalenæ, procidere ad pedes eius, cum fragranti hoc nardi b *vnguento* vt eos *vngas*, dolenter tuos affectus cum ipſius affectibus coniungendo, veniamque & remedium tuorum peccatorum petendo. Quod ſi reſpires, ſpe iam obtentæ veniæ, proferet eadem Nardus gratitudinis & laudis affectus: & cum eadem Magdalena, accipies animum, c *caput eius vngendi,* coniungendo feruentia tua deſideria ſublimis perfectionis, cum præclariſsimis operibus, quæ ipſe fecit: vt tanquam myſticum membrum capiti tuo coniunctum, influentias accipias æternæ vitæ. Qui enim fieri poteſt, vt nardus charitatis non producat amorem valdè inflammatum, ſi eſt propè ignem infinitum amoris, in ipſius pectore ardentis? ô homo (ait S. Aug.) *ſi amare pigebat, ſaltem redamare non pigeat* eum, qui te amando præuenit: ac proinde amore ſuo infinito obſtringit te, vt tuum illi reddas, qui adeò eſt limitatus. O amator infinitè, vellem te amare ſicut me amas, vt amoris mei deſiderium ita ſatiarem: ſed ego meum amorem cum tuo coniungo, vt tuus accendat & perficiat meum; contrahar ego ac diſſoluar in meipſo, vt totus tibi coniunctus fragrantiorem odorem, feruentioremque amorem producam. Amen.

Odorem ſuum ſibi proprium.

b *Luc. 7. 38.*
b *Ioan. 12. 3.*

c *Matt. 26. 7*
c *Marc. 14. 3*

Lib de Catech rudib. c. 4.

3. IN hunc modum deduces in praxim reliquas virtutes, attendens, vt actus & exercitia tua, ſint ſtatui tuo accommodata; proprium tuum odorem non alienum producendo. In conſpectu enim ſupremi huius regis nardus tyronis ac perfecti; prælati & ſubditi; religioſi huius reſgionis, & alterius

Rom. 13. 14 Galat. 3. 27. producere debet odorem, quē eius status postulat. Et propterea fortè Apost. dixit: *induimini Dominum Iesum Christum.* significans quod sicut vestimentum debet mensuræ nostræ accommodari, vt nec sit laxius, nec angustius, aut nimis longum; ita induere debeamus virtutes, affectus & opera Iesu Christi, iuxta nostræ necessitatis & capacitatis mensuram. desiderium enim progredi potest, quousque volueris, & extendi vsque ad id quod Saluator tuus fecit & perpessus est: at proposita, quæ statim debent executioni mandari, non vltra debent extendi, quàm tibi competant.

4. NOTA. Quatuor puncta. CVM igitur ad orationem accedis, cogita, te accedere, vt ipsum Iesum Christum induas & imiteris in ea figura quam refert mysterium, quod meditaris. & in eius præsentia constitutus quatuor hęc exerceas. Cogita primū, quantum ille te amet: audi deinde verba, quæ ad te loquitur; aspice præterea opera, quæ pro te facit; ac denique stude in te sentire labores, quos pro te patitur. & hæc omnia induere procura, amando scilicet illum sicut te amat; obediendo iis quæ iubet, & offerendo te ad ipsum imitandum in eo quod facit, & patitur; in eo gradu & perfectione, quæ tibi dabitur: cuius praxim in sequentibus capitibus ponemus.

CAPVT XIII.

DE COGNITIONIS CHRISTI DOMINI, QVOAD ea, quæ in primo suo in mundum ingressu gessit: tàm occultè in ipsa conceptione, quàm apertè in Natiuitate.



CVM adeò sint multa in Christi D.N. vita, eiusque mysteriis legenda, ac meditanda, de quibus prolixè actum est in libro Meditationum; nunc aliqua tantum addam de initio ac fine diuini huius libri. ex quibus facilè cognoscerentur, quæ in medio eius sunt scripta. Nam ipse Christus D.N. tam in ingressu suo in hunc mundum, quàm in exitu ab eo, singulariter voluit excellere. In ingressu quidem, vt nos felix quoddam nostræ vitæ principium doceret: quod ex vsu nobis esset, ad totam postea feliciter transigendam, iuxta illud: *dimidium facti qui bene cœpit habet.* Si itaque feliciter cupis ad Christianam religionem accedere, aut ad vitam religiosam, aut insignem aliquam vitæ mutationem facere: inchoandum tibi est, sicut Christus D.N. vitam suam inchoauit: vt *primus religionis introitus* (vt ait S. Cyprianus) *sit sicut in mundum Christi ingressus:* qui exemplar esse debet, quod in vita nostra imitemur. Sed magis adhuc singu- (Serm. de Natiuit.)

lariter in exitu ex hac vita excelluit: quia a *in finem dilexit suos*, maiora eis præbens amoris indicia in fine quam dedisset in principio; vt intelligerent, in hoc etiam debere ipsum imitari, multò amplius in vitæ sanctitate crescẽtes, cùm ad eius finem accedunt, supplices ipsum Deum(vt ait Dauid) orantes, vt singulari cura b *introitum & exitum* ipsorum *custodiat*, in quo integra & consummata perfectio est delineata. a *Ioan. 13. 1* b *Psal. 120. 8*

QVOD ad primum attinet: in ipso Christi Domini nostri aduentu duplicem ingressum licet considerare. alterum occultum in incarnatione & conceptione, quando cœpit esse homo, ingressus in vterum sacratissimæ Virginis: alterum palam & manifestè in sua Natiuitate, cum in specu Bethleemitica nascens ingressus est in mundum, vt ab hominibus c *in terris videretur, & cum hominibus conuersaretur*. In primo cœpit vita contemplatiua & vnitiua, & interior atque recollecta; in secundo cœpit actiua, & exterior, quæ ostenditur in vsu rerum externarum, & conuersatione cum proximis, licet altera alteram semper sit comitata: & in medio vtriusque & in earum coniunctione agnoscemus admirandas eius virtutes, vt eas imitemur. c *Baruc. 3. 38*

§. I.

Quatuor virtutes exercuisse Christum Dominum nostrum in sanctissimo Matris vtero.

IN primo introitu, coniunxit hic Dominus perfecti a *viri* exercitia, cum corpore infantis paruuli; in quo excellentissimas tres virtutes exercuit, quas commemorat Propheta Ieremias, cum dicit, b *bonum est viro, cum portauerit iugum ab adolescentia sua: sedebit solitarius & tacebit, quia leuauit super se.* Quis est, qui per excellentiam VIRI nomen mereatur, nisi Christus Seruator noster? qui elegit, vt fieret homo, & ingrederetur per gressus ætatis, sicut cæteri homines: vt coniungeret viri præstantiam, cum vilitate infantis: & stupendo quodam, nouoque modo, à primo suæ conceptionis instanti, cœpit esse vir, & portare iugum Domini: sedens per nouem menses in solitudine ventris vnius fœminæ; tacens in summo silentio, & se eleuans in immensam magnitudinem super se: vt hoc suo exemplo te doceret, qua ratione sit tibi inchoanda vita à primo instanti vsus rationis. quod si iam hoc præteriit, optes verò nunc recens illam inchoare, vt videas quale principium accepturus sis à iuuentute tua, aut ab hac ipsa ætate, in qua nunc es, & quam cupis feruenter inchoare. a *Iere 31 22* b *Thren. 3. 27.*

PRIMVM in primo illo aditu suo in mundum, obtulit se generosè, ad portandum iugum perfectissimæ obedientiæ, & subiectionis, voluntati æterni sui Patris, sanctę eius legi, & iis omnibus, quæ ille de ipso constituere 1. *Bonum est viro, cùm portauerit*

vellet,

vellet; siue vt ageret, siue vt pateretur in progressu vitę suæ, vt mirificè perpendit Apost. ex iis quæ Dauid in persona huius Domini dixerat: quod c *ingrediens mundum* æterno suo Patri *dixerit: Ecce venio vt impleam, quod in capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam,* Deus meus, eandem & ego volo, eamque & *legem tuam in medio cordis mei* colloco. legerat sanctissimus hic Saluator in primo illo instanti, & exactè intellexerat quicquid de se in sacra Scriptura prædictum erat, præcipuè præcepta & consilia omnia, ad perfectionem spectantia; & quicquid dicturus ipse esset, facturus, atque perpessurus: & multa præterea, quæ Pater æternus in æternæ suæ prædestinationis libro, de ipso scripta habebat in cuius initio scripta illa erant, eò quòd ipse caput esset prædestinatorum. Et quamuis inter ea essent plurima horrenda, & quæ dolorem & ignominiam afferrent, omnia tamen ipse summo amore complexus est, & in medio cordis sui collocauit, tanquam res pretiosas sibique charissimas: seipsum offerens ad ea exequenda, nec iota aut apice vno prætermisso. O altissima obedientia, resignatio perfectissima, & flagrantissima charitas? quæ talem obedientiam produxit tanta velocitate, vt neque ad instans fuerit cunctata; cum tanta integritate, vt nec apicem prætermiserit; cum tanta hilaritate, vt in medio sui cordis collocauerit; & cum tanta perseuerantia, vt numquam defecerit, aut aliquid in ea relaxauerit: donec in hora mortis aduertens vnicum adhuc sibi deesse eorum, quę in hoc libro legerat, d *vt illa scriptura impleretur: dixit: Sitio, & cum* oblatum *acetum accepisset, dixit: Consummatum est,* & impletum quicquid de me scriptum erat in libro Patris mei. & ego adimpleui, quicquid in meæ conceptionis instanti obtuli me impleturum. Gratias tibi Saluator dulcissime, ob generosam voluntatem, qua te obtulisti ad graue hoc iugum portandum, concède mihi, vt ex nunc ego meam voluntatem tuæ subijciam, e *tuumque iugum* tanto amore *tollam,* eo quod sit tuum, & iudicem esse *leue.* Disce, ô anima mea, legere cum Seruatore tuo, quod scriptum est tibi in libro legis eius, ideo siquidem est scriptum, vt tu exequaris: forti itaque animo dic ei: *ecce venio,* paratus vt impleam quicquid iubes. voluntas tua erit mea, & in medio cordis mei integra semper erit.

[margin: ...ughm ab dolescentia sua. c Heb. 10. 5. Psal. 39. 7. d Ioan. 19. 28. e Mat. 11. 30]

4. *Sedebit solitarius & tacebit.* Vitæ contemplatiuę forma.

HAC oblatione peracta, secundo loco amplexus est idem Saluator in eodem instanti solitudinem, & silentium, quod elegerat pro primo suo in mundum ingressu: quamuis enim perfecti viri corpus sumere potuisset, sicut creauit Adamum in paradiso: voluit tamen incipere ab statu & ætate infantis, quò se solitudini, silentio, & angustiis obstringeret, quæ in ventre matris tolerantur: mansit enim in carcere illo cum generali quadam mortificatione rerum omnium, quæ possunt in hoc mundo sensus recreare: ex tunc incipiens offerre sacrificium suiipsius, cum voluntaria rerum omnium visibilium ac delectabilium huius mundi abnegatione. Et quamuis infantes

reliqui

reliqui hæc non ſentiant, quia vſu rationis carent: nec ſciunt, in quo ſint loco: at benigniſsimus hic infans, vtpotè qui vir eſſet, nouerat omnia, ſentiebat, amplectebatur, & eis omnibus delectabatur: hoc exemplo docens eos, qui ſunt in publicum exituri, ad conuerſandum cum hominibus, quantum illorum referat, per aliquod tempus, in ſecreto & ſolitudine agere cum Deo: in eum enim finem receſsit ipſe poſtea in deſertum; in quo per dies quadraginta manſit, priuſquam ad prædicandum in publicum prodiret.

Sed quoniam parum prodeſt corporis ſolitudo & ſilentium, niſi ſocium habeat ſolitudinem Spiritus. hanc maiori voluptate in illo inſtanti amplexus eſt. Solitudo ſpiritus eſt cùm abſunt imagines, cogitationes, & affectiones creaturarum, quæ occupantes & conturbantes cor, conuerſationem impediant & vnitionem cum Deo. Silentium vero ſpiritus eſt, quando is non ſe occupat cum his creaturis, nec interius cum illis loquitur, ſed cum ſolo Deo, cum quo totam ſuam conuerſationem habet. & hæc ſancta ſolitudo & ſilentium, fuit ſemper ipſi Chriſto Domino familiare, quamuis eſſet in medio plurimorum: ipſe enim de ſe dixit, ſe, quamuis f *deſcendiſſet de cælo*, ſemper tamen *in cælo eſſe*; ſpiritus enim eius erat ipſius cœlum, in quo ipſe latebat, contemplans ac videns Deum. f *Ioan.* 3.13.

3. *Leuauit ſe ſuper ſe.*

Et ex tunc cœpit ſeipſum eleuare ſupra ſe, per ſublimia orationis & cõtemplationis exercitia. cùm enim ſe in eodem inſtanti videret eleuatum ad infinitam dignitatem filij Dei, propter hypoſtaticam vnionem; eleuauit quoq; ſe ſuper omnes Cherubinos, & Seraphinos, ad ſupremam cum Deo coniunctionem per cognitionem, amorem & fruitionem. in eo enim inſtanti diuinam vidit eſſentiam, in qua tanquam in libro clariſsimè legit omnia præterita, præſentia, & futura per totam æternitatem. Videnſq; bonitatem illam infinitam, amplexus eſt eam brachiis charitatis, ſummiq; amoris, exultans quod eam ſummo gaudio poſsideret. Tunc oẽs affectus produxit orationis, qui poſsibiles erant, nunc laudando & glorificando Deum, ob infinitas quas in eo videbat excellentias; nũc immenſas gratias agẽdo, ob immenſa in ſe collata beneficia: nunc adorando petendoq; diuinæ ipſius gloriæ dilatationem per totum vniuerſum; nouoſq; fauores pro ſuis fratribus hominibus; & hoc modo inchoatam orationem continuauit per omnes ſuæ mortalitatis dies g *cum valido* (vt ait Apoſtolus) *clamore & lacrymis*, conuertens ventrem matris ſuæ in oratorium, multò exactius, quam h *Ionas* conuerterit *ventrem* Ceti. O Saluator dulciſsime, qui in ipſo ventre matris aſcẽdiſti i *ad montem myrrhæ, & ad collem thuris*, coniungens tam ſublimem mortificationem ſublimi adeò orationi, doce me ædificare in ſpiritu meo domũ ſolitudinis, vbi taceam, & orem in abſcondito, & meipſum eleuem ſupra me, tecumq; ſummo bono meo coniungam in æternum. Amen.

g *Heb.* 5.7
h *Ioan.* 2. 2.
i *Cant.* 4. 6

4. CVM his tribus virtutibus coniunxit hic Dominus quartam, tanquam earum fructum, zelum videlicet ardentissimum salutis animarum, qui ab eo momento cœpit comedere eius viscera, & impellere ad eas iuuandas orationibus & oblationibus, quas pro eis offerebat. nam statim cœpit exequi, quod licebat; magna beneficia sanctissimæ suæ Matri conferendo, & suauissimas inspirationes communicando: per quam voluit etiam præcursorem suum Ioannem sanctificare, & Spiritu S. replere, magnisque fauoribus prosequi; vt contemplatiui intelligant, sic se debere supra se eleuare, quò vacent Deo, vt proximos suos non negligant; sed quomodo possint à seipsis rebusque propriis exire, vt res fratrum suorum iuuent orationibus & gemitibus aut per alios, qui ad id talentum habeant: zelo & oratione sua illos comitando, sicut postea dicemus.

IN quatuor his virtutibus imitandus tibi est Saluator, si vis ad vitę contemplatiuæ culmen ascendere, ingressus tanquam in oratorium, in ventrem alterius matris, quæ te omninò solum, recollectum, beneque animatum habebit. Et quænam hæc mater est, nisi Dominus ille, *qui* vt per quendam Prophetam suum dixit, k *portat nos in vtero suo, & gestabit in vulua,* quamdiu vita superer it? Ingredere intra ipsam diuinitatem, quæ te ex omni parte circumstat, sicut mater in ventre suo circumdat infantem, & l *absconditus ibi cum Christo*, ora simul cum illo, tanquam exemplar tuæ orationis, Magistrũ, & adiutorem accipiens. O cœlestis Magister, qui m *pernoctabas in oratione Dei,* & in ipso mundi aditu prolixam habuisti noctem nouem mensium, quam consumpsisti orando in obscuro & tenebroso Matris tuæ ventre, doce me orare oratione Dei, qua ingrediar ipsummet Deum, loquarque cum illo seorsim, ita vt non me creaturæ turbent.

k Isa. 46. 3.

l Coloss. 3. 3.

m Luc. 6. 12.

§. 2.

De quatuor aliis virtutibus, quas Christus D. N. in sua Natiuitate exercuit.

IN VISIBILI ingressu nostri Saluatoris in mundum, cùm scilicet in specu Bethleemitica natus est, ostendit excellentissimum spiritus feruorem, tanquam iaciens totius Euangelicæ perfectionis solida fundamenta. Quamobrem de eo scriptum est: a *Deus ab Austro veniet, & Sanctus de monte Pharan,* vt enim S. Gregorius aduertit, ab eo loco venit Deus, vbi se manifestat: sicut manifestauit in Bethleem, quæ est ad partem venti austri, & ad meridiem respectu Ierusalem. inde enim venit, operante eius aduentum virtute Spiritus Sancti per austrum significati; & obumbrante virginem, quæ ipsum concepit, figuratam per montem Pharan siue vmbrosum. Sed in hoc ipso loco manifestauit etiam se ipse Christus Dominus noster in o-

a Habac. 3. 3. LXX verterunt, *de monte vmbroso & condenso.* Lib. 31. Mor. c. 18.

peribus perfectissimi feruoris, sicut lux & ardor meridiei, ex inspiratione diuini Spiritus, illum ad ea inducentis, licet in specie, vmbrosa apparerent, ac despecta: eo quod miro modo supremam suam internam excellentiam contegeret infima illa externa vilitate, in quatuor rebus pœnalibus quæ maiestati eius nihil nocerent: in paupertate scilicet, opprobriis, doloribus, & laboribus; quibusdam eorum à suis inimicis illatis, aliis propria sua electione in hominum vtilitatē susceptis, licet omnibus valdè volūtariis. quorum omnium meminit ipse Dominus, per os Dauidis dicens: n *pauper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea* educatus; *exaltatus autem* cum essem, *humiliatus sum & conturbatus.* Omnino in sua iuuentute cœpit hos labores sentire, qui statim in sua Natiuitate, eis dedit initium: super has quatuor pœnalitates, tanquam super proprias bases erigens quatuor virtutes, quę veluti columnæ sunt Euangelicæ perfectionis. n Psal. 87. 16.

PRIMVM enim tunc exercuit heroicam valde PAVPERTATEM SPIRITVS, etiam cum exspoliatione rerum omnium terrenarū: siquidem, vt in mundum nascendo prodiret, deserere voluit domum & cómoditates, quas in Nazareth habuisset; & ea occasione in Bethlehem se cōtulit, vt cogeretur tanquam pauper hospitium mendicare; quo in ciuitate non inuento, pauperrimum & abiectissimum elegit vile scilicet stabulum, vbi pro lecto præsepium habuit. Paupertati coniunxit 1. Pauper sum ego.

Cordis HVMILITATEM sororem eius, eligens contemptus eosq; amplectens: neque solum elegit locum vltimum & abiectissimū ad nascendū, vt scilicet inter animalia natus collocaretur; sed adiecit quoque, vt octauo die circumcideretur; quod signum erat proprium peccatorum. neq; enim satis sibi esse existimauit, quod se ad formam hominis sumendā demisisset, nisi etiam ad imaginem peccatoris suscipiendam progrederetur. quamobrē etsi exaltatus fuit honore, quem illi Angeli detulerunt; & postea etiam Magi: mox tamen honorem illum secutus est contemptus, vt humiliatio eminentior appareret, quæ post exaltationem sequeretur. 2. Humiliatus sum. Exaltatus autem humiliatus.

DVABVS his sororibus, tertiam coniunxit heroicam PATIENTIAM in doloribus. incipiens statim eos delibare, tum ob seueritatem temporis, in quo natus est: quia sponte elegit in hyeme nasci, vt frigoris rigorem experiretur: tum ob cultrum circumcisionis, qui delicatam carnem abscidit, effuso pretioso sanguine, quo nostræ redemptioni principium daret, oblato eius pretio. Intra paucos etiam dies, persequentem Herodem coactus est fugere per loca deserta, in AEgyptum, vt maioribus ibi laboribus exerceretur. 3. In laboribus à Iuuētute mea.

HIS accessit quarta virtus, quæ reliquas supra modum exaltat, ingens inquam FERVOR SPIRITVS, ab incensa eius charitate, zeloq́ue diuinæ gloriæ, & salutis animarum proueniens, pro quibus has omnes pœnalitates 4.

subibat, remedij nostri, consolationis, & exempli causa proponens eas nobis pro argumento meditationis & imitationis, vt hic dicere nobis liceat cum sponsa c *fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur*.

Cant. 1. 13

COGITA itaque, dilectum tuum esse tanquam arborem myrrhæ, quā per suos poros distillat. cuius cortex, si pungatur & findatur, ea fluit abundantius. Nam tota eius vita, non aliud fuit, quàm continua quædam paupertatis, contemptus, doloris, & laboris exercitatio, quas pœnalitates ingenti amore distillabat, siue eas propria electione subiret; siue acceptaret, quas hostes illi inferebant, & pungentes duriterque tractantes in persona, fortunis, honore & vita. Ad sanctissimam hanc arborem est tibi accedendum, vt horrendas eius amaritudines meditando perpendas, colligasq; aliquam earum in tua memoria, vt eas diutius inspicere possis, ponens illas, (vt ait Sanctus Bernardus) non retro in dorso, sed in pectore: vt tua consideratio sit continua, & amabilis, cum duplici tenero affectu: altero commiserationis, altero gratitudinis. condolendo scilicet ob ea, quæ pro te passus est; simulque eum laudando, immensasque gratias agendo, quod talia pati pro te voluerit. Verum his non contentus, colliges quoque tibi (vt S. Gregorius suadet) fasciculum alium mortificationum, & virtutum illius virtutibus similium: optans ex toto corde imitari ipsius nuditatem, despectum, laborem, & dolorem: vt occasionem accipias exercendi eius paupertatem, & humilitatem; eius patientiam & feruentem zelum, ligando hunc fasciculum affectu amoris & charitatis, d *quod est vinculum perfectionis*. Sic enim fiet, vt quamuis plurimum myrrhæ colligas, non sit tibi sarcina grauis, sed leuissimus fasciculus: quia charitas reddit illum suauem; carnisque amaritudinem conuertit in Spiritus dulcedinem. Quando enim non erit tibi fasciculus, quod pro te patitur, ipsemet Deus, factus tui causa infans? Quomodo non pones ante pectus tuum, quod ipse ante suum posuit? Quomodò obliuioni trades, & in dorso tuo pones, quod ipse semper coram oculis suis habuit? Ne itaque vnam tantum aliquam virtutem colligas; sed fac ex omnibus fasciculum. vna enim sola grauis esset: omnium verò coniunctio erit leuamen. Nam humilitas suauem facit paupertatem; patientia iucunda est cum charitate; & ipsa charitas dulcorat humilitatem, & vnius virtutis difficultas alterius societate superatur; omnesque cohærent optimè cum societate dilecti, qui se illis exornauit. O dilecte cordis mei, ex hoc eris mihi fasciculus fragrantis myrrhæ. si enim te amo quicquid in te videro, erit mihi dulce ac iucundum; odor, quem illud habet, eò quòd in te fuerit, confortabit me, & animabit, vt delecter, si semper mecum illud habeam. Diligam te ego sicut tu me dilexisti: & statim dulce erit pro te pati, quod pro me tu sustinuisti.

[Ser. 43. in Cant.] [11. c. Cant.] [Colos. 3. 14]

HINC

HINC consideratione progredieris ad ea, quæ idem Dominus deseruit, & quibus vt quatuor has pænalitates indueret, renunciauit. perpendendum enim est tibi. Si supremus tuus Redemptor in mundum intrare voluisset, vestitus & ornatus iuxta statum & dignitatem suam; ex Iustitia illi debebatur splendidissima vestis quatuor gloriæ dotium: erat enim beatus, quoad animam suam: omnes verò beati habent corpus gloriosis dotibus ornatum, quas vulgò appellamus claritatem, Impatibilitatem, Subtilitatem, & Agilitatem. Sed hic Dominus, quò e *aptum corpus* assumeret, quod sacrificari pro nobis posset, pretiosæ huic vesti renunciauit; induit verò aliam intextam, siue ex quatuor partibus compositam, quas possemus appellare quatuor dotes miseriæ & pænalitates. pro dote enim claritatis, induit se ignominia; pro impatibilitate, doloribus; pro subtilitate, paupertatis oneribus; & pro agilitate, laboribus ac defatigationibus: & hoc ornamento vestitus ingressus est hunc mundum visibilem, reponens pretiosam illam vestem, donec ingrederetur ad possesionem capiendam regni Patris sui. Et quamuis f *in monte Thabor*, eam induit, solum id fuit, vt quomodo sibi quadraret, experiretur; carnemq; suam animaret ad tormenta passionis sustinenda, spe recipiendi postea vestem illam gloriæ integram, valdeq; perfectam per totam æternitatem, quam propterea statim exuit, vt g *excessum* impleret *in Ierusalem*, de quo *cum Moyse & Elia loquebatur*: qui excessus erat in paupertate, opprobrijs, doloribus & laboribus, amoris excessu toleratis. In his enim omnibus rebus voluit dulcissimus noster Iesus excellere, si ita loqui licet, nimius esse; laborans & patiens pro nobis multò amplius, quàm pro nostra reparatione esset necessarium: nimio amore ipsum extra se deducente: ad quem spectat huiusmodi excessus facere. Aspice igitur verum hunc Iosephum, cum *tunica polimita* variorum colorum, quæ ad pedes vsq; descendebat, quam fecit illi pater infantulo, quatuor prædictarum pænalitatum varietate intertextam, quæ vt proprio ipsius sanguine tingeretur, iuuit fratrum eius inuidia. Attende item, quod quamuis eam infans induerit, & ad propriam mensuram formamq; tunc accommodauerit; vt tamen ipse ætate crescebat, ita etiam creuit ipsa vestis in varietate laborum vsq; ad summum. Nam etsi totâ vitâ valde pauper vixit, i *non habens vbi caput suum reclinaret*, k *saturatus opprobriis*, l vt *vir esset dolorum*, multisq; laboribus lassatus, portans semper iugum quatuor harum pænalitatum, continuò hanc crucem baiulans, calicemq; hunc amarissimum bibens, & horrendo *hoc baptismo baptizatus*. In morte tamen seipsum superauit, & ea, quæ tota vita passus fuerat: volente ipsius Charitate, dilatare, quantum poterat & expediebat, rigorem harum pænalitatum, donec eis submersus moreretur, offerente summo hoc n *Sacerdote, veste hac* quatuor his colorib. texta induto, suiipsius sacrificium pro nostris peccatis.

Quatuor rebus Christus renunciauit.

e *Heb.* 10. 5.

f *Matth.* 17. 2.

g *Luc.* 9. 31.

Gen. 37. 3.

i *Luc.* 1. 58.

k *Thre.* 3. 30

l *Isa.* 53. 3.

m *Marc.* 10. 38.

n *Exod.* 28. 4.

1\. REQVIRE humiliter ab ipso causam, cur huiusmodi vestem in sua natiuitate, totâ vitâ ac morte induerit; audiesq; respondentem se id fecisse, vt filios huius sæculi confunderet, induentes vestẽ hominis veteris, quatuor mũdanæ gloriæ dotib. textam: quæ sunt *diuitiæ, honores, voluptates, & solatia*; fundantes in eis *cupiditatem, superbiam, carnalitatem, & vitæ otiositatem* hostes salutis eorum æternæ. O magister supreme, ex hoc nunc renuncio huic veteris hominis indumento, quod tu tantopere horruisti; o *induam*, verò vestem *hominis noui*, quam tu adeo amasti. Paupertatem tuam omnib. mundi thesauris præfero; pluris tuas facio ignominias, quàm oẽs mundi honores. malo dolorum ac laborum tuorum particeps esse, quàm delectationum & solatiorum, quæ pereunt. Seruetur vestis cum dotib. gloriæ in alteram vitã: mihi in hac peregrinatione gloriosum erit, illã induere quam tu induisti.

o Coloss. 3.

2\. HIC præcipuus est affectus, & præcipuum propositum, quod ex hac consideratione colligere debeas: persuadens tibi, quod, si obtinere velis patris tui cœlestis benedictionem, oporteat exuere te, sicut alter p *Iacob*, consuetis vestibus, quib. terrenum Adamũ imitabaris; induere verò pretiosiores fratris tui Christi Iesu, pænalitates complectens, quæ in Charitate cum ipsius pænalitatib. coniungantur. Et tunc odor huius vestimenti prouocabit æternum Patrem, vt cœlestib. te benedictionib. in hac & in futura vita repleat. Nam pro paupertate tibi dabit diuitias suæ gratiæ; pro opprobrijs, magnos fauores exhibebit; pro doloribus, immensa solatia; & pro laboribus gaudia ineffabilia.

p Gen. 27. 5.

3\. MEMENTO, milites, qui Christum crucifixerunt, q *diuisisse sibi vestimenta eius in quatuor partes*. vt vnicuiq; pars vna contingeret: sorte vero obtigit vni *tunica* eius *inconsutilis, desuper contexta per totum*; ad significandam hæreditatem, quam Christus Dominus suis militibus relinquit, distribuens illis hanc vestem quatuor harum partium. Quibusdam enim partẽ tribuit paupertatis, alijs partem contemptuum; his dat partem dolorum & infirmitatum: illis laborum ac defatigationum in suis officijs & ministerijs: sed alijs tamen feliciori sorte, dat tunicam inconsutilem, desuper contextam per totum; varietate scil. quatuor harum pænalitatum: vt exerceantur in illis ab initio vsq; ad finem vitæ: ipsi verò magna alacritate easdem amplectuntur eius amore, qui prius eas induerat. Beati qui felicẽ adeo sortem acceperunt, quæ illis r *cecidit in præclaris*. Nam etsi viles sint in oculis mundi, pretiosæ tamen sunt & præclaræ in oculis Christi: propterea enim illas ipse induit. O Redemptor dulcissime, in cuius manibus sortes meæ, nullas volo meliores quàm tuas imitari pænalitates, quas suscepisti; & virtutes, quas in eis exercuisti: certus sum enim, si hanc s *vestem habuero*, me non excludendum à *Nuptiis*; sed admittendum ad eas, vt regnem gaudeamq; tecum in æternum. Amen.

q Ioan. 19. 2.


r Psal. 15. 6.

s Matt. 22. 11.

CAPVT

CAPVT XIV.

DE LECTIONE ET MEDITATIONE IN LIBRO Iesu Christi crucifixi, & octo præstantissimis proprietatibus diuini amoris vnitiui, quæ in eo eluxerunt.



LIBER compendiosissimus, maximè sublimis, & efficax ad mysticam Spiritus scientiam, est Iesus Christus crucifixus, apertus, & extensus in cruce; vt legi posit ac intelligi ab omnibus, qui ad id oculos habent, quod apertè nobis significauit S. ille Apostolus, qui etsi raptus ad tertium cælum, viderit arcana Dei, volens tamen cum hominibus loqui, dixit: a ***non iudicaui me scire aliquid inter vos, nisi Iesum, & hunc crucifixum.*** quasi diceret: omnia arcana, quæ mihi fuerunt reuelata, compendio continentur in Christo Iesu crucifixo: & qui nouit quod in abbreuiato hoc diuino libro continetur, nihil superest illi sciendum, vt sit perfectè sapiens. Quamobrem quicquid cogito, quicquid prædico, & scribo, non aliud est, quam Christus crucifixus. Hic esse debet liber, in quo semper studeatis, cogitetis, ac meditemini: de eo vobis est loquendum, agendumq; de eo est vobis gloriandum; quodcunq; in eo videritis, imitandum; ille (sicut ait Iob) b ***circundandus quasi corona capiti*** vestro, & ***pronuncianda per singulos vestros gressus***, & operum vestrorum exercitia, virtutes quæ in eo sunt scriptæ, ***& quasi principi*** Regiq; cœlesti ***offerendus***, tanquam titulus & causa, ob quam suis vos gratijs & misericordijs repleat. Nullus excusare se potest ab huius libri lectione. Nam (vt ait S. Laurent. Iustinianus) sapientes & simplices multa in eo habent, quæ legere posint, capacitati suæ accommodata. Simplices aspiciendo quod c ***est exterius scriptum***; sapientes penetrando ad id ***quod intus est scriptum.*** exterius scriptus est litteris horrendorum dolorum & cruciatuum; intus literis insignium gratiarum ac virtutum: exterius scriptus est manu carnificum & satellitum; intus digito ipsius Dei, qui suis donis illum repleuit. Flagella spinæ, & claui instrumenta fuerunt literarum, quæ exterius apparent; sed facultates & virtutes sanctissimæ eius animæ fuerunt instrumenta heroicarum literarum, quæ interius elucent: &, vt dixit Ezechiel Propheta, in eo tria præcipuè sunt scripta d ***lamentationes, carmen & væ.*** in eo enim manifestantur efficacissima motiua ad nostra peccata deflenda; & ad ipsum Deum, ob immensa eius beneficia laudandum: ac deniq; ad horrenda eius supplicia pertimescenda.

a *1. Cor. 2. 2.*

b *Iob. 31. 36.*

Supra c 9. ex S. Greg. lib. 20. Mor. c. 14. Lib. de triumph. agon. Christi c 20.

c *Apoc. 5. 1.*

c *Ezech. 2. 9.*

d *Ezech. 2.*

§. 1.

Praxis Meditationis ex his tribus motiuis.

1. PRIMVM ergo legendi sunt tibi planctus & lamentationes in hoc libro scriptæ: vt perpendas cruciatus, & dolores omnes Saluatoris, tam interiores, qui in eius anima sunt scripti: quàm exteriores, qui in corpore; vt excitentur tibi lacrymæ, videnti, quæ absq; vlla culpa patitur innocentissimus hic agnus, qui venit, vt peccata mundi tolleret. Attende quo pacto hic Dominus in horto Gethsemani voluerit initium dare huic dolorum scripturæ, ipsomet scribente non alio calamo, quam propria sua imaginatione, in qua ad viuum depinxit dolores omnes, ignominias, atq; labores, qui ipsum manebant, ita vt statim magna vehementiâ produci cœperint affectus tristitiæ, timoris, tædij, pauoris & agoniæ, adeò vt sanctissima eius anima transfigurata & transformata fuerit in dolorosam imaginem, quam erat habiturus in totius passionis decursu. Quo verò hi characteres interni legi possent, voluit eorum externa quædam indicia dare, erumpentem scilicet per corporis poros sanguineum sudorem, terribilem adeo, ac tremendum, vt satis ostenderet immensam amaritudinem afflicti cordis, ex quo procedebat. Quod si sola repræsentatio characterum describendorum cum funibus, flagellis, spinis, & clauis, tantum sensum huic Domino attulit, vt sanguineas lacrymas per omnes corporis poros exprimeret, quem postea sensum eidem attulerint ijdem funes quibus delicata eius brachia crudeliter ligabantur; flagella, quæ totum eius dorsum sulcabant; spinæ, quæ cerebrum penetrabant; & claui, qui manus & pedes transfigebant? & quem sensum par est, vt efficiat in corde tuo, horum omnium memoria? Quomodo poteris lamentationes huius libri legere, quin lacrymarum fontes ex tuis oculis dimittas, flens cum flente, cuius fletus tu sis causa præcipua.

2. MVLTO autem amplius hæc senties, si benè perpendas, quid hi characteres significent; hæc inquam Domini tui vulnera & tormenta. omnia enim tibi significant culpæ grauitatem, ad cuius satisfactionem, terribilem adeo pœnam destinauit; multitudinem & varietatem nostrorum peccatorum, pro quorum remedio tot tamq; varios subijt cruciatus; inuentiones detestandas peccatorum ingratorum, ad quorum curationem direxit inaudita dolorum & contemptuum remedia. Legens itaq; ac meditans, quid Saluator tuus, pro alienorum peccatorum satisfactione sit perpessus, simul quoq; intelliges pænitentiæ ac mortificationis remedia, quæ debeas adhibere, vt te purges à peccatis proprijs. *Corona* spinarum capiti infixa planctum significat, quem pro tuis superbijs facere; & constantiam, qua illas mortificare debeas. *Fel* & *acetum* te docent, quomodo vincas gulam

& hel-

& helluationes tuas;totius corporis eius *nuditas*, est rerum omnium renunciatio;pedum manuumq; *claui* in cruce, sunt carnis tuæ crucifixio cū vitijs & concupiscentiis eius; *lancea*, quæ latus eius aperuit,te docet cor tuum aperire,vt culpas tuas confitearis,desq; locum diuinis inspirationibus; fluens ex venis omnib. *sanguis*,monet te resistentiæ quam peccato debeas adhibere, effundendo,si opus erit tuum sanguinem,vt illud nō admittas, sed repellas. Deniq;(vt ait S.Bernardus) consideratio tui remedij ostendit tibi magnitudinem tui periculi. Agnosce ô Christiane, quanta sint peccatorum vulnera, pro quibus fuit necesse, Dominum tuum tot pænis vulnerari. nisi illa lethalia fuissent,& quidem in æternum, nunquam Dei filius tam crudelem mortem sustinuisset, vt illis mederetur. *Ser. 3. de Natiuit.*

Qvod si hæc lectio necdum te conuicerit, perge porrò legendo minas & Vae in hoc libro scriptas: omnia.n.hæc vulnera, sunt characteres,qui significant suppliciorū atrocitatem,quæ diuina Iustitia aduersus eos præparauit,qui perseuerant in sua culpa. sicut idem Redemptor dixit filiabus Ierusalem: a *si in viridi ligno hac faciunt,in arido quid fiet?* si huius mundi peccata, talia supplicia operantur in arbore viridi ac fructuosa, qualia efficient in sicco & inutili ligno? Hæc enim temporalia supplicia,quæ pro alienis peccatis ego sustineo,leue quoddam vestigiū sunt æternorum,quæ vos manent propter peccata propria. In meis *spinis* legere licebit eas, quæ tuum spiritum horrendo remorsu pungent; in *siti* mea leges, quam tu sine vllo refrigerio sustinebis;sicut auarus ille & epulo diues; in mea *nuditate* tuam æternā confusionem;in *clauis* meis vincula pedum ac manuum tuarum,vt tibi libertas adimatur; tum ad bona opera præstanda, tum ad tormenta pro malefactis fugienda; In *vulnere* mei *lateris* morsum leges vermis æterni; in mea *tristitia,agonia*, & desertione cognosces hæc omnia, quæ tu patieris æterna,eò quod fructum capere neglexeris ex sanguine, quem pro te effudi:qui pro atramento est,quo lamentationes istæ omnes,minæq; describuntur:qui ita mouet ad planctum salutarem, vt peccatores pænitentes misericordiam consequantur; qui etiam vltionem petit contra rebelles, qui eius fructu vti nolunt. 3.

a *Luc 23. 31.*

Postqvam hæc omnia legeris,incipe etiā Cantica in eodem scripta legere,perpendens innumera motiua, quæ in eo inuenies ad laudandū & glorificandum Deum, ob accepta prius, & in posterum accipienda beneficia:quæ in ipso Christo crucifixo, ob oculos tibi proponuntur. omnia siquidem eius vulnera & afflictiones,sunt characteres,significantes infinitam Dei charitatem, misericordiam, ac liberalitatem; heroicam obedientiam, mansuetudinem,& patientiam Saluatoris; quantiq; faciat nostram salutem; valorem item & pretium inæstimabile thesaurorum gratiæ & gloriæ ipsius. In *corona* spinea, licebit legere quid valeat corona æternæ beatitudinis; in 4.

siti & nuditate, quanti facere debeas saturitatem, quam tibi promittit ex viua aqua gratiæ, & pulcritudine, quam dabit tibi cum præclara veste charitatis; in pedum, manuum, laterisq; *vulneribus* leges, quam firmiter Deus te scriptum habeat in manibus suis & in corde suo impressum, vt secum te vniat amore perpetuo, si tu volueris iucundam eam vnionem conseruare. Et quoniam hic liber non solum est legendus, sed & (vt ipse Ezechieli dixit) b *comedendus* ac deuorandus; aperi os tuum, & totum *comede* immittendo illũ vsq; ad Spiritum tuum, tecumq; per amorem vniendo, & te ipsum in eundem per imitationem transformando. Attende quod c *in ore tuo* futurus sit *dulcis sicut mel*; sed *ventrem tamen tuum faciet amaricari*; quia dulce quiddam est, ruminari & loqui de mysterijs in eo contentis; valde tamen est amarũ, eadem reipsa imitari: sed perseueranti in eo libro comedendo, dulcedo Meditationis reddet dulcem ipsam mortificationẽ & imitationem. O Saluator dulcissime, qui tantis tuis expensis scripsisti *lamentationes, carmen, & va* in tuo libro, doce me eo amoris Spiritu illa legere, quo tu scripsisti. plangam ego ex amore peccata mea; timeam ex amore supplicia tua; laudem quoq; te ex amore, ob tua beneficia; & ex eodem amore sperem suprema tua præmia; vt amando, & imitando, quod in te lego, perueniam ad fruendum eo, quod desidero.

b *Ezech* 3.1.

c *Apoc.* 10. 9.

SVMMAM eorum, quæ diximus, collegit S. Bonauentura, dicens: Christum D.N. passione sua aperuisse septem sigilla libri, quem S. Ioannes viderat obsignatum. aperuit. n. singulariter septem mysteria, quæ hominib. erant valde occulta; sapientiam sc. & admirabilem Dei perfectionem, valorẽ spiritus hominis, vanitatem rerum huius mundi, atrocitatem inferni, iucunditatem paradisi, horrorem culpæ, & virtutis præstantiã. ac propterea licebit dicere, Christum crucifixum esse retectionum librum. Nam oẽs deceptiones & errores in quib. homines circa septẽ illa patiuntur, in eo reteguntur. & tunc legeris, & vtiliter meditatus fueris, quod liber iste continet, cum septem prædictos fructus, aut eorum aliquos ex eo perceperis.

Opusc. de incendio amoris part. 3. Liber iste, ait, est vniuersalis rerũ omniũ notitia. *Apoc* 5. 1.

§. 2.

Quod amor similitudinem efficiat.

SED NECESSE nunc erit, magis in particulari explicare diuini, & vnitiui amoris proprietates & excellentias, ad quas lectio & manducatio huius libri, qui est Christus crucifixus, nos inuitat. quiq; ex ipsa cruce plus operibus, quam verbis illud nobis canticorum inculcat: a *pone me vt signaculum supra cor tuum, vt signaculum super brachium tuum: quia fortis est, vt mors dilectio: dura, sicut infernus, æmulatio lampades eius, lampades ignis atq; flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem: nec flumina obruent illã: si dederit homo omnem substantiã domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eã*, quib. verbis

a *Cant.* 8. 6.

per ſimilitudinem ſignaculi, mortis, ſepulturæ, inferni, ignis, flammarum, aquarum, & fluminum, declarat nobis Spiritus S. perfecti amoris proprietates.

HARVM prima eſt (vt ſuperius dicere cœpimus) efficere magnã ſimilitudinem & conformitatem in reb. omnib. interius & exterius, cum ipſo Domino, quem diligit: ponit. n. illum vt ſignaculum ſuper cor & brachium ſuum, ſicut ipſe eſt in cruce. Nam vbi magis ad viuũ figuram ille accepit ſigilli, quam in ſua paſsione, cum æternus Pater per lictores & carnifices eum cælauit? ſicut dixit per ſuum Prophetam b *ego cælabo ſculpturam eius:* excauãdo ſc. in eo magnas foſſas; infigendo in caput eius multas ſpinas; dorſum aperiendo multis flagellis, pedes eius & manus clauis; latus deniq; lancea perforando. c ***ponam. n. eum*** (ait per aliũ Prophetam) ***quaſi ſignaculum*** in pulcherrimo annulo ſculptum: quia ***eum elegi,*** vt ipſius imaginem omnib. meis electis imprimerem. Scimus ſigillum & rem ſigillatã eſſe ſimilia; & vnam eandẽq; figuram habere: quamuis hoc interſit; quod ſigilli figura, ſculpta ſit in auro, aut argento, aut lapide aliquo pretioſo; magnoq; artificio ac firmitate elaborata, quæ vt plurimum effecta eſt arte cælatoria, extrahendo videlicet partes aliquas ex ipſo auro, donec figura formetur: at in reipſa ſigillata figura eſt ceræ impreſſa, aut alteri alicui materiæ molli, quæ facilè deletur; nec ſemper aptè imprimitur, modò curua, modò non ſatis benè expreſſa; non culpa ſigilli, ſed applicantis illud malè, aut materiæ durioris vitio. Hoc igitur modo Chriſto crucifixo electi eius ſimiles eſſe debent in vita: eò quod æternus Pater d *eos prædeſtinauerit, conformes fieri imaginis filij ſui.* Sed hoc intereſt, quod in Chriſto D.N. qua ratione & ſimul homo & Deus, omnes virtutes ſint quaſi in auro aut lapide aliquo pretioſo exactiſsimè ac ſolidiſsimè ita cœlatæ, vt nec diminui nec obfuſcari aliquando poſsint. Et licet illas initio acceperit in hac perfectione, voluit nihilominus ſacratiſsimum corpus ſuum cœlari, ac perforari, quò virtutum, quæ in eius anima erant, pulchritudo manifeſtaretur. vt pulchrè dixit Sanctus Bernardus: ***patet***, inquit, ***arcanum cordis per foramina corporis; quid in vulnera per viſcera pateant:*** per ea enim manifeſtatur firmitas & præſtantia eius humilitatis, patientiæ, & obedientiæ; & viſcera clementię, miſericordiæ, & charitatis: ex quib. omnib. ſimul conficitur pfectiſsima imago, quæ iuſtis eſt imprimẽda. In quib. tamen imprimitur tanquã in cera, ex natura ſua corruptibili, & quę facilè amittit figuram acceptam, niſi idẽ Dominus, qui impreſsit, eã conſeruet. Sępè verò eas virtutes accipiũt cũ multis defectib & imperfectionib. nõ defectu ipſi⁹ ſigilli: quia nihil magis deſiderat ipſe Chriſtus, quàm nos videre pfectos: ſed culpa noſtra, & parua diſpoſitione. Nobis. n. incũbit, applicare cũ ipſius auxilio ſignaculum illud ſuper cor & brachiũ noſtrũ: conando videl. cõformare noſtras affectiones & actiones cũ ijs, quas ipſe habet. Sed vlte-

Prima proprietas amoris. c. 11.

Pone me vt ſignaculum.

b *Zach. 3. 9.*

c *Agg. 2. 24.*

d *Rom. 8. 29.*

Serm 61. in Cant.

rius adhuc nobis est progrediendum & conandum: vt solus ipse, & nullus alius spiritum nostrum possideat, tanquam vnicus dilectus & amor noster.

ecunda roprietas moris.

Nam propterea etiã nobis dicit: *pone me vt signaculum.* O dilecta anima mea, attende, quod quemadmodũ cera, non potest simul duo diuersa sigilla accipere: alterum.n.statim delebit alterum: ita fidelis & casta sponsa non debet habere duos amores sibi contrarios; sed totum suum amorem collocare in e *vnico suo viro* & sponso *Christo*, cũ diligendo ex toto corde suo, spiritu, anima, & viribus, quemadmodum dilectionis præceptum præscribit. Caue itaq; obsignes cor tuum & brachiũ signaculo mundi, aut Antichristi; quæ est imago superbiæ, cupiditatis, & carnalitatis; sed obsigna signaculo vitæ meæ, quæ imago est humilitatis, paupertatis, & puritatis corporis & animi. Tu ipsa ponere me debes tanquam signaculum super cor & brachium tuum, vt me diligas sicut ego te; viuasq;, sicut ego: mihiq; coniungaris, sicut ego cupio tecum esse coniunctus, neq; enim conseruare poteris meam figuram, nisi ego ad eam conseruandam tibi assistam.

2. Cor. 11.

Ne aũt negligas facere quod præcipio, coniungam minas & Vae Canticis. volo enim scias: *dilectionem esse fortem, sicut mortem, duramq; sicut infernus, æmulationem.* quasi diceret: cape hoc benè, quod irritata dilectio, sit fortis ac terribilis sicut ipsa mors: zelus verò & æmulatio dura, & quasi infernus ipse, inexorabilis: ita vt, si sponsa fidelitatem non seruet, quò magis eam prius amabat, eò amplius illam dedignetur, eò quod infidelis fuerit & ingrata: nullisq; admissis precibus, vlciscetur hanc iniuriam, inferendo mortem & pœnam æternam: vt sic rebellis castigetur pro meritis suæ rebellionis. O castarum animarum sponse, æquissimum est, vt tu solus sis vnicum signaculum earum nullo alio admisso, qui tibi aduersetur. Sed quomodo ego solus ponam te, vt signaculum super animam meam: siquidem opus hoc, tuũ est potius, quàm meum? Nam si meum est, id est propter auxilium tuum. pone te igitur, vt signaculum super cor meum: imprime integrè recteq; viuam tuarum virtutum imaginem, deleta omninò execranda vitiorum figura. Ego tibi cor meum offero, tanquam ceram mollem, aptam & promptam ad signaculum tuum suscipiendum; tu illud applica & fortiter preme, vt rectè solideq; exprimatur, etiam cum meo dolore ac labore. Si enim tanti tibi constitit fieri signaculum tuorum electorum; an multum est, quod aliquid illi patiantur, vt obsignentur? Ex nunc dicam cũ Apostolo, f *vt Deo viuam, Christo confixus sum cruci.* Christus crucifixus, meũ erit signaculum; imaginem mortificationis, quam ipse habet in corpore suo, portabo ego in meo: spinæ, quæ caput eius coronarunt, & meum coronabunt; claui qui pedes & manus eius transfixerunt, meos quoque transfigent: g *absit mihi gloriari nisi in cruce Domini nostri IESV CHRISTI:* cuius amore viuo tanquam

f Galat. 2. 9.

g Gal. 6. 14. 7.

cruci

cruci affixus: & *stigmata Domini Iesu in corpore meo porto:* h *carnem meam crucifigens cum vitiis & concupiscentiis eius.* h Gal. 5. 24.

§. 3.

De mortificatione quam efficit amor.

HINC progredieris ad excellentem aliam proprietatem meditandam amoris diuini, vt sit solus in corde. quod scilicet *fortis sit vt mors,* vincens, mactans, destruensque omnes affectiones sibi contrarias, aut ipsum impedientes: siue sint vitiosæ, siue naturales, licet cum discrimine. Nam, quemadmodum mors occidit, omniaque viuentia destruit, soluendo connexionem, & colligationem, qua anima & corpus coniunguntur, etiamsi antiquissima sit, ita vt non sit in terra potestas, quæ illam posit impedire, aut intercipere, aliter tamen occidit viuentia, quæ ratione carent, quàm rationem habentia. Nam in brutis cum animam à corpore separat, simul illam destruit, & conuertit in nihilum, ita vt nunquam posit ad vitam redire: at in hominibus non occidit animam, sed à carne separat, vt ipsa caro moriatur, anima verò viuat; non tamen eius legibus tributisque subiecta; sed sicut purus spiritus. Ad eundem ergo modum perfecta charitas & dilectio est fortis, sicut mors: quia vincit, eiicitque ex corde reliquos omnes affectus: & vitiosos quidem, qui à proprio amore carnali & mundano nascuntur, omninò destruit, ac reducit in nihilum: & quamuis in corde fuerint valdè radicati, contra eos præualet adeò, vt non amplius regnet in anima peccatũ vllum graue, nec vitiosus habitus; imò nec leue spontè admittit, sed statim atque apparere incipit prauus motus, destruit illum ac intercipit, ne culpa reuirescat. Quod si tales affectus sint naturales & humani, qualis est naturalis amor parentum, & fratrum; sanitatis & vitæ propriæ, aliique similes: non eos destruit omninò charitas, sed ita separat, & abstrahit à carne & sanguine, vt occidens in eis quod carnem sapit & sensum; viuere permittat quod in eis est honestum & spirituale: vt affectus quidem viuant, non tamen iam tanquam carnales, sed tanquam spirituales; induentes nimirum rationem spiritualium ab ipsa charitate, ita vt, si amet sanitatem aut morbum timeat; si parentes diligat, ac de prosperitate eorum lætetur; tristetur verò de aduersitate, non id fiat, solo titulo carnis & sanguinis, sed titulo amoris Dei, in quo & per quem diligit, quod Deus vult, oditque quod illi non placet. Talis fuit eminenter amor Iesu Christi crucifixi; qui, vt hominibus benefaceret, reliquos omnes amores & affectus superauit, non vitiosos (qui nunquam vixerunt nec aditum in cor eius habuerunt, quamuis enim grauissimis iniuriis afficeretur, nec minimum tamen vnquam adfuit iræ, aut impatientiæ indicium propter illas) sed naturales omnes affectus vicit, timoris & tristitiæ, & amoris vitæ propriæ. contra quos nocte suę passionis luctans,

Tertia proprietas amoris.
Fortis est vt mors dilectio.

dixit patri suo: *non mea voluntas, sed tua fiat.* & ita generoso quodam corde ad ipsam mortem se obtulit. nisi enim ipse se obtulisset, nec totus mundus nec infernus potens fuisset, ad ipsum morti subijciendum. O dilectio sicut mors fortis: si fortitudine tua contra Deum præualuisti, quantò magis contra homines præualebis? O anima mea, si amor Christum posuit in cruce, anne multum erit, si te in altera ponat? obsigna te signaculo Iesu Christi crucifixi, & mortui, vt cruci affixa viuas & ipsius amore mundo sis mortua.

Dura sicut infernus æmulatio. 4 proprietas amoris.

Vlterius tamen amoris victoria progreditur, cuius zelus & *æmulatio* dura est tanquam sepulcrum aut *infernus.* in qua similitudine alia quædam dilectionis proprietas valde eminens insinuatur. Nam sepulcrum & infernus sunt duo hostes post mortem durissimi & crudelissimi. sepulcrum enim est durissimum contra corpus, quod omnibus quæ habebat spoliat, comeditq; ac destruit exiguum illud residuum; quod mors illi reliquerat: conuertit enim carnes, ipsas venas, & arterias in puluerem, totamque eius fabricã dissoluit, relictis ossibus omninò spoliatis ac siccis; exequendo seuerissimè sententiam in Adamum prolatam, qua dixit Deus a *puluis es, & in puluerem reuerteris.* Infernus verò crudelissimus est in animam ad ipsum descendentem; horrendisque castigat tormentis culpam, quam illa secum affert. vterque autem hostis durus adeò ac pertinax est in præda retinenda, vt eam ante integram vltionem sumptam non deserat. In hunc itaque modum diuinus amor durus est in eum ipsum quem amat, crudeliter quidem sed suauiter, & absque violentia. Non enim contentus est, quod in eo occiderit internas omnes affectiones inordinatas: sed vlterius pergit ad perfectionem, spolians illum rebus omnibus externis, quas possidebat: ita vt ipse parentes deserat, amicos, & notos, exeatque ex mundo, & seipsum in religione sepeliat, aut in aliquo terræ angulo: in quo soli Deo viuat, & de seipso vindictam sumat ob peccata præterita; seueram propter illa pœnitentiam amplectens; seipsum ad puluerem vsque demittens; seque offerens, si opus erit, ad subeundos inferni dolores & cruciatus, vt Deo suo placere possit, & vt his omnibus dilectum suum Iesum imitetur: cuius zelus fuit ipsi durus, sicut sepulcrum & infernus, iuxta illud b Dauidis in eius persona: *zelus domus tua comedit me.* fortunas enim omnes, honorem, omniaque vitæ solatia comedit, & consumpsit, donec illum reliquit in cruce nudum, infamem, & mortuum; ac postea corpus eius proiecit in sepulcrum; animam verò in infernũ aut limbum, licet non in pœnam, sed vt hanc etiam humiliationem subiret, ad eos qui in ea captiuitate tenebantur eripiendos, cùm prius seuerissimam in seipso vindictam sumpsisset de omnibus quæ homines ob sua peccata merebantur, pro quorum amore ad omnes hos labores sese obtulerat. O si quis mihi daret, vt anima mea felici hac amoris morte moreretur; & in amabile eius sepulchrum ingressa, ibi clauderetur, & signaculo dilecti sui

a Gen. 3. 19.

b Psal. 68. [...]o.

obsigna-

obsignaretur? O dilecte cordis mei, c *moriatur anima mea* non quocunque modo *morte iustorum*, sed morte illius, qui est iustus iustorum; *& nouissima mea* nouissimis eius sint *similia*: vt d *vita mea* sepulta *sit* & *abscondita cum Christo in* te *Deo* meo in æternum.

c Num 23.10
d Coloss 3.

§. 4.

De fortitudine in agendo & patiendo quam efficit amor.

VT autem appareat, mortem & sepulturam, quam adfert diuinus amor, dirigi ad vitam aliam nobiliorem, addit Spiritus S. quod *eius lampades sint lampades ignis atque flammarum*, eò quod semper diuinus hic amor resplendeat præstantissimis & heroicis operibus, valdeq; accensis affectibus, qui non hærent in terra, sicut prunæ; sed flammarum instar in altum ascendunt, trahentes post se spiritum in cœlum, vbi est eius dilectus, cui cupit esse perpetuo amore coniunctus. Et valde propriè comparatur igni, & flammis lampadum, quæ suis propriis expensis ardent & splendent, consumentes oleum, & lychnum, quibus ignis ipse fouetur; vt sic intelligatur ipsius amoris excellentia, qui non dubitat amittere & consumere quicquid habet, quò lucere & ardere possit insignibus operibus in obsequio sui dilecti: qui in cruce tanquam lãpas arsit, emittens flammas immensi splendoris & ardoris, quæ accendere & inflammare possunt frigidum cor nostrum. Si enim a *esurientem inimicum cibare* (vt Sap. ait) *est prunas congregare super caput eius*, ad eius animi duritiem emolliendam, sibique reconciliandum: quid faciet si pro eodem honor, fortunæ, & vita ipsa exponantur, quò ille ab æterna morte liberetur? Quid autem est Christus cruci affixus, nisi vas prunarium tot prunis plenum quot sunt ea, quæ patitur; & bona, quæ nobis largitur, & mala à quibus nos liberat; quæ omnia ipse Christus congregat super capita nostra, vt tot beneficiis corda nostra emolliat, & amoris flammis incendat, vt tantoperè nos amantem redamemus? O Saluator dulcissime, qui ex prunario crucis clamas: b *ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur*? proiice in terram cordis mei aliquam ex his prunis, vt amoris tui ignem concipiat; flammamque in altum tollat, eò meum spiritum transferendo, vbi tuus est: faciendoque per amorem, ex vtroque vnum.

Quinta proprietas amoris. *Lampades eius lampades ignis atque flammarum.*
a Prou 25.22
b Luc 12.49

NEC sine mysterio comparat Spiritus S. dilectionem *morti, sepulchro, inferno, & igni*, quibus proprium est esse c *insaturabilia, nec vnquam dicere: sufficit*. Tale enim est diuini amoris ingenium, vt licet multa pro suo dilecto faciat & patiatur: nunquam tamen satietur, aut dicat, *sufficit*. Semper enim crescere desiderat; ascendere & in omnibus proficere. Si moritur per mortificationem, magis adhuc desiderat mori; si sepelitur per humilitatem.

Sexta proprietas amoris.
c Prou 30.15
Richar. tract. de charitat. vulnerat.

amplius desiderat sepeliri; si seipsum cruciat ob sua peccata, vt de illis vlciscatur, desiderat amplius vlcisci; si ardet splendetque insignibus operibus, multò amplius ardere desiderat, & lucere: & quantumuis altè ascendat, non requiescet, donec in æternitate ipsi dilecto suo coniungatur.

Septima proprietas. *Aquæ multæ nõ potuerunt extinguere charitatem.*

VERUM multò adhuc amplius eminet diuini amoris excellentia cùm dicit Spiritus S. quod *aquæ multæ non potuerint ignem charitatis, nec flumina illam obruere:* ad significandam adeò esse inuictam eius patientiam & constantiam, vt nulli labores aut molestiæ internæ & externæ ipsam charitatem extinguere valeant, siue descendant è cœlo instar pluuiarum; siue è terra veniant instar fluminum. Nam etiamsi plurima sint & copiosa, sunt tamen instar guttarum in focum missarum, quæ multò amplius eam accendunt: adeò vt ampliores edat splendores in mediis maximis calamitatibus; & maiores desideret calamitates, vt adhuc magis splendeat. eò quod vehementer desideret ad altiorem perfectionem peruenire, quæ consistit in d *vita pro amicis suis ponenda.* Talis fuit charitas Christi nostri Seruatoris, quæ etsi fuit impugnata ab aquis immensis, non dulcibus sed amarissimis, de quibus Psalmista, e *intrauerunt aquæ vsque ad animam meam, infixus sum in limo profundi, veni in altitudinem maris & tempestas* suis fluctibus *demersit me,* & cooperuit: non tamen submersit, nec eius amorem imminuit, sed potius in feruore tot tribulationum accensissimos emisit splendores. circumdederunt eum hostium exercitus (quos ob feritatem modo f *vitulos*, modò *pingues tauros, canes, vnicornes & leones* appellat) qui quinquies præcipuè & in quinque locis illum inuaserunt, in horto, in domo Caiphæ, in palatio Herodis, in prætorio Pilati, & in monte Caluario: in quibus omnibus perstitit inuicta eius charitas, benefaciendo iis, qui ipsi faciebant malè: ita vt in ipsa etiam cruce pro suis persecutoribus exorauerit, excusando illorum peccata, & vitam suam offerendo, vt eos ab eis liberaret, quod est summum amoris. vt enim dixit Apost. g *vix pro iusto,* & eo quod *iustum est,* & obligatorium, *quis audet mori: commendat autem charitatem suam Christus, quoniam cum adhuc peccatores essemus, pro nobis mortuus est:* quam *charitatem nec multæ aquæ* nostrorum peccatorum, *nec flumina* grauissimorum tormentorum *obruere* aut imminuere *potuerunt.* quo facto prouocat nos ad ipsum alia charitate insuperabili, qualis fuit ipsius, amandum. ita vt quemadmodum nulli labores eius charitatem extinguere potuerunt, sic nec possint nostram, iuxta illud quo Apost. de vtraque dixit: h *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? In his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia nos poterit separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu D.N.* Quia neque nos poterunt

d *Ioan.* 15. 13

e *Psal.* 68. 1.

f *Ps.* 21. 13. 17. 20.

g *Rom.* 5. 7.

h *Rom.* 8. 35.

ſeparare à charitate ipſius erga nos,neque nos ab ea, quam erga illum habemus:illius enim eſt inuincibilis, eiuſque virtute & noſtra erit inuincibilis. O fortiſsime Redemptor, diligam te ego, ſicut tu me diligis; vt charitas mea inſaturabilis ſit & inuincibilis,ſicut fuit tua; coniunge amorem meum tuo,& i *cuiuſuis manus pugnet contra me:* ſi enim *poſueris me iuxta te*, tecumque vnieris,etiamſi impugner,non expugnabor,nec ſuccumbam. i Iob.17.3.

§. 5.

De amoris liberalitate.

SED omnes ſuperiores proprietates amoris, hæc vltima perficit, cùm dicitur *ſi dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione,quaſi nihil deſpiciet eam:* in quibus verbis oſtenditur,quanti charitas ſit æſtimanda, quantaque eſſe debeat amantis liberalitas vt eam illæſam conſeruet, quam in tribus rebus manifeſtat. Octaua proprietas

Prima eſt, quod dilectionis cauſa det quicquid habeat, nihil ſibi reſeruans.

Secunda adhuc perfectior, quod cùm totum det, etiamſi illud ſit reipſa multum,ipſi tamen videtur parum:& quicquid det,quaſi nihil deſpiciat.

Tertia adhuc perfectior,quod non ſolùm parum ſe dare exiſtimet,etiamſi det multum:ſed quod det,etiamſi exiſtimet ſe parui faciendum, & ſtultũ iudicandum propterea quod dederit. Diſtinctius hoc declarat LXX. Interpretum verſio,quæ habet;*ſi dederit homo omnem vitam ſuam in dilectione, deſpectione deſpicient eum.* Qui enim neſcit,quid ſit amare,ſtultitiam iudicat,cũ videt, quæ facit, qui multum diligit: illumque propterea deſpicit & contemnit.Quæ tria eluxerunt eminenter in Ieſu Chriſto crucifixo,de quo per excellentiam dictum eſt:*ſi dederit homo.* Nam etſi verum ſit, propter amorem talia illum feciſſe,vt dixerit de ſe:a *ego ſum vermis & non homo, opprobriũ hominum & abiectio plebis*; ſed adhuc in hoc ipſo oſtendit,ſe excellentiſsimũ eſſe hominem,qui ſua omnia dirigeret ſumma hominis ratione ac diſcretione,licet non puri,hominis,ſed ſimul hominis & Dei, de quo ait Apoſt. b *quoniam propter nos egenus factus eſt,cùm eſſet diues:* & ob amorem,quem erga nos habuit,omnibus renunciauit,quæ habebat;etiam in ipſa cruce veſtiméta reliquit,quibus operiebatur;& nutrimentum,quo ſe alebat; ac denique totam vitam,ex quo natus eſt,donec expirauit,expendit in dilectione,& in amoris operibus,faciens ſtupenda, pœnaſq; grauiſsimas ſuſtinens,in eorum commodum,quos diligebat: pro quibus propriam etiam vitam dedit.Neque his contentus, propter eandem dilectionem dedit nobis omnem ſubſtantiam domus ſuæ, corpus ſcilicet & ſanguinem ſuum,in cibum & potum, vt mox videbimus.Et quamuis adeò fuerit magnum,quod fecit, & noſtri

Pſalm.86. Homo natus eſt in ea. a Pſalm.21.

b 2. Cor.8.9.

gratia perpessus est, existimauit tamen se nihil facere: quia multò plura facere desiderabat, ad magnitudinem enim amoris sui adeò insaturabilis, parũ erat, quod mille vitas daret, milleque annorum tormenta, & laborum genera, si nostræ reparationi necesse fuisset, subiret. Ad hoc autem totum sese obtulit, sciens, se propterea contemnendum, & pro stulto habendum: siquidem c *Christus crucifixus Iudæis fuit scandalum, gentibus autem stultitia.* vtpotè
1. Cor. 1. 23 qui non assequerentur neque intelligerent amorem à quo processit, vt se ad talem mortem offerret cum omnibus inuentionibus, quæ in illa fuerunt. Omnes enim fuerunt à charitate, cum altissima sapientia, ac discretione: cuius exemplo fideles, qui oculos habent, ad has amoris inuentiones cognoscendas resumentes spiritum tanto huius Domini amore accenduntur, vt liberalissimè dent quicquid habent, quò charitatem consequantur, eamque in
Matth. 13. 44. 46. suo corde conseruent. Hic est d *thesaurus absconditus in agro* Euangelij, pro quo *vendit homo vniuersa quæ habet, vt illum emat*; est item *preciosa* illa *margarita*, pro qua *vendit homo omnia quæ habet, vt illam emat.* Propter hanc deserunt Religiosi omnem substantiam domus suæ, renunciant hæreditatibus, & possessionibus suis: propter hanc contemnentes Martyres propriam vitam, crudeli morti se offerunt, vt eam conseruent: in hac totam suam vitam exponunt electi, qui viuere cupiunt vt plus liceat amare: & postquam dederunt, quicquid habebant, & fecerunt quicquid potuerunt, id totum illis videtur parum: quia e *in comparatione* ad charitatem, *aurum videtur esse*
Sap. 7. 9. *sicut arena, & argentum sicut lutum*: & omnes mundi thesauri, tanquam nihil sunt in conspectu illius. Et propterea quamuis sciant propter hoc se contemnendos, nihili id ducunt, f *maiores diuitias æstimantes thesauro Ægyptiorum, improperium Christi.* & summam prudentiam existimant, quam mundus
Heb. 11. 26 iudicat stultitiam. id, quod suo tempore manifestabitur iuxta illud quod
Iob. 12. 4. Iob dixit: g *deridetur iusti simplicitas, lampas contempta apud cogitationes diuitum,* quæ tamen *parata* est *manifestari ad tempus statutum.* Lampas ignis (vt diximus) charitas est iustorum, contempta tamen à diuitibus huius sæculi: quia nec lucet, nec ardet iuxta eorum opinionem: sed quando constitutum à Deo tempus aduenerit, is manifestabit eius splendores: & omnes aduertẽt quàm fuerint eius opera cordata, & inuentiones prudentes; tunc, vt Sapiens
Sap. 5. 4. ait, ipsimet homines mundani, rei veritate conuicti, dicent: h *nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore:* sed iam deceptio nostra est retecta. *computati enim sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est.*

LAMPAS etiam contempta fuit Christus D. N. cùm esset coram Caipha, & Principibus Sacerdotum, qui tamen, dum ab ipsis contemneretur, valdè libere dixit: i *Amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis*
Mat 26. 64 *Dei, & venientem in nubibus cæli* cum maiestate magna, manifestantem diuini-

tatis & maiestatis suæ splendores, qui tunc erant suis hostibus occulti, licet amicis fuerint semper manifesti. nam in crucis candelabro adeò ipse eminenter arsit, & resplenduit, vt fuerit à multis cognitus; & filius Dei viui, & Rex paradisi proclamatus, vt statim cœperit implere quod prædixerat: k *ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum*; exaltando illa ab ipsa terra, vt ibi sint vbi ego sum. O ignis infiniti amoris, qui omnia trahis ad te, vt ea transformes in te, per amorem & imitationem? Tu trahis ad te eorum memoriam, vt semper de te cogitent; intellectum, vt tibi credant, teque cognoscant, voluntatem, vt te diligant: potentias & sensus eorum, vt tibi pareant, corpus & animam, vt in tuo seruitio occupentur; eorum fortunas, honorem, delicias, salutem, & vitam, vt sint tuæ gloriæ instrumenta. Sed quid mirum, si omnia eorum ad te trahas, siquidem eadem omnia in te inueniunt? trahe me, Domine, ad te, vt amem te, sicut me amas; transforma Spiritum meum in tuum, qualem tu habes in ista cruce. sit vna vtriusque crux, vt tecum sim confixus ei amoris clauis tanta firmitate, vt nec vitæ prosperitates, nec mortis amaritudines à cruce me separent, donec per eam me tibi coniungas in gloria in æternum.

k *Ioan. 12. 32*

CAPVT XV.

DE AMABILI IESV CHRISTI COGNITIONE, qua est in sanctissimo altaris Sacramento: ac de septem stupendis rebus, quas in se includit cum admirandis virtutibus, & exemplis perfectionis, ad eundem cognoscendum, perpendendis ac meditandis.



X iis mediis, quæ in hoc exilio habemus, ad discendam & assequendam eminenter beneuolam & vnitiuam Dei Domini nostri, eiusque filij Iesu Christi cognitionē, altissima, accōmodatissima, efficacissima ac potentissima est cognitio sanctissimi Altaris Sacramenti: in quo ipsemet Christus D. N. inclusus latet, vicem subiens libri in triplici excellentia.
Prima est, quod nobis det copiosissimam materiam legendi & cognoscendi quicquid in toto libro suæ vitæ descripsit, à sua incarnatione vsque ad mortem, & in cœlos ascensionem: quorum omnium instar est pugillarium, & memorialis excellentissimi, sicut ipsemet Dominus suos Apostolos monuit, cum dixit: a *quotiescunque feceritis*, quæ ego iam feci, *facite in meam commemorationem*. Et prius idem prædixerat Dauid: I.

Luc. 22. 19.
a *1. Cor. 11. 24.*

b Psal 110. 2. b *memoriam* (inquit) *fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus: escam dedit timentibus se.* Et hinc oritur *secunda* excellentia, quod in animæ viscera immittat quidquid idē in se habet scriptum: ingreditur enim tanquā cibus, vt imprimatur & obsignetur in corde. Neque enim nouum quid est, (vt proximo capite diximus) quod velit Deus libros suos, non solum legi, sed etiam comedi, vt virtutem quam habent, comedenti communicent. hic enim ad literam impletur, quod præcepit dilecto suo discipulo, cùm dixit: c *accipe librum & deuora illum*; & quod dixit Sponsæ: d *pone me vt signaculum super cor tuum.* Ex quo fit vt liber hic miro quodam modo nos doceat, illustret, afficiat, transformetque in Iesum Christum Deum & hominem verum, cum quadam humanitatis ac diuinitatis eius iucunda & vnitiua coniunctione, quæ perfectam nostri Spiritus cum diuino coniunctionem efficit: in quem finem illud est institutum, eoque tendunt duo illi modi illud manducandi, *sacramentalis* videlicet, cum re ipsa Sanctissimum Sacramentum sumitur; & *spiritualis*, cùm legimus, meditamur, & reliqua ruminamus, quæ in eo continentur: exstimulata vehementer fide, ad ea benè penetranda, eo quod liber sit clausus e *septem sigillis*, septem rerum difficillimarum, quas in se habet obsignatus: quæ tamen res si fides eas bene penetrat, fiunt septem res admirandæ & iucundissimæ, in quibus patefiunt diuinæ excellentiæ & perfectiones. Ne autem diffidas, audi *tertiam* huius libri præstantiam, quod scilicet contineat in se Magistrum ipsum à quo fuit scriptus: qui etiam illum declarat, sensumque aperit, vt capi possit. ipse siquidem est agnus, qui aperuit septem sigilla alterius libri obsignati, vt intelligi possent: & miro quodam modo ipsemet est liber, & Magister, & cibus & potus, arctatus ad vnum exiguum bolum iuxta Isaiæ Prophetiam dicentis: f *dabit vobis Dominus panem arctum, & aquam breuem. & non faciet auolare à te vltra doctorem tuum: & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum.* quæ promissio etsi præcipuè intelligatur de tempore, in quo Christus Dominus, noster homo factus prædicauit legem suam Euangelicam in hoc mundo, fundatam in crucis coarctatione, & redactam ad duo charitatis præcepta: potest nihilominus eadem promissio intelligi de hoc diuino Sacramento, in quo ipsemet Christus, Deus & homo verus, carnem & sanguinem suum ita angustauit, vt totus & integer sit in parua panis illius buccella, & exigua vini quantitate, admixta aquæ guttula, in memoriam pressurarum, & angustiarum, quas in passione sua pro nostra reparatione sustinuit; & vt inde nos doceret, non verbis externis modò, sed præcipuè exemplis diuinisque inspirationibus, arctam viam mortificationis, cordibusque nostris imprimeret viuam & abbreuiatam legem gratiæ & charitatis. Cui muneri ita constanter ac perseueranter attendit, vt propheta dixerit: *non faciet vltra auolare doctorem tuum.* licet enim, post suam Resurrectionem, assumpserit alas aqui-

c Apoc. 10. 9
c Ezech. 3. 1.
d Cant. 8. 6
e Apoc. 5. 1.
f Isai. 30. 20
S. Hieron. ibi.

læ,& volauerit ad cœlum Empyreum, vt iam non videas in propria figura humana;in hoc tamen Sacramento nunquam auolabit,aut à te discedet vsq; ad finem sæculi : ideoq; tui oculi videre semper possunt præceptorem tuum, licet panis viniq; accidentibus velatum. Confidens itaq; sublimis huius Magistri virtuti, incipere poteris legere ac meditari septem illa mirabilia & stupenda prodigia, quæ fides nobis reuelauit in hoc libro viuo,& pane vitæ: legendo quoq; in ipsis prodigijs virtutes cælestes, quæ per illas significantur;aut in eis exercet ipse Magister: quia ea instituit, ad ostendendam infinitam suam sapientiam, & charitatem: Sed prius corroboranda fides tua est celebri illa S. Augustini sententiâ: *si ratio quæritur non erit admirabilis: & si quæritur exemplum, non erit singularis.* Fateamur itaq; Deum posse aliquid facere,quod nos non possimus intelligere:in huiusmodi enim operibus tota ratio ipsius facti, est omnipotentia facientis. *Epist. 3. ad Volusian.*

§. I.

De coniunctione Dei & hominis cum speciebus Panis & Vini.

PRIMVM prodigium,quod in hoc diuino libro resplendet,est stupenda quædam coniunctio, sicut superius dicebamus, duarum rerum à se inuicem plurimum distantium, accidentium videlicet panis & vini cum corpore & sanguine Christi veri Dei & hominis, in eadem integritate ac maiestate,qua est in ipso cœlo. Quid igitur admirabilius, quàm rem adeò vilem & terrenam coniungi rei adeo sublimi ac diuinæ? Hoc est admirandum illud quod Propheta dixit Zacharias: a *Quid bonum Dei est, & quid pulchrum eius,nisi frumentum electorum,& vinum germinans virgines?* O diuinæ Sapientiæ altitudinem, quæ tales potuit adinuentiones excogitare, vt coniungeret quod bonum & pulcrum est Dei, cum panis & vini figura,electionem vitæ æternæ cum manducatione panis; floremq; virginitatis, cum haustu vini? Sed omittamus nunc has duas vltimas adinuentiones, de quibus postea erit sermo, nunc de prima dicamus:in qua simul cum speciebus Sacramentalibus Panis & vini coniunctum est omne bonum & pulcrum quod habet Deus intra & extra se, corporale & spirituale, & in omni genere virtutum, quod bonitatem & pulchritudinem veram efficit. Nam ibi est ipsamet diuinitas,quæ est bonitas & pulchritudo per essentiam; & vnio preciosissima & pulcherrima, quam adinuenire potuerit Sapientia diuina: vnio scilicet verbi diuini cum humana natura,& cum carne & sanguine,ex quibus illa componitur. Ibi est pulcherrima creatura, quæ sit inter puros Spiritus, anima scilicet Christi Domini nostri sanctissima, in cuius comparatione obscuræ sunt Hierarchiæ Angelorum: sicut in præsentia solis, stellæ non lucent. est præterea elegantissimum corpus inter

a *Zach. 9. 17.*

omnes homines, qui sunt, & erunt cum splendore immenso, quem ex coniunctione talis animæ accipit, cuius venæ sunt plenæ pretiosissimo agni sanguine, quo ille abluit peccata mundi. Ibi quoq; suprema est bonitas & pulchritudo gratiæ, charitatis, virtutum, ac donorum quæ DEVS communicauit, aut communicaturus est suis creaturis. quia b *in hoc* Domino *sunt omnes thesauri Sapientiæ & scientiæ Dei,* cum supremo lumine gloriæ, visionisq; beatæ, cum potestate excellentiæ, & innumeris alijs gratijs: *de cuius plenitudine* omnes Iusti accipiunt partẽ bonitatis & pulchritudinis, quam habent. Ac deniq; quoniam, Bonum (teste S. Thoma) obiectũ est appetitionis & amoris; pulchritudo verò aspectus & cognitionis, qui sunt actus perfectæ vitæ contemplatiuæ: si in hoc Sacramento est omne bonum & pulcrum Dei, in eodem quoq; erit omne quod amare possis ac desiderare, ad implendam capacitatem tuæ voluntatis, & intellectus, cordisq; famem saturandã. Conijce oculos per omnia quæ scripta sunt in diuinis scripturis, & in libris creaturarũ, & omnia hic inuenies cum excellentia infinita, quamuis abbreuiata & velata externo illo panis & vini velo: vt simul legas profundissimam & stupendam filij Dei humilitatem, qua exempli & vtilitatis tuæ causa rem adeò excelsam coniungere voluerit rei adeò vili; tantamq; pulchritudinem & splendorem tam vili externa specie occultare. O altitudinem & profunditatem sapientiæ & charitatis Dei! obstupescit Apostolus, idq; meritò, ꝙ c *qui in forma Dei esset* Patriq; suo æqualis, *semetipsum exinaniret formam serui accipiens in similitudinem hominum factus*; diuinitatis gloriam, nostræ humanitatis vilitate contegens. Quomodo ergò tu non obstupesces, ꝙ Deus hic & homo eò se demiserit, & abiecerit; vt in hoc sacramento panis & vini figuram acceperit: & vilis adeò creaturæ accidentibus se vestiuerit, non solùm diuinitatis gloriam, sed etiam humanitatem glorificatam re adeò vili paruaq; cooperiens? Laudent te, Deus meus, pulcherrimæ Angelorum hierarchiæ, ob hanc vnitionem tantę pulchritudinis cum tanta vilitate factam; quò te magis humiliatum aspicio, eò magis obstupesco, eoq; amplius te diligo. Sciebas tu benè Domine, si hoc modo te cooperiebas, multos te contempturos, paruiq; facturos, tanquam purum panem, quemadmodum multi te in mortali vita degentem contempserunt, & tanquam purum hominẽ vili penderunt; sed immensa tua charitas has humiliationes tacens complectitur, tolerat ac dissimulat: nullam quærens vltionem de ijs, qui eas tibi intulerunt, vt mihi mansuetudinis, & humilitatis exemplum præberes. O humilitatem ineffabilem? ô mansuetudinem incomprehensibilem? ô cœlestem Magistrum? qui in sanctissimo isto Sacramento, docendo tuo exemplo clamas, omnesque exhortaris: d *discite à me quia mitis sum & humilis corde.* fac me discere à te, vt mundi huius gloriam occultem, sicut tu diuinam occultas; & vt patientiam habeam, dum ab aliis contemnor, sicut

b Coloss. 2.

Ioan. 1. 16.
p. q. 5. a. 4. ad 1.

c Phil. 2. 7.

d Matth. 11. 29.

tu ha-

tu habes,dum contemneris ; gaudeam ego si habear qualis sum,& contemnar pro meritis ; siquidem tu à multis haberis pro eo, qui non es; nec in eo honore,quo dignus es.

§. 2.

De conuersione substantiæ panis, accidentibus sine subiecto remanentibus.

PRIMVM hoc miraculum alia valde stupenda comitantur, in quibus licebit tibi legere ac meditari veritates & exempla altissimæ perfectionis. Secundum ergo miraculum est stupenda conuersio substantiæ panis in corpus Christi D.N. & substantiæ vini in preciosum eius sanguinem. Quemadmodum olim a *virga Moysis* commutabatur *in serpentem*, & *aqua fluminum in sanguinem*, & b *aqua deniq; in vinum.* Interest tamen, quod aliæ conuersiones fuerunt visibiles, hæc autem est inuisibilis: in qua interiora panis & vini mutantur, persistentibus visibilibus accidentibus: ad eum modum,quo Christus D.N. ex vtero suæ Matris egressus est absq; eius integritatis detrimento : & cum aues (ait Sanctus Thomas) conuertant interiora ouorum in carnem viuam, eorum corticibus non mutatis : non est multum, quod modo alio prodigioso commutet noster Seruator interiorem panis substantiam, eisdem externis accidentibus persistentibus, figura scilicet, integritate, & reliquis proprietatibus, quas antea illæ habebant, vt fidei diuini huius mysterij locus relinquatur; & ad significandas stupendas mutationes, quas in suis electis operatur potens dextera excelsi, hic latentis, mutantisq; non exteriora corporis, sed interiora spiritus; non quod naturale est in illis, sed quod liberum & quod terrenum est in cœleste, humanumq; in diuinum : vt quemadmodum sub ipsa accidentia ingreditur caro Christi pro substantia panis, quæ ibi erat : sic intra nos ipsos in locum Spiritus proprij ingrediatur Spiritus Christi, viuatq; ille in nobis & non Spiritus noster : vt liceat cum Apostolo dicere: c *viuo iam non ego, viuit verò in me Christus.*

a *Exod.* 7. 10.
b *Exod.* 7. 20.
b *Ioan.* 2. 9.
Opusc. 58. c. 11.
c *Galat.* 2. 20.

3. Hoc ipsum magis elucet in tertio miraculo, quod huic simul coniungitur, insignis videlicet solennisq; diuisionis, quam efficit Deus rerum intimè vnitarum, & in naturali suo esse colligatarum : accidentia enim panis & vini manent sine suo subiecto, substantia scilicet : cui iuxta suam naturam ita inhærebant, vt, illa sublata, ipsa quoque perirent.

Sed Dei virtute fit, vt licet sensibus nostris percipiamus colorem, odorem, & saporem panis & vini : fide tamen credamus, nullam ibi panis substantiam remanere, sed virtute Christi subintrantis dissolutam esse vnionem

illam

illam accidentium & ſubſtantiæ; conſeruariq; accidentia per ſeipſa ſupra id quod ipſorum natura & propenſio exigebat. Quemadmodum d *Iordanis*
Iosue 3. *fluminis aqua* in præſentia Arcæ Fœderis diuiſa ita fuit, vt ſuperior pars conſiſteret, inferior verò more conſueto *decurreret vſq; ad mare mortuum, donec omnino deficeret*. Hoc eſt diuinæ Omnipotentiæ opus, quo diuina Sapientia te docet, poſſe te virtute ſanctiſsimi huius Sacramenti talem perfectionem conſequi, ne ſis nimium creaturis aſtrictus: quamuis natura ſtricto amoris vinculo te illis agglutinauerit. eam enim fiduciam conſequeris, quod, etiam rebus omnibus creatis, quibus adhærebas, deficientibus, non ſit tibi creator defuturus, ob cuius amorem, ſi opus erit, vitam ducere poſsis ſeparatus à parentibus, fratribus, cognatis & amicis, & illis omnibus, à quibus tuæ vitæ ſuſtentatio alioquin pendebat. Cum enim hic Dominus dixerit:
Matth. 10. e *ſe veniſſe non vt pacem mitteret in terram, ſed gladium & ſeparationem* inter eos, qui ſe diligunt, quando id ad ipſius diuinum obſequium eſt neceſſa-
Luc. 12. 51. rium: Ita diuinum hoc verbũ (de quo Apoſtolus ait quod ſit g *penetrabilior*
Heb. 4. *omni gladio ancipiti*) in hoc diuino Sacramento latens, ad animam tuam venit, vt affectiones omnes carnis & Spiritus diuidat; perdatq; carnales, vt ſolus Spiritus viuat. Attende verò, quod quemadmodum poſt conſecrationem, ſub illis accidentibus neq; manet, nec vnquam reuertetur ſubſtantia panis, aut aliqua eius pars; ſed ipſe ſolus Chriſtus qui nullam aliam ſubſtantiam voluit cum ſua ibi manere: ſic ſtudendum tibi ſit, vt poſt ſacram communionem, offeras DEO teipſum in holocauſtum, ita repellendo à te affectus omnes inordinatos, vt amplius nec ipſi, nec aliquid eorum locum
Iſai 28. in te habeant; ſed ipſe ſolus Chriſtus Dominus. h *coangustatum enim eſt* tui Spiritus *ſtratum*, vt non capiat alterum, qui ipſi aduerſetur; nec manebit ipſe
1. Reg 5. 3. in altari cordis tui i *cum idolo Dagon*, ſiue cum inordinata aliqua ad creaturas affectione. nec vult ſe admitti ad te ad breue aliquod tempus; ſed animo nunquam illum dimittendi; & cum ea fiducia de eius omnipotentia, quod gratia ſua ſit tibi affuturus; vt in ijs, quæ propoſueris & ſtatueris, firmus ſis & conſtans. O Deus omnipotens, qui talem diuiſionem in Sanctiſſimo hoc Sacramento efficis, accipe in manu tua potentiſsimi verbi tui gladium, ſanctam ſcilicet tuam inſpirationẽ, eaq; ſepara à me quicquid me poteſt à te ſeparare. tu eſto Domine firmitas mea, & habita ſemper in mea habitatione: te enim in ea exiſtente, nihil mihi deeſſe poterit, etiamſi nulla ſit creatura, cui adhæream.

4. EX HOC prodigio aliud ſequitur non minus ſtupendum. Nam panis & vini accidentia per ſeipſa & abſq; ſubſtantia cum inhæreant, obeunt officia omnia & opera naturalia, non illa modo quæ imperfectæ accidentis naturæ ſunt proportionata; ſed alia etiam, quæ eam excedunt, & ipſius ſubſtantiæ potius ſunt propria. quæ officia æquè perfectè præſtant, atq; ſi

essent substantiæ coniuncta, supplente diuina virtute, absentis substantiæ vices. Non itaq; solum odorem, saporem, aut calorem proferunt, sed confortant etiam, exhilarant & nutriunt humanum corpus, æquè benè, atq; si reuera essent panis & vinum. vt appareat verissimum esse, quod k *non in solo pane viuat homo, sed in omni verbo, quod procedit ab ore Dei*: siquidem in hoc Sacramento non panis est, qui nutrit; sed virtus Dei, cum accidentib. concurrens; quæ etiam, illa eleuat ad alia opera supernaturalia & diuina: eisdem enim animas nutrit, admirandosq; effectus efficit, quos hoc Sacramentum producit.

k *Deut* 8.3. *Matth.* 4. 4

Haec omnia illud nobis significant: quod iusti à creaturis veluti auulsi, & innitentes soli creatori, & virtuti, ac viribus quas diuinus hic cibus illis communicat; non solum ordinarias suas actiones, & quidem excellentissime ac perfectissimè faciant: sed etiam grandia quædam facinora supra proprias vires aggrediantur: feliciterq; voti compotes in eis fiant. eò quòd diuina potentia suppleat humanam imbecillitatem. quemadmodum gloriosissimi Martyres in suis agonibus; sanctissimi Confessores ac Virgines in suis ieiunijs, & vitæ asperitatibus sunt experti. Nec verò est cur ex pusillanimitate teipsum contrahas, tuumq; nutrimentum soli pani astringas. Nam potest Dei verbum sine eo solis herbis sustentare eum, qui multos delicatosq; cibos sumere consueuerat. neq; iustum est diuinam omnipotentiam limitare, vt quæ & possit & soleat viles Creaturas, tanquam instrumenta, adhibere ad opera præclarissima. & ita licebit cum Apost. dicere l *omnia possum* in virtute diuini huius panis, *qui me confortat*; & cum Iob: m *pone me Domine iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me*: si enim tu es intra me, omnem, tui amore, superabo difficultatem. O Devs infinite, qui n *infirma mundi eligis, vt confundas fortia*, ne glorietur aduersum te brachium carneum; vtere me, tanquam tuæ Omnipotentiæ instrumento, ad insignia gloriæ tuæ facinora præstanda.

l *Phil.* 4.13. m *Iob.* 17.3. n 1.*Cor.* 1. 27.

§. 3.

Quomodo sit Christus Dominus noster in Sanctissimo Sacramento.

Qvintvm prodigiũ, vereq; stupendum est, quod totum corpus Christi Domini nostri, cum tota sua integritate, & pulchritudine, quam habet in cœlo, sit in hoc Sanctissimo Sacramento, modo quodam singulari. Nam totum & integrum est in tota hostia consecrata, & in qualibet eius parte, atq; si esset Spiritus, ad eum modum, quo anima nostra est tota in toto corpore, & tota in singulis eius partibus. Ex quo fit, vt quamuis Christus Dominus noster habeat in hoc Sacramento veram carnem, non tamen viuat vitam carnis, exercendo scilicet proprias potentiarum, & sensuum cor- 5.

poris actiones. Habet enim ibi pedes & manus, nec tamen ambulat, aut palpat; habet palatum, sed non degustat; linguam habet, sed non loquitur; oculos & aures, quibus tamen ibi non vtitur: quamuis spiritualibus vtatur, quibus videt auditq; omnia: ac deniq; ob eum modum, quo in hoc Sacramento, caret omnibus delicijs, & delectationibus, quæ sensibus percipiuntur: atq; si eis careret. Hæc fuit infinitæ Sapientiæ & omnipotentiæ Dei adinuentio mirabilis, qua condiuit carnem Agni immaculati, tanquam Spiritum, vt esset Christiano populo cibus. Quod non sunt assecuti rudes illi discipuli, qui id iudicabant impossibile, aut omnino horrendum, ideoq; murmurantes dicebant: a *quomodo potest hic nobis carnem dare suam ad manducandum? &, durus est hic sermo, & quis potest eum audire? & ex hoc multi discipulorum eius abierunt retro, & iam non cum illo ambulabant.* remanentibus verò, secretum hoc aperuit dicens: *Spiritus est qui viuificat: caro non prodest quicquam. verba quæ ego locutus sum vobis Spiritus & vita sunt.* Quasi diceret: ne ita crassè verba mea accipiatis, sicut isti, qui ex mea schola recesserunt: caro enim mea non ita est manducanda carnaliter, sicut manducatur occisorum animalium caro; sed sumenda est sacramentaliter, tanquam Spiritus: quia est caro viua, dabitq; vitam ijs qui hoc modo eam manducauerint: commutabit enim illos ex carnalibus in spirituales.

a Ioan. 6. 53. 61.

QVALIS autem sit hæc vita, hoc ipsum miraculum repræsentat. Cum enim viri Iusti verè habeant carnem & sanguinem; virtute tamen huius manducationis, vitam ducunt adeo Spiritualem, & ab omni carnis odore & sapore nudam; vt possint cum Apostolo dicere: b *in carne ambulantes, non secundum carnem militamus:* nec propensiones carnis sequimur. Nam ad omnia quæ Deo displicent, eiusq; voluntati aduersantur, etsi habeamus oculos & aures, non tamen ea videmus vel audimus; & cum habeamus gustatū & linguam, non tamen gustamus aut loquimur: & habentes pedes ac manus, non tamen ambulamus aut contrectamus: interdicentes nobis omnem sensuum oblectationem, in omnibus quæ Dei voluntati non sunt conformia: sed attendimus tantum ijs, quæ ad ipsius obsequium spectant, c *mortificantes* (vt ait idem Apostolus) *spiritu facta* & opera *carnis*, quò vita nostra spiritualis & perfecta sit: sicut in sanctissimo hoc Sacramento adumbratur.

b 2. Cor. 10. 3.

c Rom. 8. 13.

6. Ex hoc prodigio aliud sequitur, non minus stupendum. Nam esto diuidantur ac separentur species Sacramentales in plures partes, non tamen diuiditur ipsum corpus aut sanguis Christi Domini nostri, sed totum & integrum remanet in qualibet parte diuisa, etiamsi minima. Diuisio enim & separatio solum fit in exterioribus non in interiori, quod est indiuisibile, sicut spiritus: ad eum modum quo speculum refert vultum se aspicien-

tis: quod si in quatuor partes diuidatur, vnaquæq; refert eundem vultum æquè integrè, atq; cùm simul essent. Ex quo intelligitur, tantundem recipi in parua hostia, atq; in magna; & in qualibet eius parte, atq; in tota; in quo renouatur antiquum illud miraculum de manna, de quo dicitur, quod d *nec qui plus collegerat habuit amplius. nec qui minus parauerat, reperit minus: sed singuli iuxta id quod edere poterant, congregauerunt*, modò designatam *mensuram collegissent*: quod quid aliud est, nisi quod in hoc tibi delineetur ac describatur cordis integritas, & interior recollectio, quam possis obtinere virtute huius Sacramenti? Nam licèt necesse sit, te in varias externas occupationes diuidere, iuxta status & officij tui obligationem: non tamen diuideris interius, e *nec cor tuum* ad varias inordinatas affectiones *diuides, ne intereat*: sed potiùs in medijs occupationibus Marthæ, conseruabis illud vnum necessarium cui attendit Maria: cor scilicet integrum, recollectum & cum Christo vnitum: dirigendo externas illas occupationes ad vnicum solum finem, gloriam scilicet Dei, & executionem diuinæ eius voluntatis, in rebus omnibus siue magnis siue paruis, & in qualibet earum parte, collimando semper & in omnibus ad eundem finem; & attendendo illis vno eodemq; spiritu Christi, propter quem æquè satur remanebis paucis atq; multis, & infimis atq; altissimis: quia tua saturitas in eo erit, vt voluntatem Dei in omnibus, quæ ipse iusserit, exequaris: eodem amore magna & humilia amplectendo, si idem Dominus hæc iusserit, qui illa. Denique in præclaro hoc exemplo addiscere licebit recollectionem in oratione & contemplatione, quam desideras; includendo te, sicut tuus Magister intra recessum tuum, relicto vsu sensuum corporis, & vtendo potentijs spiritualibus, ad agendum solum cum Deo, eiusque magnalia meditanda, concordando, & vniendo tanquam fratres, cogitationes & affectus tuos, virtute cœlestis huius escæ, quæ panis est vnionis & concordiæ. O panis vitæ, qui coniungis atq; conseruas in tuis electis duplicem vitam actiuam & contemplatiuam, confirma, & collige cor meum, vt ita exerceam plurima alterius opera, vt pacem & vnionem cum altera non amittam.

d *Exod.* 16. 18. *Abulens. q.* 7. *Exod.*

e *Oseæ.* 10. 2.

O vinum generans virgines, purifica & ordina animæ meæ affectiones, vt ita creaturas diligam, quamuis multæ illæ sint, vt in omnibus te creatorem meum diligam. O Deus sub isto velo latens, absconde me intra teipsum, vt de te solo cogitem, teque solum amem, omnibus meis potentijs inter se, & tecum colligatis & vnitis.

§. 4.

De CHRISTI Domini nostri ad Sacramentum aduentu.

7. SEPTIMVM miraculum seu prodigium est, quod cùm Christus D.N. sit in cœlo empyreo, ibiq; locum corporaliter occupet suæ dignitati congruentem, non discedens inde, descendit semper ad Sacramentum, in quo est in partibus innumeris vniuersi, vbicunq; fit consecratio, nullo prætermisso loco, quantumuis abiectissimo, & vilissimo. attendit enim prouidentia sua incomprehensibili, omnib. sacerdotibus volentib. consecrare; & in eodem instanti accedit ipse, vt verba consecrationis, ipsius nomine super panem & vinum prolata, verissima esse faciat: ita vt statim, atq; sacerdos dicit: HOC EST CORPVS MEVM, & HIC EST CALIX SANGVINIS MEI, sit, ipse ibi, sicut supra est dictum: a *obediente Deo voci hominis* sacerdotis.

a Iosu. 10. 4. non solum, si ille iustus sit, bonaq; intentione verba illa proferat; verum etiam, si ille sit improbus, prauaq; intentione, ipsum Christum verbi gratia contemnendi & in mortali peccato communicandi, illa dicat: idq; facit non solùm semel in die, sed quoties eius minister voluerit. Quod enim in se est, decreuit & statuit, non suam voluntatem, sed alienam sequi; in qua suam omninò posuit. in eodem itaq; instanti miro & stupendo quodam modo, corripit ipsas species Sacramentales ita firmiter ac solidè, vt quamdiu illæ durant, nunquam illas dimittat, vbicunq; illæ collocentur: ita vt neq; sumentis illas indignitas, qualis fuit Iudæ; neq; vilitas loci, vbi Sacramentum seruandum reponitur; nec iniuriæ vllæ, quæ illi inferantur; aut blasphemię, quæ in ipsum iaciantur, illum ab speciebus expellere valeant. Nam quemadmodum factus fuit obediens vsq; ad confixionem in cruce, & in eadem vsq; ad mortem perseuerauit; ita quoq; nostri gratia accedit ad sanctissimum Sacramentum: in quo tamdiu perseuerat, donec ipse panis & vini species corrumpantur. & immutabiliter id seruabit vsq; ad finem mundi,

b Matth. 28. 20. hac etiam ratione implens verbũ, quo promisit, b *se nobiscum futurum vsq; ad finem sæculi.* O heroicam obedientiam: ô inuictam perseuerantiam: ô prodigiosum exemplum, dignissimum quod omnes venerentur & imitentur: Lege ô anima mea, & rumina excellissimas virtutes in hoc libro scriptas, easq; comedas, vt tuas facias. Ex nunc Saluator mi, virtute huius tui Sacramenti, spero me imitaturum tuam obedientiam humilem, &

c 1. Petr. 2. 18. ad nutum: meipsum subijciens non solùm maioribus, sed & minoribus; c *non tantum bonis & modestis, sed etiam dyscolis:* quatenus illi vices tuas obeunt. nec solùm in rebus mihi iucundis & honorificis, sed etiam in insulsis & abiectis: exuendo meam propriam voluntatem, vt induam superioris,

hila-

hilariter, ad nutum, sine dilatione aut mora; & tanta constantia, vt mori potiùs eligam, quàm desinam obedire. O panis viue, qui de cœlo venisti, vt perpetuam manducanti vitam conferres, siquidem d *vita mea in voluntate tua* implenda est: concede mihi te cum eo spiritu manducare, vt semper existimem e *cibum meum esse, facere voluntatem eius*, qui tanta in me bona confert. d *Psal.* 29. e *Ioa.* 4. 3.

8\. HVIC miraculo aliud quiddam accedit, quod mirificè illud exaltat. Nam, esto ad rei veritatem, quam verba consecrationis in rigore significãt, satis fuisset, quod sub accidentibus panis esset solum corpus Christi D.N. & sub accidentibus vini, solus esset sanguis: hoc tamen non obstante, voluit ipse, vt se hæc duo inuicem comitarentur, simul cum cæteris rebus, quæ simul cum illis sunt colligatæ, nulla prorsus excepta: ita vt in sacra hostia sit corpus cum suo sanguine & anima, ac diuina persona, quæ hæc omnia sustẽtat, cum tota diuinitate, quæ est in filio, in qua ipse est vnum cum Patre, & Spiritu S. ita vt non posit vnus ab alio separari. Et eodem prorsus modo in sacro calice est sanguis cum ipso corpore & anima, ac diuinitate. ex quo fit, vt tantundem omninò suscipiat laicus in hostia sola, sicut sacerdos in hostia & calice: eo quod totus Christus sit sub singulis speciebus, quare omnes excellentiæ, quas diuina scriptura tribuit huic pani, sunt etiam de hoc vino intelligendæ; & vicissim quas vino tribuit, sunt intelligendæ de pane, qui f *sitim extinguit*, inebriat, & g *generat virgines*, sicut diuinum hoc vinum: & hoc *famem sedat, confortat*, nutritque, sicut panis: & in vtroque manifestat infinitam suam charitatem & liberalitatem erga nos, h *commouens* (vt dixit per Aggæum Prophetam) *cœlum & terram*: edens adeò stupenda prodigia in pane & vino terrenis; & in corpore & sanguine suo cœlestibus; coniungens vtraque in vno, vt *veniat desideratus cunctis gentibus* quotidiè in templum suum, *& impleat domum suam* summa *gloria*, reali videlicet sua præsentia. Quænam charitas profusior esse potest, aut quæ liberalitas magis beneuola, quàm quod Deus nobis det quicquid i *bonum & pulcrum* habet, inuertens omnes naturæ leges, vt sua nos repleat gratia. f *Ioan.* 6. 35. *Osee* 14. 8. *Cant* 7. 9. g *Zach.* 9. 17. h *Agg.* 2. 7. i *Zach.* 9. 17.

SATIS equidem fuisset, ad spirituale nostrum alimentum, si merum panem & vinum benedicta nobis dedisset, ipso Christo Domino è cœlo eis tanquam instrumentis vtente, ad efficiendos eosdem effectus in anima, quos nunc efficit; quemadmodum pura aqua, purum oleum ac balsamum materia sunt aliorum Sacramentorum: sed id tamen non fuisset satis, vt infinitam suam charitatem, liberalitatem, ac misericordiam nobis manifestaret. quare voluit ipsemet per seipsum venire, cum suo corpore & sanguine, cum anima & diuinitate: vt sic esset nostrum alimentum. Si magnus quispiam Princeps, mensæ accumbens cum sui regni Magnatibus, recordaretur pau-

perculi alicuius ægroti in straminea sua casa iacentis, nihil habentis, quod posset comedere, motus Princeps eius commiseratione, mitteret per aliquẽ ex suis famulis delicatum aliquod ferculum, ex quo ipse vescebatur; hoc existimaremus magnum indicium misericordiæ & charitatis illius Principis erga desertum illum pauperculum: quod si non per aliquem famulum, sed per vnum ex Magnatibus mensæ accumbentibus, quem ex mensa surgere & ferculum illud ad pauperculum portare iuberet, diceremus maiora Principem tunc dedisse indicia amoris erga pauperem, quantique illum faceret. Quod si verò ipsemet è mensa surgens, cibum illum delicatum ad pauperẽ deferret; excessum amoris interpretaremur: nec deesset, qui stultitię factum illud tribueret, aut rem maiestate regia indignam, assereret.

O IMMENSAM sublimitatem? ô diuini amoris excessum infinitum: quod Regis pectus terreni non capit, hoc præstat quotidie Rex cœlestis modo quodam adeò amabili ac liberali, vt excedat quicquid nos aut loqui possumus, aut intelligere. Rex enim hic cœlestis accumbens in cœlestibus palatiis k *mensa* (sicut ipsemet Apostolis suis dixit) & continuum exhibens conuiuium suæ aulæ magnatibus, seipsum præbens illis in cibum, vt videant ac fruantur ipso in magna saturitate. Ibi inquam meminit pauperculi & miserrimi hominis, imbecillis, & iacentis in huius mundi casula, prostrati in cœno suarum miseriarum, nec bolum habentis panis, quem ori apponere posit. Hunc ergo miseratus, vult aliquid ex proprio ferculo & reliquiis mensæ suæ illi mittere, de gratia videlicet & charitate, de donis & consolationibus: quæ ibi in magna abundantia & absque vllo fastidio comeduntur; sed hanc tamen portionem non vult mittere per aliquem ex Angelis, qui illi ministrant; nec per Seraphinos qui mensæ assistunt. Sed ipsemet è cœlo descendit, licet accidentibus panis & vini velatus, & ita fit ipsemet cibus & potus, vt suis donis eum impleat, qui dignè ipsum acceperit.

Luc. 22. 30

Serm. 79. in Cant.

SI non scis quid sit amare, stultitiam hanc existimabis: vt enim ait Sanctus Bernardus, instar linguę Gręcæ est ei, qui nunquam illam didicit, quod loquaris de amore cum eo qui nesciat quid sit amare. Si tamen vel aliquid scias de amore, facilè credes quicquid hactenus diximus: est enim quædam proprietas amoris, vt sit inuentiuus viarum & modorum, quibus dilecto suo vniatur, faciatque illum participem omnium, quæ ipse habet, vt prouocet ad redamandum. & cùm Deus infinitam habeat sapientiam, & omnipotentiam; eiusque amor sit infinitus: quomodo potes dubitare, quod sciet, poterit, ac volet has adhibere adinuentiones, quibus te ad ipsum amandum alliciat, ac pertrahat? O amor infinite, quid faciam, vt ita amem te, sicut tu amas me? cur non tibi dem quicquid habeo, cùm sit adeò modicum, siquidem tu venis ad me cum omnibus, quæ habes, quæ tanta sunt? adhi-

beam


beam ego mille inuentiones, ad tibi seruiendum; sicut tu, ad mihi indulgendum, adhibuisti.

HAE sunt, frater charissime, septem diuini amoris adinuentiones; in quarum meditationibus, simul cum aliis septem capite duodecimo positis, frequenter exercere te debes, dicens cum Dauide: l *meditabor in omnibus operibus tuis, & in adinuentionibus tuis exercebor*, congratulando Saluatori tuo de omnibus, illis verbis Isaiæ: m *dicite iusto, quoniam benè, quoniam fructum adinuentionum suarum comedet.* O iuste iustorum, & sanctorum sancte, sint felices sanctæque omnes adinuentiones, quas ad nobis indulgendum adhibuisti: sit benedicta sapientia tua, quæ illas adinuenit; & omnipotentia quæ illas est executa; & charitas quæ illas voluit & elegit. Certus esto Domine, quod comedes fructus earum: multas enim animas ad te trahes, quæ has adinuentiones meditantes diligant te amore feruenti, & inuentiuo, qualis tuus est amor. Fructus tui fuerunt, adinuentiones Apostolorum, Martyrum, Virginum, Anachoretarum, & Religiosorum, quibus ostendere voluerunt amorem erga te, respondentem tuo erga se; & nunc comedũt, fruunturque in cœlo fructu adinuentionum, quas adhibuerunt in terra. Quis mihi det, vt ego sim vnus ex his iustis, meditando ita tuas adinuentiones, vt tuo simili amore te diligerem: quò & ego, sicut illi, fructum comedam mearum adinuentionum, fruendo tuis in æternum. Amen.

l *Psal.* 76 1:
m *Isa.* 3.10

CAPVT XVI.

DE AMORE VNIENTE NOS CVM CHRISTO Domino nostro, & cum proximis, qui per hoc sanctissimum Sacramentum obtinetur: & quosnam gradus hæc vnio habeat.



IIS quæ in proximo capite sunt dicta, satis declaratum est quicquid pertinet ad aduentum & ingressum CHRISTI Domini nostri in hoc Sacramentum, & ad vnionem, quam habet cum Sacramentalibus accidentibus; & quid ea vnitione nobis significetur: exempla quoque heroicæ perfectionis, quæ in illis nobis præbet. Oportet nunc pergere vlterius, vt legamus etiam ac meditemur, alterum eiusdem Seruatoris nostri aduentum & ingressum, quem in ipso Sacramento existens, facit in iis, qui communicant; & admirandam vnitionem, quam in illis efficit, quò nos disponamus & excitemus, vt eius par-

ticipes fimus, meditantes nouas eius adinuentiones, quæ in hoc ipſo elucent:eidemque Domino congratulemur quod illas fecerit.

:.4 de diuin. nomin.

ADHORVM declarationem eſt aduertendum, quod amor (teſte S. Dionyſio) vbicunque ſit, ſiue in Deo, ſiue in Angelis, ſiue in hominibus ſit virtus vnitiua; cui proprium ſit, vnire & coniungere amantem cum re amata, aut (ſicut ait ſanctus Auguſtinus) bitumen quoddam coniungens ſiue alligans, mutuò ſe amantes in conformitate voluntatum. cupit enim illos cõiungere, maxima, quæ poſsibilis erit, vnione & nexu: ad eum modum, quo dicit Scriptura ſacra, a *animam Ionathæ conglutinatam fuiſſe* quaſi glutine quodam *cum anima* magni ſui amici *Dauidis*. Et Philoſophi dicere ſolebant, quod amantes optarent ex ambobus fieri vnum: quod explicabat Plato per quandam fabulam duorum inſignium amicorum, qui cùm ſimul iter facerent, obuium habuerunt Vulcanum, (quem antiqui fabrum appellabant) qui iuſsit, eos petere, quod vellent: Ipſi verò reſponderunt: petimus vt nos in ferrariam tuam officinam inducas, tuoque malleo & incude nos ita emollias ac diſſoluas, vt ex vtroque fiat vnus. Hac ſua ſententia ſignificantes ingens deſiderium, quo tenentur amantes, vt inuicem ſint inter ſe vniti; modoſque & vias, quas ad id obtinendum adhibent. Sed hoc quod apud homines impoſsibile eſt ac fabuloſum, eſt quodam modo admirabili poſsibile ac verum noſtro magno Deo: qui quod infinito amore ſuas creaturas proſequebatur; ſitque omnipotens ad faciendum quicquid velit, deſiderat ſe illis coniungi maxima vnione, quæ ipſius magnitudini ſit conueniens. Quarè nõ contentus communi illa vnitione, quam cum omnibus habet, per eſſentiam ſcilicet, præſentiam & potentiam ſuam; nec ea, quam habet cum iuſtis per gratiam, nec ea, quam habet cum beatis in gloria; alias duas valdè prodigioſas adinuenit, quæ excedunt capacitatem omnis intellectus creati.

Lib.8. de Trinit.c 10. :.Tho.1.2. q.28.a.1. 1.Reg.18.1 Ariſtophaнes apud Ariſt.2.polit. :2. Vide S. Tho.l.d.ad :.

Vnio hypoſtatica.

Prima eſt *vnio hypoſtatica* diuini verbi cum humana natura, qua vna eademque perſona realiter ac verè Deus eſſet ac homo: filius Dei per æternam generationem; & filius virginis per temporalem. Inducens itaque Deus hominem in officinam infinitæ ſuæ charitatis, fecit ex vtroque vnum, Chriſtum videlicet in quo eſſet infinitæ diuinitatis excellentia, nec tamen proprietates deeſſent humanitatis, ſicut iam eſt declaratum. Verùm hac vnione (ſicut ſanctus Thomas perpendit) licet cognationem cum omnibus hominibus contraxerit, & omnes ſuæ cognationis nobilitauerit ac ditauerit, non tamen cum ſingulis perſonaliter ſe coniunxit. quia id infinitam eius Maieſtatem non decebat; ſed neque omnibus licuit eius præſentia frui, niſi paucis quibuſdam, quibus fuit conceſſum veſtimenta eius tangere, pedes & manus oſculari, vulnera tangere, & in eius ſocietate manere; & ſoli vni virgini fuit conceſſum, ipſum in vtero ſuo tanquam filium proprium geſtare.

Opuſ.58. c.5.

HANC igitur ob causam infinita Dei sapientia ineffabilem aliam vnitionem adinuenit, maximam, quæ præter hanc prædictam esse poterat, qua hic Deus & homo omnibus hominibus iungeretur. Ingressus enim officinã infinitæ suæ charitatis ita se pinsuit, angustauit, & transformauit in cibum & potum, coniungens corpus suum cum speciebus panis; & sanguinem ipsum suum cum speciebus vini, qua ratione verè & corporaliter ingreditur singulos homines, qui hoc sacramentum sumunt; estque intra illos ita ipsis vnitus, vt licet sint duo, vnus tamen vterque esse videatur: eaque vnio tã diu in ipso homine perseuerat, quam diu Sacramenti accidentia perdurant; fitque particeps homo deliciarum & fauorum, quos adeò potens amicus, suis amicis potest communicare.

Vnitio Sacramentalis.

HAEC sunt NOVA illa prodigiosa & mundo inaudita, quibus inuitat nos Ieremias propheta reuocans nobis in memoriam miraculum incarnationis, quod quotidiè in sacra Communione renouatur. a *Vsque quo* (inquit) *deliciis dissolueris filia vaga*, tota effusa ad tuas voluptates: scito enim *quia creauit Dominus* NOVVM *super terram*, FOEMINA CIRCVMDABIT VIRVM: quasi diceret: attende, quod noster magnus Deus, quò te cœlestibus suis deliciis impleret, opus quoddam nouum & prodigiosum fecerit in terra, ingressus in ventrem vnius virginis, ita vt illa intra se circumdet & gestet virum, non quidem ætate, sed sapientia & sanctitate. Quod nouum prodigium adhuc progredietur vlterius. illud enim renouabit Deus quotidiè in terra, quo tu possis eius esse particeps. Nam vna fœmina, & quælibet persona, quæ diuini huius Sacramenti panem comederit, circumdabit intra se realiter ac verè hunc virum, qui est Christus, non iam virum in sapientia, & sanctitate tantum; sed etiam in ætate & integritate viri perfecti, quam nunc habet in throno suo cœlesti. qui suo in quemlibet hominem ingressu communicat ei cœlestes delicias, tanta nouitate, quotiescunque illum accipit, atque si tunc primum illum acciperet. O sublimitas diuitiarum sapientiæ, omnipotentiæ, & charitatis Dei. Quænam sapientia, Deus meus, nisi tua, prodigiosam adeò nouitatem potuisset inuenire? & quę potentia, nisi tua, ad eam exequendam suffecisset? & cuius charitas nisi hæc tua eam velle potuisset, vt suis amicis indulgeret, & iis coniungeretur, quos amat? Clarifica, Domine, oculos meos sapientia tua, vt omnipotentiæ tuæ opera probè intelligam; tuaque immensa charitate totus inflammer, ingressus in hanc tuam officinam, vt euadam per amorem vnitus tuæ infinitæ bonitati.

a *Iere.* 31. 22

§. I.

De spirituali cum Christo Domino nostro vnitione.

PRODIGIOSA hæc Sacramentalis vnitio dirigitur præcipuè ad spiritualem animæ nostræ cum CHRISTO D.N. vnitionem; ita

vt esto sint duo spiritus, per amorem tamen perfectum vnus spiritus efficiantur; iuxta illud Apost. a *Qui adhæret Domino, vnus spiritus est*: & qui Christum manducat, vnus est spiritus cum Christo, vnitate quadam ineffabili, quæ ipsa manducatione significatur. Nam quemadmodum inter omnes res creatas nihil est quod maiori vnione ac similitudine cum homine coniungatur, quàm cibus sumptus: quia conuertitur in ipsius hominis substantiam, induitque ipsasmet eius qualitates: ex quo fit, vt cibi delicati molles carnes nutriant; crassi verò fortia & robusta corpora: ita etiam ingressus Christus D.N. in forma cibi in hominem, connectit cum ipso vnionem & similitudinem spiritualem, licet diuerso modo, quam cibus corporis, sicut ipsemet Dominus S. August. manifestauit dicens: *cibus sum grandium, cresce, & manducabis me: sed non tu me mutabis in te: sed tu mutaberis in me*: quasi ei diceret: qui cibos alios comedit, illos conuertit in suam substantiam desinentibus illis esse, quod erant: comedens enim mutatione hac cibos ipsos viuificat, ita vt & ipsi viuant vita ipsius comedentis, qui eos portat secum quocunque eat. Qui autem diuinum hunc panem comedit, ipse desinit esse quod ante erat, & incipit esse quod est Christus, qui ipsum spiritualiter mutat in seipsum, dans illi spiritualem suam vitam, vt vita viuat ipsiusmet Christi; & ab eodem dirigatur in iis, quæ cogitat, loquitur, & operatur: ad eum modum, quem S. Paulus experiebatur, cùm dixit: b *viuo iam non ego, viuit verò in me Christus*. Nam vt (sanctus Dionysius perpendit) *viuebat vitam amatoriam*, siue amantis, qui non in se, sed viuit in amato, quocum versatur & quiescit: in cuius conspectu semper incedit, cuius opera imitatur, suique ipsius oblitus, solum est solicitus, quomodo placeat dilecto suo IESV. Nam *amatoris animus mortuus est in suo corpore, & viuit in alieno*. & anima, quæ Christum amat, est veluti mortua in seipsa rebusque suis, solum viuens rebus Christi, cum quo se vna coniungit in omnibus: quod (sancto Chrysostomo teste) proprium est vehementer amantium.

[Margin: 1. Cor. 6. 17 — ib. 7. conf. 10. — Gal. 2. 20. ubi supra. — Plato. — Hom. 61. ad pop. & 15. in Ioan.]

QVIS verò explicare poterit præstantiam huius vnitionis, vitamque ex ea prouenientem? ipsemet Dominus non inuenit aptiorem similitudinem, quæ eam declararet, quàm eam conferendo cum æterna & infinita vnione, quam ipse cum æterno suo Patre habet. c *qui manducat* (inquit) *meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet & ego in illo: & sicut misit me viuens pater, & ego viuo propter Patrem: & qui manducat me, & ipse viuet propter me*. O infinita diuinæ charitatis altitudo, quæ ita splendes in cœlesti hoc cibo? quænam vnio maior esse potest, quàm illa quæ meruit comparari ei vnioni, quam Dei filius habet cum æterno suo Patre? Nam quemadmodum ab eo per generationem æternam accepit ipsum esse, & vitam Dei, omnesque eius perfectiones & excellentias: ita proportione quadã, qui diuinũ hunc panẽ comedit, per eum accipit ipsum esse, & vitam Christi, omnes-

[Margin: Ioan. 5. 57. — Par. VI. Med. 42. punct. 4.]

que eius

que eius perfectiones & virtutes; ita vt nec sensum alium, nec vitam aliam habeat, quàm ipsius Christi; nec quicquam operetur, faciatue, quàm per eundem Christum. propterea (ait Sanctus Gregorius Nyssenus) datur nobis qui semper est, in cibum; *vt id efficiamur quod ipse est*, desinentes esse quod sumus, ita vt ipsius gratia, ineffabili quadam similitudine participes efficiamur eius, quod ipse est per naturam. Et hinc prouenit, vt, quando communicas sicut oportet, simul manduces in Sacramento Christum cum eius donis; & ipsemet Christus spiritum & cor tuum comedat; siquidem ipsum in se transformat: sicut comedens sumptum cibum in se conuertit. Vtrumque autem hoc allegat diuina vocatio, cum ad hoc conuiuium nos vocat, dicens: d *Ecce sto ad ostium, & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum & cœnabo cum illo, & ipse mecum*. quasi diceret: Ego per gratiam meam ingrediar eius animam, & solemne conuiuium instituemus: in quo ille corpus meum in Sacramento sumet, fructusque ac virtutes, quas ei meo ingressu communicabo: ego verò Spiritum eius sumam, & in meum transformabo, ne amplius sit quod erat; sed imitatione perfecta sit, quod ego sum, viuatque sicut ego viuo. O Iuste Iustorum, & Sanctorum Sancte, sit felix faustumque quod factus sis homo, & hominum cibus, e *quoniam fructum adinuentionum tuarum comedes*. comedes enim, & simul comederis. comede, Domine, corda te in Sacramento comedentium, transformans ea in tuum Spiritum, ne vltra sibi, sed tibi viuant, te amantes sicut tu illos amas: permanens in illis semper, & illi semper intra te in æternum. AMEN.

In cap. 3. Ecclesiast.

d *Apoc. 3.*

e *Isa. 3. 10*

§. 2.

Varij Spiritualis huius vnitionis gradus.

QVò supremam hanc vnitionem pluris facias, operæ pretium erit, omnes eius gradus ac proprietates aperire; & qua ratione diuinum hoc Sacramentum eos efficiat in iis qui benè dispositi illud sumunt eò maiori eorundem graduum augmento, quò illi maiori præparatione accedunt.

PRIMA omnium vnio fit per communicationem gratiæ, animam, ob lethalem culpam mortuam, viuificantis. Tanta enim est virtus huius Sacramenti, (eo quòd sit panis viuus, habeatq; in se carnem diuini verbi purificatam) vt in aliquo casu det verè vitam, gratiæq; vnitionem ei, qui ea carebat; si accedat vel ignorans se in tali peccato esse; vel id quidẽ sciens, sed nõ potens confiteri, existimans verò se perfectum dolorem habere, quem vocamus contritionem. Vis enim & efficacitas Sacramentorum legis nouæ 1.

resplendet in hoc, quod suppleat hunc Contritionis defectum in eo, qui accipit illa, cum ea præparatione, quam potest moraliter adhibere, quam appellamus Attritionem.

2. 3 part. q. 79. a. 1. SPECTAT tamen magis propriè ad hoc diuinum Sacramentum, (vt ait S. Thomas) conseruare hanc primam vnitionem, vitamque gratiæ quam efficit Baptismus, aut Pœnitentia: id quod præstat valdè excellenter. Nam corporalis cibus etiam æquè preciosus atque ipsum Manna, non sufficit ad sustentandam perpetuò coniunctionem animæ cum corpore, sed ad tempus tantum limitatum, ita vt, qui illo vescitur, tandem moriatur, siue morte violenta, siue ob defectum naturalem ex nimio senio: a *Qui* autem *comedit hunc panem* (ait ipsemet Saluator) *viuet in æternum*. Si enim ipse velit, numquam morte culpæ morietur: panisque hic diuinus virtutem conferet, ad conseruandam in æternum vnitionem, quam habet cum gratia, quæ est ipsius animæ vita; quem propterea panem Propheta appellat b *frumentum electorum*. O altitudo sapientiæ diuinæ quæ cum manducatione panis, nouit electionem æternæ vitæ coniungere! Si vis esse ex numero electorum ad cœlum, manduca frequenter ex arbore hac vitæ, quæ est in medio paradisi Ecclesiæ Militantis; cuius virtute peruenies etiam ad c *edendum de ligno vitæ, quod est in paradiso* Ecclesiæ Triumphantis, vbi clarè videas Deum æternum, quem nunc in Sacramento sumis. O vitæ arbor Christe Iesu, præserua me à morte æternâ, conseruando in me vnitionem cum tua gratia donec illam consequar, quam es mihi daturus in gloria.

a Ioan. 6. 59
b Zach. 9. 17
c Apoc. 2. 7

3. SED vlterius progreditur efficacitas diuini huius Sacramenti. Nã quotiescunque sumitur, nouos addit gradus diuinæ huius vnitionis; gratiamque ita auget, vt nullus sit augmenti terminus: quem tamen terminũ & limitem habet cibus corporis in eius augmento. Et fortè propterea LXX. interpretes Spiritu Dei afflati, hoc Sacramentum appellarunt *frumentum iuuenum*, vt significarent, quod iuuentutem & vigorem spiritualem conseruet, nec permittat senium aut tepiditatem. quin potius d *renouat sicut aquilæ iuuentutem* nouo feruore Spiritus. Quare si desideras cum Sancto Iob e *redire ad dies adolescentiæ tuæ, quando secretò Deus erat in tabernaculo tuo, quando lauabas pedes tuos butyro siue lacte & petra fundebat tibi riuos olei*: manduca hunc panem electorum, quo tectus intret Deus in tuum hospitium, vt renouet spiritualẽ tuam iuuentutẽ, rigans potentias tuas lacte suarũ consolationum manante ex petra hac viua, adeò copioso deuotionis oleo, vt reddat te sanitati, illuminet, emolliat, consoletur, & corroboret te in hac via tua.

Ita S. Hiero. ibi.
d Psal. 102. 5
e Iob. 29. 4

QVOD si vis scire, qua ratione hanc faciat renouationem, respondeo id facere, efficiendo in spiritu actualem vnitionem cum Deo, per recentes feruentesq; amoris ac deuotionis affectus; atque trahendo ad seipsum intellectum lumine illustrationum, quas illi communicat; & post eum etiam vo-

lunta-

luntatem, efficacitate diuinarum inſpirationum. replet enim eam iubilis, & cœleſti quadam ſaturitate, ex reali veraq; præſentia eius Domini, à quo adeo diligitur. Hæc eſt refectio ſpiritus, diuini huius Sacramenti propria. quod eminenter eſt f *cella* cœleſtium *viuorum* ſponſi: in quam ſuos electos *introducit* ac recolligit: &(vt Sanctus Ambroſius ait) adeò eos inebriat, vt omnem curam huius ſæculi dimittant, mortiſq; timorem; & omnium terrenorum obliuiſcantur. Eſt Manna abſconditum, cuius dulcedo tanta eſt, (eo quod in ſe dulcedinis fontem contineat) vt nemo poſsit cognoſcere, qui eam non experiatur. Et quemadmodum Manna, vnicum tantum habebat ſaporem proprium & naturalem, g *quaſi ſimila cum melle*, quem plebs & vulgus percipiebat, nec vllum alium: at iuſti, cum quibus Dominus familiarius agere cupiebat, ac diuinæ ſuauitatis ſuæ diuitias manifeſtare, inueniebant in eodem Manna (vt Sapiens dixit) h *omne delectamentum & omnis ſaporis ſuauitatem: deſeruiens* enim Manna *vniuscuiusq; voluntati, ad quod quis volebat, conuertebatur*. Cum itaq; Manna eſſet vnicum, qui cupiebat Saporem carnis, piſcium, aut fructuum eundem percipiebat: Ita etiam cœleſte hoc Manna gratiam communicat, ac deuotionem ordinariã ijs qui ordinaria & vulgari tantum diſpoſitione illud ſumunt: qualis eſſe ſolet in hominibus vulgaribus & imperfectis in Eccleſia; feruentibus tamen ac perfectis, qui magna præparatione illud ſumunt, magnam abundantiam & ſpiritualium conſolationum varietatem communicat; eos permouens ad varios virtutum affectus iuxta deſiderium, quo ad illud ſumendum accedunt. Si deſideras humilitatem, ſapiet humilitatem; Si patientiam quæris, eius tibi infundet affectus: quod ſi anxiè orationem & contemplationem ſuſpires, hic tui voti compos efficieris: liberaliſsimus enim hic pater, qui voluntatem timentium ſe facit, voluntatem ſuam in tua voluntate conſtituit, vtpote ad finem huius Sacramenti directa; per quod exequitur quod ipſa elegerit, ad perfectius implendam ipſam diuinam. Et quemadmodum ingreſſus in matris vterum, extraordinarijs eam conſolationibus repleuit: quæ teſtimonium dederunt diuinæ ſuæ præſentię, ſtatimq; inſpirauit, vt i *cum feſtinatione abiret in montana, in ciuitatem Iuda in domum Zachariæ*, per quam tanquam inſtrumentum & medium, innumera contulit beneficia infantulo Ioanni, eiuſq; parentibus: ad eundum modum, cum ingreditur ad eos, qui generoſa quadam diſpoſitione hoc Sacramentum ſumunt, eos replet Spirituali lætitia, quæ diuinæ ipſius præſentiæ dat teſtimonium: quibus ſtatim inſpirat, vt ad perfectionis ſublimitatem aſcendant, idq; cum feſtinatione, vt ad eius culmen perueniant, multiſq; animabus benè conſulant, in virtute hoſpitis, quem intra ſe habent: O clementiſsime hoſpes, qui tuorum filiorum voluntati te accommodas vt k *tua* illi deſeruiant, *in qua* eorum *vita* conſiſtit, concede mihi ita voluntatem tuam

f *Cant.* 2.
Serm. 15. *Pſal.* 118.
g *Exod.* 16
1.
h *Sap.* 16. 20. *ita Abu q.* 5. *in cap.* 9. *Exod & q.* 13. *in c.* 16 *& q.* 16 *in cap.* 11. *Numer Lyra in c.* 16. *Sap.*
i *Luc.* 1. 39
k *Pſal.* 29. 6.

in terra facere, ſicut fit in cœlo: vt dignus inueniar, qui panem hunc quotidianum manducem, cuius virtute eos æmuler, qui ſunt in cœlo, eo modo quo fieri poteſt in terra: & ſiquidem l *deliciæ tuæ* ſunt, *eſſe cum filiis hominum*, per hoc diuinum Sacramentum veni, ac viſita filium hunc hominis, miſerijs plenum, vt me in filium Dei conuertas, plenum delicijs ac donis cæleſtibus.

l Prou. 8. 31.

Ex hac vnitione ac refectione Spiritus, alia ſtupenda oritur vnitio & refectio carnis; cui etiam ſua pars contingit, ex præſentia venerabilis huius Sacramenti, quod eam vnit cũ proprio ſuo Spiritu, dum (ait S. Cyrillus) paſſiones eius ſubijcit rationi: eiq; portionem & partem Spiritualium ſuarum conſolationem tribuit, vt omnes ſenſuum delectationes ſpernat: quapropter appellauit Propheta hoc Sacramentum, l *vinum germinans virgines*. caro enim Ieſu mundiſsima, caſtificat animas eorum, quibuſcum vnitur. & quamuis potuiſſet hanc excellentiam ſpeciebus ſacramentalib. panis attribuere; voluit tamen potius vinum exprimere, vt appareat omnipotentia ipſius Saluatoris, quæ florem virginitatis coniunxerit cum potu vini m *in quo ſolet eſſe luxuria*: ſic diſſoluendo Dæmonis adinuentiones, quod eadem re, tanquam inſtrumento caſtitatis vtatur, qua ille vtitur tanquam inſtrumento carnalitatis; quia tanto diuino amore inebriat animã, vt flammas extinguat amoris proprij. Et quoniam opera Dei ſunt perfecta, vinum hoc pretioſiſsimum non generat n *virgines fatuas, ſed prudentes*, virgines ſcilicet in corpore & ſpiritu adeò humiles, & charitate plenas, vt neq; ex virginitate euaneſcant, neq; illis deſit oleum charitatis, vt o *ſequi* poſsint *agnum quocunq; ierit*. Ex quo ſit, vt quemadmodum generat virgines, ita etiam Martyres generet, atq; Doctores, feruentes concionatores, ſacerdotes excellentes, Religioſos perfectos, viroſq; in omnibus ſtatibus ſanctos, fortes, & ſtrenuos contra omnes Dæmones, nihil pertimeſcente ipſa carne licet infirmâ, cum illis congredi. Nam ex hac menſa (ait S. Chryſoſtom.) eximus facti leones, qui flammas ignis per os ſpirent terribiles atq; tremendas vniuerſo inferno. Quid enim magnum eſt, ſi euadas in leonem, cum habeas intra te leonẽ illum de tribu Iuda, qui vicit omnes Dæmones? & quid mirum, ſi ſpires flammas ignis, qui comediſti *ignem conſumentem*? Si vinci non vis, indue huius Sacramenti armaturam, ſine quo (vt ait S. Cyprianus) nemo permittebatur agonem intrare martyrij, quia timebatur *ne mens deficeret, quam recepta Euchariſtia non erigeret ac accenderet*. O vinum fortiſsimũ, flores producens Virginum ac Martyrum, inebria cor meum vi amoris tui; vt poſsim inferni poteſtates ſuperare meæq; carnis flãmas temperare. O panis electorũ, ſub cinerib. humanitatis & charitatis excocte, qui ſimul etiã es Gedeonis gladius, ad exercitus Dæmonum deſtruendos; conforta me tua virtute, vt illos omninò vincam: tua ſiquidem erit meæ victoriæ gloria.

Lib. 4. in c. 19. Ioan.
l Zach. 9. 17.
m Eph. 5. 18.
n Matt 25. 2.
o Apoc. 14. 4.
Homil. 61. ad popul.
Deut. 1. 4.
Epiſt. 14.

§. 3.

§. 3.

De amoris cum proximis vnitione.

EX HAC vnitione amoris cum Christo D. N. de qua hactenus diximus, alia oritur coniunctio & vnitio Iustorum inter se. Nam vt philosophi dicunt quæcunq; sunt eadem, siue vnita vni tertio, etiam sunt eadē siue vnita inter se: quemadmodum duo brachia, quæ vni corpori sunt vnita, etiam sunt inter seipsa colligata. ita cum omnes iusti, dignè cõmunicantes, vni eidemq; Christo in Spiritu sint vniti, habebunt eundem sensum, idem velle, & idem operari ipsi Christo conforme; vnū eundemq; modū humilitatis, & patientiæ; vnam eandemq; conformitatem in virtutib. cum Christo, per quem viuunt, dicente ipso: a *qui manducat me, viuet propter me.* Nam per hoc Sacramentum adeò eminenter efficit hanc vnionē, vt dixerit Apost. b *quoniam vnus panis & vnum corpus multi sumus: omnes qui de vno pane* & de vno calice *participamus*; quibus verbis mirificè nobis declarat sublimitatem huius vnitionis; fundamentum, cui innititur; ac modum quo efficitur; eius deniq; effectus.

a *Ioan.* 6. 58.
b 1. *Cor.* 10. 7.

1. PRIMVM enim, quid est, quod sint vnus panis, omnes qui diuinum hunc panem manducant; nisi quod ad tantam imitationis & vnitionis præstantiā perueniant, vt omnes sint vnus idemq; panis viuus, ipse videlicet Christus; habentes scilicet ipsummet eius Spiritum? Nam quemadmodū omnes Sacræ hostiæ, quæ sunt in vniuerso mundo, etsi plurimæ illæ sint, ac in externis panis accidentibus diuersissimæ; realiter tamen ac verè omnes illæ sunt vnus panis viuus; eò quod in illis sit vnus solus Christus, qui viuens est & cum omnibus illis vnitus: Ita qui dignè communicant, quamuis diuersi sint homines in natura, in Spiritu tamen sunt vnus idemq; panis viuus, qui est Christus, qui viuit in eis, estq; cum illis vnitus. Et quemadmodum omnes illæ hostiæ, propriam suam substantiam amiserunt, vt vnam omnibus communem admitterent, quæ est Christus D. N. Ita qui dignè communicant, amittunt quicquid proprij erat Spiritus, vt eius loco ingrediatur Spiritus Christi, qui vnus & omnibus communis: quia omnes se spoliarunt proprio suo Iudicio, propria voluntate, propriisq; omnibus propensionibus & affectibus; qui discordiarum ac dissensionum sunt radices, solumq; admittunt eos affectus, iudicia, & voluntatem, quæ Christi Spiritui sunt conformia, in quo omnes habent vnum sentire, vnum velle, vnumque operari cum summa conformitate, atque si multa essent corpora, in quibus omnibus vna esset ac viueret anima, ad eum modum, quo de primis Christianis dicitur: c *multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna.* Nam cum diuinus hic panis, non conuertatur in eos, qui illum sumunt: sed contra ipsi in eum mutentur: (vt supra est dictum) manifestè efficitur, omnes qui digne illum sumunt, mutari in vnum eun-

c *Act.* 4. 32.

demq;

demq; Spiritum Christi, fieriq; eundem panem ob conformitatem cum ipso Domino, qui illos transmutauit, & in seipsum ita conuertit, vt omnes
d Gal. 2. 20. vnanimiter dicere posśint, quod dicebat Apost. d *non sumus nos qui viuimus: sed viuit in nobis Christus.* O Christe dulcisśime, esto tu noster vnicus Spiritus; vt omnes Spiritus nostri ita cum tuo vniti, sint quoq; vniti inter se. Amen.

2. SED aliud quoq; mysterium latet in verbo illo Apost. *omnes vnus panis sumus:* insinuare enim voluit viam & rationem, qua hæc vnio exsurgat.
Epist. 63. S. Aug. tract. 26. in Ioan. nam (vt perpendit Sanctus Cyprianus) Christus D.N. instituere voluit hoc Sacramentum in re tali, quæ vna quidem sit, sed fiat tamen ex multis, qualis est panis, qui fit ex multis seminibus frumenti: & vinum quod fit ex multis vuarũ granis. Sic.n.apertius significatur vnio charitatis, quam ipse in suis fidelibus, excellentisśimo hoc cibo mediante, efficere intendebat; ipsaq; ratio eam communicandi, quæ erat ad similitudinem panis & vini. In quorum granis duplicem vnionis rationem licet considerare: alteram naturalem, artificiatam alteram. *Naturalis* vnio consistit in eo, quod plura simul grana in vna spica, aut in botro vno nascantur, valdè inter se similia, in quantitate, in figura, in odore, & sapore: *artificiata* dissoluit hanc vnionem, vt in maiorem aliam commutet: abstrahens enim grana ipsa ab spica siue botro, eaq; communiens, corticem crasśioresq; partes à subtilioribus separat, furfuribus scilicet, ac folliculis reiectis: ex his massam quandam conficit panis, & liquorem quendam vini, qua vnitione confecta, nihil superest quo maius granum à minori, aut album à nigro discernatur: quia omnia conuersa sunt in vnum panem, vnumq; vinum vnitione maxima, quæ perficitur & conditur igne, dum panis in furno coquitur; mustum vero proprio calore feruet aut bullit, vsq; ad perfectam purificationem.

3. EODEM omninò modo inter homines est duplex ratio vnitionis: altera naturæ, altera gratiæ. *Prima* innititur eidem sanguini, aut patriæ, conditioni aut naturali constitutioni; ex qua procedit naturalis amor, quo se inuicem diligunt parentes & filij, fratres & vicini, & qui eandem habent propensionem, & eisdem rebus delectantur. Quæ tamen vnio solet esse valdè imperfecta; & admittere multa carnalia & terrena; ideoq; opus est eam dissoluere, & secernere partem illam, quæ impedit vnitionem gratiæ, quæ multò maior est atq; perfectior. Quamobrem dixit Christus
e Matth. 10. 34. Luc. 12. 51. D.N. se e *venisse in terram, vt separaret hominem aduersus patrem suum, & filium aduersus matrem suam, & aliquos domesticos* ab alijs domesticis, quasi qui grana tritici ex spica, vuas ex botro excipit: quæ conterit & calcat, vt separet ab eis, quicquid est carnale atq; terrenum; mortificando inordinatas carnis & sanguinis affectiones, omniaq; terrena desideria fortunarum, honorum, & deliciarum, quæ charitatis vnitionem cum proximis impe-

diunt

diunt. his enim inordinatis affectionibus mortificatis, coniuncta manent inter se, & charitatis igne condita, & deuotionis calore, Spirituśq; feruore eousq; purificantur & perficiuntur, donec ipsa vnio stricta valdè sit, & in omnibus perfecta. & tunc impletur, quod dixit Apostolus: omnes esse vnum panem, & vnum corpus, qui de hoc diuino pane & calice participamus.

Cum enim Christus Dominus ingreditur in communicantem, mox tanquam gladius, incipit diuidere & separare quicquid charitatis vnitionem impedit: suaq; vehementi inspiratione, efficaciter impellit ad excernendum cor parentum & fratrum à diuitijs, vanisq; honoribus, ac delectationib. sensuum: ita vt hæc omnia carnalia & terrena mortificemus, vt in vnione & concordia cum proximis nostris viuamus. Aliquando inclinat nos ad hæc omnia relinquenda affectu tantum; aliquando etiam effectu & reipsa, sicut faciunt Religiosi, vt vnio sit præstantior, ac securior: tantaq; similitudine, vt, postquam ea est peracta, sint sicut vnus panis, nec facilè discerni possit, quis magnus fuerit, & quis paruus; quis liber, aut seruus, eò quod f *in Christo Iesu* (vt ait Apost.) *omnes vnū estis:* charitatis enim vnio æquales illos in Christo facit, & efficit (vt ait Isaias) g *habitare lupum cum agno, vitulum, leonem, & ouem simul morari: leonemq; quasi bouem comedere paleas.* ita vt qui magni sunt, demittant se ad actiones paruorum; seseq; ijs coniungant, qui alterius sunt constitutionis & complexionis, atq; si eandem & ipsi haberent. habent enim vnum eundemq; Spiritum Christi in se viuentis. O panis vitæ, quas tibi gratias reddemus pro hac vnitione, quam in nobis facere constituis. O si omnes eo Spiritu te sumeremus, vt efficeremur verè vnus panis, non terrenus sed diuinus: desinentes esse quod sumus, vt, quod es tu, essemus: tuiq; amore eam vitam, quam tu ducis, duceremus.

f Gal. 3. 28

g Isaie. 11 6.

4. Ne verò existimes, hanc ipsam vnionem, nullam admittere in statibus & officijs varietatem, aliam idem Apostolus attulit similitudinem, dicens: h *omnes nos esse vnum corpus, in quo multa sint membra,* diuersis officijs destinata: ita tamen coniuncta & vnita, vt non sibi inuicem aduersentur. Nam virtute sanctissimi huius Sacramenti, qui diuersorum sunt statuum, graduūq; in mystico Ecclesiæ, & religionis corpore, adeo sunt inter se vniti, vt diuersitas non efficiat dissensionem, aut disiunctionem. Nam qui magnus est, vnitur cum paruo: & qui paruus est, cum magno. eò quod Spiritus omnes viuificans & connectens sit vnus. quemadmodum anima coniungens omnes corporis partes secum, efficit, vt & illæ inter se coniungantur.

h 1. Cor. 12. 12.

Verum adhuc est mirabilior vnitio, quam habet idem panis, quando eò peruenit, vt cum sumentis corpore coniungatur, cum se accommodat, & assimilat omnibus eius partibus, licet adeò diuersis. Nam dum coniun-

& corpus eò deducam; vosque sedere faciam mecum in throno gloriæ meæ. Siquidem ergo adeò propendet iste Dominus, vt ad te visitandum veniat, non propter suum, sed propter tuum commodum, par est, vt studeas eum excipere valdè frequenter, non tàm propter tuum commodum, quàm vt eius desiderio satisfacias: ita vitam tuam instituens, vt hæc manducatio posit esse valdè frequens: præparando tamen te ad eam excellenti dispositione: sic enim fiet, vt frequentia, rei pretium nòn minuat, sed augeat potiùs: quia & ipsa dona, quæ cum eo conceduntur, augentur. Recordare, inter septem illa, quæ iussit nos ordinaria nostra oratione petere; voluisse vt quarto loco hic panis peteretur, quem *panem quotidianum* appellauit: vt intelligeres te quotidie debere illum desiderare, ac petere: ideoque par esse, vt te ad illum recipiendum digna dispositione præparares. posuit verò hanc petitionem in medio sex reliquarum, eò quod veluti medium quoddam sit ad perfectionem impetrandam, quæ in illis petitur. Quod si optes ad supremum vitæ vnitiuæ culmen pertingere, nullum est medium efficacius, quàm frequens feruensque cælestis huius cibi sumptio, in quo ipsemet perfectionis auctor venit, vt eam augeat atque conseruet, tanquam qui optimè nouerit, quantopere simili auxilio indigeamus. Nam (vt ait Sanctus Laurentius Iustinianus) amor noster est instar ignis, qui in sua propria sphæra non indiget lignis, vt foueatur; extra illam tamen, c *cum defecerint ligna*, quibus continuè foueatur, *statim exstinguitur ignis*. Ideo in veteri lege d *iubebatur sacerdos nutrire ignem altaris subijciens ligna per singulos dies*, quò *semper arderet*: &, vt ait Sapiens e *secundum ligna siluæ sic ignis exardescit*: tantum scilicet fore ait ignem, quanta sunt ligna, quæ apponuntur. In hunc igitur modum Dei amor, quando est in sua propria sphæra, in cœlo videlicet, non opus habet recentibus beneficijs, aut manducationibus, vt conseruetur; quia ad id sufficit clara diuinitatis visio, quam nulla res aduersa destruit aut imminuit: at in terra nostra, vt quæ extra eius sphæram est, multis contrarijs obsessus, facilè perit, nisi duplex adhibeatur nutrimentum. *Alterum* idemq; præcipuum est nutrimentum recentium beneficiorum, quod efficit summus noster Sacerdos Iesvs, ita statuens, vt quotidiè hoc diuinum Sacramentum consecretur, & ipsemet veniat ad ignem illum fouendum; addens singulis visitationibus recentium gratiarum ligna, donaque ad eum conseruandum & augendum; ac proinde quod in se est, vellet, vt quotidiè sacramentaliter eum sumeremus; modò talis adesset dispositio, quæ id promereretur. *Alterum* eiusdem ignis fomentum, sunt profundæ meditationes: & tale fomentum adhibere, spectat ad nos tanquam spirituales Sacerdotes, meditantes quotidiè aliquas, quibus ignis ille magis accendatur: quare quotidiè spiritua-

Serm. de Euchar.
c *Prou. 26. 20.*
d *Leuit. 6. 12.*
e *Eccl. 28. 12.*

perfecta similitudine transformare: ita spiritualis manducatio tres alios actus complectitur, MEDITATIONEM scilicet, MORTIFICATIONEM, & IMITATIONEM perfectam: quas refert Spiritus sanctus per Salomonem dicens: b *quando sederis, vt comedas cum principe, diligenter attende, quæ apposita sunt ante faciem tuam, & statue cultrum in gutture tuo: si tamen habes in potestate animam tuam, ne desideres de cibis eius, in quo est panis mendacij.* quæ verba intelligunt de cœlesti hoc conuiuio insignes duo Ecclesiæ Doctores, sanctus videlicet Ambrosius & Augustinus, sequentes translationem septuaginta interpretum, quæ sic habet: *si sederis cœnare ad mensam potentis, considerans intellige quæ apponuntur tibi: & sic mitte manum tuam: sciens, quod te tale oportet præparare.* Quis est princeps hic potens, qui ad suam nos mensam inuitat, nisi IESVS Christus Dominus noster, princeps pacis & c *potens in opere & sermone?* & quæ est ipsius mensa, nisi diuina scriptura, sacrumque Euangelium, vbi eius mysteria sunt notata? & mensa sanctißimi Sacramenti, in qua summam eorum exposuit? Ad eam te mensam inuitat, quando desideria inspirat legendi & orandi, aut affectum communicandi; ad quod cùm accedis, persuadeas tibi, te non venire, vt solus comedas, sed vt *comedas cum Principe* isto potente: qui tanquam testis aßistet eorum, quæ facis, & tanquam ad idem adiutor, cum quo loquendum tibi, sermonesque miscendi sunt, dum comedis. vult autem, te *sedere*, & non stare, vt intelligas hanc spiritualem manducationem non cursim aut obiter, sed ex instituto & cum mora sumendam.

b *Prou. 23.*

Lib. 1. offic c. 13. Tract. 47 & 84. in Ioan. Vide Iansen. in Prou. 23

c *Act 24. 19*

§. I.

De Consideratione.

PRIMVS actus spiritualis huius manducationis est Consideratio & Meditatio eorum, *quæ tibi apponuntur*: quæ attenta esse debet, absque distractionibus; ac diligens, sine torpore; & profunda, donec assequaris ac penetres omnia, quæ sunt coram te: & nominatim quæ *apponuntur tibi*. Nam in cœlesti hac mensa (vt optimè perpendit sanctus Bernardus) idem euenit quod in conuiuiis principum, in quibus duo sunt genera rerum. Nam quædam cedunt in vtilitatẽ ac delectationem conuiuarum, quales sunt cibi delicati, vinaque preciosa: alia solum ad manifestandum inuitantis principis magnitudinem, qualia sunt aurea & argentea vasa, in quibus cibus & potus apponuntur.

Diligenter attende. Considerãs intellige.

Serm. 1. de Natiuit. & S. Andrea S. Martino & alibi.

ET quemadmodum rudis & inurbanus iudicaretur, qui de cibis appositis ad comedendum, gustare nollet; ita haberetur fur & impudens qui sibi acciperet aurea vasa, in quibus cibi essent positi. ita enim Ioseph fratres suos, ingratitudinis arguit, cùm finxit illos *furatos esse scyphum* argenteum, *in quo & ipse bibebat*, & illis haustum dederat. In hunc ergo modum, in mensa sacri

Euangelij,& huius diuini Sacramenti duo proponuntur, virtutes scilicet & prodigia:& vtraque sunt profundè consideranda; aduertendo virtutes proponi tanquam cibos, vt eas comedas tibique concorpores, faciasque tuas proprias per imitationem. At prodigia & opera stupenda, solum sunt tanquam vasa pretiosissima, ad manifestandam Dei magnitudinem & maiestatem,ad recreandum spiritualem animi aspectum; & vt maiori tua delectatione & suauitate ad virtutes afficiaris, quæ tot rebus stupendis inferuntur, tibique proponuntur. Qui itaque auderet velle imitari miracula,superbus iudicaretur,ac temerarius: Christus enim Seruator noster dixit: b *Discite à me,* non mortuos suscitare,aut visum cœcis tribuere, sed *mites esse* ac *humiles:* quia *ego mitis sum & humilis corde.* Et quoniam non omnia opera virtutum & præcipuè externa omnibus conueniunt, attentius tibi consideranda sunt,*quæ apponuntur tibi*: eò quod illa sint tuæ necessitati, desiderio, proprioque tuæ vocationis fini, magis accommodata, quæ propterea diutius tibi sunt ruminanda,vt magis tibi prosint. Cibus enim etiam valdè pretiosus,si deglutiatur integer nec adeò benè sapit, nec adeò prodest, atq; si comminueretur,& cum mora traijceretur. Quamobrem, cùm Deus D.N. guttur sponsæ laudaret,ait de illo,quod esset c *sicut vinum optimum,dignum dilecto meo,*eo videlicet,qui à me diligitur,*ad potandum,labiisque ac dentibus illius ad ruminandum.* hac sententia significans, officium munusque iusti contemplantis,esse meditari, lenteque ruminare mysteria ac virtutes dilecti sui IESV. omnia enim sunt instar vini, dignissimi quod eius amici bibant, non festinanter haurientes, sed lentè valdè degustantes, seque oblectantes, quasi relingentes,cogitando de eisdem.ne autem existimes, exercitium hoc solum ad feruentes pertinere, alia ait eiusdem loci versio, quod illud vinum sit *commouens labia senum.* quo significat, quemadmodum senes, eo quod sint complexionis debilioris, frigidi, ac melancholi, vehementer delectantur vino,quod illos confortet,calefaciat, & exhilaret: ita qui aduertunt se in spiritu ita consenuisse,vt debiles,frigidi ac tristes sint redditi,maiori cura studere debent lentius degustare cœleste hoc vinum,quò vires illis adferat contra imbecillitatem, feruorem contra tepiditatem; & hilaritatem contra tristitiam. amplectere igitur consilium Spiritus S. cùm ad cœlestem eius *mensam assides,* ac *diligenter attende quæ tibi apponuntur:* distinguendo virtutes à miraculis;& in his lauda, & admirans glorifica omnipotentiam,ea patrantis;& introspice virtutes in eis contentas,tibique manifestas:ex quibus & ex aliis faciens quasi mixturam,& massam quandam extolle bonitatem, splendentem in Domino, in quo illæ sunt: attende autem,& perpende nominatim quæ apponuntur TIBI, vt eas tibi ipsi concorpores.

Mat.11.29

Cant 7 9. vide Titelman.

§.2.De

§. 2.

De Mortificatione.

EODEM spectat secundus actus spiritualis huius manducationis, MORTIFICATIO scilicet, cuius causa adiecit Spiritus S. postquam attenderis, quę apponuntur tibi: *statue cultrum in gutture tuo.* quis enim hic culter est, nisi *mortificatio* & discretio? qui guttur debet transfigere, quod est gustatus & sermonis instrumentum. eò quod meditatio debeat secum penetrantem adeò feruentemque mortificationem, sed discretam tamen adhibere, vt vitam omnem carnalem, & eius inordinatas appetitiones, rerumque sensualium delectationes, inania verba, & reliqua omnia, quæ rebellis carnis sunt fomenta, trucidet, ac mactet. absque hac enim mortificatione, virtutes non poterunt ad animam penetrare; neque earum imitatio poterit exerceri. Et quemadmodum cibus, postquam est in ore comminutus, non prius potest ad omnes corporis partes peruenire, quàm sit benè coctus, dissolutus, & conuersus in sanguinem, ita etiam postquam intellectus meditatus est horum mysteriorum veritates, mittit has ad voluntatem, vt eas concoquat, deuotionis & affectuum calore: qui affectus conuertendi sunt in sanguinem mortificationis, suique ipsius abnegationis, sine qua non potest perfecta, cum ipso Deo Seruatore nostro similitudo obtineri. Ideo enim ipse dixit: a *si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* ita significans, abnegationem ad tum esse, ac transitum ad imitationem, pretiumque quò perfecta sanctitas comparatur. Quamobrem sanctus quidam Abbas, quem refert S. Dorotheus, dicere consueuerat: *da sanguinem & accipe spiritum.* eò quod expensis mortificationum virtutes comparentur. Quod si verum est, & ipsa experientia docet, quamcunque humanam scientiam, sanguine, hoc est labore & importunitate comparari; quid mirum, quod scientia spiritus sanguine abnegationum sit comparanda? resistendo scilicet peccato, prauisque carnis propensionibus, etiam vsque ad sanguinis, si opus erit, effusionem, vt omninò vincantur? Quod si attentiùs consideres, quæ tibi in his mensis & in omnibus earum mysteriis proponuntur, non tibi erit graue, statuere cultrum hunc in gutture tuo. statim enim proponi tibi videbis continuam mortificationis exercitationem, quam ipsemet Princeps, qui te inuitat, adhibuit. is enim transfixum semper in anima sua habuit hunc cultrum, donec in cruce totum sanguinem, remedij tui causa effudit, iuxta æterni patris sententiam dicentis: b *framea, suscitare super pastorem meum: & super virum cohærentem mihi.* O animarum pastor, vir Deo in vnitate personæ vnitus, adde mihi exẽplo tuo spiritum, ad statuendũ in anima mea cultrũ mortificationis, qui tuam transfixit: vt mundo mortuus, viuam, sicut oportet, in tuo conspectu.

a Matth. 16. 24.

Serm 10.

b Zach. 13. 7.

NON

NOTA. NON est tamen sola mortificatio, quæ comitari debet meditationem, cùm dicitur nobis, vt accumbentes mensæ, *statuamus cultrum in gutture nostro.* monemur enim etiam in eadem ipsa oratione & meditatione, cùm res cœlestes sentiuntur & delibantur, cum dulcia colloquia cum Domino miscentur, cultrum statuere mortificationis & discretionis, ne spiritus noxia aliqua nimietate aberret, vel proprius amor spiritualibus ipsis deliciis foueatur, dum pluris illæ fiunt, quàm ipsi cibi, qui sunt ipsæ virtutes; & dum ipsæ virtutes quæruntur propter delectationes earum; aut dum loquimur nimium, & parum cautè & irreuerenter coram Principe, qui nos inuitat, in cuius conspectu decet nos, tanquam cultrum ad guttur habentes, tremere: ne fortè nobis eueniat, quod illi alteri conuiuæ, qui repentè & ignominiosè fuit ex conuiuio nuptiali eiectus, eo quod c *nuptialem vestem non haberet.*

c *Mat.* 22.13

d *Luc.* 3 9.

Cogita ergo quoties ad orationem vel communionem accedis, iam d *securim ad radicem arboris esse positam:* gladiumque diuinæ iustitiæ esse nudatum, teque habere cultrum iam ad guttur & ipsam mortem ante oculos tuos; ac forte eam ipsam diem fore vltimam: hoc enim totum iuuerit te, ad feruenter illud opus præstandum, coniungendo amori timorem: vt alter suppleat, quod alter non poterit. est enim hoc totum necessarium ad tantum animum induendum, vt cultrum hunc contra teipsum arripias. neque enim sine causa Spiritus S. adiecit. *si tamen habes in potestate animam tuam.* vt scilicet attendas diligenter, num tantas vires habeas super animam tuam, vt statuere possis de ea, quod velis; & efficere, vt in omnibus tibi pareat, quæ illi mandaueris: licèt expendenda sit vita, ne amittatur gratia.

§. 3.
De Imitatione.

POST Mortificationem sequitur actus tertius, scilicet IMITATIO, qua virtutum cibus, quem intellectus est meditatus, & voluntas (vt dictum est) acceptauit, concorporatur animæ exercitanti feruentissimè internos suos actus; & efficaciter statuenti, etiam externos exercere, conformiter ad exemplar, quod sibi propositum habet. Quemadmodum enim sumptus coctusque iam cibus, & in sanguinem conuersus, spargitur per omnes corporis venas, magnaque similitudine in cuiusque partis substantiã conuertitur, & vnitur animæ partes omnes viuificanti: ita veritates attentè consideratæ, & mortificationis proposita, quæ inde nascuntur, sparguntur per totum corpus virtutum, ita vt imitatio humilitate exerceat actus humiliationis; patientia actus tolerantiæ; obedientia actus subiectionis: vt anima coniungatur spiritui diuino, omnes illas actiones viuificanti, vt ipsi placeant. Quamobrem dixit S. Bernard. quod in oratione bibatur vinum

Serm. 18. *in Cant.*

ſpiritus inebrians, & obliuionem afferens voluptatum omnium carnis; idemque emolliat interius conſcientiam, adiuuet concoctionem, digeſtionemque cibi bonorum operum; digeratque ſe per omnes animæ facultates, fidem confirmans, ſpem corroborans, a *ordinans charitatem*: & bonos mores perficiens: & propterea fortè loquens Sponſus de vino, quod eius dilecti eſſent guſtaturi, ait iuxta aliam verſionem: *vadens dilecto meo in rectitudines*, ſeu *vadens ad dilectum meum directè*: quod ſcilicet recta ingrediatur in dilectum ſuum, efficiens intra ipſum directiones, aut rectitudines. dirigit enim regitque omnes potentias, & animæ virtutes, vt recta proprium ſuum finem obtineant. In quo ſtatim apparet diſcrimen corporalis vini ab ſpirituali; illud enim curuat, quod eſt rectum; hoc, quod eſt curuum, rectificat; illud ſenſus obtundit, hoc clarificat; illud linguam ſoluit, vt ſine attentione, & iudicio loquatur; hoc eam dirigit, vt loquatur ſicut oportet. denique pretioſum hoc vinum dirigit proprium iudicium, vt ſe alieno ſubijciat; & voluntatem propriam, vt ſe addicat diuinæ, & ipſos appetitus, vt rationi pareant: & omnes greſſus motuſque hominis externi, vt conformiter incedant ad hominem interiorem, & vterque conformet ſe nouo homini, Chriſto IESV, qui prima eſt regula, & amuſsis totius rectitudinis, quem propterea par eſt omnes imitari.

a Cant. 25.
Cant. 7. 9. vide Titelman.

AD idem pertinet, quod adiecit Spiritus ſanctus, monens eum, qui accumbit menſæ potentis, manumque extendit ad cibos: *ſciens* (inquit) *quod te talia oportet præparare*: quaſi diceret, attende, quod lege gratitudinis tenearis inuitantem te reinuitare; eique ſimiles eſcas proponere iis, quas ipſe tibi propoſuit, iuxta facultates tuas. & cùm Chriſtus Dominus noſter te inuitet, offeratque ferculum cum exemplo ſuæ humilitatis, obedientiæ & charitatis, reliquarumque virtutum, debeas tu & illum inuitare tuis virtutibus, propoſitis, earumque actionibus & exercitiis. Hic enim eſt cibus, quo ſupremus hic princeps oblectatur. Et cùm ad orandum & communicandum accedis, optat ipſe hoc ſibi conuiuium exhiberi, vt comedat tecum de illis, quæ tu ei obtuleris. Propterea ſiquidem dixit in Apocalypſi: b *ſi aperueris mihi ianuam intrabo ad te, cœnaboque tecum, & tu mecum*; tu ſumas gratias & dona, quæ tibi concedet; affectuſque, & vires quas magnaliis eius meditandis accipies. Ille verò acceptabit efficacia tua propoſita illi ſeruiendi; ferventeſque actus, quos in eius præſentia exerces. & quemadmodum tu paſceris verbis, quæ ab ipſo audis: ita viciſsim ipſe recreatur verbis, quæ tu profers, cùm oras, cùm ipſum laudas, gratiaſque pro eius donis agis. Sic finitur perfecta ſpiritus manducatio, cuius perfectus cibus non eſt meditatio abſque mortificatione, & imitatione. Soli enim diſcurſus, inſtar ſunt manducationis quæ euenit in ſomniis, de qua dixit Iſaias: c *ſic ſomniat eſuriens, & comedit: cum autem fuerit expergefactus, vacua eſt anima eius. & ſicut ſomniat*

b Apoc. 3. 20.
c Iſa. 29. 8.

sitiens, & bibit: & postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit, & anima eius vacua est, sicut antequam somniaret: ita eadem anima debilis manet, ac manis post ipsos discursus, sicut erat ante eos. Quia non accepit verum cibum
Ioan. 4.34 cordis, de quo dixit Christus Dominus noster, a *cibus meus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, vt perficiam opus eius.* quasi diceret, cibus meus non solum est, vt cognoscam voluntatem patris mei, sed vt illam faciam: nec solùm nutrior ex hoc quod meam abnegem voluntatem, hoc solo nomine, quod illam abnegem: sed vt faciam voluntatem eius qui me misit; studendo in hoc progredi, donec voluntas mea in hac actione conformis omnino sit eius voluntati.

O Saluator dulcissime, concede mihi semper hunc cibum, vt spiritus meus illo semper iuuetur atque foueatur, manducet meus intellectus panem meditationis, vt voluntas mea panem comedat mortificationis; totaque anima mea pane imitationis vescatur, vt & tu cum cibum comedas, quo delectaris, procurante me tibi placere in omnibus, quæ mihi facienda præscribis.

§. 4.

De præparatione ad sacram Communionem.

EX prædictis deducere licebit: perfectam ad Sacramentalem Communionem præparationem, consistere in his tribus spiritualis manducationis actibus hactenus positis.

I. PRIMVM in meditandis sanctissimi huius Sacramenti magnalibus, quemadmodum in præcedentibus capitibus est dictum: quò excites in anima tua magnam æstimationem & famem illud recipiendi, ei similem quam ipsemet Dominus habuit in ipsa nocte, qua illud instituit, dicens Apostolis
Luc. 22.15. suis: a *desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum antequam patiar.* O Saluator mi, tu ipse aperi, quam fuerit magnum, quamque antiquum desiderium: & cur ad finem vsque vitæ illud implere distuleris? desiderium, inquit, meum æquè antiquum est, atque ego. Nam ab ipso meæ incarnationis instanti, videns me posse in forma cibi cum electis meis coniungi, idem ex eodem feruore desideraui, quo me ad mortem pro eis subeundam obtuli. Et quamuis desiderium illud semper fuerit continuatum; distuli tamen illud explere ad finem vsque vitæ meæ: vt hinc tu discas, benè collocatum tempus debere triginta tres annos feruentis desiderij, & præparationis, vt vel semel frui liceat hoc ipso conuiuio. quod si sæpius fiat, ita semper fieri debet, atque si tunc vltimo esset sumendum pro viatico ad æternam vitam. quod vt impetres, meditari oportet heroicas mortificationes ac virtutes, quæ in eodem Sacramento resplendent: exacuendo famem ac desiderium, vt ipse Dominus te disponat ornetque similibus aliis. De ipso enim dicitur b *inclinauit*
Psal. 17.10

cœlos & descendit, & caligo siue nubes *sub pedibus eius*. Quid est inclinare suos cœlos, nisi communicare hominibus gratias virtutesq; cœlestes, quæ veluti humiliatæ fiunt & abiectæ, quando in vilibus nostris cordibus habitant. At eius humiliatio, nostra est exaltatio: quia nos transferunt è terra in cœlum, cum iis ornamentis, quæ habent Spiritus beati. Tunc quando descendit Christus Dominus noster vt recipiatur in nostris animabus, quæ instar sunt cœlorum, quamuis obtectus veniat nube huius Sacramenti. Hos enim aduentus, quasi obiter fit, ad visitandos eos, qui peregrinantur cum obscuritate fidei, donec perueniant ad claram gloriæ eius visionem.

2. SED quoniam apta præparatio non in solis meditationibus, ac desideriis consistit, coniungendus est secundus actus, mortificando scilicet quicquid vitiosum atque imperfectum est, quod tempori tali communio indignū reddere: præcipuè vero arripiendus est culter mortificationis, & transigendus per guttur, quod organum est & instrumentum ad manducandum, & loquendum: ita vt illa die refrenes compescasque inordinatas appetitiones ciborum, & colloquiorum terrenorum. Cum enim Christus D.N. per tuam linguam & guttur sit transiturus, nō decet aliquid exiisse aut intrasse per illud, quod maculet animam tuam. Et propterea forte Spiritus S. adiecit, *ne desideres de cibis eius, in quo est panis mendacij*. non enim benè se cōpatiuntur duo desideria, duæq; fames adeò contrariæ, qualis est fames ciborū principis cœlestis, cuius panis est veritas & Sanctitas; & fames ciborum principis huius mundi, cuius panis est mendacium & malitia. & si hanc famem mortificaueris, statim altera reuiuiscet, & augebitur, efficietque vt prosit tibi manducatio comedenti diuinum hunc agnum, vt ait Apostolus, c *cum azymis synceritatis & veritatis*: cum anima scilicet pura absque d *fermento* corruptionis, plena synceritate in affectibus, & in sensibus veritate. Et quoniam synceritas hæc & veritas præcipuè consistit in altitudine & puritate actionis, qua ad communicandum accedis, expedit perfectissimam illam procurare. c 1. Cor. 5. 8. d Exod. 12. 15.

Aduertes igitur, (vt ait Sanctus Bonauentura) octo fines siue motiua posse nos ad communionem permouere. *Quosdam* enim impellit experientia infirmitatum suarum spiritualium, vt adducent ad suam domum cœlestem medicum qui ab eis illos eripiat. *Alios* ipsa propriorum peccatorum conscientia vrget, vt æterno Patri sacrificium offerant, quo placatur; & satisfactionem, quæ pro eis illi debetur. *Alios* ipsæ angustiæ magnæ alicuius tribulationis, aut tentationis, ad communicandum inducunt, vt hic Dominus, qui omnia potest, ipsos iuuet, suaque præsentia protegat. *Alij* accedunt ad communionem cum feruenti desiderio, gratiam aliquam aut beneficium, ab æterno Patre impetrandi adhibentes aduocatum aut intercessorem eum, cui pater nihil possit denegare. *Alii* accedunt cum Spiritu gratitudinis, ob accepta beneficia, offerentes Deo calicem hunc Salutaris quo suam


Process. 7. Relig. c. 22.
1.
2.
3.
4.
5.

6. gratitudinem proteſtentur. *Alij* cum Spiritu laudis, ad honorandum Deum, eiuſque Sanctos, digniſsimam hanc hoſtiam offerentes, ad illorum gloriam.
7. *Alios* excitat charitas in proximos, ſiue viuos ſiue vita functos, quos cupiunt iuuare ſanguine Christi Ieſu, qui eſt efficaciſsimus ad viuos à ſuis peccatis:
8. defunctos verò à pœnis, quas pro ſuis ſuſtinent, eruendos. *Alios* denique trahit amor Dei optantes à ſuo dilecto ſæpius viſitari, quo illum ſecum habere, & ex intimo cordis amplecti, eidemque cordiali vnitione charitatis vniri poſsint: eo quod in eo ſolo inueniant quicquid eorum Spiritus deſiderare poteſt, iuxta illud S. Ambroſij: *Christus nobis omnia eſt*. ſi cupis tua vulnera curari, ipſe eſt medicus; ſi concupiſcentiarum febribus æſtuas, ille eſt fons; ſi es peccatis onuſtus, ille eſt iuſtitia; ſi auxilio indiges, ipſe eſt fortitudo; ſi mortem times, ipſe eſt vita; ſi cupis cœlum, ipſe eſt via; ſi tenebras fugis, ipſe eſt lux, ſi deſideras nutrimentum, ipſe cibus eſt; e *guſtate & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus: beatus vir, qui ſperat in eo*, ſpiritumque ſuum cum adeò dulci Redemptore coniunxit. O Redemptor mi, & omnia mea: ſi te habeo, quid amplius volo? ſi tibi ſum vnitus, quid amplius deſidero? Nunc licebit mihi dicere cum Sponſa f *botrus cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi*. Quid habet Inſula Cypri remota cum Engaddi quæ eſt in tribu Iuda, prope mare mortuum? quod ſi interiora huius Sacramenti inſpicio, dilectus meus eſt botrus omnino cœleſtis, denſus valde, plenuſque vuis dulciſsimis virtutum dotiumque præſtantiſsimarum: quod ſi exteriora aſpicio, eſt fructus, qui in terra noſtra inuenitur ad nutritionem, ſalutem, lætitiam, & vitam eorum, qui eius nomen confitentur, peccato verò ſunt mortui. Engaddi ſignificat fontem hædi, & oculum tentationis: dilectus autem meus fons eſt, quo mea lauantur peccata, in quo omnes cupiditates meæ ſuffocantur; in quo omnia mea bona deſideria explentur: eſt oculus ille, qui me dirigit, tuaturque in tentationibus, & ab omnibus periculis eruit. Quis mihi det, vt omnes culpæ meæ in præclariſsimo hoc fonte lauentur? quo dignè liceat diuini huius botri vuas comedere, cœleſtique vinum haurire, ac dulcedinem delibare: quam ſibi ſeruientibus in terra communicat, vt cum feruore progrediantur, ad fruendum ea, quam abundanter communicat iis qui habitant in cœlo, ipſi corregnantes in Æternum. AMEN.

Lib.3 de Virgin. post med.

e *Psal. 33. 9*

f *Cant. 1. 14. S. Hier. de locis Hebraicis.*



CAPVT

CAPVT XVIII.

DE CHRISTI DOMINI NOSTRI COGNITIONE iuxta gloriosum statum, quem habet in cælo Empyreo, & officiis præclaris, quæ illic erga nos exercet.



AD INTEGRAM & perfectam Christi Domini nostri cognitionem illud solum nunc est reliquum vt eum consideremus in statu illo glorioso, quem post suam resurrectionem est consecutus, & nunc in Empyreo cœlo posſidet, sedens ad dexteram patris, posſidens optima eius gloriæ bona; ex qua cognitione consequemur plenè quod dixit Apostolus, quod a *reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur.* quæ autem est gloria Seruatoris, nisi quam ipsemet explicuit: b *hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Non est ingressus hic Dominus in gloriam animæ, per passionem: quia ab instanti suæ conceptionis eam habuit, sed ingressus est in gloriam corporis, quæ data est illi post resurrectionem & in throno gloriæ, quam habet in cœlo Empyreo, quò peruenit in die Ascensionis suæ. a 2 Cor. 3. 18. b Luc. 24. 26.

HAEC gloria consistit in quatuor gloriosisſimis dotibus, quibus sanctisſimum corpus suum exornauit, CLARITATE videlicet millies maiori, quam sit sol, IMMORTALITATE, vt nunquam amplius moriatur; IMPATIBILITATE, vt non sit capax vllius passionis, AGILITATE, vt eat quocunq; voluerit absq; defatigatione, & summa velocitate; SVBTILITATE deniq; aut Spiritualitate, viuens in carne non subiectus tributis carnis, sed ab eis exemptus, quemadmodum viuit qui est purus Spiritus. Hæc est gloria, quam ostendit in monte Thabor suis discipulis, cum c *resplenduit facies eius sicut Sol; vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix.* & quamuis Sanctus Petrus minimam eius partem tantum videret, adeò tamen ea visione satiatus est, atq; si nihil amplius haberet, quod in hoc mundo videret aut desideraret. Quid autem fecisset aut dixisset, si eam plenè vidisset, quemadmodum eius Magister nunc eam habet in cœlo? Si vel vnica tantum gutta eius gloriæ pergustata, tanto affectus est fastidio omnis rei creatæ, quid fecisset, (ait Sanctus Augustinus) si ingressus fuisset in abyssum gaudij Domini sui, ac bibisset ex copiosisſimo dulcedinis eius flumine? O Saluator dulcisſime, concede mihi Spiritu intrare in cœlum istud Empyreum, & appropinquare diuino tuo throno, gloriamq; tui glorificati corporis contemplari, vt transformer in imaginem gloriæ, quam illa repræsentat. Med. 52. par. 6. puncto. 2. c Matth. 17. 1. in Soliloq. c. 2.

§. 1.

AB HOC desiderio ansicanea est tibi hæc meditatio, memor illius quod
a Coloss. 3. 1 dixit Apostolus: a *si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens.* quibus verbis significat, oportere te resurrexisse cum Christo ad nouam vitam, si velis eum contemplari, sicut est in gloria sua. ita vt particeps sis gloriosæ figuræ Christi r[illegible]; ac proinde oportere te transiuisse per meditationes Christi crucifixi ac [illegible] tui, cum virtutum eius imitatione. propterea siquidem sponsa prius dixit:
b Cant. 1. 13. 14. Ser. 4. 4 in Cant. b *fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi:* & mox adiecit, *botrus cypri dilectus meus mihi.* significans (vt S. Bern. declarat) quod qui fuit fasciculus myrrhæ in passione, excitans eam ad considerationes & affectus valde amaros: idem postea fuerit botrus vuarum in resurrectione, impellens eam ad considerationes, & affectus valde dulces. Si quidem ergo botrus hic diuinus tibi proponitur
Num. 13. 28 tur tanquam indicium fertilitatis promissionis terræ æternæ, quam speramus, non decet integrum deglutire, quia non percipies eius dulcedinem sed singula grana; perpendendo vid. seorsim singulas eius gloriæ dotes. Intuere
1. ergo primum pulchritudinem, CLARITATEM, & splendorem diuini illius corporis, quod fuit aliquando deformatissimum & abiectissimum totius
c Isa. 53. 2. mundi, adeò vt eius Propheta dixerit: c *non est species ei neque decor: & vidimus eum, & non erat aspectus: & desiderauimus eum despectum & nouissimum virorum.*
d 1. Petr. 1. 12. O facies pulcherrima & speciosissima, d *in quam desiderant Angeli prospicere.* Nam licet semper te aspiciant, nunquam tamen aspiciendo satiantur; gaudeo de ista pulchritudine, qua es prædita, & qua ita illos ad te allicis. O anima mea, si daretur tibi, speciosissimam diuini [illegible] faciei formam intueri, inuenires procul dubio in ea plura [illegible], quæ viderentur; licet non omnia posses comprehendere. O sponsa Regis æterni, quæ eius pulchri-
e Cant. 5. 10. tudinem vidisti, dic mihi e *qualis est dilectus tuus*, vt cor meum desiderio eius videndi accendatur: quid de eius capite, quid de coma, quid de oculis, maxillis, labijs, & manibus eius dicis? *dilectus meus*, inquit, *candidus & rubicundus, electus ex millibus.* quicquid habet præstat omnibus, quæ omnes Creaturæ habent, omnis pulchritudo siue in cœlo, siue in terra tanquam nihil est, comparatione eius & omnis similitudo quæ ex eis potest adhiberi, valdè humilis est & abiecta. Si enim dico, caput eius, esse tanquam aurum: comas, sicut elatas palmarum: oculos sicut columbas, quæ lacte sunt lotæ: labia, sicut lilia: genas, sicut granata: manus sicut sapphiros: adeò quæ ipse habet his omnib. præstant, vt hæc dicendo, quasi nihil dici videatur. O Rex gloriæ, gaudeo quod sit tanta tua pulchritudo, tuaq; claritas; vt nihil omnino sit quod plene possit illa exprimere? ô speciosissime præ omnes filios hominum, compatere magnæ meæ fœditati.
f Psal. 44. 4. f *Specie tua & pulchritudine tua intende prosperè, procede & regna.* tua est omnis pulchritudo, & à te procedit

mea.

mea. Per eam quæ in te est, supplex oro, vt eius me facias participẽ, eandem mihi radio aliquo tuæ lucis manifestando, vt eam cognoscam & amem: incipe & prosequere in me, tuæ redemptionis opus, amore tuo me dirigens, donec perueniam ad tui regni magnitudinem intuendam; g *Te, Regem in decore tuo videndum.* Amen. g *Isai.* 33. 17.

2. Hinc pergere poteris ad considerationem aliarum dotium gloriæ perpendendo quæ dixit Apostolus in hunc finem: h *quod* in hac vita *seminatur*, in futura colligi, & qualis est sementis, talem futuram messem: & quoniam sementis Christi D. N. fuit in magna ignominia, messis fuit in magna gloria. O mundi Saluator, quid dicere potero de ijs, quæ in tua passione seminasti, & in resurrectione collegisti; & quibus nunc in tuo regno frueris? seminasti in sepulcro corpus tuum mortale, per mortem amarissimam: resuscitasti verò illud immortale, vt non amplius i *iam moriatur*, sed viuat semper vitam gloriosissimam; seminasti illud patibile, tormentis & cruciatibus plenum: sed surrexit impatibile, plenum summis gaudijs seminasti illud deformatum, graue milleq; afflictionib. affectum: surrexit pulcrum, agile, & ab omnibus laboribus expeditum. Seminasti carnis miserijs subiectum, & prodijt cum nobilitate & subtilitate Spiritus. O *granum frumẽti* quod k *cadẽs in terram mortuum* fuisti, *vt multum proferres fructum*, generans multa alia grana, in donis & gratia tibi similia, doce me hanc sementem, sicut tu fecisti, instituere vt fructum ex ea colligam, quem tu collegisti. h Galat. 6. 8. & 1. Cor. 15. 42. i 1. Rom. 6. 9. k Ioan 12. 24.

3. Quod si scire velis huius considerationis fructum: id fiet transformando tuum Spiritum, in imaginem Christi glorificati, ita vt sis per gratiam pulcher; per fidem splendens; immortalis per constantiam & perseuerantiam in conseruanda vita charitatis; impatibilis per talem tuarum perturbationum mortificationem, vt liberet te ab omnibus spiritualib. infirmitatibus; agilis ob promptitudinem, & velocitatem in obedientia omnium diuinorum præceptorum, Deiq; consiliorum, ac inspirationum. Ac deniq; subtilis & spiritualis cum pleno tuæ carnis dominio, vt ab eis impedimentis expeditus, ascendere possis ad tuam conuersationem in cœlis habendam. Et tunc licebit spem concipere colligendi eos fructus corpori tuo, quos Redemptor suo collegit: dicens cum Apostolo: l *Saluatorem expectamus D. N. Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Nam ex transformatione Spiritus sequetur suo tempore transformatio etiam corporis; imitando (vt ait S. Greg.) ex nunc spiritualiter, quod obtinebis in resurrectione corporaliter vt tu quoq; tanquam eius *dilectus* sis per imitationem *botrus cypri in vineis Engaddi*, ducens Spiritu vitam quandam cœlestem, qualem ille in cœlo habet, licet corpore sustineas miserias terrenas. l *Phil.* 3. 20. *In Cant.* 1. m *Cant.* 1. 14.

§. 2.

NE tamen existimes, quamuis Christus D. N. in cœlo Empyreo sedeat in throno suo, requiescens iam à præteritis laboribus, eorumq; fructu in suo naturali corpore gaudens, eum propterea prætermittere præclarissima officia, in vtilitatem corporis sui mystici, Ecclesiæ videlicet, & congregationis fidelium, & electorum suorum. Neq; enim vel ad punctum ibi manet otiosus, sed semper attentus & occupatus, absq; vllo tamen labore, aut molestia, sed summa potius oblectatione & quiete.

1. Aduocatus. PRIMVM enim præstat officium Aduocati nostri, vt nobis applicet fructum suæ redemptionis pro nostris peccatis. quemadmodum dixit dilectus eius discipulus: a *si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed pro omnibus totius mundi.* Et qualem putas aduocatum? est sapientissimus, in omnibus nostris necessitatibus agnoscendis; prudentissimus in admirandis consilijs, ac remedijs dandis; strenuissimus in eisdem solicitandis, nobisq; applicandis; misericordissimus in commiseratione nostrarum miseriarum; & potentissimus in sua aduocatione, vt nos ab eis liberet. Nam cum ipse sit iustus, ipsaq; iustitia non indiget vt propria sua negotia agat; & cum sanguine suo ex iustitia satisfecerit pro peccatoribus, dum sua vulnera patri ostendit, potenter agit illorum causam. ad hoc siquidem (vt ait Apostolus) b *ascendit in ipsum cœlum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis*, c *semper viuens* in eius præsentia *ad interpellandum pro nobis.* Quod si diuina iustitia contra aliquem peccatorem irata dixerit d *ecce anni tres sunt ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio: succide ergo illam, vt quid etiam terram occupat?* ille partes eius intercedendo agit, & *respondens dicit illi: dimitte illam & hoc anno, vsq; dum fodiam circa illam*, & aliquod remedium adhibeam, vt videam, an fructum ferat. Estq; adeo potens eius intercessio, vt iustitia diuina propter eam, sententiam proferre differat, donec fiat experimentum; eius verò est tanta misericordia, vt ipsemet sese occupet in *fodiendo* & *mittendo stercora* circa ficum, non prætermittens remedia quæ prodesse illi possint. O aduocate dulcissime, & amabilissime, fateor, me ficulneam esse inutilem, ac dignam, quæ malediceretur, & euelleretur ex rigore tuæ Iustitiæ; sed intercedat pro me tua misericordia adhibés mihi remedium quodcunq; conueniens, etiamsi alioquin doleat, vt fructum proferam, quem æternus tuus Pater requirit, ac desiderat. Amen.

a 1. Ioan. 2.
b Hebr. 9. 24.
c Hebr 7. 25.
d Luc. 13. 7

2. Eleemosynarius supremus. CVM hoc officio, quod illi tanquam homini conuenit, alterum adiungit Christus D. N. quo valde nobis indulget, & licet appellare supremi ELEEMOSYNARII Dei: omnes enim Eleemosynæ quæ petuntur à patre

æterno, per filium petuntur, & per eundem ipse pater eas distribuit, ac proinde ad illum remittit quæcunq; memorialia ipsi offerantur, eò quod omnia posuerit in manibus eius; & omnes benedictiones & eleemosynæ spirituales, quæ de cœlo descendunt, per manum IESV Christi descendunt, & in pauperes in terra degentes distribuuntur. Ideoq; dicere licet, Christum D.N. in throno gloriæ suæ, semper recipere memorialia, & audire petitiones, ac distribuere eleemosynas summa liberalitate & misericordia, vt supra est dictum.

SED eius liberalitas non astringitur ad solas Eleemosynas, quæ petuntur; sed extendit se ad distribuendum, magna effusione omnes gratias & dona, quæ procedunt à Patre luminum, omnesq; d *benedictiones cœlestes*, quas constituit suis electis communicare. oēs.n. (vt ait Apost.) descendunt ad nos per manum IESV Christi, qui *ascendens in altum dedit dona hominibus*, singulis distribuendo propriam mensuram; & omnib. communicando varietatē gratiarum: & ꝙ amplius est, etiam ipse mittit supremum omniū donū, quod est Spiritus S. quemadmodū super Apost. misit; quod præstat semper officium inuisibiliter omnib. qui ad illud recipiendum se disponunt; quos etiā iuuat, vt se disponant, mittens innumeram inspirationum multitudinem ad omnes memorabiles affectus, quos per illas operatur. 3. *Munerum distributor.* d *Eph. 1. 3.* e *Eph. 4. 8.*

PRAETER hæc officia aliud quoq; præstat, quod plurima alia complectitur, supremi sc. GVBERNATORIS, & capitis Ecclesiæ, Regis, Ducis, & Pastoris totius sui gregis, omnib. assistens, vt oēs adiuuet; eadem ipsorū officia cum singulis præstans. Nam ipse cum Pontificib. suisq; vicariis, officiū facit summi Pontificis, in omnib. quæ illi definiunt, statuunt, & faciunt, quà tales sunt, exequitur officiū Episcopi & Pastoris animarum nostrarum, cum Episcopis & pastoribus earum. Præstat officium sacerdotis, cum sacerdotib. & confessarijs. Nam cum eis offert se ipsum in sacrificium, descenditq; è cœlo, vt sit ipsa oblatio: per eos ipse loquitur & consecrat, quando dicunt, *hoc est corpus meū*. per eosdem absoluit etiam à peccatis, cùm dicūt: *ego te absoluo.* facit officium Concionatoris, cu ipsis Concionatorib. per quos & ipse prædicat, & loquitur ad cor auditorum. Non.n. tam ipsi loquuntur, quam Spiritus Christi, qui per eos loquitur. Facit officiū Magistri cū Magistris spiritus, inspirans eis quæ docere debeant, & ipsemet per eos illud docet auditores in intimo animæ secreto. Ipse orat cum omnib. qui orant, meditantur & contemplantur, eos dirigens & internè gubernans in sua oratione, & quādo in aliqua tribulatione & pugna sunt, sicut S. Stephanus, se illis ostendit stantem instar pugnantis pro ipsis, vt illos pugnantes adiuuet. 4. *Gubernator.*

Et quid vltra de hoc Domino dicam? præstat quoq; officium supremi QVAESTORIS æterni sui patris. ipsi.n. incumbit, soluere ac remunerare in hac & in futura vita seruitia ipsi præstita, ipse est supremus ille f *procurator*, 5. *Quæstor supremus.* f *Matth. 20 8.*

cui dixit paterfamilias: voca operarios, & redde illis mercedē. iste est Dominus, qui iustos remunerat cum magna abundantia spiritualiũ consolationum, & augmento gratiarum & virtutũ; quib. etiam distribuit aliquas gratias gratis datas, aliosq; extraordinarios fauores. ipse est, qui reddit in parato g *centuplum ijs, qui propter ipsum rebus suis renunciauerint.* ipse donum largitur perseuerantiæ, distribuitq; coronas glorię, vt suauissimè refert Auctor. 4. lib. Esd. ex quo ipsa Ecclesia accipit aliqua verba. h *Vidi* (inquit) *in monte Sion turbam magnam, quam numerare non potui, & omnes canticis collaudabant Dominum. Et in medio eorum, erat iuuenis statura celsus, eminentior omnibus illis, & singulis eorũ capitibus imponebat coronas, & magis exaltabatur: ego autem miraculo tenebar. Tunc interrogaui Angelum & dixi: Qui sunt hi Domine? qui respondens dixit mihi. hi sunt qui mortalem tunicam deposuerunt, & immortalem sumpserunt, & confessi sunt nomen Dei: modo coronantur & accipiunt palmas. Et dixi Angelo. ille iuuenis, quis est, qui eis coronas imponit, & palmas in manus tradit? & respondens dixit mihi: ipse est filius Dei, quem in sæculo confessi sunt.* ac propterea nunc eorum laborẽ remunerat. ô fili Dei viui, ex corde gaudeo, quod tales in tuo comitatu viros habeas, quibus tua spolia distribuas, & tuorum præmiorum participes facias, exerce erga me reliqua officia, quæ ad obsequium tibi exhibendum diriguntur, vt dignus inueniar, erga quem etiam præstes quęstoris officium, deducens me ad corregnandum tecum in cœlis. Amen.

g *Matth. 19. 29.*

h *Lib. 4. c. 2. 42. Apoc. 7. 9.*

6. *Iudex.* VIDEMUR officij Iudicis obliti, quod tamen hic ipse Dominus exercet cum hominibus, non solùm bonos remunerando, sed etiam improbos in hac vita castigando, sententiam in eos ferens, & morte damnans, reddens pœnas ad mensuram culparum. Quod officium continuè exercebit vsq; ad nouissimum vniuersalis iudicij diem, quo reuertetur publicè in mundum, cum maiestate magna, vt omnes homines iudicet, post eorum resurrectionem; repellendo à se peccatores in ignem æternum: iustos verò deducendo secum ad gaudia cœlestia.


SED quoniam de hoc iudicio multa sunt alibi dicta, id solum nunc addam, quod cum illo die (vt ait S. Ioannes) Dominus iste i *aperturus* sit, totiq; mundo manifestaturus *librum* sanctissimæ *vitæ* suæ, vt ex ijs, *quæ in eo scripta erant*, peccatores iudicentur ac damnentur, eo quod nec illum legere, nec imitari voluerint; rationi erit consentaneũ, quemadmodum S. Greg. monet, nunc studere lectioni & meditationi huius libri, & reliquorũ, qui sunt scientiæ mysticę, de quib. hactenus egimus, transformantes in nos ipsos virtutes, ad quas talis lectio nos inducit, & aspirantes ad perfectionem supremam, quæ ex libro diuinæ essentiæ deduci potest, de quo libro in proximo Tractatu est agendum.

Part 1. Med 13. &c.

i *Apoc. 20. 12.*

Lib. 24. Mor. c. 6.


FINIS TRACTATUS SECUNDI.



DVCIS SPIRITVALIS TRACTATVS TERTIVS

DE PERFECTA CONTEMPLATIONE ET VNITIONE CVM DEO.

INTRODVCTIO.



VAMVIS hic Tractatus, vt ipse titulus indicat, pro ijs præcipuè scribatur, quos Deus Dominus noster, ad perfectum vitæ Contemplatiuæ & vnitiuæ statum exaluit: aut speciali vocatione, vt ad eam ascendant, inspirat: poterunt nihilominus alij quoq; vtiliter illum legere, non solùm vt admirantes exultent, ob Dei Domini nostri magnalia, deliciasq; & fauores quibus suos prosequitur electos in hac vita, tanquam certis pignoribus earum gratiarum, quas in vita futura omnes speramus; sed etiam quod, qui peregerunt exercitia Orationis, & Meditationis, in præcedentibus duobus Tractatibus posita, si verè se demissè subijciant diuinæ voluntati: vt, quicquid illa impertiuerit, ipsi acquiescant, & contenti sint: audebunt illi, quod in ipsis erit, innixi diuinæ gratiæ, contendere, vt ascendant ad summum spiritualis vitæ fastigium. quod erit illis possibile, dicentq; corde magnanimo illud Canticorum: a Dixi: ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius. *aut, vt legunt LXX. Interpretes:* Tenebo cacumina eius. *Quasi diceret: Apprehendam summas partes cacuminis eius. Iure enim optimo licet spiritualem vitam cum Palma conferre: quæ in parte inferiori terraq; proxima, angusta est, & aspera: habetq; spinas suas quibus pungit accedentem. Spiritualis similiter vita in suis initiis multas habet asperitates, & difficultates, quæ dum ascendit crescitq;, sensim dilatatur & extenditur instar palmæ: & in suo cacumine pretiosos profert, ac dulces fructus. Porro qui cœpit in eam ascendere, per exercitia*

a *Cant. 7. Philo Cas siodo. & a apud Mart del Rio i*

Mortificationis & orationis non debet à progressu desistere, donec fructus ipsos apprehendat. Nec tantum Dactylos colligere debet, qui proprij sunt palmæ fructus: sed vuarum quoq; Botros ex vitibus, quæ serpunt, crescuntq; ipsi palmæ adhærentes. Et propterea adiecit Spiritus S. Et erunt vbera tua sicut Botri vineæ; & odor oris tui sicut malorum. *vt intelligatur, scopum ascendentis ad vitæ spiritualis culmen, non tantum esse debere, vt proprios sibi fructus contemplationis colligat, Actus scilicet heroicos vitæ Vnitiuæ qui indicantur in hoc Tractatu; sed admirandos quoq; fructus, quos reliquæ virtutes eidem vitæ coniunctæ proferunt; de quibus agetur Tractatu quarto: Ita vt feruentes interni affectus, Botros producant sanctissimorum operum, verbaq; valdè fragrantia ad gloriam ipsius Dei, Ecclesiæ ædificationem, ac proximorum vtilitatem.*

[a] LXX. Botri ... 1.15.

Obseruandum est tamen, ad prædictum hoc culmen (vt ait Richardus) *Non omnes eodem modo ascendere. Alij enim ascendunt facilè, volantes sicut b* passeres, *quos David* solitarios *appellat* in tecto. *Alij ascendunt cum labore, repentes sicut lacertæ siue c* stelliones, *de quibus Salomon, quod* manibus nitantur, *ascendantq; ad tecta, &* morentur in ædibus Regis. *Alij præterea ascendunt ex gratia & directione solius Dei, absq; alicuius hominis instructione, sicut ascendit Apostolus Paulus. Qui d* raptus est in Paradisum, & in tertium cœlum: *Et diuinus Hierotheus, de quo ait S. Dionysius,* quod erat patiens diuina: *quasi diceret, illum ita res diuinas accepisse, vt nec laboraret, nec quæreret: sed acciperet illas à Deo, sicut discipulus accipit doctrinam à Magistro. Sed hic modus est extraordinarius, nec nisi paucissimis conceditur, qui vel futuri sunt Magistri & columnæ in Ecclesia, vel quibus Deus singularem eam gratiam communicat, vt sese cum eis oblectet. Lege autem ordinaria tribus auxilijs adiuuatur, qui ascendit.* Primum *est illustratio & instructio interior, quæ fit à Deo.* Secundum *est directio exterior alicuius magistri in hac scientia exercitati: ad quam directionem spectat lectio librorum, qui de ea tractant.* Tertium *est propria nostra industria ac diligentia in iis rebus, quæ à libertate nostra dependent, nostræq; curæ subiacent: vt studeamus in palmam omninò conscendere, si non volando, saltem rependo, & nostram industriam cum diuina gratia coniungendo: non tam ad culmen contemplationis, quæ non est in nostra potestate: quàm ad partes eius inferiores; quod est ordinarium ad illum ascensum iter, cuiusmodi est suiipsius mortificatio, cordis munditia, continuum orationis & Meditationis exercitium, & speciales alij conatus, ac diligentiæ, quæ in subsequentibus capitibus proponentur, præter ea, de quibus in Tractatu quarto dicetur.*

Lib. 3 de contempl. c. ...
b Psal. 101. ...
c Prou 30. ...
d 2 Cor. 12.4.
Cap. 2. de diuin Nom. part. 1.



CAPVT

CAPVT I.

QVOD HVIVS VITAE BEATITVDO CONSISTAT *in perfecta contemplatione & amoris vnitione cum Deo: & quas habeat excellentias, ac nomina.*



ADEO immensa est Dei Domini nostri liberalitas, vt non satis habuerit, quòd æternam nobis beatitudinem, eamque plenissimam in futura vita promiserit, quæ consistit in contemplatione & clara diuinitatis eius visione, cum ardentissimo eius infinitæ bonitatis amore, & gaudio ac possessione inæstimabilium eius diuitiarum; sed voluerit quoque nobis promittere, imò & in hac ipsa vita, largiri aliam beatitudinem, æternæ illi valdè similem, propter id quod de illa participat. Ex S.Tho.1. 2.q.5.ar.3. Quæ (sancto Augustino teste) consistit in beneuola dulcique ipsius Dei lib.11. de contemplatione; quæ innititur fidei, obscuræ quidem, sed certissimæ. Com- Trin.c.8. plectitur autem quatuor actus vitæ contemplatiuæ: quos possumus appel- S.Tho 2.2. lare QVAERERE DEVM, INVENIRE, TANGERE, & eidem q.180. a.4. VNIRI, eoque FRVI: quos actus insinuauit Apostolus, cùm dixit, ho- a Act.7.27. minem à Deo esse factum. a *vt quæreret Deum, si fortè attrectet eum: aut inueniat: quamuis non longe sit ab vnoquoque nostrum, in ipso enim viuimus, & mouemur & sumus.* In quibus verbis, duas insinuat rationes, siue titulos quærendi rem aliquam. Alter est, quia res illa est absens, valdeque à nobis distans; & necesse est corporis gressibus nos moueri, vt perueniamus ad locum, in quo b Matth.2.1 illa est. Sicut b *Magi* illi Reges *venerunt ab Oriente Ierosolymam &* inde in *Bethlehem*, vt quærerent IESVM Christum, recens ibi natum; & B. Virgo, c Luc.2.43. c *cùm* Christus in Ierusalem *remansisset, regressa est in Ierusalem, vt eum requireret*, vbi & inuenit in templo: & nos imus etiam ad templa, in quibus est ipse præsens, latens in sanctissimo Altaris Sacramento. Alter titulus rem aliquam quærendi est, quia etsi illa sit prope nos, ita tamen abscondita est & d Luc.15. 8. occulta, vt nec videre eam liceat, nec ea frui. sicut d *mulier* illa, *quæ perdidit drachmam vnam, eam quæsiuit* in ipsa domo sua. Et in hunc modum nos quæ- Tract.1.c.6. rimus Deum Dominum nostrum, vt inueniamus, non quod sit absens, aut à nobis remotus, siquidem supra dictum est, eum esse in omni loco, & intra nos ipsos dantem nobis esse, viuere, & moueri; Sed quod sit nobis in hac vi- e Isa.45.15. ta velatus & occultus, iuxta illud Isaiæ: e *verè tu es Deus absconditus*, & nostris sensibus occultus. Non possumus te oculis videre, quia non habes colorem; nec audire auribus, quia non es sonus; nec odoratu aut gustatu te percipere,

quia neque odorem habes, neque ſaporem; nec manibus te contrectare, quia non es corpus, ſed purus Spiritus. Quare deprehendi non potes, niſi ſpiritualibus facultatibus animæ, quæ eſt Spiritus, tranſcenditque omnes res corporeas huius mundi.

Ex quo fit, vt QVAERERE Deum hunc abſconditum, eundem INVENIRE, CONTRECTARE, eoque FRVI, non aliter fiat, quam ſpiritualiter: id quod in quocunque loco fieri poteſt per exercitia vitæ contemplatiuæ.

Bonauent. itinere 6. æternit. diſ. 6

QVAERIMVS enim eum lectione rerum, quas ipſe de ſeipſo reuelauit; & meditatione intellectus noſtri, & voluntatis deſideriis, vtriſque actibus petitiones adiungendo ad eundem Dominum, vt ſeipſum nobis manifeſtet.

INVENIMVS verò ipſum, cum perſpicimus ac penetramus diuinam eius eſſentiam, eiuſq; perfectiones aſpectu fidei, cœleſti lumine illuſtrato, quod propriè ad contemplationem ſpectat.

CONTRECTAMVS eundem, eique coniungimur, cum ex toto corde eum diligentes, Spiritum noſtrum cum eius Spiritu ardentis charitatis glutine coniungimus. Eodem autem FRVIMVR, cum ex hac cognitione & amore, partem aliquam donorum ac gratiarum eius haurimus, quæ ditant noſtram animam, ingentique pace & gaudio eam replent, poſſeſsione ſummi huius boni, in quo bona omnia conſiſtunt. Quoniam verò in hac vita mortali, hoc ipſum plenè obtineri non poteſt, neceſſe eſt, eoſdem actus ſæpè, magnaque frequentia & continuatione repetere, iterum eum quærendo, vt recens inueniatur, eum contrectemus, eoque fruamur, abundantius & perfectius. Nam deſiderium illum quęrendi (teſte Sancto Bernardo) ſignum eſt, quòd ex parte illum habeamus. Quia nunquam tam ſeriò illum quæreremus, niſi accepiſſemus ac delibaſſemus idipſum, quod quærimus; & hoc ipſo, quòd eum inuenerimus, nouam in nobis excitat famem, ad illum denuò requirendum. Quamobrem dixit Dauid: f *Quærite Dominum, & confirmamini, quærite faciem eius ſemper*, eiuſque præſentiam. Quod ſi ſemper quærendus eſt (ait Sanctus Auguſtinus) quando inuenietur? Quod ſi inuenitur, quid amplius vltra quæritur? Verum in hac vita vtrumque conſtare poteſt. Nam *ſine fine eſt quærendus, quia ſine fine eſt amandus.* Et licet multum eum cognoſcas, ameſque; quærendus adhuc tibi eſt, vt amplius noueris & ames, memor illius, quod dixit Iſaias: g *Venit mane & nox: ſi quæritis, quærite: conuertimini, venite.* Atque ſi diceret: Attendite, quod vita ſit breuis, nec amplius quàm ſicut dies vna, quam proximè ſequitur nox, in qua non eſt amplius locus quærendi Deum. Attendite item: diuinam illuſtrationem ortam eſſe tanquam auroram, quam ſequuntur tenebræ, quæ lumen illud occultabunt, ideoque quaſi h *in nocte nemo poteſt*

Ser. de altitudine cordis, in illud Pſal. 23. 6. Hæc eſt generatio quærentium eum. & S. Greg. Hom 30. in Euan.
f Pſ. 104. 4 In eundem locum.
g Iſai. 21. 12
h Ioan. 9. 4

operari.

operari. Quamobrem, si Deum *quæritis*; seriò *quærite*, virilique animo atque constanti, nunquam cessantes quærere, donec inueniatis, ac possideatis. Audi (inquit S. Hieronymus) verba Dei tui: *si me quæris, quære*; ostendens reipsa, quod me quæras: quærendo scilicet me die ac nocte, in prosperis & in aduersis. *nec tibi semel quæsiisse sufficiat: sed quem inueneris, semper quære*, donec clarè me videas in cœlo, vbi à quærendo desistes: quia æterna erit, immutabilisque possessio; ibi non ero Deus absconditus; sed manifestus. Quia videbis me facie ad faciem; erisque omninò satiatus, & satisfiet tuo desiderio. quia ostendam tibi faciem meam. Interim tamen hac continua successione me quærendi & inueniendi, beatus eris. Nam etsi ipsa quæsitio, pœnam aliquam habere videatur; eo, quod cum labore aliquo fiat, oblectat tamen vehementer ipsa inuentio, quæ fructum colligit copiosissimum: inuento enim Deo, eodemque possesso, nihil tibi deerit. Si DEVM habes, (ait Sanctus Cyprianus) quid amplius quæris? Si is possessio tua est, quid amplius optas? in ipso habes omnia. Quia secum trahit omne bonum; ipseque est summum bonum, in quo omnia sunt bona. Et licet non se tibi aperiat clara visione, sicut fit in cœlo; fiet tamen visione contemplationis, quæ summo te gaudio replebit, magnamque afferet satietatem. dicesque cum Dauide: i *Ego in iustitia apparebo conspectui tuo: Satiabor, cum apparuerit gloria tua*, & pulchritudo. O pulchritudo infinita, k *in quam desiderant Angeli prospicere*: Nam etsi te semper prospiciant, nunquam tamen aspiciendo defatigantur, aut diligendo afficiuntur tædio, & ego cupio videre te per contemplationem, tanto Spiritus feruore, vt neque defatiger te quærendo, vt videam; nec videndo, vt amem: imple desiderium meum in hac vita, donec assequar, quod spero in futura, in æternum, Amen.

In c.21. Isai

Ser. de Ascē. Homo cuius Deus est, quid amplius quærit?

i Psal 16.15.

k 1. Pet. 1. 12

§. I.

De Requie, Otio, Silentio, & Solitudine interna.

QVIS verò explicare poterit, suauissimam huius Domini adinuentionem qua nos ad ipsum quærendum, & modo prædicto inueniendum alliciat. Eius enim beneuola prouidentia, valde in eo delectatur, quod nos in negotio hoc præueniat: aliquo enim lucis radio, manifestat nobis duarum harum beatitudinum pulchritudinem & excellentiam, præbetque nobis nonnihil earũ delibandum vt solicitè anxieq; eas quæramus, l *annuncians* (vt ait Iob) *de luce amico suo, quod possessio eius sit, & ad eam possit ascendere*, eaq; frui. Ad eum modum, quo m *diuina Sapientia* (vt ait Sapiens) *profugum* Iacob *ira fratris deduxit per vias rectas, & ostendit illi*, in ipso suæ profectionis ingressu, *regnum Dei*; vt illud in figura Mysticæ illius n *scalæ, quæ à terra vsque ad cœlum* protendebatur, prospiciens, Spiritum resumeret ad iter

l Iob 36 33.

m Sap. 10. 10.

n Gen. 28. 12.

persi-

perficiendum, quod inceperat. Et idem Mysticè prædixit Iacob filio suo Isachar, cum dixit:o *Isachar asinus fortis, accubās inter terminos, vidit requiem, quod esset bona, & terram, quod optima, & supposuit humerum suum ad portandum, factusque est tributis seruiens.* Quis (inquit Richardus) est Isachar, quod mercedem, siue præmium significat, nisi vir ille, qui spe mercedis huius & futuræ vitæ factus est instar iumenti robusti, demissè de seipso ex humilitate sentientis; fortiter verò legis onera ex obedientia portantis, & cum Dauide dicentis:p *Vt iumentum factus sum apud te, vt tecum semper* maneam. Hic enim vir humilis & fortis, accubat inter terminos duos, vt qui nec omninò est in hac vita fluxa, nec tamen adhuc est in interna. In hac enim est corpore, in altera spiritu: hanc tolerat patienter, accipiens id solum, quod ad eam saltem conseruandam est necessarium; alteram verò habet in desiderio, intendendo omnes neruos, vt illam consequatur. Consideratione item accubat inter duos terminos, finesve suorum laborum, beatitudinem scilicet huius vitæ & futuræ; illustratione enim cœlesti *vidit requiem, quod esset bona, & terram, quod optima.* requiem, inquam, æternæ vitæ, quæ obtinetur in terra viuentium; & etiam per contemplationem in terra laborantium, vidit esse bonam, sanctam, vtilem, delectabilem ac iucundam. Allectus ergo ad id quod vidit, supposuit humerum suum ad portandum quodcunque pondus à Deo sibi imponendum, statuitque tributum quoduis reddere, quod sibi imponeretur, quò obtinere posset refrigerium & requiem, quam sperabat. Omnes enim huius vitæ labores redduntur leues, si spectentur æternæ vitæ præmia. Actiones quoque vitæ actiuæ, quæ pœnam secum adferunt, dulces fiunt ac iucundæ, cum respicitur ac delibatur, quod inclusum habet Deus in contemplatiua. Sicut Iacob exardescens amore Rachelis, quæ vitam contemplatiuam referebat, multis annis laborauit, magna sua iucunditate, & q *videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.* O si Deus diuino suo lumine tibi manifestaret quietem vtriusque huius beatitudinis, quàm libenter subires omnes labores, qui ad eas consequendas essent necessarij? Sed quoniam de sola hîc vita contemplatiua agimus, expedit ponere tibi ob oculos requiem & iucunditatem, quam in ea obtinebis, postquam ita Deum quæsiueris, vt verè inuenias. Nam sicut Deus Dominus noster initio constitutionis mundi finitis operibus sex dierum, r *requieuit die septimo ab vniuerso opere quod patrarat, & benedixit diei septimo, & sanctificauit illum,* volens illum dedicari quietæ contemplationi suæ diuinitatis, & operum, quæ ab ea processerant, cessando ab omnibus operibus seruilibus, & laboriosis, ac propterea diem illum appellauit Sabbathum, quod interpretatur quies, siue relaxatio, & cessatio à labore: Ita etiam iis qui incubuerunt in laboriosa vitæ actiuæ opera, per Lyam significatæ, quæ significat vitam laboriosam ac defatigatam, iis inquam, assignat Deus diem Sabbathi & requiei, in quo atten-

o Gen. 49. [1]4.

p [L]ib. de præ[pa]ra. ad [c]ontempla. [l].1. c. 36. p Psal. 72. [2]3.

q Gen. 29. [2]0.

r Genes. 2. 3.

[S].Greg Ho[m]il. 14. in [E]zech.

dant operibus vitæ contemplatiuæ, fiantque modo aliquo participes quietis æternæ. Nam (vt Apostolus) s *relinquitur Sabbathismus* etiam *populo Dei*: Qui accedit ad fruendum requie, & quiescendum in eo, qui centrum est, finisque vltimus animæ nostræ. Quamobrem excellentia vitæ huius adeo perfectæ, exprimitur nominibus ac similitudinibus, quietem & requiem significantibus. s Hebr. 4.

Primvm appellatur Otivm Sanctum, non quod anima tunc sit otiosa, sed quod in contemplatione cessent opera corporis pœnalia, turbationes & anxietates Marthæ, imaginationes & affectiones cordis vagæ, quas omnes magna quiete reuocat ad solum Deum, sedens ad pedes eius cum Maria, ad audiendum in quiete eius verba, iuxta illud, quod ipse Dominus dixit, per os Dauid: t *Vacate & videte, quoniam ego sum Deus*: Et Sapiens, u *Sapientia scribæ in tempore vacuitatis*, & quietis: &, *qui minoratur actu*, & occupationibus externis, *Sapientiam percipiet*. O felix otium, quod non malitiam docet, sed sanctitatem; & dum ab externis vacat occupationibus, illam sumit occupationem, vt in tabulis cordis sui diuinæ sapientiæ consilia scribat, quæ ex eius ore audit. &, si Deo vacare est otium, etiam (ait S. Bernardus,) est negotium negotiorum, & omnium occupationum suprema, finisque, ad quem cæteræ diriguntur. & ideò ait S. Augustinus: Charitatem & amorem veritatis diuinæ, impellere nos ad quærendum otium sanctum. Et quamuis eiusdem charitatis necessitas, negotium aliquod iustum recipiat; Ita tamen recipit, vt, nisi adsit, qui suo imperio ad tale onus subeundum nos obliget, sit melius, Sancto illi otio diuinam veritatem contemplandi, attendere. Quod si cogamur omninò onus vitæ actiuæ subire, non debet tamen deseri omnino quietæ contemplationis gaudium: sine cuius subsidio, onus illud facilè nos opprimeret. Hoc ipsum sentiebat Sanctus Augustinus, qui Episcopatus sui negotiis valde occupabatur. sentiebat enim aliquod Sanctum otium sibi esse necessarium, ne tot occupationibus quantumuis iustis, opprimeretur ac submergeretur. *Ne*, inquit, *si subtrahatur illa suauitas, opprimat illa necessitas.*

1\.

t Psal. 45. 11.
u Eccl. 38. 25.
ad Frat. de Monte Dei
Lib 19. de ciuit. Dei. c. 19.
S. Thom. 2. 2. q. 182. a. 1. ad 3.

Vocatvr item contemplatio silentivm facultatum animæ, eò quod in ea cessent verba & imaginationum varietas, ac multitudo. Quia solum attenditur, vt audiatur Deus, & quieta visione conspiciatur, absque illo strepitu, quem multæ ratiocinationes secum adferunt. Nec tamen est mutum silentium. Nam facultates, quæ silent, nec cum creaturis conuersantur, colloquuntur tamen blandè, amanterque cum suo creatore; sicut Beati ad hæc terrena tacent, cum Deo tamen suo colloquuntur in gloria, ad quorum similitudinem ait S. Ioannes, t *factum fuisse silentium in cælo quasi media hora*: vt significaret, (teste Sancto Gregorio) quamuis silentium Contemplationis in hac vita non habeat integritatem illam, continui-

2\.

t Apoc. 8. 1.
lib 30. Mor. c. 15. & Hom 14 in Ezech.

tatem, ac perfectionem, quam habet in altera, accedere nihilominus eam ad illius medietatem. Nam media illa hora, qua durat, efficit animam tanquam cœlum, in quo Deus habitat, & quiescit, atque si nullus alius præter Deum, & ipsum contemplantem, in mundo esset. Et media huius silentij hora, sufficiens est ad pacem quietemque cordi per plures dies dandam. Et hanc ob

Eze. 40. 5 causam ait Ezechiel Propheta: v *calamum mensuræ*, quo mensuranda erat ciuitas, super montem excelsum ædificata, fuisse *sex cubitorum & palmo*. Qui palmus, est medietas aut pars septimi cubiti, ad ostendendum, (vt idem Sanctus Gregorius ait) quod licet altitudo perfectionis in hac vita, plenam habeat mensuram operum ad vitam actiuam pertinentium, quæ sex mensuræ cubitis notantur; mensura tamen contemplationis, quæ septimo cubito significatur, ad ciuitatem cœlestem differtur, vbi quies est plena; hic enim non nisi palmum habet, & minus medietate illius magnitudinis, quæ ibi habetur. Vel vnicus tamen Contemplationis palmus plus valet, quam omnes Mundi diuitiæ, Quia est palmus ipsius Dei, qui x *aperit* extenditque

Ps. 144. 16 *manum suam, & implet omne animal*, & omnes in terra degentes *benedictione*, ac dulcedine, quæ in cœlo obtinentur.

3. HINC etiam prouenit, vt contẽplatio ipsa appelletur SOLITVDO interior: eo quod intra ipsius cordis penetrale sit collectus Spiritus, & solus cum Deo suo, oblitus omnium rerum huius mundi, etiam suiipsius, ita vt in eo locum habeat quod dicit Ieremias: y *Sedebit solitarius & tacebit, quia*

Thren. 3. *leuabit super se*. O felix solitudo, quæ à silentio eleuat solum supra seipsum? Quid est autem leuare super se, nisi procul à se educere, vt eum coniungat cum eo, quod est supra se, cum ipso videlicet Deo eius, in quo requiescit

Iob. 3. 14. Greg. li. 4. mor. c. 28. cum illis *consulibus terræ, qui* (vt ait Iob) z *ædificant sibi solitudines*. O felices consules, qui opportunum adeo consilium amplectuntur, vt soli secum ipsi habitent, vt conuersentur, negotiaq; sua tractent cũ Deo suo? Hi enim ædificant sibi non vnam tantum interiorem solitudinem, sed plures. Vnam in voluntate, dum affectiones rerumque terrenarum desideria exuunt; Alterã in intellectu, repellendo cogitationes & imagines inordinatas & importu-

Serm 52. in c. l. in Psal. 54. nas. Beatus (inquit S. Bern.) qui dicere potest cum Dauide: aa *Volabo & requiescam: ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine:* Non satis habuit fugere, nisi ideo fugeret, quo quiescere posset. Si voluptates sensuum superasti, discessisti quidem, sed nondum elongasti, donec imaginationum & figurarum corporearum agmen, & tu multum repuleris, & volaueris supra eas, cum puritate Spiritus; nec prius quietem tibi promittas, quam eousque perueneris, nec enim prius quietis locum inuenies, nec secretum solitudinis, nec habitationem pacis. Da mihi aliquem

b Ps. 114. 7 Psal. 26. 5 qui ad eum terminum peruenerit, & eundem tibi dabo etiam quietum: ita vt cum Dauide possit dicere: bb *Conuertere, anima mea, in requiem tuam:*

quia

quia Dominus benefecit tibi, cc *quoniam abscondit me in tabernaculo suo : in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui.* Protege me Domine in abdito hoc & solitario loco, quo nulla accedat me perturbans affectio, aut quietem auferens cogitatio: quò liceat tecum habitare, quietemque meam in te solo reponere. Locus hic (ait Hugo) est claustrum sine clausura animæ, in quo se colligit Spiritus ad contemplationem, cogitat cœlestia, à terrenis discedit, elongat se à cogitationibus mundi, sensuum motus reprimit, delectatur in Deo, fruitur dulcedine Angelorum, legit in libro vitæ, ingreditur omnipotentiam Patris, intuetur Sapientiam Filij, amat Spiritus Sancti benignitatem, & ab omnibus tribus consolationem accipit. *Lib. 3. de Claustro animæ S. Vide S. Bonau Itiner. 3. d. 5.*

§. 2.

De Spirituali quiete ad instar somni, mortis, & sepulchri.

VLTERIVS progrediuntur excellentiæ & quies contemplationis, quæ spiritualis animæ somnus & sopor appellatur, in lecto ipsius cordis; Non quod interiores facultates dormiant, sed sensus & facultates inferiores, cessantes à suis actionibus: a *vigilante* (vt dicitur in Canticis) *corde* cum Spiritualibus suis facultatibus, & attendente ad adspectū & amorem dilecti sui, ipsoque dilecto etiam intra easdem vigilante, easque ad vigilandum in hac dulci occupatione impellente. Sicut *Iacob,* cum b *Lapidem capiti suo supponens dormiret, vidit in somnis Dominum sibi loquentem; & Angelos Dei ascendentes & descendentes,* tanquam medios inter ipsum, & Deum. Ac propterea Sanctus Gregorius ait, Contemplationem esse amabilem quandam dulcedinem, quæ cœlos aperit; reuelat æterna, & contemnere docet terrena; manifestat Spiritus oculis res Spirituales, occultat verò corporeas, ita vt dicere posit, c *Ego dormio & cor meum vigilat.* Qui sopor adeò est Deo gratus, vt ipse velit esse eius custos, dicens, d *adiuro vos filiæ Ierusalem per capreas, ceruosq; camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, quo adusque ipse velit.* O quam est dulcis somnus, qui in Dei vlnis capitur, & ad pectus ipsius Christi, qui & ipsum prouocat & custodit? O quam excelsam suauitatem Deus communicat sic dormienti? Siquidem tantus est zelator illius soporis, in quo eam suauitatem impertit? O quam excitata ac vigilans est anima ad res internas, cui permittitur liberum excitari cum voluerit? Hic sopor non hebetat sensum, sed illum potius exacuit: non est imago mortis, sed vitæ cuiusdam excellentissimæ indicium, quæ ipsamet morte repræsentatur.

a *Cant. 5. 2.*
b *Gen 28. 12*
Hom 6. & 14 in Ezech.
c *Cant 5. 2.*
d *Cant. 2. 7.*
S Ber. Ser. 10 in Canti.

5. QVONIAM Contemplatio etiam appellatur MORS, propter quietem perfectissimam, quam adfert, ita res omnes huius mundi à se dimittens, atque si omnibus illis contemplans esset mortuus. e *Beati* (ait vox cœlestis) *mortui qui in Domino moriuntur,* Hoc scilicet mortis genere: *amodo* e *Apoc. 14. 13.*

enim iam dicit illis Spiritus interius, *vt requiescant à laboribus suis*, quos in vita actiua pertulerunt: *opera enim illorum* ita *eos sequuntur*, vt huius præmij dignos efficiant. Mors (ait Sanctus Bernardus) est excessus contemplationis, quæ non vita, sed laqueis eius nos liberat: qui tunc non timentur, cum anima rapta est & extra seipsam facta, vehementi aliqua sanctaque cogitatione. Quomodo anima timebit luxuriam, aut cupiditatem, cum nec ipsam sentiat vitam? f *Moriatur anima mea morte iustorum*: ne errore aliquo illaqueetur aut irretiatur peccato. O felicem mortem, quæ vitam non aufert, sed perficit, & corpore non cadente, anima resurgit. Sed hæc est mors hominum. Moriatur etiam anima mea, si ita loqui licet, morte Angelorum: exuendo non solum terrenarum rerum cupiditates, sed earundem etiam imagines, & figuras; vt cum quibus similitudinem habet in puritate, cum iisdem puram quoque habeat communicationem. Talis excessus, qualis hic est, appellatur præcipuè contemplatio. viuere enim non alligatum rerum cupiditati, virtus est hominum; sed contemplari absque implicatione imaginum corporearum est puritas Angelorum. Vtrumq; hoc à Deo est: quia vtroque teipsum excedis. quamuis hoc secundo remotior à te fias, quam primo. Et vtroque felicem hanc Mortem obis, de qua dicit Apostolus, g *Mortui estis & vita vestra abscondita est, cum Christo in Deo.* Quæ autem mors pretiosior esse potest, quam rebus omnibus mori, vt soli Creatori viuas? & quis locus securior, in quo te abscondens, talem vitam ducas, quam ipsemet Deus? Quis verò dulcior socius esse potest quàm Christus? O felices mortuos, quorum sepulchrum est ipsa diuinitas & humanitas Dei, in qua reconditi sunt, ac sepulti. Moriatur anima mea tali morte, vt felix adeò consequar sepulchrum.

[Marginal notes: Serm. 52. in Cant. — f Num. 23. 10. — g Colos. 3. 3.]

6. HINC fit vt Contemplatio appelletur etiam SEPVLCHRVM ANIMARVM CONTEMPLANTIVM, de quibus ait Iob. h *Qui expectant mortem & non venit, quasi effodientes thesaurum: gaudentq; vehementer cum inuenerint sepulchrum.* In quem locum ait S. Gregorius: Sicut sepulchrum locus est, in quo reconditur corpus; Ita contemplationem esse locum, in quo anima se abscondit. Viuimus itaque mundo, cum cogitatione per illum vagamur; sumus autem velut mortui, cum nos abscondimus in sepulchro mortificatos ad omnia externa, nosque includimus in secreto contemplationis internæ. Quare sicut qui mortem quærit, gaudet, inuento sepulchro; ita qui desiderat mortificationem, exultat inuenta contemplationis quiete: in qua tandem moritur, & incipit requiescere. Quia i *abscondes* (inquit Dauid) *eos in abscondito faciei tuæ*, quò non peruenit *conturbatio hominum.* Sed quid mirum quòd lætetur anima hoc sepulchro, in quo (vt amicus quidam Iob dixit) k *ingredieris in abundantia sepulchrum, sicut infertur aceruus Tritici in horreum in tempore suo.* Non negamus (ait S. Gregorius) actiuam

[Marginal notes: h Iob. 3. 21. — S. Greg. l. 5. Mor. c. 5. — i Psal. 30. 21. — k Iob 5. 26. Lib. 6. Mor. c. 17.]

vitam sepulchrum esse animæ, quatenus peccatis mortuos nos sepelit; perfectius tamen est sepulchrum vitæ Contemplatiuæ, in qua sepelimus nos tanquam mortuos rebus omnibus visibilibus. Et sicut l *Abraham sepeliuit* mortuam *vxorem suam in spelunca agri duplici*, hoc est, quæ duos habebat sinus, siue recessus; Ita si vis esse perfectus, postquam anima tua est mortua mundo, sepelienda illa est in duplici illo sepulchro siue spelunca, cooperiendo eam operculo bonæ actionis, Sanctæq; Contemplationis, & tunc gaudebis vehementer, ingrediens in abundantia spiritualium diuitiarum in sepulchrum, sicut infertur aceruus Tritici in horreum, in tempore suo; postquam in area benè trituratur & à palea separatum fuerit. operibus enim vitæ actiuæ teipsum mortificasti; & à culpis ac imperfectionibus, quas habebas, purificasti, & mox in vitæ Contemplatiuæ requiem ingredieris, incipiens hic frui ea, quam obtinebis, cum fueris ad granaria cælestia deductus. Hoc enim sepulchrum non est in ea terra quæ dissoluit, & in pulueres redigit mortuos, quos suscepit; sed est in terra viuentium, quæ noua illos vita viuificat, quotidiè eam renouans ad similitudinem æternæ. l Gen.23.

Haec est terra Promissionis, quæ per excellentiam in Scriptura Sacra vocatur, m *Requies*, & Manna, lac, & mel cœlestium consolationum, in quam Requiem ingrediuntur, qui exiuerunt ex AEgypto, transeuntes mare rubrum, & ambulantes per desertum pænitentiæ, cum seueritate vitæ actiuæ, vt fructu laborum suorum fruantur, & recipiant aliquod solatium, præmiumq; eorum: quò animum resumant ad inceptum iter prosequendum, vsq; ad ipsam æternæ promissionis terram. Et quamuis non omnes, qui ex miseranda hac AEgypto exeunt, perq; asperum hoc desertum ambulant, hanc promissionis terram ingrediantur, sicut nec illam aliam sunt ingressi, paucis exceptis, iisq; valdè perfectis: par esset tamen te ipsum animare, & contendere (vt Sanctus Basilius ait) esse de numero illorum paucorum, vt quietem illam assequaris, quam tepidi reijciunt. Eleua igitur oculos, tanquam verus Issachar, ad considerandam pulchritudinem huius quietis; felicissimamq; huius terræ fertilitatem; & bona illa, quibus frueris, quando perueniès ad eam. Et hac consideratione tolle super humeros tuos onus, quod hæc vitæ ratio secum adfert: redde Deo tributa, quæ eius causa à te petit: & incipe porrò ad interiora terræ ambulare, dulcesq; eius fructus delibare: vt in itineris progressu maiores sumas Spiritus. O Saluator dulcissime, qui dixisti: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos: tollite iugum meum super vos, & inuenietis requiem animabus vestris*, ad te proximè volo accedere, vt nouerim te, tibiq; coniungar: iugum tuum amplecti volo, vt obediam placeamq; tibi in omnibus: da quæso, mihi quietem, quam in huius vitæ terra Promissionis mihi promittis, vt pergam, donec æternæ terram obtineam. Amen. 7. m Psal. 94. 11. Ser. de abdica. rerum n Matt. 11. 28.

CAPVT II.

DE IIS, QVAE PERFECTAM CONTEMPLATIonem præcedunt, & quod ea sit speciale Dei donum, quamuis non omnibus donetur, ac de huius causis.



ADMIRANDA omninò est magni Dei nostri prouidentia, in deducendis animabus ad duplicem promissionis terram, duplicemq; beatitudinem prædictam: qua vult (vt ait Richardus) præcedere aliquos exploratores, qui speculentur, & explorent eius terræ magnitudinem, & fertilitatem; referantq; secum aliquos fructus, quos delibent, ipsaq; experientia aliquid cognoscant, eorum plurimorum, quæ de illis dicuntur; sicut mandauit Moysi: a *mitte viros, qui considerent terram Chanaan, quam daturus sum filijs Israel:* qui lustrarunt quæcunq; in terra illa erant, retuleruntq; b *abscissum palmitem cum vua sua, de malis quoq; granatis, & de ficis loci illius tulerunt,* quæ ostenderunt populo. Contemplatio itaq; est tanquam exploratrix eorum, quæ sunt in cœlo; quo ingreditur occultè, considerat quæ ibi geruntur, penetrat delibatq;: refert secum suauissimos fructus, qui contemplanti manifestant inæstimabiles diuitias ac delicias, quas occultat Deus in terra illa viuentium, dilectis suis filijs postea tradendas. Sed quoniam & ipsa contemplatio est quoq; terra quædam promissionis, sicut prædiximus; necesse est aliquos exploratores ipsam præcedere, qui lustrent ac peruideant, quæ in ea geruntur; delibentq; aliquid eius, quod ipsa degustat; alliciantq; ad id integrè possidendum. Hæc sunt exercitia minus perfecta vitæ contemplatiuæ, de quibus hactenus egimus: lectione enim & meditatione diuinorum mysteriorum, quæ nostris ratiocinationibus perlustramus, non solùm magnitudinem intelligimus bonorũ, quibus fruemur in contemplatione & vnitione cum Deo; verùm etiam aliquam partem eorundem bonorum degustamus, quæ oratione petimus & obtinemus: vt in superiorib. Tract. diximus. Attende verò diligenter, ne tibi eueniat, quod exploratoribus à Moyse missis: qui, etsi omnes pulchritudinem ac fertilitatem promissæ terræ cognouerunt, fructusq; eius aliquos retulerunt, decem tamen eorum confidentiam eam debellandi amiserunt; cæterisq; animum ad eam perueniendi abstulerunt. propter quam causam perierunt, nec ingressi sunt illam: duo tantum eorum qui magnam conceperant fiduciam, populumq; ad eam obtinendam exhortantes permouerunt: quamobrem obtinuerunt illi, quod alij amiserunt. Quid autem

Tract. 2. de extermi. mali. c. 12. & 13.

a *Num. 13. 3*

b *Vers. 24.*

Lectio & Meditatio præcedunt contemplationem.

hoc fuit, nisi quod te monuit, vt cum fide sancta, mentisq; ratiocinatione, aliquid assecutus fueris eius dulcedinis & suauitatis, quam Deus communicat ijs qui se orationi & contemplationi tradunt, ne animum & confidentiam abiicias, eandem perfectè obtinendi? Qui enim exploratoribus illis dedit fructus aliquos terræ promissæ, vt eos gustarent, tenetur desiderio eos in eandem terram inducendi, vt eam quietè possideant, & fruãtur. Terra appellatur promissionis, quia Deus illam promisit; quod si viriliter pugnes, confidens diuinæ gratiæ, obtinebis integrè ipsius promissionem. Et post pugnam, mutabunt tibi (vt ait Hugo de S. Vict.) nomen c *Iacob* in *Israel*, luctatoris videlicet, in hominem, qui videt Deum. Si enim pugnas contra affectiones tuas, aut inordinatas cogitationes, assequeris lumen quietæ contemplationis Domini, & locum habebit in te illud Dauidis: d *tunc exultabit Iacob & lætabitur Israel.* Quia vita actiua & contemplatiua in vnum conueniunt, vt te lætitia repleant exultantem quod pugnaueris, ob fructum, quem ex pugna hausisti, & propter gaudium, quod nunc habes, in possessione eius, quod etiam sperabas. Pugna itaq; sicut Iacob tota huius vitæ nocte cum ipso Deo, eo modo quo supra diximus: protestans, te non derelicturum ipsum, donec tibi benedixerit. Et quamuis elucescat lux matutina in meditationibus, quas habueris; non tamen dimittas eum, nec à luctando desistas, donec mutet tibi nomen, copiosiusq; impertiatur lumen, quo fias perfectus Israel, & videns eum contemplatione perfecta. O Deus omnipotens, qui cum nominibus etiam corda mutas, dirige cogitationes, quæ ad præmia tua consideranda prodeunt, meq; doce luctari, sicut tu vis; vt mutationem illam consequar, quam mihi offers, & quietem quam promittis. Amen.

Lib. 4. de claustr. anim. c. 12.
c *Gen. 32. 28. & cap. 35 10.*
d *Psal. 13. 7*
Gen. 32. 26

§. I.

De vocatione Dei quæ præcedit contemplationem.

Bene animatus ex his, quæ diximus ad fugiendum extremum diffidentiæ, attende diligenter, nec incidas in alterum, quod est præsumptionis: cogitans, posse te propria tua industria, quæ desideras, obtinere: aut non præmissis prædictis exploratoribus: nec alijs multis diligentijs. huiusmodi enim persuasiones sunt errores & fallaciæ valdè noxiæ.

Vt euadas primum, sufficeret tibi meminisse eius, quod supra diximus: quod oratio & meditatio nõ possint absq; speciali Dei auxilio exerceri, sicut oportet: quantò igitur minus contemplatio, quæ perfectior est? quantò hæc indigebit maiori luce fauoreq; cœlesti; & speciali interna vocatione, quæ simul habeat auxilia sufficientia, ad eam, vt oportet, habendam? Non

Tract. 1 cap 4 & Tract 2. c. 2.

enim

enim potuisset Moyses ad montem ascendere, nec in caliginem intrare, vbi vidit & contemplatus est Deum, eiusq; magnalia, nisi idem Dominus eum vocasset: e *Vocauit* enim *eum Dominus de medio caliginis*. Hic idem Dominus vocauit, & inuitauit sponsam dicens: f *Surge amica mea speciosa mea & veni: columba mea, in foraminibus Petræ*. Quò significaret, ad se pertinere, inspirare, & contemplationis alas ei dare, qui sit ingressurus in viuam Petram Christum Dominum, eiusq; mysteria consideraturus, & eorum auctori sese coniuncturus. Et Sanctus Euangelista Ioannes prius audiuit vocem ipsum vocantem, ac g *dicentem: Ascende huc, & statim* (inquit) *fui in spiritu*, quò scilicet vox illum vocabat. Quod si nullus ad præsentiam Regis Assueri intrare audebat non vocatus; minus licebit nobis ad conspectum cœlestis Regis intrare, ad eius diuinum vultum contemplandum, & familiariter cum eo loquendum, nisi vocatione speciali ad id vocemur. Nam absq; ea nec vires nobis suppetent, ad ingrediendum; nec habebimus oculos ad eum videndum, nec aures ad audiendum, nec linguam ad colloquendum, nec scientiam & prudentiam ad agendum cum eo. Quia hæc omnia excedunt nostram capacitatem. huius defectum supplet ipsa vocatio, tribuens nobis necessariam ad hoc opus peragendum sapientiam. Et sicut Deus Dominus noster ad fabricandam Arcam Testamenti, cum suo Propitiatorio, h *vocauit ex nomine Beseleel, & impleuit eum Spiritu Dei, sapientia, & intelligentia, & scientia in omni opere, deditq; ei socium Ooliab, & in corde eius posuit eandem sapientiam:* Ad hunc modum, quando Deus Dominus noster vult fabricare in corde iusti spiritualem Arcam, & suæ quietis sanctuarium, vocat illum ex proprio nomine, beneuola scilicet, efficaciq; vocatione i *replens illum spiritu* suo, hoc est sancto, Sapientia, *Intelligentia*, & Scientia, quæ sunt ipsius dona, vt opus ipsum eius desiderio ac dispositioni conformetur. Quod indicant duorum horum artificum nomina; nam *Beseleel* interpretatur *in vmbra Dei: Ooliab* autem *protectio mea Pater*. adeò enim excelsa & insignia opera non fiunt, nisi in virtute Spiritus S. qui suo fauore nobis obumbret, temperans infinitum diuinitatis splendorem, quò debiles spiritus nostri oculi, contemplari illum possint, fauente ita nobis protectione patris luminum, vt, k *lumine* nobis communicato, *videamus lumen*, quod ipse in se habet.

e Exod 24. 5
f Cant. 2. 13.
g Apoc. 4. 1.
Esth. 4. 11.
h Exod. 31.
i Eccl. 39. 8.
Gloss. ibid. ex S. Hieron. de nomin. Hebra. in Exodo
k Psal. 35 o.

2\. NE verò in extremum alterum fraudemve labamur, attendendum est, hanc vocationem non perficere totum suum opus simul, & vno (vt dicitur) tractu; sed per gradus suos sensimq; progredi, continendo nos per tempus aliquod in exercitio Lectionis & Meditationis, & in ordinaria oratione: vt videlicet longanimitatem nostram perseuerantiamq; probet, donec digni simus, quos ad secretiora, intimaq; contemplationis & vnitionis cum ipso, exercitia vocet: sicut intimo illi DEI amico Moysi euenit, cui dixit:

l Ascen-

l *Ascende ad me in montem, & esto ibi.* Et quamuis descenderit nubes *quæ operuit montem*, in quo *habitauit gloria Domini, tegens illum sex diebus*, quibus Moyses expectare debuit, *septimo tamen die primum vocauit eum Dominus de medio caliginis, vt cum eo loqueretur.* Hac ratione nos docens (vt declarauit Richar.) quod primum iustus vocetur à Deo, vt ascendat ad altitudinem Christianæ perfectionis. In hoc monte ita nube diuinæ protectionis ei indulgetur, vt non amplius attendat aut respiret ad res huius mundi: & hoc modo continetur in exercitijs Orationis & Meditationis, perseuerando etiam cum lassitudine ac defatigatione per sex dies, hoc est per multos; imò etiam annos, donec ad septimum diem, quæ quietis est, perueniat; cum vid. Deus Dominus noster, sola sua misericordia dignatur eum vocare; vt per contemplationem ingrediatur nubem, lucemq; inaccessibilem Deitatis ipsius, & secreta sua illi manifestet. Ac propterea dixit S. Bern. raram aut etiã prodigiosam esse contemplationem, quam orationis exercitia non præcedunt. O Pater misericordiarum, dic animæ meæ, ascende in montem, vt mecum agas; siquidem tuum dicere, est facere: ideoq; vocans me, vt ascendam dabis mihi pedes ad ascendendum; alas ad volandũ; viresq; necessarias ad perueniendum ad ipsum fastigium; ac deniq; patientiam, ad te sustinendum, quamdiu tibi placuerit. Nam etsi tardes, m *non* tamen *tardabis:* siquidem iuxta votum meum iudicabo te moras trahere; sed id tamen neq; erit præter meritum meum; neq; præter id, quod magis mihi expedit, ad maius tuum obsequium.

l Exod. 12.15.16.

Lib. de Contempl. c.

In scala claustral

m Habac 3.

§. 2.

De vita Actiua, quæ contemplatiuam præcedere debet.

EX dictis facilè deprehenditur deceptio quorundam tyronum in exercitio virtutis; quibus solet Deus aliquã dulcedinem in oratione communicare: qua sola esca sumpta, statim saltare velint ad perfectam contemplationem, in qua eadem dulcedo maiori abundantia degustatur. Isti (vt S. Gregorius ait) vellent a *Rachelem ducere*, cùm non subierint viæ labores; & quod perfectum est vitæ Contemplatiuæ, amplecti, cùm non deuorauerint pœnalia & grauia vitæ actiuæ exercitia; sed tamen hoc eis non conceditur; quia id præter Dei consuetudinem, & ordinariam eius legem esset. neq; enim vult pulcherrimam suam faciem tam propè ei ostendere, qui non prius benè præteritæ vitæ mores mortificatos habuerit. Ad eum modum, quo Moyses, cùm b *videret Rubum ardere, & non comburi*, volens accedere propius, vt *visionem illam magnam videret*, non fuit permissus, donec *solueret calceamentum de pedibus suis.* Hac ratione nos docens, eum, qui non exuit cogitationes & affectus morticinos sensuum, &

Lib 6. Mor. c.26.

a Gen. 29. 26.

S. Thom. 2. 2. q 182. a.

b Exod. 3.

Bern. Ser. illud Hoc signum magnum. carnis, quãuis Deũ à longè videre posſit, obſcura eũ & imperfecta fide cognoſcens; non tamen eſſe ſatis diſpoſitum ad eundem propè videndum, ſeque eidem per vnitionem & gratiam contemplationis coniungendum; ſeipſum accendendo in eius amore, illo igne, qui in Rubo Dei homo facti ardet: & ob eandem cauſam, cùm deſcendit Deus ad colloquendum cum Moyſe, in monte Sinai prohibuit vllam c *beſtiam* aut *hominem è plebe aſcendere montem, aut eius fines tangere, ſub interminatione mortis*, vt nobis ſignificaret, nec peccatores beſtiarum vitam ducentes, nec plebem communem, quæ vitam ordinariam ducit, multis cupiditatibus prauiſq; propenſionibus admixtam, præſumere debere ad montem contemplationis aſcendere, vt Diuinitatis magnalia contemplentur. Nam excellens adeò fauor iſte, non niſi ei exhibendus eſt, qui vitam valdè excellentem ducat. Et quamuis Chriſtus Dominus noſter duodecim haberet Apoſtolos, cùm aſcendit tamen in montem Thabor, vt ingenti gloria ſe d *transfiguraret*, non ſolum Iudam reliquit, qui peccator erat, ſed reliquos etiam octo, tribus tantum electis, quibus arctiori amicitia erat coniunctus, & in quibus magis feruor eminebat.

c Exod. 19. 2.

d Matth. 17.

1. Mor. c. 27.

1\. Quamobrem (ait S. Greg.) ſi faſtigium contemplationis aſcendere deſideras, prius teipſum proba in planicie Actionis; examina diligenter num deſideres proximis non nocere: num patienti animo feras, ſi quid ab eis patiaris; ſi in poſſeſsione bonorum temporalium nimia lætitia te effundas; &, ſi quam eorum iacturam facias, nimia te triſtitia conficias. An cùm te ipſum ingrederis, aſſumas tecum vmbras rerum huius vitæ, quæ te diſtrahunt; nec eas ſanctæ diſcretionis manu ſtatim à te repellas; aut cùm ſtudeas conſequi quod eſt ſupra te, vincas quod eſt in te, feruenter illud abnegando: niſi enim hæc facias, non ſatis aptus, & diſpoſitus es ad contemplationem. Quam tamen, ſi obtinere tentes, eueniet tibi, quod e *homini* illi, *à quo Chriſtus Dominus legionem Dæmonum eiecerat, qui* ſanum ſe videns, *rogabat Chriſtum vt cum eo ſemper eſſet*, eiuſq; ſuaui ac beneuola conuerſatione gauderet, quod tamen Chriſtus non conceſsit, ſed, *redi* (inquit) *in domum tuam: & narra, quanta tibi fecit Deus.* Ita tu ſtatim atq; diuinam ſuauitatem delibaſti, velles omninò te totum tradere contemplationi, omnibus huius vitæ negotijs abiectis: ſed neceſſe eſt, te prius ſudare in vitæ actiuæ laboribus; poſt quos recreaberis exercitijs contemplatiuæ.

e Luc. 8. 38.

2\. HINC eſt, quod tyrones in meditatione & collecta oratione ſua, ordinariè moueantur à Spiritu Sancto ad exercitia mortificationis, & ad vitæ actiuæ actiones, quibus ſeipſos perficiant. Nam (vt ait Richardus) qui non ſunt benè à vitijs purificati, ſolent ſancta quadam fraude in penetrali Rachelis, inuenire ſororem eius Liam: quatenus, cum in Sacrarum Scri-

Lib. de præpar. ad contempl. c. 4.

pturarum Lectione ac Meditatione versantur, cupientes cœlestem sapientiam obtinere, non inueniunt in eis, nisi multas causas lachrymarum, reuocante Deo illis in memoriam præteritæ vitæ peccata, præsentis verò miserias. quæ illorum cor pungentes, cogunt de sui mortificatione & pænitentia cogitare, reparandæ suæ miseriæ causa. Quod si quando ex gratia speciali, concedit eisdem Deus donum contemplationis, solet ad aliquod tempus illud subtrahere, vt magis seriò, maioriq; conatu in propriam abnegationem, aliarumq; virtutum exercitationem incumbant.

NAM (vt aduertit Sanctus Gregorius) mox atq; deuotos se vident, perfectos iam se esse existimant; iudicantes, se obedientes esse, aut patientes, eò quod nihil sibi durum aut graue imponatur, nec eos tangant aduersa; aut certè quia deuotio quam habent, illa reddit facilia: ea verò gratia deficiente, si occurrant similes occasiones, discunt ipsa experientia, quid sint; & veris obedientiæ ac patientiæ exercitijs tales incipiunt re ipsa esse, quales inaniter prius se esse existimabant. Cumque eò perueniunt, vt sint perfecti, reddit eis Dominus noster diuturniorem perfectam contemplationem. Et ob hanc causam Ezech. propheta, cum templi fabricam metiretur dixit: f *A porta* exteriori *vsq; ad* interiorem *esse centum cubitos.* Ad significandum, ab ingressu vitæ actiuæ, cuius occupatio est in rebus externis, vsq; ad contemplatiuam, quæ totam se dedit internis, esse distantiam & longitudinem perfectionis numero centenario significatæ, quæ sensim comparanda est, per varia virtutum exercitia, quæ ad eam disponunt.

Hom. 19. in Ezech.

f *Ezech.* 40. 23.

DENIQVE præmia non consueuerunt conferri, nisi præcesserint merita. Cœna quoq; & quies siue Somnus, post laborem melius sapiunt. oportet proinde merita vitæq; actiuæ labores præcedere, vt Deus concedat, quod est in vita contemplatiua perfectum. Quæ, vt prædiximus, præmium est, Refectio, ac Somnus ad nostram quietem: qua non conceditur frui, nisi vt sponsa dixit, g *in lectulo florido*: in lectulo scilicet cordis, variarum virtutum floribus exornati. quod iucundè admodum his verbis declarat Sanctus Bernardus. Fortè appetis & ipse contemplationis quietem, & benè facis: tantum ne obliuiscaris flores, quibus lectulum sponsæ legis aspersum. Ergo cura & tu tuum similiter circumdare bonorum floribus operum, virtutum exercitio, tanquam flore fructum, Sanctum otium præuenire: alioquin delicato otio satis dormitare voles, si non exercitatus, quiescere appetas: & Liæ fœcunditate neglecta, solis cupias Rachelis amplexibus oblectari. Sed & præposterus ordo est, ante meritum exigere præmium: & ante laborem sumere cibum: cùm dicat Apostol. h *Qui non laborat, non manducet.* uid: i *A mandatis tuis*, inquit, intellexit, vt scias nisi obedientiæ

3.

g *Cant.* 1. 16

Serm. 16. *in Cant.*

h 2. *Thess.* 3. 10.

i *Psal.* 118. 104.

mandatorum, contemplationis gustum penitus non deberi; neq; enim dabit inobedienti copiam sui, tantus obedientiæ amator, vt mori, quàm non obedire maluerit: nec dormiet tecum sponsus in lecto vno, illo præsertim, quem tibi, pro obedientiæ floribus, cicutis atq; vrticis inobedientiæ adspersisti. Nec tamen propter hæc, quæ diximus, existimes posse te ex iustitia promereri præmium contemplationis in hac vita mortali, etiamsi in vitæ actiuæ opera plurimum incumbas: quin potius (vt aduertit Sanctus Gregorius) postquam multos annos in eis laboraueris, sentire debes, te k *esse seruum inutilem*, & ex mera gratia te consecuturum hoc donum; quando placebit Deo, illud tibi largiri. Huius figura erat, quod in lege antiqua iubebatur l *seruus Hebræus, postquam sex annis* Domino suo *seruisset, in septimo egredi liber gratis: cum quali veste intrauisset, cum eadem exire*. Si itaq; Deo seruis, vt fidelis seruus, in exercitijs vitæ actiuæ, quæ sex illis laboris & seruitij annis indicantur: septimo anno, cùm eò perueneris, vt sis perfectus, frueris libertate spiritus, quieteq; ac requie, quæ datur in vita contemplatiua. quod tamen totum fit *gratis*: Quia Deus eo te fauore vult prosequi. Quod si id non fecerit in sex annis huius vitæ mortalis (neq; enim hæc gratia omnibus confertur & sine ea potest quis ad cœlum peruenire) id faciet absq; vllo dubio, in septimo anno æternæ quietis, quò faciem suam clarè in cœlo manifestabit: modò in diuino eius obsequio perseueres ad mortem vsq; conseruans gratiæ & charitatis vestem, qua iter hoc & obsequium Dei inchoasti. O Deus æterne, vere sponse animarum: æquum omninò est eas, quæ singulariter sunt sponsæ tuæ futuræ, thalamum cordis sui habere ab omni culpa vacuum, & excellentibus virtutibus exornatum; vt in eis requiescas & recreeris, & illæ tecum per singularem gratiam contemplationis; purifica, Domine, & cor meum, itaq; exorna, vt non sit dono isto gratiaq; indignum, si ad gloriam tuam conueniet me illam habere.

n. 3 in ch. uc. 17. xod. 21 reg hom Ezech. 6. Mor. 6. hom 2. 182. art d 1.

§. 3.

De causis propter quas gratia contemplationis non obtinetur.

ATQVE hinc licet incipere causas deprehendere, propter quas multi non obtinent gratiam perfectæ contemplationis, quæ sunt duplices; Quædam proueniunt à culpa, aliæ sine ea.

PRIMAE causæ, quæ magis sunt ordinariæ, ad quatuor illas reuocantur, quas S. Iob collegit, dicens: m *Diuina sapientia* (cuius opus est contemplatio) *non inuenitur in terra suauiter viuentium*, obsequentium videlicet carnis propensionibus, aut propriæ voluntatis; *nec in abysso* aut mari eorum,

1. ob. 28. 1. reg 18. c. 22 &

qui

qui multitudine negotiorum submerguntur, curis perturbantur, passionibus commouentur, & peccatorum remorsibus torquentur: *volucres quoque cœli latet*, eos videlicet homines, qui elatis cordibus & curiosis, n *sapientes sibi esse videntur*, & prudentes: ac denique abscondita est ab oculis omnium viuentium qui carnalem & mundanam vitam ducunt, absque suiipsorum mortificatione. Nam (vt S. Gregor. explicat) qui carnaliter viuit, non potest Deum spiritualiter videre: ideo enim ipsemet Deus dixit: o *non videbit me homo & viuet*, p *Pone* itaque (vt ait Aggæus propheta) *cor tuum super vias tuas*, considerans eas ac reflectens super exercitia Lectionis, Meditationis, & externarum actionum, in quibus occuparis: & fortè deprehendes, te *seminare multum & colligere parum: comedis* enim, & *non satiaris: bibis, & non inebriaris: operis te, & non calesis: & congregas merces* ac diuitias, *quas mittis in sacculum pertusum*: nec tuorum laborum fructus aliquis apparet, eò quod cadant in animam infirmam, & in cor per multas partes pertusum, affectionibus nimiis ad delicias, vel ad facultates terrenas, vel ad honorem aut ad res alias huius vitæ; inde proueniunt culpæ, anxietates, turbationes, & multa alia impedimenta; nisi itaque hæc foramina obstruxeris tuis exercitiis non proficies.

n *Iob.* 37. n *Matt.* 11. 25.

o *Exod.* 33. 26.

p *Agg.* 1. 5.

SED quoniam de hoc puncto diximus plura in 1. Tract. & multò plura dicentur in 4. ad alias causas transeamus, ob quas aliqui non assequuntur gratiam contemplationis. *Vna* igitur causa est, *mala dispositio* aut constitutio naturalis, quæ incapax est eius, nisi mortificatione dometur, habilisque reddatur. Vt enim sanctus Gregorius aduertit, variæ sunt hominum constitutiones. *Alij* enim natura sunt quieti, mites sedati, valdeque propterea apti ad actiones contemplationis, & ad sedendum cum Maria ad pedes Christi eius audientes doctrinam: qui si cogantur ad Marthæ occupationes subeundas, viuunt afflicti, & cum detrimento animarum suarum. *Alij* contrà inquieti sunt natura, toti in motu, valdeque applicati ad externa opera Marthæ: qui si cogantur ad Mariæ quietem, quies illa est illis instar gladij; ibi enim mille phantasias, curasque inueniunt, quibus vehementer torquentur. *Alij* sunt natura adeò curiosi ac discursiui, vt statim atque res fidei meditari incipiunt, rationis limites excedant, & scrutari incipiant, quod illos valdè turbat, & lumen, quod habebant, obfuscat; imò interdum excœcat ac decipit; dexterque oculus contemplationis, qui lucem illis fuisset prælaturus, ad vitam suam componendam, ipse idem illos, ob ineptam suam dispositionem scandalizat; suntque in magno periculo ruinæ, nisi contenti esse velint oculo sinistro vitæ actiuæ. Huiusmodi hominibus sufficit pars illa vitæ contemplatiuæ, quæ pertinet ad orationem vocalem, aut ad aliquid mentalis, iuxta ea quæ supra diximus: siquidem hæc, ex ea parte, qua ad animæ salutem est necessaria, nemini denegatur. Nemo tamen (vt idem S. Gregorius

Cap 3.

2.

Lib. 6. c. 1.

aduertit) diffidere debet, si quod in se est, faciat, ad Dei dona recipienda. Sicut enim amor Dei educit contemplantem ex suo penetrali, efficitq;, vt suam naturam vincens, extendat se etiam ad opera Marthæ, quando proximi necessitas ita exigit, aut superiorum obedientia ita statuit: Ita etiam timor Dei, instar anchoræ naturam inquietam reprimit, quietamque esse facit in Oratione, & interna conuersatione: quia aduertit, quantopere indigeat huiusmodi exercitio. quod si humiliter frequentet, quamuis ad breuia temporis interualla, forte recipiet gratiam ac donum, ad quod recipiẽdum ipsa Natura ex se repugnabat: siquidem Martha, quæ ab aliquo tempore solicita erat, & erga plurima turbabatur, peruenit postea eò, vt quieta esset, sicut soror eius: illoque Vno contenta, quod soror eius elegerat.

3. VLTIMA causa, cur Deus specialem hanc gratiam alicui non communicet, esto ordo ipsius prouidentiæ, circa Ecclesiæ gubernationem, in qua

q 1. Cor. 12. 5 (vt ait Apostolus) q *diuisiones gratiarum sunt, & diuisiones ministrationum*, ad similitudinem corporis humani, diuersas partes cum diuersis officiis habentis: neque omnes possunt esse oculi, neque omnes manus, aut pedes. Si enim omnes essent oculi, quis ambularet? Si omnes pedes, quis laboraret? & si omnes manus, quis videret? necessaria est ergo hæc membrorum varietas ad bonum totius corporis naturalis; &, proportione seruata, ad bonum corporis mystici Ecclesiæ, plurimum refert, vt aliqui sint tanquam oculi, qui occupentur in actionibus vitæ contemplatiuæ; alij tanquam manus, qui se mancipent actionibus vitæ Actiuæ in bonum proximorum; alij tanquam pedes, qui humilia officia præstent in obsequium aliorum: ita tamen, vt quisque proximum suum iuuet in munere sibi iniuncto: quorum munerũ distributio pertinet præcipuè ad prouidentiam diuinam, quæ suam dispositionem exequitur iam per vocationem internam; iam per alia indicia, quæ dat suæ voluntatis: quosdã eligens ad sequendã pręcipuè partẽ Marthę; alios ad partẽ Marię; alios deniq;, vt vtramq; coniungant: licet omnibus offerat gratiã orationis & internã familiaritatẽ, q̃ illis expedit, vt præstent vtiliter sua ministeria. quam gratiam deberemus omnes acceptare ac procurare, expectantes à diuina liberalitate eam vitæ Contemplatiuæ partem, in eo gradu, frequentia, & continuatione, quæ magis conueniat: incumbentes scilicet in eam, (vt ait Sanctus Augustinus) toto tempore, quo per alias occupationes ex necessitate, aut charitate aut obedientia nobis licebit. Non enim sine causa de Maria dixit ipse Saluator, quod r *optimam partem elegisset*: vt nobis significaret, quod, quamuis hæc electio præcipuè ab ipsomet Christo proficiscatur, qui dixit: s *non vos me elegistis: sed ego elegi vos*: nihilominus & nos ipsum eligimus, dum inspirationem eius acceptamus; & amplectimur partem vitæ contemplatiuæ, qua fructus copiosos proferamus. O Saluator dulcissime, t *in cuius manibus sunt sortes meæ*, largire mihi quam malueris, vt


Lib. 19. de Ciuit. Dei c. 19.
S. Tho. 2. 2. q 182. a. 1. ad 3.
r Luc. 10. 42
s Ioan. 15. 6
t Psal. 30. 15

tibi

tibi seruiam. optima enim illa mihi erit, in qua tibi seruiam in omnibus, quæ de me statueris. Et quoniam tibi placet, vt optimam ego eligam, tibiq; gratissimam; eligam illam Mariæ, non tamen deserens sortem Marthæ, quando tibi placebit, vt in ea me exerceam.

CAPVT III.

DE ESSENTIA CONTEMPLATIONIS, ET VIRTVtibus, donis atque illustrationibus Spiritus Sancti ex quibus illa procedit: deque admirandis eius proprietatibus.



ONTEMPLATIO, teste S. Thoma, pro scopo suo & obiecto principali, habet ipsummet Deum, consistit verò in visione quadam suaui, quieta, & amabili veritatis æternę, absque discursuum varietate. aspicit enim illam syncerè, magna admiratione & amore, quam etiam tanta certitudine & claritate penetrat, vt aliquando appelletur videre de facie ad faciem, sicut dicitur de Moyse, a *quod loqueretur Dominus ad Moysen facie ad faciem*, quem apertè & sine ænigmatibus intuebatur; non quemadmodum beati in gloria, sed minori alia quadam claritate, quæ virtuti fidei innititur; quam plurimum perficit, & clarificat. & hæc Contemplatio (vt idem S. ait) etiam innititur & nascitur ex charitate, sistitque in eius augmento; incensus enim Dei amor impellit nos ad ibi figendos oculos, vbi est b *thesaurus*, quem diligit *cor* nostrum, desiderando videre & contemplari, quem tantopere diligimus: statim verò atque eum videmus, tanta eius est bonitas & pulchritudo, vt ad multò amplius amandum nos impellat, cum quo coniuncti hoc amore, crescit magis cognitio, visioque ipsa magis clarescit. Charitas enim instar ignis ardet ac lucet: & ardens in voluntate illuminat intellectum, efficiens vt altissimè sentiat de bonitate quam nouit & amat, & cui est vnita: aspicit enim eam magis prope, & quasi rem propriam: & experitur ingentia bona, quæ accipit ab ea: & propterea ait Sanctus Bernardus, amorem & rationem siue cognitionem esse duos oculos ad videndum Deum: & quando vterque mutuo se iuuant, multum eos valere & efficere: quod si se vniant, etiam Dei cor deprædantur: sicut idem ipse significauit, cum dixit: c *vulnerasti cor meum soror mea sponsa in vno oculorum tuorum*, vnitione videlicet & coniunctione, quam cognitio & amor effecerunt, vt me aspicerent & amarent. Nam ex cognitione accensus est amor; & ex amore vicissim creuit ipsa cognitio; simul autem

2.2. q. 180. a. 3. & 4.

S. Ber. Lib. 5 de Consid. est verus & certus quidam intuitus animi.
a Exod. 33. 11
Tract. 2 c. 1. ar. 1. & 7. ad 1.
b Mat. 6. 21.
S. Greg. Hom. 14. in Ezech.

Lib. de natura & dignit. amor. diuin. cap 8.
c Cant 4. 9.

d 1 Cor 6.17 vniti, vulnus quoddam cordi meo inflixerunt, per quod ingreßi, ita d *mihi adhæserunt*, vt *Spiritus* tuus, *vnus fieret* cum meo. O felix viſio, quæ talem efficit vnitionem? & felix vnitio, quæ talem producit viſionem? videam ego te, dilecte mi, vt ſim vnum tecum: ſimque tecum vnum, vt videam te, proficiamque ſemper magis in amore, quamdiu erit vita ſuperſtes: donec videam te, ac diligam in tua gloria. Amen.

Videns Deum. EFFICACITAS & perfectio viſionis huius ſpiritualis, nomine Rachelis expreſſa, clarius adhuc apparebit ex diſcrimine inter Meditationem, de qua hactenus, & Contemplationem. Qui enim meditatur, progreditur per diſcurſus & affectus, inſtar illius qui ad ſublimem locum per ſcalas aſcendit, ab vno ſcilicet gradu ad alterum, collocans prius alterum pedem, cui dum innititur, alterum promouet ad gradum altiorem, nunc diſcurrendo nunc amando. At qui contemplatur, inſtar eſt auis aſcendentis vtriuſque alæ volatu, ſimul ſcilicet cognoſcendo & amando; & velociter e *in arduis* ſiue in ſublimi *ponit nidum ſuum*, ſicut aquila, cum qua Deus illam confert. Quare contemplatio ordinariè poſt conſiderationum & diſcurſuum varietatem, quibus puræ & ſolidæ veritates æternæ ſunt erutæ conquieſcit, eas magna tranquillitate aſpiciendo, ingenteque eius admiratione, quod in illis aſſequitur: non recentibus adhibitis diſcurſibus: ſed cœleſtibus illuſtrationibus, quibus eas penetrat. quemadmodum ſi botrum vuarum in manu haberes, quarum figuram & colorem ſenſim conſiderares, ac diſcurſu cognoſceres vini liquorem in eis latentem, quem ad guſtandum exprimeres. at poſt expreſsionem, in vitro totum ſimul aſpiceres non obſcurè, ſicut cum eſſet in vuis; ſed ea claritate, quam extra illas habet. & tunc demum liquorem guſtares, tibique concorporares. In hunc modum Meditatio reſpicit veritates inuiſibiles, pro vt in viſibilibus latentes, diſcurrens ab his ad illas, eaſque exprimens & labore magno purificans: At Contemplatio fructu illius laboris fruitur, aſpectum ſuum, amorem, & guſtum ſeu delectationem in ipſis veritatibus inuiſibilibus collocans; ſeſeque oblectans, aſpiciendo ſuum Creatorem; illumque ſecum, & ſe viciſsim cum illo vniens per amorem.

e Iob. 19 27. Gregor 31. Moral. c. 14.

§. I.

De ſeptem donis Spiritus Sancti.

a Ephes. 5.13 SED quoniam a *omne quod* videtur, & *manifeſtatur, lumen eſt, & à lumine manifeſtatur*, ad prædictam hanc viſionem non ſatis eſt naturale intellectus noſtri lumen, niſi à diuino fidei lumine illuſtretur. Sed neque hoc ſolum ſufficeret, niſi ab aliis perficiatur, præcipuè verò ab illuſtrationibus Spiritus Sancti, quæ ſunt præcipuum lumen actuale, quo diuinus hic Spiritus myſteria ſua nobis manifeſtat; noſque exſtimulat, & in eorum Contem-

platione dirigit. Quo verò sinamus nos duci ac dirigi ab his diuinis splendoribus, concedit nobis (vt ait Sanctus Thomas) septem dona, quæ charitatem comitantur, sedemque suam in omnibus iustis habent: sunt enim instar septem planetarum, ac luminarium cœli, aut instar septem lampadum ardentium in corde, aut iuxta S. Hieronymum, sunt sicut b *septem oculi,* quos vidit Zacharias *super lapidem vnum,* & viuam petram, qui est Christus & Sanctus Ioannes c *vidit agnum habentem oculos septem,* qui dantur eum sequentibus, vt videant ac penetrent eius mysteria, modo quodam cœlesti ac diuino, licet præcipuè iuuent tres primi: hac ratione:

1.2.q 68. b Zach. c Apoc.

Donum Sapientiae (vt ait S. Thomas) est præcipuum lumen, quo Spiritus S. nobis manifestat res maximè sublimes diuinitatis suæ, modo quodam iucundo & suaui, qui oritur ex charitate & amore, quem comitatur, & ex vnitione, quam habet cum Spiritu diuino, à quo procedit. Qui enim est Deo coniunctus, altissimè sentit de omnibus, quæ sunt in Deo, & in omnibus oblectatur; eò quod sint res ipsius Dei. Ex hoc dono procedunt actus scientiæ mysticæ, sapidaque Contemplatio diuinitatis, eiusque admirabilium perfectionum.

1. 2.2. q 4 1. & 5.

Hoc verò donum etiam secundum adiuuat quod appellamus Intellectus. est enim aliud lumen quo Spiritus S. nobis manifestat arcana occultissima, quæ latent sub cortice mysteriorum fidei, & Scripturæ S. vt ea credamus, firmiterq; & cum voluptate penetremus. Quo (vt ait S. August.) obtinetur, quod septima beatitudine promittitur cum dicitur: d *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* quatenus videlicet donum hoc suis illustrationibus cor purificat ab erroribus & distractionibus; eoq; peruenitur ad visionem diuinitatis, qua fruimur in hac vita per Contemplationē, idemque e *aperit nobis sensum,* sicut Apostolis, *vt intelligamus* diuinas *Scripturas*: & cum psalmos legimus, aperit nobis nouos sensus, cum recentibus delectationibus, ita vt cum Dauide semper f *cantemus Domino canticum nouum.*

2. S. Tho. q.8 a.1. Lib. 1. Serm. D mini i mont. c d Matt. e Luc.2. f Psal.9 97. 1.

Tertivm donum Scientiae, est aliud lumen, quo Spiritus S. veritates fidei nobis manifestat rationibus capacitati nostræ magis accommodatis. Nam quemadmodum scientiæ humanæ naturali lumine per discursum assequuntur aliquid Creatoris ex ipsis creaturis: Ita donum hoc, meditationes nostras, ac discursus perficit, eleuando Spiritum ex creaturis ad Contemplationem Creatoris. Non enim sistit in externis earum, sed potius ab eis nos auellit, ne cor nostrum deprædentur; sed penetrat ad interiora, aspiciens ea quæ à Deo habent, & bonum quod per illas nobis confert; vt ex hoc etiam diuinam eius omnipotentiam & excellentiam agnoscamus: & ex eis format stupendas comparationes, & similitudines, quò magis ad viuum cognoscamus, quid sit ipse Deus. Ex tribus autem his donis procedunt alij affectus supernaturales valde eminentes ac rari, de quibus postea dicemus.

3. S Tho. q. 9 a.

SED quoniam Meditatio & Contemplatio practicæ esse debent, nec solum ad cognitionem & amorem diriguntur, sed etiam ad operandum & exequendum quæ Deus iubet, & consulit; ad hoc adiuuantur preclaris illustrationibus, per quatuor reliqua dona.

4. S. Tho 2. 2. q 52. a. 1. S. Tho 1. 2. q. 68 a. 1. & 2. 2. q. 171 a. 5 q 174. a. 3 q 121 a 1.

DONVM CONSILII est lumen quoddam, quo Spiritus S. nobis manifestat & inspirat quid in ipsius obsequium facere debeamus, tam in actionibus vitæ actiuæ, quàm in ipsismet vitæ contemplatiuæ; nosque impellit ad id, quod magis expedit, interno quodam valdeque vehementi instinctu; nunc etiam rationem afferens eius, quod inspirat: nunc voluntatem ipsam forti quodam impulsu abripiens, & quasi absoluto imperio iubens, vt id faciamus: reddens nos certos, tum quod ipse iubeat, tum quod expediat id facere.

5. DONVM PIETATIS est aliud lumen simile lumini charitatis, quo Spiritus S. piam in nobis affectionem excitat ad opera diuini cultus, & misericordiæ erga proximos. Ex quo prouenit, vt eas meditantibus ac contemplantibus nobis arrideant, alteque de iisdem sentiamus, & promptè pieque nos ad ea exercenda offeramus.

6. S. Tho 2. 2. q 139. a. 1.

AD ID autem iuuat donum FORTITVDINIS, quò idem Spiritus diuinus res quasdam arduas ad ipsius obsequium pertinentes inspirat, quæ etsi ordinarias nostras vires superent; simul tamen insignem infundit fiduciam (timore omni etiam ipsius mortis abiecto) eas perficiendi, ita vt exeamus ex ipsa Contemplatione instar leonum, flammas ignis emittentium, Dæmoni formidabiles: corroborat nos quoque in heroicis supernaturalis Contemplationis actionibus: eò quod exiguum timidumve cor non sufficiat, ad ferendos raptus, mentisque excessus in ea euenientes, vt postea apparebit.

7. 1 2. q. 19. a. 7 & 9.

DENIQVE dono TIMORIS inspirat nobis Spiritus S. reuerentiam in diuino eius conspectu habendam, quidque fugiendum sit ne ipsum offendamus, & ab eius amicitia excidamus; nec desit nobis quicquam eorum, quę ad eius familiaritatem decet nos habere. illustrat enim nostrum intellectum rationibus & causis, quæ nos ad sanctum hunc timorem exstimulent. Propterea siquidem dixit S. Iob: g *timor Domini ipse est sapientia, & recedere à malo intelligentia.* hoc siquidem timore reuerenti & casto exacuitur intellectus, vt penetret quod nobis Deus manifestat, eiusque vitalem magis sensum cócipiat. In medio quoq; altissimæ Contemplationis solet arguere & incutere timorem, dicens sicut Sponsæ: h *si ignoras te egredere* ex domo mea. & (vt ait S. Bern.) per idem donum solet reuelare terribilia quædam occultorum suorum iudiciorum, quibus nos replet hoc suo sancto timore, licet totum dirigatur ad nostram vtilitatem. Hæc sunt septem dona, quibus Spiritus S. fidem clarificat, & charitatem exstimulat per illustrationes & inspirationes,

g Iob. 28. 28

h Cant 1. 8. Ser 23. in Cant.

quas nobis iuxta illorum varietatem communicat: & quando ad vitæ contemplatiuæ exercitia accesseris, ad orandum videlicet, legendum, Meditandum, aut Contemplandum, supplex semper orabis Spiritum sanctum, vt has lampades in te alat ac foueat. Nam, absque eius illustratione, manent velut extinctæ; dicesque illud Dauidis: i *quoniam tu illuminas lucernam meam Domine, Deus meus illumina tenebras meas*: O spiritus diuine, qui & illuminas, & vris sicut ignis, accende dona quæ in meis potentiis collocasti; vt eis te ita videam atque contempler, vt etiam amem, & obediam, tuam sequens directionem in omnibus, quæ per illa mihi inspiraueris. i *Psal.* 17.29

§. 2.

Quatuor Contemplationis proprietates.

Ex his donis & illustrationibus oriuntur præstantes Contemplationis proprietates, per quas Sancti Patres eius naturam definiunt ac declarant, dicentes: Contemplationem esse eleuationem quandam Spiritus nostri ad res Dei magna perspicacitate, animique suspensione & stupore videndas, ac delibanda æternæ eius suauitatis gaudia. In quibus verbis quatuor insinuantur valde insignia, quæ inueniuntur in Contemplatione. *S. Ber. lib. de modo orandi. Rich. de arca mystica. c. 4. S. Tho. 2. 2. q. 180 a 3. ad 1.*

1. Primum est, quod a *eleuet* Spiritum *supra se*: ita, vt iuxta sententiam Apost. b *conuersationem suam habeat in cælis*: quorum portas Deus aperit orantibus, & pulsantibus, ob alterum ex duobus finibus. *Primus* est, vt aliquid det illis eorum, quæ petunt: non tamen ipsis ascendentibus, neque ad recessum cœlestis illius domus admissis. quemadmodum si quis descendat, Eleemosynam pauperi largiturus, aperit quidem portam, sed pauperem in domum non admittit, sicut fecit c *amicus* ille, qui *surgens* ex lecto suo *dedit tres panes amico* ad portas domus pulsanti. & hoc modo magnus noster Deus ianuas cœli & misericordiæ suæ aperit, vt sua dona omnibus debitè petentibus largiatur, etiamsi illi sint imperfecti, & vt plurimum eas aperit, sacros libros legentibus mysteriaq; diuina meditantibus; communicat enim illis aliquam portionem lucis, aut roboris Spiritualis ad ea quæ agunt perficienda. *Alter* autem finis est, ianuas cœli orantibus aperiendi, vt ipsi ascendant, eoq; ingrediantur, vt requiescant, & cum Deo suo conuersentur: quibus aperit arcana sua, æternasque veritates eminentiores, ad eum modum, quem refert Sanctus Ioannes in Apocalypsi: quod repente d *ostium apertum* illi fuerit *in cælo, & vox quædam tanquam tuba ipsi dixerit: ascende huc & ostendam tibi, quæ oportet fieri posthac.* quasi dicere vellet, ostium hoc non tam aperitur, vt aliquis ad tecum loquendum descendat, quàm vt tu ipse huc ascendas, mecumque ingrediaris, vt videas arcana, quæ cupio tibi communicare. Qui obediens voci ipsum vocan-

a *Thre.* 3.41 b *Phil.* 3.20 c *Luc.* 11.8 d *Apoc.* 4.1

tis,ait: *& statim fui in Spiritu* eò ingressus. & hac ratione DEVS aperit cœlum contemplantibus,& ipsi ascendunt, eleuantur, eoque ingrediuntur, vt videant illa cœlestia,quæ ibi geruntur : non quòd Spiritus re ipsa separetur à carne,transeatque ad cœlum ; sed quod eius facultates, memoria scilicet, intellectus, & voluntas, adeò sint immersæ aspiciendo & amando res cœlestes, cum tanta rerum terrenarum obliuione , vt sibi videantur esse intra ipsum cœlum;&,quando redeunt ad se ipsos, gemunt, tanquam qui è cœlo ad terram descenderint, & ex voluptatis paradiso, ad vallem lacrymarum. Reuera tamen id totum geritur intra ipsummet Spiritum,in quo fabricantur omnes cogitationes,& affectus,qui ipsum transferunt,cum suo quodam sensu, ad res cœlestes.

2. Suspensio. HINC prouenit secunda proprietas Contemplationis, SVSPENSIO scilicet eiusdem spiritus,in rebus quas contemplatur:quæ in eo consistit,vt omnino spiritus obliuiscatur rerum terrenarum , atque si in terra non esset: quia reuera pendet à Deo,& ab iis,quæ in eo videt, aut ab eo dici audit : ad eum modum,quo quis elegantissimam aliquam imaginem aspiciens,aut insignem aliquem oratorem aut Concionatorem audiens, quo plurimum delectatur,tanta suspensione attendit ad id , quod videt & audit, vt obliuiscatur de re alia cogitare:ita e *qui intrant in potentias Domini* sicut Dauid , eiusque magnalia contemplantur, nullius alterius rei meminerunt,quam *Iustitiæ eius solius,* reliquorum omnium obliti,quæ in terra geruntur. (Psal 70. ...)

SED in hac suspensione tres gradus licet distinguere. *Primus* est solius Spiritus,& partis animæ superioris , quasi intellectus & voluntas alligati essent & vniti cum Deo;imaginandi interim facultate libera manente ad cogitandum de aliis rebus : quod aliqui experti , exprimunt ad eum modum, quo voluntas solet esse in bono firma & constans, sensualitate interim appetente contrarium. *Secundus* gradus excellentior, est Spiritus & imaginationis simul quæ illũ sequitur,attendens modo suo ad idem,quod facit Spiritus,absq; distractione ad alia.*Tertius* gradus est, quando eousq; suspensio peruenit,vt etiã sensuum externorũ vsum suspendat , ita vt etiã à præsentibus obiectis eo tẽpore non permoueantur. Ex quo oriri solet *quarta* quædã prodigiosa suspensio totius corporis,qua in aëre eleuatur,pendetq; ac sustẽtatur vi Spiritus diuini,illud à terra eleuantis. Tanta .n. est vis & vehemẽtia interni Spiritus,qua anima adspirat ad cœlestia. Primus gradus,si possibilis est,breui tempore durat, ipsa imaginatione Spiritum ad inferiora trahente. Quamobrẽ communis & ordinaria nostra contẽplatio est ad instar sorbitionis aut saltus.quod explicat Sanctus Gregorius exemplo locustarum, quæ à terra aliquantulum eleuantur,& in aëre volant, sed mox in terram cadunt ; & exemplo piscium,qui aliquantum extra aquam saltant, sed mox recidunt & submerguntur : Ita nos aliquantulum contemplatione in altum ascen- (...ib.31. Mor. ...12.)

dimus,

dimus, sed statim ad inferiora cogitationum nostrarum terrenarum descendimus, vt propterea opus sit conuertere nos ad actiones meditationis & imaginationis, nisi Deus Dominus noster secundum gradum suspensionis cum priori coniungat, vt internas omnes potentias, magna firmaq; ad ipsius opera attentione, suspensas habeat, implens desiderium illud, quo tenebatur Iob, cum dixit: f *elegit suspendium anima mea, & mortem ossa mea.* suspensione enim animæ in rebus cœlestibus ossa quæ potentiæ sunt inferiores, tanquam mortuæ manent ad res terrenas. O si quis mihi tribueret, vt Spiritus meus totus eleuatus à terrenis, & in cœlestibus rebus collocatus, penderem à meo Creatore, nihil in rebus creatis desiderans; sed ita meo palato omninò sim mortuus, vt nihil in me, nisi ipsius voluntas viuat.

f Iob. 7. 15

S Greg. lib. mor. c. 28.

Ex prima Contemplationis proprietate alia oritur, scil. *admiratio*, quæ excitatur nouitate & magnitudine rerum diuinarum, quæ in ea manifestantur: quæ adeò magna esse solet, vt Sanctus Bernardus eam collocet in vltimo gradu contemplationis, tanquam indicium altissimæ eius cognitionis, quam, nisi qui expertus sit, vix possit intelligere. Quæ tamen, licet ipsis tironibus magna videatur ob nouitatem, quam adferunt illis diuina mysteria, quæ nunquam intellexerant: maior tamen multò est in perfectis, ob maius lumen, quo altiores eorum excellentiæ manifestantur; nec deest vnquam noua admirationis materia, eò quòd Dei eiusq; perfectionum magnalia sint infinita; eius opera ac beneficia innumerabilia; modiq;, quibus illa manifestantur, innumerabiles: & quicquid in Deo est, sit admirabile. admirabilis enim est in seipso, in suis attributis, in operibus paruis & magnis; admirabilis in Sanctis suis & in effectibus, quos in eis operatur. Ex ipsis etiam, qui experientiam in Contemplatione habent, augetur admiratio, vt aliquando maneat spiritus suspensus, & transformatus in magnitudinem Maiestatis, quam aspicit: interdum instar muti manet, nesciens quid dicat: & cum inde exit ad loquendum, id facit vehementi quodam impetu, verbum aliquod repetens, quo magnitudo, quam vidit, indicatur, quemadmodum Seraphini repetentes dicebant: g *Sanctus, Sanctus, Sanctus*: aut Moyses dicens: h *misericors & clemens, patiens, & multæ miserationis.* In singulis enim diuinis attributis innumera sunt, quæ sensim, valdè recenter manifestantur, cum tanta nostra admiratione, atq; si nunquam antea eadem essemus contemplati.

3. Admiratio.

Lib. 5. de Consider.

g Isai 6. 3.
h Exod. 34. 6.

Hinc oritur *quarta* Contemplationis proprietas, scilicet *dulcedo.* delectatur enim rebus æternis, quos cognoscit, ac diligit, & de quibus admiratur. quæ tanta est, vt Sanctus Gregorius contemplationem appellet ipsam dulcedinem valde amabilem, de qua dicit Dauid, quod sit i *magna, multa, & abscondita.* Magna est: quia alias omnes dulcedines superat,

4. Dulcedo.
S Tho 1. 2 q 32. a. 8.
Admiratio est causa delectationis.
2 2 q 80. a 7 Hom. 14 in Ezech.
i. Psal. 30. 20.

perat, ſicut magnus fluuius aquæ guttam; ſicut cœlum terram; & Creatoris delectatio creaturarum omniũ delectationes: & quia magnus eius eſt fons, obiectum magnum, & ipſe finis, quod totum eſt Deus, viſus & amatus magno amore, magnoq; affectu deſideratus. MVLTA eſt: quia innumera ſunt motiua tantæ dulcedinis percipiendæ. Vnaquæq; enim diuinarum perfectionum, ſingulaq; eius beneficia, cauſam adferunt recentis gaudij, & delectationis. Eſt ABSCONDITA, eò quòd nullus poſsit eam agnoſcere, qui eam non experiatur, ac delibet in ſecreto cordis ſui. Cuius cùm partem aliquam deguſtauerit, non habet verba, quib. eam explicet; ſed ingenti admiratione exclamat cum Dauide: k *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te.* Quid ergo erit contemplantibus, & amantibus te? ſi tot habes delicias, quibus perituri corporis ſenſus recrees, quantò plures maioreſq; habebis, vt recrees animam æternùm victuram? l *inebriabis eam ab vbertate domus tuæ, & torrẽte voluptatis tuæ potabis eam. quoniam apud te eſt fons vitæ & in lumine tuo videbimus lumen.* Da mihi, Domine, hoc lumen cœleſte, quo te cognoſcam lumen infinitum, & amem; amoreq; ipſo gaudium creſcat; gaudium verò ipſum augeat amorem, vt ex cognitione, amore, & gaudio funiculus triplex contexatur, quo tres meæ potentiæ tecum colligentur, memoria recollecta, intellectus ſuſpenſus, voluntas vnita, totuſque ſpiritus meus in te transformatus in æternum. AMEN.

Pſal. 30.

Pſal. 35. 9.

HAE ſunt ſummatim proprietates contemplationis, cuius ſtupendi effectus in ſequentibus capitibus proponentur.

CAPVT IV.

VARIAE VIAE ET GRADVS CONTEMPLATIONIS, quorum primus eſt per creaturas, collocando earum perfectiones, cum infinita excellentia in ipſo Deo, noſq; in ipſas diuinas per affectus amoris transformando.



ON ſine magno myſterio Deus interrogauit ſeruum ſuum Iob; num ſciret a *per quam viam ſpargeretur lux ac diuideretur æſtus ſuper terram.* Variæ ſunt enim eædemque occultæ viæ, quibus iuſti à Domino impetrant lucem contemplationis, æſtumque diuini amoris. *Alij* enim tenent viam creaturarum, per quas tanquam per gradus quoſdam aſcendunt ad vnitionem cum Creatore, qui eſt illis

Iob. 38. 4.

con-

coniunctus: legentes in earum libro, quem ipse fecit, magnalia, quæ in se habet. *Alij* ex officiis, quæ Devs erga illas præstat; & ex nominibus, quæ sibi ipsi imponit, diuinitatem agnoscunt, quam illa significant.

Sed sunt *alij* qui huius viæ prolixitatem aduertentes, aliam sequuntur copiosiorem, orationum videlicet, ac petitionum feruentium, suspirantes altissimum contemplationis gradum, sibi conuenientem, donec voti compotes euadant. *Alij* simul tenent viam fidei & charitatis, quas exstimulant proprijs earum actionibus & operibus tanquam qui velit se disponere ac promereri eo modo, quo potest, donum, quod intendit obtinere. *Alij* ducuntur per vias non ita tritas, & extraordinarias, sequentes nimirum impulsum spiritus diuini, illos per tales vias deducentis. *Alij* deniq; tenent viam experientiarum internarum, per quam impetrant cognitionem experimentalem Dei, & ascendunt ad maiorem admirationem & contemplationem diuinitatis eius. Nostra tantum interest, vt supplices hunc Dominum, qui b *via est, veritas & vita*, oremus, vt per eam viam nos ducat, quæ magis nobis expedit ad lucem recipiendam, qua contemplemur veritatem æternam & æstum siue ardorem, quò amemus & obtineamus vitam beatam. Ex parte verò nostra sensim declarabimus rationem per prædictas vias ambulandi, variosq; gradus singularum, quibus ad culmen contemplationis ascenditur, vbi fit transfiguratio spiritus nostri in Dei spiritum, ad imitationem Iesv Christi glorificati & transfigurati: iuxta illud Apostoli c *nos omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu*, quemadmodum de cognitione Christi D.N. supra fuit declaratum. perfecta enim contemplatio secundum proportionem quandam in eo consistit, vt formetur intra spiritum nostrum, qui voluntatem, & intellectum complectitur, viua quædam imago ipsius Dei, diuinitatis scilicet & infinitarum excellentiarum ac perfectionum eius, aspiciendo eas claritate, quam fides nouæ legis nobis reuelat; & ascendendo ad maiorem aliam claritatem eiusdem fidei, ob cœlestem illustrationem; alteq; de eis sentiendo, iuxta veritatem & magnitudinem, quam in se continent, nos ipsos oblectando, & exultando eis intuendis & imprimendo spiritui nostro viuam similitudinem in maximo gradu, qui nobis concedetur.

b *Ioan.* 14. 6.

c 2. *Cor.* 3. 18.

Tract 2 c. 11.

Tritissima via ad hoc perueniendi est per creaturas & officia, quæ Devs præstat erga illa, quam indicauit Apost. verbo illo *speculantes* Deum scilicet in suis speculis, quæ sunt excellentia eius opera. & quemadmodum qui ante se habet speculum, retrò verò personam aliquam, cuius vultum

in ſpeculo videt; licet ipſammet in ſe non videat, propterea quod retrò illam habeat; illud tamen ſufficit ad hoc, vt intra ſe veram quandam eius imaginem & figuram formet, ita vt, cùm eandẽ poſtea rectà videt, dicat: hic ſine dubio eſt, quem in ſpeculo vidi: Ita etiam licet D.N. d *ſtet poſt parietem noſtrum*, corpus ſcilicet *proſpiciens per cancellos*, creaturas videlicet: quoniam tamen illæ, ſpecula quædam ſunt, in quibus radij eius diuinitatis repræſentantur, per eas poſſumus nos illum cognoſcere, verumq; conceptum eius magnitudinis formare, transformantes nos in eius gloriæ imaginem. Ad quod obtinendum duplex eſt via, ſiue ratio, quæ cognoſcetur per ſimilitudinem duplicis artis imagines conſtruendi. altera eſt pictura, altera ſculptura. prima format imaginem ſuam aliquid ſemper addendo ſuper telam, aut tabulam, in qua eam depingit: primum enim aqua & bitumine ſemel abluit, deinde cretam extendit, moxq́; imaginem ruditer delineat, ac deniq; penicillo colores adhibet, primum quidem rudiores, poſtea perfectiores donec tota pictura perfecta euadat; Sculptor autem diuerſa omninò via incedit, ſemper enim aufert aliquid ex materia, in qua cœlat imaginem. Primum craſſum lignum dedolat, & mox ſcalpello ſiue cælo aſſulas & particulas paruas aufert ita dextrè, vt exactam crucifixi, verbi gratia, imaginem formet, quæ valdè propriè refert partes ipſius in debita earum proportione. In hunc modum ſtatuit S. Dionyſius inſignes duos modos Deum cognoſcendi, alterum vocat per affirmationes, alterum per negationes; & vterq; fundamentum habet in S. Scriptura, in quo duo inuenimus nominum genera, quædam affirmatiua, quædam negatiua, quæ ſunt certa ſigna conceptus veri, ac perfectionis, quem Deus de ſeipſo habet, & quem nos debemus tanquam materiam & argumentum noſtræ conſiderationis accipere, vt aſcendamus ad altiorem contemplationem.

d Cant. 2. 9.

.3 de Myſti‑a Theol. & .7. de diuin. nomin. vbi S. Tho Lect. 4. & S. Bern in par‑uo bo. diſt. 3.

§. I.

De modis Deum per affirmationes cognoſcendi.

1. PRIMVS modus & facilior Deum cognoſcendi eſt, formando quandam diuinitatis eius imaginem, eo modo quo pictores, ponendo ſcilicet in Deo quicquid boni fingi poteſt, ad hoc, vt ipſe ſit omninò pfectus, ita vt nulla bonitas aut perfectio illi deſit ex omnibus, quas in creaturis cœleſtibus & terrenis videmus; & quas vidimus, legimus, & audiuimus à viris ſapientibus, potentibus, & ſanctis, & ab ipſomet Chriſto, qua homo eſt, ea tamen conditione, vt perfectio illa eius ſit generis, quæ perfectiſsimæ Dei naturæ non repugnet.

ID quod varijs modis fieri poteſt, eò enim inprimis diriguntur no‑

mina

mina primi generis, quæ per viam affirmationis in Scriptura Sacra Deo attribuuntur, qualia sunt, *Esse* qui est, esse *Omnipotentem, Sapientem, Iustum* & *Misericordem*: nomina item *Creatoris, Gubernatoris, Protectoris, Patris, Magistri, Medici, Seruatoris*, & similia; in quibus est perpendendum, quod infinita excellentia impleat ipse quod talia nomina significant, absq; limitibus & imperfectionibus, quæ in hominibus inueniuntur, à quibus ea nomina accipiuntur. Si itaq; discurras per omnes proprietates, quæ perfectè Sapienti, præstanti Patri, aut insigni Gubernatori inesse possunt, inuenies omnes eas in Deo esse, in excessu infinito & absq; vllius imperfectionis admixtione. Et mox formandi sunt intra cor tuum, affectus ijs nominibus respondentes, amoris, reuerentiæ, aut timoris: aspiciens teipsum tanquam creaturam huius Creatoris, filium huius Patris, discipulum huius magistri, ac subditum huius Gubernatoris; & studens implere, quod est vacuum tui nominis: quemadmodum Deus implet, quæ ipsius nomina significant. Separabis etiam in te preciosum à vili, qua tibi erit possibile: & hac ratione transibis *à claritate in claritatem*; & à cognitione tui, ad cognitionem Dei; & à cognitione Dei, quæ fit per rationis discursum, ad eiusdem cognitionem, quæ fit per sapientiam: magnum spiritualem gustum percipiens ex eius magnitudine, quam perspicis: sic enim transformaberis in diuinam eius imaginem, propriæ tuæ conditioni ac statui accommodatam, recipiendo scilicet affectus ac virtutes conuenientes, quibus illi conformeris: quod proprium est amoris vnitiui, nos ad ipsum Deum deducentis, & cum ipso vnientis per conformitatem voluntatum: qua vnitione communicat nobis ipsius Dei proprietates & conditiones, quibus illi similes efficiamur, ad eũ modum, quo ferrum in ignem immissum transformatur in ignem, dum perfectam eius similitudinem concipit. Si es infirmus, & in spiritu humilitatis ad Deum accedas, quem nosti esse Medicum supremum, vt veram animæ sanitatem impetres, hac vnitione sanus euades, Deoq; similis in ea sanitate, quam ab illo recipies. Si es ignarus, & coniungaris Deo, quem nosti esse supremam sapientiam, hac vnitione sapiens euades, ipsiq; Deo similis in ea sapientia, quæ tibi competit, vt illi sis gratus. Et, si cum spiritu filij accedas ad Deum, quem nouisti esse patrem, vniendo te illi accipies virtutes Patris tui, vt qualis est Pater, talis proportione quadam sit filius. hoc est quod insinuauit Dauid cum dixit: a *accedite ad eum, & illuminamini: & facies vestra non confundentur.* Si enim facies vestras hoc est conscientias vestras cum Deo coniungatis, non supererit illa obscuritas, & confusio, quam habebant: sed transferentur in splendorem & lucem Dei, cui coniunguntur. O si quis mihi daret, vt ad te Deum accederem tali cognitione & affectu, vt facies mea illustraretur splendore à tua procedente. Accede itaq; anima mea ad Deum, accede ad Patrem tuum, ad Magistrum,

a *Psal. 33. 6.*

ad Medicũ:vide qua facie accedas, & quam habere desideras; attende, quam Deus habeat faciem, & quam tibi cupias communicari, coniunge te illi per verum amorem. Hac enim coniunctione transformabitur facies tua in eius faciem, recipiens figuram & claritatem, quæ ab eo procedit.

2. HANC eandem cognitionem poteris impetrare, si discurreris per huius mundi creaturas, aut quamcunq; earum, separando quod perfectum in eis est ab admixtis imperfectionibus, illudq; cũ infinita excellentia in Deo Domino nostro collocando, tanquam in earundem perfectionum fonte, admirans eminentiam & præstantiam, qua infinitè excedunt omnia creata, & animo exultans, quod tales Deus in seipso habeat, laudansq; illum, quod eas ita creaturis communicauerit, sicut illæ capaces erant; tuamq; voluntatem per amorem coniungens cum his diuinis perfectionibus, vt tibi adhærescant; & in eo gradu communicentur quo tibi expedit; resumens spiritum ad formandam intra te viuam earundem imaginem. Extende itaq; oculos per aspectabilem hunc mundum, de quo diximus esse librum quendam manu Dei scriptum, tot characteribus, quot creaturas continet: quæ omnes ex infinito diuinæ suæ essentiæ libro sunt descriptæ, in qua essentia harum rerum omnium ideas continet, & infinita quadam eminentia complectitur earum perfectionem & infinitarum aliarum, quas creare potest. Ex his ergo, quæ legeris, ac videris in visibili hoc libro, intelliges, quod scriptum est in libro illo inuisibili: qui ita excedit hunc visibilem creatum, sicut quod viuit excedit id, quod tantum est depictum. Nam omnes perfectiones creatæ, sunt instar alicuius picturæ, aut vestigij infinitarum Dei perfectionum, quæ sunt perfectiones viuæ; & quidem vita adeò excellenti, vt sola illa vitæ nomen mereatur. Et propterea Sanctus Ioannes dixit: b *quod factum est, in ipso vita erat.* ac proinde eodem modo erat sapientia, bonitas, charitas, & ipsemet Deus: qui, vt in sua ipsius diuinitate, vnitas habet cum infinita eminentia omnes perfectiones, quæ diuisæ sunt & sparsæ per creaturas: ita consueuit electos suos ad talem contemplationis formam eleuare, vt ipsum cœlesti hac luce videntes, in eadem videant quoq; creaturas, quas in se habet, ab ipso procedentes, ad eum modum quo Sanctus Gregorius de S. Benedicto dixit: quod in quadam perfecta contemplatione constitutus, viderit Vniuersum instar radij lucis solis collectum, non quod ipsum Vniuersum ita constringeretur, quo ipse illud videret; sed quod eius anima dilatata fuerit & eleuata ad videndum Deum per contemplationem: & in ipso Deo viderit, quod intra eum erat modo quodam altiori, quàm si illud in seipso vidisset. Hac igitur ratione mirifico quodam circulo, ex cognitione creaturarum, ascenditur ad cognitionem creatoris; eoque cognito excelsiori luce cognoscuntur in eo ipsæ creaturæ, & quæ prius erant speculum, in quo Deus visebatur; i-

Tract. 2. c. 3.

b Ioan. 1. 14. S. Tho. 1. p. q. 18 a. 4.

2. Dial. c. 35.

psæ-

ipsæmet nunc in ipsa Dei luce videntur, tanquam in speculo, quod easdem repræsentat.

Hoc autem ob duplicem finem ita sapientia diuina disponit. *Alter* est, ad vnionem & recollectionem internam conseruandam, ita vt non diffundatur spiritus per res ipsas creatas, quas in suo Creatore videt vnitas: *Alter* est, quo aspiciendo Deum & in eo ipsas creaturas, præstemus officium, quod nobis incumbit, orando scilicet pro indigentibus; gaudendo de bono, quod iusti habent; desiderando, Devm honorari ac glorificari in omnibus ita, vt quies contemplationis non impediat charitatem orationis ac petitionis. Tunc magno affectu exclamat anima: *Deus meus & omnia*. tu es in omnibus rebus, & omnes sunt in te; ac proinde si te habeo, omnia habeo. res omnes extra te mihi sunt nihil; tu verò sine eis es omnia: quia tu omnia contines. Tu es c *omne bonum*, quia in te est verè omne bonum, quod in rebus omnibus inuenitur; & tu es in omni earum bono. te solum volo diligere propter te, reliqua autem omnia, non propter ipsa, sed propter te, per quem illa sunt bona. siquidem ergo, Domine, tu es in me tanquam in tua factura; & ego in te tanquam in meo principio & causa, simus quæso vnum in amore in æternum. c *Exod.* 33. 19.

3. In hunc modum licebit eandem cognitionem impetrare, aspiciendo omnes excellentias quæ sunt in sanctis & in Christo D. N. tanquam homine: collocando etiam eas in Deo cum infinitè maiori excellentia, siquidem ipsemet Christvs ita sentiebat, & ita respondit Principi cuidam, qui ipsum Magistrum bonum appellauit, credens esse purum hominem? d *quid* (inquit) *me dicis bonum, nemo bonus nisi solus Deus.* quasi diceret: omnis hæc sapientia & bonitas, quam in me suspicis, qua homo sum, nihil est comparatione eius, quæ est in Deo, in quo sapientia est & bonitas cum infinita excellentia, quam tu non assequeris; quam si velis cognoscere, licebit eam in me tanquam in speculo cernere, cognoscendo id, quod habet Pater & Filius, quà sunt vnus Devs, ex eo, quod resplendet in filio, quà est homo; iuxta illud, quod idem Dominvs respondit Philippo: e *qui videt me, videt & patrem*, opera enim mea, sunt tanquam speculum, in quo cernitur infinita vtriusque excellentia. d *Mar.* 10. 18. *Luc.* 18. 18. e *Ioan.* 14. 9.

§. 2.

De varijs actibus amoris.

Postqvam discursu & meditatione per dies aliquot assecutus fueris omnes diuinas excellentias ac perfectiones, quas tibi crea-

turæ produnt, Deiq; nomina tibi significant, licebit, diuino spiritu adiuuante, relinquere ad tempus prolixos illos discursus, & in tua recollectione constitutus in memoriam reuocare altum illum & generosum sensum, quẽ de tuo Deo eiusq; bonitate, omnipotentia & charitate obtinueris hærendo cum aliqua mora in eorum aspectu, cum admiratione magnitudinis & excellentiæ, quam Deus habet in suis perfectionibus; totumq; cor occupando in eodem, summè propter eas diligendo; & hæc erit contemplatio ad eũ modum, quo qui solicitè multumq; laborauit, vt ingenium & conditionem inquireret eius, quem in amicum assumere intendit; post contractam iam amicitiam, & cognitum per experientiam ingenium, non opus habet eosdem discursus renouare; sed sufficit aspectus ipsius amici, vel rei eius alicuius, aut quod eius nomen audiat, vt amor erga eum, ac delectatio, qua ex eius societate afficitur, renouetur. Et hoc est transformari in viuam imaginem Dei, non ad eum modum, quo quis penicillo eam pedetentim, partemq; vnam post alteram depingit; sed quo fit tota simul & vno tractu, sicut in proplastice. Et propterea fortè colloquens Deus cum anima iam perfecta, dixit
sR 2. c. ei (quod supra perpendimus) a *pone me signaculum super cor tuum:* ad insinu-
Cant. 8. 6. andum, quod quemadmodum imago sigilli non imprimitur paulatim in cera molli, sed vno tractu & tota simul: ita perfecta contemplatio breuissimo tempore perficit, quod aliàs longis ratiocinationibus obtinetur: quia transformat spiritum suum in Deum per cognitionem & amorem; seque illi coniungit, quemadmodum cera cum sigillo: vt ab eo accipiat imaginem gloriæ eius, feruentibus desiderijs optans fieri illi valdè similis.

VT verò noueris nobilissimos amoris actus qui in hac contemplatione solent exerceri, summam eorum quandam hic ponemus, quemadmodum illos sentiunt & habent ij quos Rex cœlestis introduxit in cellam vinariam, & in eius penetrale; quæ non alia est, quam ipsamet eius diuinitas, cuius quæuis perfectio vasis instar est, pleni excellentissimo amoris vino, cum singulari sapore ac dulcedine. Nam quemadmodum manna cùm tantum esset vnũ diuersos tamen sapores habebat: ita etiam diuinitas, quam idem
Apoc. 2. Dominus b *manna absconditum* appellauit, quæ etsi vnica sit in omnibus suis perfectionibus, singularem tamen saporem & oblectationem in singulis earum communicat: ita vt cognoscenti eius sapientiam, affectum quendam communicet diuersum ab eo quem dat contemplanti eius omnipotentiam.

PROPRII huius contemplationis, de qua nunc agimus, affectus hi sunt.

1. *Primus* est affectus amoris *substantialis*, quò Deo vis perfectionem illam, quam es contemplatus: gaudesq; quod eam habeat adeò excellenter,

& quod

& quod tot adeoque admirandis perfectionibus abundet, adeoque exultas ex eo, quod si qua illi deesset, & in tua esset potestate illam ei dare, libentissimè dare velles, ob amorem, quo illum prosequeris, sicut dictum est in 1. Tract. Cap. 12.

2. *Secundus* actus est amoris (quem *appretiatiuum* appellant) ipsius Dei, quo summè æstimantur eius magnalia: propter quæ rebus omnibus creatis, creãdis, & quæ esse omninò possunt, præfertur ipse, diuinaque eius gloria, & æterna voluntas: cuius causa tuum proprium honorem contemnis; & quicquid tibi placet, vt ipsi placere possis: rebusque omnibus creatis renuncias, quò earum Creatorem, qui infinitè plus illis valet, placatum habere posis: denique studes, quam poteris partem exemplaris diuinarum perfectionum imitari, quò ei quam simillimus efficiaris.

3. *Tertius* actus est amoris, qui dicitur *intensus* ac *tener*, quo desideras illum amare, illique placere cum omni feruore & conatu tibi possibili, ob singulas eius perfectiones, siquidem singulæ, eò quod sint infinitæ, dignæ etiam sint quæ amentur infinito amore: & gaudes quod Deus singulas amet, quantum illæ dignæ sunt.

4. Hinc transis ad *quartum* actum amoris, quem appellare licet *extensiuum*, quo tuum cor ad gaudium excitas, extendendo illud ad omnia opera, quæ Deus fecit, facitque eo præcipuè nomine, quod eius sint; vt scilicet gaudeas de creatione, prouidentia, ac mundi redemptione; beneque de omnibus sentias, eò quod ab eius manibus proueniant; & similiter, vt gaudeas, quod Deus infernum fecerit & purgatorium, sicut gaudes quod fecerit cœlum: eo quod hæc omnia sint eius opera. dilectus enim tuus in omnibus, quæ habet ac facit, amabilis est, ac c *desiderabilis*. c Cant. 5. 16

5. Ex his innumeri alij affectus prodeunt: gaudes enim de honore & gloria, quam propter hæc omnia illi tribuunt Angeli sanctique in cœlo, & iusti in terra; de gloria item, quæ illi prouenit ob hanc mundi fabricam, & creaturas omnes, quas fecit: optasque eum agnosci, amari, & laudari ab omnibus hominibus; omnesque res creatas, ad idem faciendum, inuitas, tuque pro omnibus & in omnibus eundem glorificas, donec ad supremum

6. vnitiuum amorem peruenias, de quo dicemus postea, in quo conquiescas, & fruaris vnitione, quam Deus habet cum omnibus suis creaturis per essentiam, præsentiam, & potentiam, & quam tecum habet, tanquam cum vna earum; ac desideres viuam habere cum eo vnitionem, per exactissimam cognitionem, feruentissimumque amorem boni, quod intra teipsum habes. O rex gloriæ; introduc me in cœlestem tuæ diuinitatis cellam, meque inebria sex hisce charitatis affectibus, ordinãs in me charitatẽ & eius opera: cõcede etiã hasce sex alas accensorum Seraphinorũ, vt liceat mihi super omnia creata volare, tecumq; Creatore meo in æternum coniungi & vniri. Amen.

CAPVT V.

QVA RATIONE DEVS COGNOSCATVR ASCENdendo super omnes creaturas, remotis ab eo earum limitationibus: deq; excellentia amoris ei respondentis.



ENIAMVS nunc ad alterum modum cognoſcendi Deum, S. Dionyſ. & myſticæ Theologiæ Magiſtris valdè celebrem, quo formatur in noſtro intellectu, magni huius Dei imago more ſculptorum, remouendo ſcilicet ab eo quicquid in creaturis ipſis videmus, eo quod ſit imperfectum valdeque indignum ſublimitate tantæ Maieſtatis, quæ neque eſt, neque eſſe poteſt aliquid eorum quæ in rebus creatis cernimus; cum ſit ipſa quoddam eſſe excedens infinitè quicquid in eis inuenitur. Et fortè hoc eſt, quod dixit Sponſa: a *quod quæſiuiſſet quem diligebat anima eius per noctem,* lumine ſcilicet obſcuro fidei, primum in domo propria & *lectulo,* diſcurrens (vt ait S. Gregorius Nyſſenus) per viſibilis huius mundi creaturas, quem cum non inueniret, ſurrexit, & per vicos & plateas ciuitatis cœleſtis diſcurrit per creaturas ſcilicet excelſiores, quales ſunt hierarchiæ Angelorum; & neque eum inuenit inter illos, donec tandem victam ſe agnoſcens, ſeipſam tradidit: & tunc dilectum ſuum inuenit, intelligens, eum habere eſſe adeo eleuatum, vt excederet infinitè quicquid eſt creatum in terra, & in cœlo; & quicquid comprehendi poteſt. Idem autem ſignificant nomina Dei, quæ negatiua appellamus, qualia ſunt *infinitus, æternus, immenſus, immutabilis, incomprehenſibilis & ineffabilis,* ex quibus intelligimus Deum habere quoddam eſſe. quod nec terminum admittat, nec limitem: nec in ſcientia, nec in potentia, nec in diuitiis & bonis, quæ poſsidet, habeat principium, nec finem ſit habiturus. nec ad ſtrictus ſit ad locum aliquem determinatum eo quod impleat omnia: nec vllum terminum habeat id quod implere poſſet: nec mutari, nec præire aut imminui poſsit bonum, quod habeat: nec vlla creatura comprehendere aut amplecti, quicquid ipſe eſt; nec nominare aut verbis exprimere totam ipſius perfectionem. ideoque omni ex parte eſt perfectus eò quòd nihil illi deſit, nec verò deeſſe poſsit aliquid perfectionis, quod ſupremæ ipſius diuinitati competat.

a Cant. 3. 1.

Ibidem.

ET hanc ob cauſam ait idem S. Dionyſ. ad cognoſcendum hac ratione Deum, debere nos relinquere ſenſus noſtros, imaginationes, diſcurſus, &

c. 1 de myſt. Theolog.

intelli-

intelligentias limitatas, eò quòd Deus non sit aliqua ex his rebus, quæ per huiusmodi potentias, actusque adeò limitatos, & finitos posit comprehendi: sed talis sit res, quæ eas omnes infinitè excedat. Non enim est lux, nec splendor, aut pulchritudo, sicut nos videmus, aut imaginamur; sed est quædam alia hanc infinitè excedens, cuius comparatione lux hæc, quã videmus, est tanquam tenebræ; & splendor, tanquam obscuritas; & pulchritudo tanquam deformitas. Deus non est substantia, neque bonitas, neq; potentia, aut sapientia, quemadmodum nos curto nostro intellectu assequimur; sed est quædam substantia super omnem substantiam; quædã bonitas & sapientia, supra id totũ quod nos imaginamur esse bonum, aut sapiens; & quædã potentia supra id totum, quod potest dici potens. Quare si hęc nomina sumantur iuxta perfectionẽ limitatam, quam significant in creaturis, indigna sunt Dei sublimitate; si autẽ accipiantur ad significandum quod est in Deo, non possunt creaturis conuenire. & in hoc sensu dicit scriptura sacra, quod solus Deus sit bonus, sapiẽs, sanctus immortalis, & potẽs. Bonitas enim, qua Deus est bonus, in ipso solo potest inueniri: bonitas autem, quæ est in creaturis, adeo ab illa distat, vt hoc nomen non mereatur, si ad supremam illam bonitatem cõparetur. potius liceret dicere, eam non habere apud nos proprium nomen, quod exprimat modum, quo ipse in seipso est: quia verè est ineffabilis. ideoque licebit dicere nos hoc modo cognitionis solum cognoscere de Deo, quod non sit aliquod esse ex omnibus, quæ intellectus creatus assequi potest; sed aliud esse excellentissimum, excelsissimum, & supremũ super omne esse, quod nos imaginari aut intelligere possumus: quod neque assequimur, neque intelligimus. qua sancta & discreta ignorantia cognoscimus quid sit Deus, eum veneramur, & magnificamus, sicut illi Seraphini, qui b *duabus alis velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius,* hac ratione significantes, se non posse comprehendere, quod infinitum eius esse complectebatur. & eãdem ob causam dicitur in Scriptura, quod c *Dominus habitaret in nebula:* & quod Moyses d *ingressus fuerit medium nebulæ,* vt cum Deo loqueretur. Quæ autem hæc est nebula in qua Deus habitat, nisi quam Apostolus appellat e *lucem inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest,* comprehendendo scilicet ipsius esse. quæ autem cognitio est, quæ in hac nebula habetur, nisi sensus quidam adeò sublimis ipsius esse Dei, qui obscurat excæcatque potentias nostras ad omne esse quod est in creaturis? Nam quemadmodum qui est intra densam nebulam nihil extra illam videt: ita qui sublimem hanc notitiam ingreditur, aut ignorantiam de Deo, nullam videt rerum creatarum. tunc enim cessat sensuum nostrorum operatio, imagines, & figuræ nostræ imaginationis, varijq; intellectus nostri discursus euanescũt. Solum. n. percipit in ea nebula esse quoddã super omne esse, cum obscuritate quidem fidei, sed cum tanta tamen certitudine, vt ni-

b *Isa.* 6. 2.
c 3 *Reg.* 8. 12
d *Exo.* 24. 18.
e 1. *Tim.* 6. 16.

hil clarè videns, intelligat quoddam esse infinitum, & inaccessibile cum magna tantæ immensitatis admiratione.

Lib 4. in 1. Reg c. 4. & Lib 5. Mor. c. 26.

HOC mirificè explicauit S. Greg. quicquid (inquit) humana mens de Deo cogitare potest non est Deus. cum autem cogitatione res omnes transcendit, creditque, quicquid sentire posit de interna luce, suauitate, dulcedine, & spirituali voluptate, minus esse quam sit Deus; tunc peruenit ad lucem quandam, quæ etsi non sit Deus, habitat tamen in illa. & quoniam tunc anima mirificè inflammatur & satiatur; magna voluptate repleta; modo quodam, qui explicari non potest, in eam deuenit cogitationem, quàm sit ineffabilis lux, dulcedo, & voluptas ipsemet Deus, siquidem immensa adeò est lux in qua ipse habitat: quemadmodum Moyses, licet facie ad faciem cum Deo loqueretur, petiit nihilominus, *ostende faciem tuam.* omnis enim huius vitæ aspectus & visio est per speculum; in altera videtur Deus per seipsum. Speculum est ipsa lux, in qua Deus habitat; Deus tamen est ipsamet lux per essentiam. illa non omninò satiat, sed nouum excitat appetitum; hæc & satiat, & fouet ipsum appetitum. est enim adeò delectabilis, vt semper desideretur adeoque plena, vt semper satiet. hæc in summa Sanctus Gregorius.

Exod. 33.12.

S. Tho. 2.2. q 173. a. 2.

§. I.

HINC transire licet ad heroicos amoris affectus, aduertendo, quod quemadmodum intellectus noster non inuenit, vbi pedem figat in hac Dei cognitione: nam, postquam cognouerit quicquid imbecilli sua visione potest in hac vita videre, intelligit, Deum esse rem quandam infinitè maiorem, quam ipse sit assecutus: ita etiam voluntas formare debeat affectum quendam erga Deum, qui valde referat hanc imaginem, conceptumque adeò excellentem, desiderans eidem Deo seruire, & absque limitatione aliqua eum amare: exiguum existimans omnem amorem, quem habet, animoque deficiens præ magnitudine desiderij eum amandi, qui tanto amore dignus est. Et quoniam voluntas hic non alligatur ad perfectionem aliquam particularem Dei, neque enim se alligat vt illum amet ob solam perfectionem creatoris, aut gubernatoris, Patris, aut Redemptoris, exspaciatur & excurrit absque vllo termino & limite per immensam totius diuinitatis abyssum, Deum amans, eò quod sit Deus, & quoddam bonum adeò excedens omne bonum, vt nullus eum assequatur. O mare vastissimum? ô pelagus profundissimum? ô abyssus altissima? ô esse Dei infinitum? quomodo diligam te ex toto corde meo, quod est adeo angustum? quomodo te amplectar vlnis Spiritus mei, qui adeo est limitatus? quomodo aggrediar te diligere ex omnibus viribus meis, quæ sunt adeò exiles? maneat itaque intellectus ad immensi huius maris littus, ne submergatur; nauiget autem

Hugo de S. Victo. in c. 7. Angel. Hier.

volun-

voluntas vsque in altisimum eius, vt ibi satietur; ingrediatur amor, quò scientia non peruenit; cessent discursus & ratiocinationes, a *ne scrutator maiestatis opprimatur à gloria*; accedant verò affectus, vt eandem amando requiescant. Sed quomodo requiescam in medio adeò alti maris, cum sit immensum quod desidero; adeo verò exiguum, quod possum? O Deus immense, quis te posset diligere, sicut te ipse diligis, vt amoris desideria implerem? sed cum non posim amare te, quantum debeo, gaudeo quod te ipse ames, quantum potes & mereris; vtpote qui solus te cognoscas, & comprehendas. a *Prou. 25. 27.*

MODVS hic cognitionis est maximè proprius scientiæ mysticæ, ad quam S. Dionysius exhortabatur amicum suum S. Timotheum, dicens illi, vt mentem siue Spiritum eleuaret, vt ignoto se coniungeret per amorem: hac ratione agnoscens, se præclarius multò de eo sentire, quàm alio quocunque genere cognitionis. Nam (vt ait S. Greg.) tunc verum est, quod de Deo cognoscimus, cum sentimus nos non posse aliquid de eo cognoscere. in medio tamen huius nebulæ ostendi solet lux cœlestis, quæ radiis quibusdã manifestat altisima Dei magnalia, & arcana eius profundisima: sicut sol, qui oritur, & in medio nubium apparet. iuxta illud Apostol. b *Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris,* vt in medio huius nebulæ habeant *illuminationem scientiæ claritatis Dei.* Qui sol, etsi hoc modo illustret, multo tamen amplius vrit, accensis radiis amoris, qui cognitionem ipsam confirmant & augent, facientes ipsa experientia sentiri sublimitatem Domini, quem amant, vt postea dicetur. *Lib 5. Mor. c. 27.* b *2. Cor. 4. 6*

§. 2.

PRAXIS excellentis huius exercitij in hunc modum haberi potest: vt a *ingrediaris,* sicut Christus D. N. dixit, *cubiculum tuum; &, clauso ostio, ores patrem tuum cœlestem in abscondito.* Et quoniam anima tua multa habet penetralia ac recessus, & ad illos ostia; ingrediendum autem est ad intimum: omnia ostia sunt claudenda. *Primum* ergo claude ostium *sensuum,* ne videas, audiasve, nec attendas ad res externas. *Mox* etiam *imaginationis* ostiũ est claudendum, ne pro eo tempore imagines figurasve corporeas fingas, quæ te distrahant, & quietem, quã quæris, impediant. *Tertio intellectus* quoque ostium claudes, quoad varietatem & multiplicitatem discursuum: intercidendo illos, ne cogitatio in hęc visibilia effundatur. His pręmisis, simplici quodam intuitu, animæq; attentione aspicies immensam Dei maiestatem, Spiritus purisimi, qui est intra & extra te instar immensi maris; idque facies ingenti admiratione & stupore quod videas te, qui talis es, in conspectu adeò magni Dei, cum ipse talis sit; quid dico in conspectu? cum sis inuisceratus in ipso Deo, & ipse in te, licet occultus & tectus nebula inaccesibilis suæ diuinitatis. a *Mat. 6. 6.*

INTERDVM itaque licebit Deum intueri eo modo, quo ipse erat ante mundi creationem: cum nec cœli essent, nec elementa; Angeli, neque homines, neq; aliæ creaturæ: licet omnes intra se haberet, quemadmodum artifex ideas rerum habet, quas nouit, & potest facere. Erat tamen per infinita spacia, quæ imaginamur, quasi extensus; in quibus potuisset infinitos mundos creare. Cogita igitur, hoc ipso tempore nihil aliud esse in mundo, nisi Deum ipsum, & te; attende, immensitatem eius, extensam sine vllo fine ita vt permeari non posit; & quàm parũ ipse creaturis suis indigeret, sine quibus immensam suam magnitudinem & beatitudinem æternam habebat; & gaude, quod ipse sit talis, qui te non opus habeat, nec bonis tuis, nec rebus aliis creatis; conquiesce verò gaudendo de hac dilecti tui immensitate. Aspice deinde teipsum intra hanc immensitatem, tanquam vnum punctum in hac mundi machina: &, quasi in ea non esset nisi tu & Deus, perpendes, quã parum opus habeas reliquis creaturis, si tuo Creatori sis vnitus: & exulta, quod te videas intra illum & quod tantam posis in eo habere satietatem. ex altera verò parte teipsum humiliabis, attendens hoc punctulum, te scilicet, in medio esse tantæ immensitatis. Et siquidem tibi nihil est aliud quam solus Deus: collige omnes vires tui cordis, & voluntatis, vt quo modo poteris, immensam eius bonitatem amplectaris, dicens: O dilecte mi, tu solus mihi & ego solus tibi: tu solus sufficis desiderium meum satiare, & ego tecum solo sum contentus: & quasi solus essem, in nulla re alia me volo occupare, quam in tui amore & seruitio vt placeam tibi, qui es meum totum, vnicum, & solum bonum & requies æterna.

2\. ALIAS licebit aspicere ipsum Deum in prædicta spirituali solitudine, quomodo inquam ipse se ipsum cognoscat ac diligat, & comprehendat immensitatem & eminentiam omnium suarum perfectionum infinita quadam saturitate & beatitudine, infinitoque gaudio, quod suam sapientiam, bonitatem, omnipotentiam, charitatem suam, iustitiam & misericordiam agnoscat, complacens sibi, seque oblectans in hisce suis virtutibus cum immenso gaudio, quod eas habeat. Mox verò teipsum aspice, nunc intra infinitam eius sapientiam, nunc intra infinitam charitatem, aut omnipotentiam, ac demum intra infinitum huius tui Domini gaudium, & laxa voluntati tuæ habenas, vt illa exultet ob immensum hoc sui dilecti gaudium, & quod sit immersa in bonum adeò infinitum.

3\. PERGENS porrò vlterius, aspicias magnum hunc Deum in eadem solitudine, qua videlicet ratione Pater seipsum agnoscens generet filium, verbum æternum, qui socius illi est in ipsamet diuinitate, & vterque se mutuo amantes, producunt Spiritum S. qui est similiter eorum socius: omnes enim tres sunt vnus Deus, eiusdem omninò immensitatis, ita vt nulla persona sit antiquior, sapientior, sanctior, aut perfectior altera. Cogitans verò & pene-

trans,


trans, tua cognitione proprietates omnes patris, & filij, genitoris, ac geniti, quas cernis in terra; attende, quod Deus sit pater, & filius, modo quodam generationis infinitè superantis quicquid huiusmodi est in creaturis. cuius magnitudo est lux quædam inaccessibilis & incomprehensibilis, nisi ab ipsomet Deo, qui illam habet: & admirans de tanta excellentia, exstimula amorem tuum vnitiuum, vt te vnias huic Deo trino & vni; eumque complectaris sicut ipsæ tres diuinæ personæ sibi inuicem sunt vnitæ, & connexæ. Nam quemadmodum vna eademque diuinitas, cognitione & amore complectitur Patrem & Filium & Spiritum S. omnesque tres vniuntur in esse vnius & solius Dei, & cognitione & amore infinito sese complectuntur, & in seipsis gaudio infinito exultant, ita tu vtroq; brachio, breuis scilicet cognitionis & amoris, cõplectere ipsammet diuinitatem, optans nunquam ab eo amplexu separari. aspice teipsum intra omnipotentiam Patris, sapientiam Filij & Spiritus S. charitatem: & eosdem amplectere, optans nunquam à tam dulci societate separari. O Deus æterne, qui b *lauam* cognitionis tuæ *sub capite* ponis *tuæ Sponsæ, dextera* verò amoris tui eam *amplexaris*, tibique coniungis, amplectere & animam meam tuis dulcissimis vlnis, vt & ego te meis amplectar, agnoscens te, sicut me ipse agnoscis, teque amans sicut tu me amas in æternum. Amen. b *Cant. 2. 6.*

Ex tribus hisce Considerationibus, quas insinuauimus, licebit aliquid inuestigare ex his quæ pertinent ad excelsam & iucundissimam magni Dei nostri cognitionem, quamuis, quicquid nostra potest industria, adeò est exiguum, vt, nisi speciali lumine cœlesti accedente, Contemplatio nostra curta omninò sit futura valdeque sterilis: Illa verò accedente, immensum adhuc erit, quod assequi non possis. Spiritus enim scientia similis est illi torrẽti, quem vidit Ezechiel è templo egredientem, Angelus autem ipsum Prophetam per manum accipiens c *introduxit eum ad mille cubitos, per aquam vsque ad talos*, & pergens ad *alios mille traduxit per aquam vsque ad genua.* & rursus *traduxit per alios mille, per aquam vsque ad renes:* cumq; *Angelus alios mille esset mensus, non potuit* propheta *pertransire, quoniam intumuerant aquæ profundi torrentis qui non poterat transuadari.* Quid vero fuit id totum, nisi quod nos docere voluerit, eos qui scientiam Spiritus ingrediuntur, vt mysteriorum diuinorum sublimitatem assequantur, non posse solos eam intrare, absque socio aliquo Angelo, qui deducat, metiaturque cubitos & passus, ad quos rectè & vtiliter sint ingressuri in tribus viis, Purgatiua, Illuminatiua, & Vnitiua, progrediendo in singulis ad mille passus, quod significat perfectionem plenam & propriam cuiusque viæ, iuxtæ statũ discentis hanc scientiam. In prima enim aqua tegit pedes: quia mortificat affectus omnes terrenos; in secunda peruenit ad genua, iubens illum stare, suaque desideria ad virtutum acquisitionem eleuare; in tertia peruenit ad renes; mortificans c *Ezec. 47. 3*

opera & cupiditates hominis carnalis, vt vitam ducat perfectè ſpiritualem. In ſingulis autem per gradus ſuos ſenſim aperit maiorem profunditatem diuinorum myſteriorum. ſed, poſtquam penetrauerit quo vſque potuit, exiſtimare debet, ſupereſſe ſibi aliam immenſitatem, quam non poſsit trãſuadare; ad cuius ripam conſiſtens, aſpiciet magnaque admiratione contemplabitur immenſas aquas illius abyſsi diuinitatis & Trinitatis Dei ſui. & nihilominus angelus menſus eſt alios mille cubitos, vt viros perfectos doceret debere ipſos ſemper ſuſpirare pro cognoſcenda ſumma illa perfectione; & aſpirare ad vlterius progrediendum, & plus de ea acquirendum; confidentes de ipſius Domini liberalitate, quod clarius adhuc eam illis manifeſtabit, quò poſsint amplius illam amare atque imitari: id quod aliis modis facere ſolet, qui in ſequentibus capitibus proponentur.

CAPVT VI.

DE ANIMI MAGNITVDINE, QVO PERFECtior animi recollectio eſt procuranda, altiorq́; ac ſecurior præſentiæ Dei contemplatio ex actionibus ſublimioribus, quas vel in terra vel in cælo fecerit.



Vi ad Contemplationis myſticæque Spiritus ſcientiæ ſublimitatem peruenire ſtudent, non debent parci eſſe, aut abiecti animi, ſed magnanimis, robuſtiſque cordibus vt ad ſupremum eius culmen peruenire contendant; demiſsè id, ſed valde feruenter ac confidenter à Deo petendo. ſicut illa, quæ dicebat: a *indica mihi, quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie? ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum.* Quibus verbis deſcribit nobis Spiritus S. breuiſsimè res illas præcipuas, quas deſiderare & procurare poſsimus in vita contemplatiua; vſque ad ſupremum eius gradum; & efficaciſsima, quæ habemus motiua ad eam ſolicitandam: quæ ſunt duo. *Alterum* eſt timoris, non ſeruilis ſed filialis: hoc enim ſtudium non mancipiorum eſt, aut mercenariorum; ſed filiorum & fideliſsimorum amicorum, qui & culpam & pœnam horrent, ne à cœleſtis patris præſentia ſeparentur, incipientes vagari poſt greges falſorum paſtorum.

Cant. 1. 6.

AD cuius maiorem declarationem eſt aduertendum, quod quemadmodum perfecta Contemplatio recolligit cogitationes omnes, & affectiones & res omnes ad illud b *vnum neceſſarium*, quod elegit Maria: ita tremit

Luc. 10. 42

horret-

horretq; diuagationes, quæ illud dissipant & effundunt quæ plurimæ sunt.

PRIMA mentis vagatio siue distractio est vitiosa, malitia scilicet & torpore nostræ voluntatis, permittentis sensus suos, imaginationes, & appetitus, sine freno sequi res huius vitæ delectabiles, ad instar illius miseri, de quo ait Isaias: c *abijt vagus in via cordis sui*, sequens scilicet inordinata sua desideria. (1. Variæ mētis diuagationes. c Isai. 57. 17.)

ALIA est pœnalis, & nostram miseriam prodit, naturalem scilicet imaginationis nostræ inconstantiam, quæ domo nostra relicta exit ad res varias cogitandas, sine vllo ordine & termino: quemadmodum in primo Tractatu diximus. (2.) (cap. 3.)

ALIA est fraudulenta & periculosa ob astutiam Sathanæ se transfigurantis in Angelum lucis, nostrasq; cogitationes, desideria, & curas ad varia nobis noxia distrahentis, adductis rationibus apparentibus tectisq; vitijs pallio virtutum, & falsitate, specie veritatis: & illusione, colore deuotionis. in qua re valde est solicitum d *Dæmonium*, quod Dauid appellat, *meridianum.* quod cum sit ipsæmet tenebræ, imitatur meridiem, vbi verus Pastor Christus oues suas pascit. fingit enim se esse eius sodalem, vt sic illæ deceptæ, ipsum sequantur. (3.) (d Psal. 90. 6.)

PRAETER has vagationes, quæ sunt noxiæ est alia bona, licet imperfecta, ob naturalem intellectus nostri conditionem, qui vix potest veritatem assequi, nisi meditatione discurrat ab vna in alteram partem, quò illam inueniat: sed ordine tamen suo & prudenter pergit ad locum in quo illam inueniet. Quamobrem dixit Sapiens: e *difficile æstimamus quæ in terra sunt, & quæ in conspectu sunt inuenimus cum labore: quæ autem in cælis sunt, quis inuestigabit?* Hinc verò oritur alia causa nostræ vagationis, ipsa videlicet sublimitas & excellentia DEI nostri, qui lucem habitat inaccessibilem, nec inueniri potest, nisi per varias creaturas discurratur, sicut supra est dictum. Timens itaq; anima culpam in primis mentis vagationibus, & molestiam ac moras in secundis, generosa quadam magnanimitate & fiducia de bonitate Dei sui, sanctaq; illa audacia, quam feruens amor illi affert, dicit suo dilecto: ô dilecte mi, quem anima mea amare desiderat, tanquam vnicum suum sponsum, ostende mihi amplissimos illos campos, in quibus tuas oues pascis, vt eò me tecum & cum illis recipiam: ne *vaga* sim, variisq; cogitationibus aut affectionibus aberrans; & bestiales carnis meæ sensuumq; eius appetitiones sequens, periculo exposita in plurimos errores labendi, decepta ab ijs qui tuos se fingunt *sodales*, cum reipsa sint hostes. Sed neq; sic sum contenta: peto enim vt *mibi indices vbi cubes in meridie*, & cum ouibus tuis requiescas; vt, omni diuagatione cessante, requiem aliquam apud te inueniam. O altissimam magnanimitatem Chri- (4.) (e Sap. 9. 16) (5.) (cap. 3.) (Perfecta mentis recollectio.)

ſtianam, quæ adeò ſublimè volat deſiderio & oratione ſua?ne timidam te reddat paucitas tuorum meritorum, nec diuinorum donorum ſublimitas. nam à tanto Deo, quantus eſt noſter, non ſunt petendæ res paruæ iuxta noſtram exilitatem; ſed grandes, iuxta ipſius magnitudinem. Quod ſi magna fide eas petimus, procul dubio (ait S. Bern.) eiſdem non priuabimur. Pete itaq; à Deo tuo, cordis recollectionem in tuis omnib. cogitationib. & orationib. adeò perfectam vt omnem excludat inordinatam diuagationem ad creaturas. Time etiam, non ſolum vagari, quod eſt iam culpæ; ſed, quod amplius eſt, dicas cum ſponſa: *ne vagari incipiam.* O generoſitatem tali ſponſa dignam? quis eſt, qui in oratione vagari non incipiat, ſuſtinẽs aliquas diſtractiones, aut fraudum aliquarum initium? omnes fere hunc laborẽ ſuſtinent, licet cũ aliquo diſcrimine. Nã imperfecti ſtatim atq; diſtractio incipit, eam ſequuntur, digredientes moramq; trahentes in ſuis vanis cogitationibus, ſeſeq; dedentes occurrentib. illuſionib. At perfecti, cum primum ſe diſtractio aut deceptio inſinuat, illam agnoſcunt, ei reſiſtunt, & intercipiunt; quãuis magnam illis moleſtiam afferat breui illo tempore, quo, ab ipſis non cognita, perdurauit; tantoq; feruore optant eſſe procul à diſtractione, vt nec eius initia habere vellent. Et ſiquidem Deus D. N. efficax deſiderium æquè acceptat, atq; ipſum opus cum vires deſunt ad illud præſtandum, auſpicare tuam orationem magno deſiderio non ſolum humanam ſed Angelicam etiam recollectionem & attentionem habendi, clamanſq; ad Deum tuum dices: Veni ô dilecte animæ meæ ad cor meum, in eoq; ex inſtituto requieſce: ne poſt creaturas vagari incipiam. niſi enim tu mihi adſis, mox incipiam illas ſequi. *Verè* (ait S. Greg.) *in quo Chriſtus non cubat, vagatur: quia mens quam ſuauis ille & ponderoſus Chriſti Spiritus non implet, multis diſtractionibus diſſoluta circumfertur:* & à varijs tentationum fluctibus pellitur, inſtar nauis in medio turbati maris exiſtentis abſq; anchoris: at vbi Spiritus Chriſti ingreditur, mox illam ita intra ſe colligit, vt exterius eam ire non ſinat: facit enim ita anchoras in cœlum proijcere, vt huius mundi res eam non conturbent.

Ser. 26. in Cant.

In Cant. I.

§. I.

De contemplatione præſentiæ Dei.

ALTERVM motiuum, & quidem magis principale ad petendam à Deo contemplationis excellentiam, eſt AMOR, cuius proprietas eſt (vt ſupra diximus) impellere nos, vt deſideremus videre eum, quem amamus: eſtq; aptiſsimus titulus & cauſa ad permouendam iſtum Dominum, vt iucundam ſuam faciem nobis oſtendat, quem titulum ſponſa primo loco poſuit, cùm dixit: *indica mihi quem diligit anima mea.* teipſum videlicet, nec

Alter ſenſus eſt: *Indica mihi ipſum, quem diligit anima mea.*

peto,

petó, ostendi mihi quem diligit meum corpus: amor enim meus erga te non carnalis est, sed spiritualis. nec desidero te videre oculis corporis, ad solatiũ meæ carnis, sed animæ oculis, ad solatium spiritus. Tu Domine dixisti: a *qui diligit me, ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum:* imple itaq; quod dixisti, & ostende te animæ meæ, quæ te diligit, dans ei lucem, qua te videat. a Ioan. 14. 28.

Ex quo apparet, primum ac præcipuum contemplationis actum consistere in spirituali ipsiusmet Dei visione, prout præsens est nobiscum, aut intra nos, eo genere præsentiæ de quo 1. Tract. est dictum: ita ad viuum & cũ tanta certitudine eam penetrantes, atq; si corporis oculis præsentem cerneremus, ad eum modum, quod dicitur de Moyse, quod b *inuisibilem tanquam videns sustineret*, & cum eo versaretur. Hoc ipsum denotat verbũ illud: *indica mihi*, idem est enim atq;, ostende digito eum qui pręsens est, vt videri possit: ideoq; petit etiam, indicari sibi locũ, vbi sit, non tempore nocturno, aut crepusculo sed in *meridie*, quando claritas est maxima, solq; maiorem splendorem & calorem mittit in mundum. ex quo procedit suprema cordis recollectio. Quemadmodum enim dixit Dauid: c *in nocte pertransire oẽs bestias syluæ: orto autem sole congregari & in cubilibus suis collocari*: ita feræ nostrarum imaginationum ac passionum, quæ tempore obscuritatis & tenebrarum effrenes discurrunt, orto iustitiæ sole, luceq; sua manifestante nobis gratissimam suam præsentiam, statim confugiunt, & colliguntur, ita vt cor tranquillum relinquant. Ac propterea dices: ô pastor supreme, ostende & indica mihi faciem tuam maxima claritate & ardore, quo soles in hac vita te ostendere amanti te. manens enim tecum, teq; aspiciens, non effundar ad quærendum improbos, aut ad rem non facientes sodales. Quæ sponsa in præsentia dilecti sui sponsi, eo prætermisso, conuersari volet cum aliquo extraneo? Quomodo ergo, si ego sum in tua præsentia, cogitationes meas & affectiones in ea re ponam, quæ à tua præsentia me separat? Infidelitatis genus reputabo, cogitationes meas à te auertere, vt in re aliqua creata eas collocem. in te siquidem solo omne bonum inueniam, quod desidero. c.1. & seq. b Hebr. 11. 27. c Psal. 103. 22. Cass coll. 14. c.11.

HVNC præsentiæ suæ modum communicat Deus D.N. in ipsa contẽplatione, cum quadam cœlesti luce, quæ ipsum manifestat modo quodam qui melius sentitur, quàm explicetur. facit enim nos sentire, se adesse verè nobiscum; & nihil videntes, sentimus tamen esse nobis comitem maiestatẽ immensæ excellentiæ, quæ nos in magnam rapit admirationem, & reuerentiã; totumq; spiritum nostrum recolligit, vt eum attentissimè aspiciamus, ad eum modum quo dicebat sponsa: d *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos*: quasi dixerit: paries nostri corporis, nostrique intellectus crassities impedit nos, ne illum videamus, licet sit post cancellos creaturarum, videns nos, à nobis tamen non visus. d Cant. 2. 9.

nihilominus, *En ipse* procul dubio *stat* hic, & ego eius præsentiam percipio. Interdum ostendit se nobis per effectus quos in anima sentimus. quemadmodum si quis noctu in obscuro cubili manens sentit alium intrantem, & ex modo incedendi, & ingrediendi agnoscit esse suum patrem, aut amicum: id quod adhuc clarius cognoscit ex modo loquendi. Ita Deus se manifestat per admirandos effectus suos in iis quos visitat, quorum meminimus in
ap. 20. primo Tractatu. *Aliquando* varijs vtitur illustrationibus, vt seipsum manifestet admirandis suis attributis exornatum, cùm enim sit diuinitas simplicissima nunc se manifestat quasi sapientiam immensam, nunc tanquam omnipotentiam infinitam, nunc tanquam charitatem aut misericordiam per vniuersam terram dilatatam, aut tanquam lucem siue tanquam nebulam, aut immensæ magnitudinis mare. Et quidem aliquando specialem sensum affert de præsentia personæ patris, aliquando diuini verbi, aliquando Spiritus S. proueniente ex singulis tenero quodam sensu, quamuis omnes tres sint vnus Deus. & quamuis huiusmodi illustrationes durent breui tempore; effectus tamen interni solent esse diuturniores: fidesq; ipsa adeò illustratur, vt eius lumine sensum prosequamur diuinæ præsentiæ, quo pergamus in familiaritate orationis cum ipso. O Deus æterne, mitte de cœlo excellentem hanc tuam lucem, qua te videam præsentem, saltem eo modo, quo tu es post istos cancellos. si enim tuam præsentiam sensero, fruar præclaris donis, quæ cum illa affers.

§. 2.

De contemplatione Dei in altissimis operibus, quæ perfecit in terra.

PRIMVS hic contemplationis actus, de quo hactenus diximus, ex parte comitatur reliquos omnes, qui præsentiæ Domini, quem anima nostra diligit, innituntur: sed mox tamen eructat desiderium videndi, *vbi pascat, vbi cubet in meridie*: qui est modus quidam contemplationis Dei in operibus & mysterijs altissimis, quæ operatus est in terra, prout in Scriptura S. declarantur: quæ prata sunt siue campi, in quibus Deus oues suas pascit. Et quemadmodum oues, quando pascuntur, non hærent in vno loco, sed vagantur & discurrunt ab vna parte prati in alteram, quamuis ex eo non discedant: &, si contingat vel paulum excedere, statim pastor redire cogit, siue aliquo sibilo, siue pedo. & postquam toto tempore matutino illas pauit, colligit, & ad locum aliquem vmbrosum deducit, vt requiescere possint, & ab ardoribus solis defendi: vbi quiescentes, ruminant quod pastæ sunt, & aliquanto tempore requiescunt. Ita etiam iusti pasci solent primum diuinis mysteriis in exercitio Lectionis & Meditationis, discurrentes & vagantes per multas veritates ab vna in alteram, non tamen inordinatè

Lectionis & Meditationis officium.

dinatè sed cum ordine & mora, non exeuntes mysterium, quod acceperunt; nec digredientes cogitatione aut affectione ad rem aliquam malam, aut quæ non sit ad rem, de qua agunt. quod si distrahantur, statim cœlestis pastor eos curat reduci, nunc sibilo dulcis inspirationis; nunc baculo internæ alicuius reprehensionis, quasi illis dicens: Quid? in meane præsentia talia cogites? & me inspiciente aliquid amabis, quod mihi displiceat? & tam parui facis, quod me delectat; vt, me relicto, facias quod tibi arridet? ita me contemnis, vt pascua mea fugias, quò falsorum sodalium, & potius hostium manifestorum pascua sequaris?

HIS monitis redit ad se, vt meditationem suam prosequatur, donec eos ad caulas reducit, locumq; contemplationis quietum, vbi absq; discursibus ruminent, & fruantur veritatibus, quas meditati sunt, cum recentibus aliquibus sensibus, & ad illos affectibus: ibi quietum illis dat somnum, & a *abscondit in abscondito faciei suæ*, quò non peruenit *turbatio hominum*, protegitq; in tabernaculo suo, vmbraq; sua speciali illis obumbrat. Sicut enim vmbra effectus est corporis propè nos existentis: ita protectio Dei effectus est eius præsentiæ, qua suis assistit: quò nec ipsi distrahantur ad aliud, quo turbentur; nec vehemens tentatio sit illis molesta; nec dœmonium meridianum illos decipiat. O dilecte cordis mei *indica mihi vbi pascas, vbi cubes* cum ouibus tuis *in meridie:* tu enim semper es cum illis, incedis quando illæ incedunt, sistisq; cùm illæ sistunt, quia tu earum es dux in omnibus, admitte me Domine ad campos tuos, & recipe ad caulas & ouilia tua, vbi vmbra fruar dulcis tuæ protectionis, & cum quiete dulci tuæ præsentiæ attendam.

Contemplationis munus.

a *Psal.* 30. 21.

NEC sine mysterio hæc requies appellatur *somnus meridianus*, qui solet esse breuis, nec aliò dirigitur, nisi ad breuem quietem, vt ad pascua & laborem redeatur. nam vt supra dicebamus, quieta contemplatio solet esse breuis, & vt S. Ioan. ait, *silentium fit in cœlo, quasi media hora.* de quo conquerebatur S. Bernardus dicens: *rara hora* quia tardè venit: *breuis mora,* quia citò recedit, & necesse est simul petere à Deo, vt nobis indicet, vbi pascat, & vbi cubet: vt, otio contemplationis deficiente, ad pascua redeamus Meditationis.

cap. 1. *&c.* 3.
b *Apoc* 8. 1.
Serm. 32. *in Cant.*

SED maius adhuc mysterium latet in hoc pastu & quiete meridiei. cùm sol in feruore æstatis toto tempore matutino cursum suum peregit ascendendo ad punctum altissimum, quod potuit: quo tempore etiam desinunt esse vmbræ, quas faciebat; maioresq; radios lucis & caloris terræ impertit. In quo nobis proponitur genus illud contemplationis, quod Deus Dominus noster per altissima & excellentissima sua opera, quæ in terra peregit, communicare solet. Eius enim opera duplicis sunt generis. quædam inceperunt à mundi creatione, quæ & perseuerarunt toto tempore legis na-

turalis,& scriptæ,sicut in libris Testamenti veteris continetur. quibus operibus manifestauit omnipotentiã & sapientiam suam, amoremq; erga homines,quorum causa tot creauit creaturas, totq; stupenda fecit in AEgypto,& in deserto in gratiam populi, quem in suum elegerat. Sed omnia hæc opera instar fuerunt pascuæ horarum matutinarum: quo tempore sol non tantum ascendit,quantum ascendere potest;nec totum ardorem & splendorem suum cõmunicauit. Non enim manifestauit se Deus in illis plenè quantum posset, nec suam charitatem ad summum euexit, quò cupiebat. Quare illorum temporum fides erat tanquam lux cum multis nebulis & vmbris, nec præcipua mysteria aperiebat, nisi per ænigmata & figuras. Et quoniam lex non erat amoris, sed timoris, parum ardebat charitas fidelium in illa Ara, donec c *venit plenitudo temporis,* quo gratiæ lex cœpit. Et tunc sol iustitiæ erexit se vsq; ad medium diem,quo maximam suam lucem communicauit, reuelans absq; vmbris & figuris mysteria suæ diuinitatis & Trinitatis; faciensq; maxima,quæ potuit,opera pro homine:qualia sunt opera Incarnationis verbi æterni,prout in nouo Testamẽto sunt expressa:& illa sunt pascua, in quib. electæ Christi oues pascuntur,& quiescunt in meridie,si ea meditẽtur,sicut in proximo Tractatu est dictum, & per eas ascendant ad otium altissimæ contemplationis. Aut dic mihi,quid est aliud specus Bethleemitica, in quam verbum æternum d *ab austro* venit, hoc est à meridie, nisi caula quædam, in quam supremus iste pastor oues suas recipit, illisq; infinitam suam misericordiam,& charitatem,tanta animi suspensione & admiratione aperit, vt dicant: *Domine consideraui opera tua, & expaui.* Et quid est mons Caluarius,in quo hic Dominus crucem conscendit in medio diei, finemq; imposuit omnib. vmbris, quæ præcesserant; suamq; charitatem & oẽs suas virtutes ad supremum perfectionis culmen perduxit? est procul dubio hic summæ recollectionis locus,ad quem animæ deuotæ accedunt, & contemplationis alis eleuatæ,per Christi crucifixi vulnera ingrediuntur & in eius diuino pectore absconditæ,quietum contemplationis somnum dormiunt: admirantes charitatem & bonitatem infinitã sui creatoris. O dilecte animæ meæ,indica mihi locum istum, in quo *pascis* & *cubas in meridie,* in duro isto crucis lecto:vt illic contempler,videamq; præstantiam clarissimarũ tuarum perfectionum,ac virtutum,quę inter tot vilitates & ignominias adeò refulgent,recipe me in tutissimo isto loco amantissimi cordis tui,ne vagari incipiam ad rem aliquam, quæ tibi displiceat, sed amore perpetuo tibi vnitus maneam;tu dixisti: e *ego sum ostium:per me,si quis introierit,pascua inueniet:* introduc me Domine per portas tuæ humanitatis, vt intra te fruar diuinis pascuis tuæ diuinitatis.

Galat. 4. 4

[...]p. 13.

Abac. 3. 3

Ioan. 10

§. 3.

De contemplatione Dei ex altissimis eius operibus in cœlo Empyreo.

ADHVC superest aliquid ostendendū in hoc pastu, & otio meridiano, ascendendo scil. ad contemplandū, quod facit Deus in cœlo Empyreo, vbi ipsamet sua diuinitate suos electos pascit, manifestans eam clara luce meridiana, quę expellit omnes nebulas & vmbras fidei obscuræ, tribuit verò accensissimū amorem immensæ suæ bonitatis, & pulchritudinis, absq; vllo periculo eum amittendi, imminuendi, aut interrumpendi. Ibi enim (ait S. Bernardus) beati simul pascunt, & cubant in meridie: quia non subiacent vanitati, & mutabilitati, quam nos in hac vita sustinemus: vbi necesse est alia exercitia alijs succedere. eorum autem pabulum est continuum, & quies immutabilis & æterna: quia nihil intra ipsos est, quod illos turbet, neq; deforis accedere potest, quod illam quietem impediat; nec sol iustitiæ illis vnquam occidit. Nec solum se illis manifestat secundum suam diuinitatem, sed etiam cum incomparabili gloria sacratissimæ suæ humanitatis, quò vnico tantum intuitu & vnica contemplatione possideant, quicquid crediderunt & sperarunt de suo dilecto, quà Deus est, & Homo verus. *Serm. 33. in Cant.*

AD hanc adeò claram visionem nunquam pertingit contemplatio huius vitæ mortalis, nisi (vt ait S. Thomas) singulari omninò priuilegio id fuerit Beatissimæ Virgini D. N. aut S. Paulo in suo raptu concessum. Quare à longè pascua illa & requies est aspicienda, illam desiderando ac petendo, nō pro hac vita, sed pro futura. Nihilominus etiam in hoc exilio habet Deus suum meridiem valdè similem ei qui est in gloria. impertitur enim suis amicis quendam pastum & requiem, quæ referat cœlestem. Si enim iubet nos petere, vt b *eius regnum ad nos veniat*: quid mirum, si det interdum delibandum, quod illic geritur, sicut dedit c *tribus suis Apostolis*? neq; enim peti iuberet, nisi, cùm peteretur, dare vellet. Et qui iubet suam voluntatem fieri in terra, sicut in cœlo: quid mirum, si det refectionem cœlestem, eam adimplenti in terra? *2. 2. q. 180. ar 5. & q. 175. ar. 3.* b *Matth 6. 10.* c *Matth. 16. 28. & c. 17. 2.*

HAEC est altissima illa contemplatio, de qua dilectus Domini discipulus dixit: d *Ego Ioannes vidi sanctam ciuitatem Ierusalem nouam, sicut sponsam ornatam viro suo: & audiui vocem magnam de throno dicentem; Ecce tabernaculum DEI cum hominibus.* Quæ autem hæc visio est, nisi altissima quædam contemplatio, in qua DEVS Dominus noster electis suis aperit magnalia illa, quæ in cœlis geruntur, faciens ipsos cœlos, in quibus ipse habitet, illisque aliquid communicet plurimorum, quæ communicat BEATIS? tunc illis aliquo temporis interuallo dat simul pastum & requiem. Pastum, quia reuelat d *Apoc. 21. 2.*

illis cœlestes, valdeq; eminentes veritates; & requiem, quia id facit absq; anxia multorum discursuum varietate, magnaq; suauissimorum affectuum dulcedine: vt in terra constituti iucundam habeant familiaritatem & e *conuersationem cum ciuibus cœli.*

e Phil. 3. 20.

AD altissimam hanc contemplationem inuitat nos Apost. cùm dicit: f *si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. mortui enim estis, & vita vestra est abscondita cum Christo in Deo.* quasi diceret: ad has res visibiles & terrenas tanquam mortuos vos gerite, solumq; attendite ad cœlestes & inuisibiles, vt cogitationes vestræ affectionesq; absconditæ sint intra ipsum Deum cum Christo occupati omninò in iucundissimo aspectu & amore diuinitatis eius, & humanitatis glorificatæ; & in dulci ac familiari cum eisdem conuersatione. O supreme pastor, quem anima mea ex toto corde suo diligit, fateor me dignum non esse qui in eo sim loco, in quo tuis electis pabulum & æternã requiem largiris, in media die summæ tuæ claritatis & charitatis; sed oro supplex, mitte eius lucis aliquem radium, qui illam mihi manifestet: quò in me crescat desiderium, ad eam perueniendi, & cura & solicitudo eam obtinendi. moriar ego rebus omnibus creatis, sed viuam spiritu in cœlo Empyreo, intuens immensam tuam gloriam, filijq; tui, quem habes ad dexterã tuam: nec inde exiens vager per istas res terrenas, cum periculo dulcissimam tuam societatem amittendi. O Saluator dulcissime, qui ab instanti tuæ conceptionis pauisti animam tuam visione clara tuæ diuinitatis, & in isto medij diei loco perpetuam ei tribuisti requiem: siquidem dixisti, g *ministrum tuum ibi futurum esse, vbi tu es*, colloca me cum spiritu in loco, quem tu habes. ostendens teipsum mihi in ea claritate, qua hic potes videri, donec eò perueniam, vt videam te in meridie æternæ tuæ gloriæ. AMEN.

f Coloss. 3. 1.

g Ioan. 12. 26.

HAEC sunt feruentia desideria ac petitiones frequenter exercendæ, ad impetrandos hos tres gradus contemplationis: in quibus reliqui summatim continentur. Nec existimes displicere Deo, quod rem adeò arduam ab illo petas. Nam potius ijs, qui aliquandiu ipsi seruierunt, solet ipse animum addere & fiduciam, vt illam petant. Quemadmodum dedit Moysi, cùm dixit h *ostende mihi faciem tuam*, & teipsum mihi manifesta. & S. Philippo, qui dixit: i *Domine ostende nobis patrem & sufficit nobis.* Sed aduerte, quod quemadmodum lux æstusq; meridiei non est in omnibus temporibus æqualis, siquidem in hyeme non tantus est, atq; in initio veris; nec in vere sicut in feruore æstatis: sic hyems viæ purgatiuæ, & ver illuminatiuæ, æstasque vnitiuæ, habent suum meridiem, propriumque culmen in cognitione & amore: sed multò tamen altius in vna est, quam in altera: & omnes, qui in his vijs versantur, meritò studebunt crescere,

h Exod. 33. 13.


i Ioan. 14. 8.

sicut

ficut k *lux* matutina, *quæ procedit & crescit vsque ad perfectam diem*, statui suo proportionatam;& suspirare, quò possint ad supremum peruenire, non solùm petitionibus & desideriis, sed exacta quoque diligentia, quæ hactenus est indicata,& in sequentibus capitibus adhuc magis explicabitur. k *Prou.* 14 18.

CAPVT VII.

DE ALTERA CONTEMPLATIONE VALDE ALTA & vtili, quam Apostolus appellat comprehensionem latitudinis, longitudinis, sublimitatis, & profunditatis Dei, vt eodem impleamur in omnem eius plenitudinem.



VM feruentibus petitionibus in proximo capite indicatis, coniungenda sunt insignia quædam exercitia fidei, & opera charitatis, quæ perfectam contemplationem & plenam Dei cognitionem impetrant, quorum fecit mentionem Apostolus cùm dixit: a *flecto genua mea ad Patrem D.N. Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis, & in terra nominatur. vt dat vobis secundum diuitias gloriæ suæ, virtute corroborari per spiritum eius in interiorem hominem, Christum habitare per fidem in cordibus vestris, in charitate radicati, & fundati: vt possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profunditas. scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, vt impleamini in omnem plenitudinem Dei.* in quibus verbis proponit altissimam quandam, & vtilissimam cõtemplationem, quæ excedit cognitionem omnium scientiarum humanarum, quam contemplationem insinuat obtineri posse per duplex medium ab ipso indicatum. a *Eph* 3 14.

Primum est, talis gradus fidei, vt per eam habitet Christus D.N. non solum in intellectibus nostris, ita eos lumine suo illustrando, vt certissimè credant, quod illa reuelauit; sed etiam habitet in cordibus nostris & voluntatibus, eas alliciendo ad res fidei, & ad eum Magistrum, qui internè illas reuelat. & quemadmodum, qui habitat in propria domo, totam suam familiam gubernat: ita Christus D.N. habitans per fidem in animabus nostris, gubernat per fidem omnes earum potentias, in omnibus earum actionibus, ita vt omnes fundentur, regulentur viua fide, quæ illas omnes comitatur. illa enim præsentem aspicit gubernatorem, intra ipsum cor existentem: Et ita impletur quod scriptura dicit: b *iustum ex fide viuere:* & per eandem Christum viuere in homine iusto: quicquid enim ille cogitat, desiderat, loquitur

Christum habitare per fidem in cordibus vestris.

b *Haba* 2. 4. b *Rom.* 1. 17

& operatur, facit actuali fide præſentiæ Dei ſui, & eius quod ipſe præcepit, aut prohibuit; promiſit, aut eſt minatus; aut magnitudinis alicuius diuinitatis, aut humanitatis, quam ipſe reuelauit.

In charitate radicati & fundati.

HINC oritur ſecundum medium, talis ſcilicet modus charitatis, quę ſit radix & fundamentum vitæ noſtræ, quam operibus ipſis in animis noſtris radicemus. Benè autem illam appellat radicem, ad ſignificandum, quod charitas non ſit fundamentum mortuum, quale eſt in materiali ædificio; ſed viuum, qualis eſt radix, quæ arborem alit dans vitam & augmentum omnibus eius ramis, foliis, & fructibus. Sic enim charitas radicata eſt, quæ viuificat, profert, alitque arborem virtutum, & omnium bonorum deſideriorũ, ac operum quæ ex eis naſcuntur. c *ita vt omnia in charitate fiant*, & actuali amore Dei & Chriſti D.N.

c 1. Cor. 16. 14.

HIS duobus exercitiis continuatis obtinetur tandem excellens contemplatio, quæ perficit, quod illa inceperunt: id enim volunt illa verba Apoſt. *vt impleamini in omnem plenitudiuem Dei*, omnibus ſcilicet donis, quibus ille ſuos amicos implere ſolet. ita vt ſpiritus veſter repleatur Spiritu S. anima veſtra ſplendore diuinæ eius gratiæ; veſtræ omnes potentiæ, operibus omnium virtutum: memoria impleatur præſentia Dei, ſanctiſque cogitationibus; intellectus altiſsima Dei cognitione, quæ eius myſteria penetret, voluntas omni affectuum genere, exactè integreque ſeruando præceptum amoris, qui ſpiritum, animam, eiuſque vires omnes replet. O felix contemplatio, quæ ad tantam Dei plenitudinem extollit? O dulcis IESV, habita per fidem in corde meo; & fac me radices mittere in tua charitate, vt eam contemplationem obtineam, quæ adeò plenè & copioſè implet. Hanc ipſam appellat Apoſtolus voce *comprehendere:* quod (vt ait S. Thomas) idem eſt, quod propè Deum intueri, tangere, ſecum aſtringere, ac poſsidere: ad eum modum, quo dicebat Sponſa: d *inueni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.* ſicut qui alium per brachium arripit, licet non omnino complectatur, tenet illum tamen, & veluti poſsidet: Ita, licet Deus non poſſit comprehendi, nec totum poſsit quis complecti, quia à ſuis creaturis eſt incomprehenſibilis: perfecta tamen Contemplatio contendit eum comprehendere ac tenere per cognitionem & amorem cum omni perfectione poſsibili, aſſequendo & penetrando quatuor illas excellentias, quas Apoſtolus nominauit, *longitudinem, latitudinem, altitudinem, & profunditatem:* ſemper tamen demiſſe, agnoſcendo, & fatendo veriſsimam, illam Iob ſententiam: e *forſitan veſtigia Dei comprehendes, & vſque ad perfectum omnipotētem reperies. excelſior cœlo eſt, & quid facies? profundior inferno, & vnde cognoſces? longior terra menſura eius, & latior mari:* O Deus omnipotens, & f *magne, vincens ſcientiam noſtram:* clarifica oculos animæ meæ, vt cognoſcere perfectè poſ-

d Cant. 3. 4.

e Iob. 11. 7.

f Iob 36. 26

ſim men-

ſim menſuram tuiipſius, quam nobis reuelaſti, ita vt eam amem, & amplectar, eademque replear.

§. I.

INcipiens itaque excelſi huius exercitij praxin, aduertes, quod quemadmodum cognitione noſtra aliquod ædificium comprehendere non aliud eſt, quam benè cognitas & perſpectas habere quatuor eius dimenſiones, aut partes: quam ſcilicet longum ſit, quam latum, altum & profundum, ſicut ait S. Ioannes, quod a *Angelus* quidam *habēs menſuram arundineam auream metiebatur ciuitatis Ieruſalem & murorum eius longitudinem, altitudinem, & latitudinem:* Ita comprehendere magnalia Dei, & opera eius eſt plenè intelligere quatuor has proprietates eorum, ſicut hic à nobis poſſunt cōprehendi, quas eo ordine explicabimus, quo Apoſt. illas collocauit. a *Apoc. 21. 16.*

I. Latitvdo in primis Dei, eſt infinita eius extenſio, qua complectitur omnes perfectiones & excellentias, quæ cogitari poſſunt, ſapientiæ, bonitatis, potentiæ, prudentiæ, miſericordiæ, iuſtitiæ, & cæterarum; ita vt omnes perfectiones, quotquot ſunt in omnibus creaturis huius mundi diſperſæ, & mille aliorum mundorum, quæ ſunt poſsibiles; omnes illæ eminētiori quodam modo ſint in ipſo Deo: & poſteaquam omnes cogitaueris, quotquot imaginari poteris, extenditur adhuc Dei magnitudo ad infinitas alias, quas ipſe ſolus poteſt comprehendere, licet omnes in eo ſint vna ſola, cum ſumma ſimplicitate: & ſimiliter vnaquæq; harum perfectionum infinitā habet latitudinem, eò quod extendat ſe ad omnia illa, quæ eius poſſunt eſſe obiectum. Sapientia extendit ſe ad id totum; quod poſsibile eſt, vt ſciatur; omnipotentia ad id totum, quod non repugnat habere aliquod eſſe; Miſericordia, ad liberandum ex quacunque miſeria quam poſsimus imaginari; Charitas, ad amandum quicquid amari, ac diligi poſsit. Quando ergo contemplatione cognoſcis hanc Dei latitudinē, teneas illam totam cū amore, nihil eius relinquens; ſed gaudens, quod habeat Deus has omnes magnitudines & perfectiones, cum tanta ſingularum extenſione. Non itaq; ſolum tibi eſt gaudēdum, quod Deus ſit omnipotens ad indulgendum tibi, ſed etiam quod eandem habeat potentiam, ad te puniendum; nec ſolū, quod ſit miſericors, ſed etiam, quod ſit iuſtus; & ita iuſtitiam ſeruet, vt ſicut eſt iuſtiſsimus in remunerandis bonis, talis ſit in puniendis malis; & ſicut pro illis cœlum pręparauit, ita contra hos infernum ſtatuerit. id enim eſt, quod in Canticis dicitur, quod ſponſæ b *dilectus ſit totus deſiderabilis* & amabilis: nec quicquam eorum, quæ habet, eſt odio habendum, ſed ſummè diligendum. O Deus infinite, propter omnia, quæ in te video, te amo: quia totum illud eſt bonum, reple me iſta plenitudine, quam habes in te, vt quicquid videris in me, placeat tibi. Ego Domine c *os meum aperio,* & cor meum in tuo conſpectu, quantum poſſum, *dilato:* imple illud eo Spiritu, & Sanctitate, quam deſidero. b *Cant. 5. 16* c *Pſal. 80. 11*

2. PERGES deinde ad Dei LONGITVDINEM cognoſcendam, quæ eſt æternitas eius immutabilis, quæ nec initium habuit, nec finem vnquam habere poteſt, nec in ſeipſa, nec in vlla re ſua. Tres enim diuinæ perſonæ ita ſunt æternæ, vt vna non fuerit altera prior, nec poſsit non eſſe cum illa; & amicitia inter illas tres perſonas eſt eritque æterna; & ſimiliter omnes earum perfectiones ſunt æternæ: eius Sapientia fuit ſemper, & erit ſine fine; charitas & miſericordia eſt ab æternitate, eritque per totam æternitatem; eius omnipotentia nec defuit illi vnquam, nec deerit in æternum. Et propterea dixit Dauid:
: Pſal. 101. :8. c *Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.* Idem eſt nunc Deus, qui fuit quando natus eſt Saluator, & idem eſt qui fuit, quando populo Hebræo tot contulit beneficia, & qui fuit, quando mundum condidit & idem erit ſemper in ſua bonitate & omnipotentia: eius beatitudo, eiuſque diuitiæ ſunt æternæ, eædemque ſunt ſemper abſque vlla diminutione. De his omnibus gaudere debes, ac deſiderare adhærere Deo, in omni eius longitudine, & æternitate; nunquam recedens à plenitudine, quam tibi communicauerit. O Deus æterne, rerum omnium principium & finis: ſiquidem eſſe meum in te habuit initium, amem ego te tanquam vltimum finem meum; ſed amem tamen ſine fine, & in æternum, Amen.

3. MOX aſcendit Contemplatio ad cognoſcendam Dei SVBLIMITATEM & altitudinem, quæ amplectitur infinitos gradus altiſsimę perfectionis, quam in ſuo eſſe & in ſingulis ſuis attributis habet. ſicut homo valde perfectus non ſolum latitudinem habet & integritatem ſuarum omnium partium, ſed intenſionem quoque & pulchritudinem omnium & ſingularum earum: Ita Deus, non ſolum habet omnes perfectiones poſsibiles, ſed vnamquamque etiam in omni excellentia poſsibili; ita vt ſit impoſsibile excellentius aliquid imaginari; quam ſit ipſe Deus. eius ſapientia certior eſt, clarior, ac perfectior, quàm poſsit alias cogitari; eius charitas aſcendit ad ſummum, quod poſsit amor aſcendere, & quod exigere poſsit ipſa amata bonitas; eius omnipotentia non ſolum eſt, vt omnia faciat, ſed vt ea facilitate & modo, quo voluerit, ea faciat. Impoſsibile eſt alium eſſe ipſo Sanctiorem, aut Iuſtiorem, aut prudentiorem; nihil eſt quod addi illi poſsit: aſcendit enim ad omnem ſublimitatem, ad quam aſcendi poſsit. & quicquid in mundo eſt ſublime in hominibus, & Angelis, in eius comparatione eſt tanquam nihil. O altitudo diuitiarum & magnitudinum Dei, gaudeo, Deus meus, te eſſe, qui es; & habere te quicquid habes; & quod habeas eo modo infinito, quo habes? O ſi mihi daretur, eſſe perfectum ſicut tu es, aſcendendo ad maximam altitudinem, qua poſsit Creatura perfectum adeo Creatorem imitari.

4. DENIQVE Contemplatio progreditur ad cognoſcendam DEI PROFVNDITATEM, ad profundiſsimum ſcilicet ſecretorum eius

Iudicio-

Iudiciorum in operibus, quæ à libera & ſuprema eius voluntate procedunt: in qua tamen non laborat, vt altiora ſcrutetur, quàm Deus reuelauerit: quod ſcilicet omnia faciat, eò quod ipſe ita velit: ſed quicquid vult, & iuſtum eſt, & vt oportet diſpoſitum. Cur enim potius hunc mundum, hos Angelos, & homines creauit, quam alios mille mundos, quos creare potuiſſet? quia ſcilicet ita placuit. Cur hanc rationem gubernationis & prouidentiæ, qua nunc gubernat, elegit? quia ita illi placuit. Cur huic potius, quam alteri vitam lõgam, ſanitatem, ac diuitias dat? & cur maioribus benedictionibus cœleſtibus hos præuenit, quam alios? quia ita voluit. d *Ita pater: quoniam ſic placitum fuit ante te*, propter quod laudo te, & glorifico, exultans, quod voluntatem habeas adeo liberam, vt nemo te cogere poſsit; aut rationem à te exigere, e *cur ita facias:* ſufficit enim, te aliquid feciſſe, vt bonum ſit quod feceris; & optima ratio, cur feceris, ea eſt, quod ita tibi placuerit. Ego exulto & gaudeo de omnibus, quæ facis; quia tu exultas & gaudes, ea faciendo. Nec alienum eſt à Contemplatione aliquid cognoſcere ſecretorum Dei iudiciorum, ſiquidem in ea reuelauit Iſaiæ illa, quæ ſpectabant ad reprobationem Iudęorum, & vt ait S. Bern. etiam Deus habet aliquos receſſus & penetralia, ad quæ introducit ſuos electos, vt ſecretis hiſce ſuis iudiciis timorem illis incutiat, repleatque ſancto timore, qui etiam eſt pars quædam plenitudinis Dei, quæ per Contemplationem communicatur.

d *Mat. 11. 26*

e *Iob. 9. 12.*

§. 2.

HOc prædicto modo habet contemplatio eum ſcopum (vt ait Apoſt.) vt *ſciat etiam ſupereminentem ſcientia charitatem Chriſti*, quæ omnem ſcientiam noſtram ſuperat, in qua ſunt perpendendæ quatuor proprietates, illis ſimiles, quas perpendimus Meditatione decima, ſextæ partis. & idem ipſe Dominus hunc modum contemplationis nos docuit, cũ dixit: a *ſic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret: vt omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* In quibus verbis deprehendes, quod *ſublimitas* diuini amoris fuerit, dediſſe nobis ſupremum donum, filium ſcilicet ſuum vnigenitum, qui & ipſe ſeipſum nobis dedit ad altiſsimum, qui eſſe poterat, finem, nempe ad vitam æternam: *profunditas* verò eiuſdem amoris eſt, quod idem donum ei mundo dederit qui ſceleribus ſcatebat, humiliante ſeipſum Deo quàm potuit maximè; ſeque ipſum faciente, tanquam vnum aliquem ex ipſo mundo, non quidem quo ad culpam, ſed quo ad pœnas. *latitudo* fuit, quod ſe dederit pro omnibus mundi hominibus qui in illum crederent, nullo excepto; quibus dedit omne genus bonorum ſpiritualium, quorum eſſent capaces. *longitudo* denique fuit duratio huius doni, bonorumque eius vſque ad ipſam vitam, quæ, quod ſit æterna, nullum finem habitura.

Modus meditandi virtutes, & myſteria.

a *Ioan. 3. 16.*

Et eadem ratione licebit Contemplari heroicam charitatem, quæ per Iesum Christum D.N. nobis communicatur. Eius enim *sublimitas* est, summè intensa cum Deo vnitio, qui amatur ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, & ex omnibus viribus. *Profunditas*, in qua illa fundatur, est abnegatio tui ipsius in omnibus rebus, quæ talem amorem impediunt; & acceptatio cuiusuis contemptus, ad eundem amorem conseruandum & augendum. *Latitudo* est executio diuinæ voluntatis in omnibus, quæ amoris, & charitatis lex iubet, & consulit, absque vlla exceptione; ita charitatem tuam extendas ad omnes homines diligendos, amicos, & inimicos, & quicquid in Deo, & propter ipsum Deum diligi potest, eo modo quo ipse vult. *Longitudo* est duratio & perseuerantia in his omnibus, vsq; ad mundi finem, totamq; æternitatem: b *Charitas* enim *nunquam excidit*. Et in eum modum perpendere licebit reliquas virtutes, dando operam, vt eas in hac perfectione cõsequaris, sic enim c *impleberis in omnem plenitudinem Dei*.

b 1. *Cor.* 13. 8

c *Eph.* 3. 19.

d *Apoc.* 21. 16.

Hinc etiam intelliges mysterium Angeli d *metientis* per partes suas *ciuitatem Sanctam Ierusalem*, quæ est ipsa gloria cœlestis, quam & tibi licebit mensurare, si mediteris primum *sublimitatem* præmiorum eius, quæ maxima est quam possis imaginari, vtpote quæ ad claram Dei visionem perueniat, faciatq; nos beatos eo modo, quo ipsemet Deus beatus est. Eius *latitudo* siue extensio consistit in multitudine innumerabili omnis generis bonorum, quæ illa complectitur, ad omnia desideria, cordisque sinus implendos. *Longitudo* eius, est eorundẽ bonorum ęternitas. *Profunditas* deniq; est occulta abyssus viarum, per quas ad eam ascenditur, iuxta varietatem meritorũ.

Ad eundem quoq; modum licebit meditari ciuitatem Babylonicam, Infernum scilicet vt eius horrorem concipias. Quod si velis te ipsum quoq; Meditatione comprehendere, licebit primum perpendere animæ tuæ *sublimitatem*, eò quod sit nobilis naturæ, ad imaginem Dei creatæ, & ad finẽ adeo excelsum qualis est, ipso Deo frui, & per media adeò excelsa, sanctitatem. s. ac virtutes reliquas. Mox *profunditatem* tuam perpendes, tum ex parte nihili, quod ex te habes; tum ex parte ponderis & propensionis quam habes ad peccatum; denique ex parte miseriarum, in quas incidisti. aspicies postea *latitudinem* sinuum tuorũ, qui nec omnibus creaturis impleri possunt, & cordis tui latitudinem, quam, virtutibus obtentis, consequeris. ac denique *longitudinem*, quæ quoad corpus & bona terrena, est duratio quædam breuissima, sed quoad animam, est æterna, & similiter quoad spiritualia bona, quæ in ea deposueris, si in gratiæ statu perseueraueris. In hunc modum possunt in omnibus fidei mysteriis se mutuò iuuare, manumque mutuam porrigere meditatio & contemplatio: illa mensurando singulas partes seorsim, hæc simul illas intuendo; & superiori quodam aspectu, quod meditatio mensurauit, comprehendendo.

CAPVT

Capvt VIII.

De tribvs extraordinariis contemplationis formis, in quibus Deus D. N. mysteria sua manifestat per figuras corporeas, aut imaginarias, aut etiam sine illis: ac de admirandis effectis & proprietatibus earum.



On satis sibi existimat Deus D. N. quod se suis amicis in speculis supra positis & viis ordinariis prædictis manifestet; sed interdum id facit viis extraordinariis, noua specula adinueniendo, in quibus beneuolum eius vultum sacraque mysteria intueantur. Has vias siue modos reducit S. August. & alij SS. Patres ad tres præcipuos, qui primo Tractatu, capite vigesimo secundo fuerunt insinuati. *Primus* modus est *per figuras* aliquas, imagines, aut externa signa quæ sensibus corporis, & omninò vigilantibus percipiuntur: quæ Deus tanquam instrumenta accipit ad ita illustrandum Spiritum, vt intelligat, quæ illa repræsentant. sunt enim veluti specula, in quibus videt anima diuina mysteria, quæ Deus illi internè manifestat. Hoc modo manifestauit se primum Deus Moysi: a *apparens ei in flamma ignis de medio rubi, qui, cum arderet, non comburebatur.* aperiens illi, quid illa figura referret, in qua ipse veniebat, vt populum suum ab afflictione, qua premebatur, liberaret. Et in nouo Testamento Sanctus Ioannes Baptista b *vidit columbam de cælo manentem super Christum* post baptismum. Et ea figura intellexit abundantiam diuini Spiritus super Christum requiescentis. super Apostolos quoque c *descendit Spiritus Sanctus tanquam sonus, & Spiritus vehemens, & tanquam dispertitæ linguæ ignis, qui sedit supra singulos eorum*: in quorum cordibus faciebat spiritualiter quod externa hæc signa indicabant. Nam figuræ sensibiles, quæ nihil significant (teste Sancto Augustino) non sunt à Deo. Nihil enim Deus facit, quod sit inutile. quod si figuræ aliquid significant, ipse etiam lucem præbet, ad id cognoscendum. In eum siquidem finem illas ipse dirigit. Quod si quis eas videat, nec tamen interius illustretur, ad id quod significant cognoscendum, is non fruitur eius mysteriis, nec donum accipit Contemplationis. Nam (vt ait Daniel) d *necessaria est in his visionibus intelligentia*, vt sint perfectæ. quemadmodum ipsemet Daniel videns scripturam, quam Deus *scripserat in superficie parietis aulæ regiæ* Balthasaris, intellexit eius mysterium, quod neque Rex ipse, neque Magi & Aruspices Chaldæi intelligere potuerunt.

1\. Lib. 12. de Gen ad li. c. 3. & sequent. S. Isido. li. Ethym. c. S. Tho. 2. 2. 174. a. 1. ad 3. & lect. in 2 Cor.

a Exod. 3.

b Ioan. 1. 3

c Act. 2. 2.

12. de Ci. c. 13. & 32

d Dan. 10.

e cap. 5. 2e S. Tho. 22. 173. a. 2. & 4.

2. SECVNDVS modus Contemplationis est per *interiores figuras* in parte animæ inferiori, quam appellamus imaginationem, siue sensus internos, in quibus solet Deus seipsum nobis manifestare, suaq; mysteria reuelare, altero è duobus modis, vt ait S. Thomas: Vel imagines & figuras, quæ prius in eis erant, ita disponendo & ordinando, vt id referant, quod ipse intēdit; aut alias recentes figuras formando, per quas illustret intellectum, ad cognoscēdum & penetrandum, quod illæ repræsentant. Hoc modo agebat frequenter Deus cum Prophetis veteris & noui Testamenti, quos à sensibus exterioribus ita abstrahebat, vt ab eorum actionibus omninò suspenderētur, ne illæ impedirent visionem internam illarum imaginum, id quod interdum illis eueniebat e *in somnis*: quo tempore naturaliter illi sensus à suis actionibus desistunt. Frequentissimè tamen etiam accidebat vigilantibus, & in oratione cū ipso Deo agentibus, qui illos rapiebat, figurisque & lumine Contemplationis, quod illis communicabat, extra se faciebat. Huiusmodi fuerunt reuelationes S. Ioanni Euāgelistæ in sua Apocalypsi factæ, omnes enim figuræ, quas ibi vidit, instar f *librorum* aut speculorum erāt, in quibus Deus mysteria sua, suarumque perfectionum eminentiam reuelabat: qui in momento penetrabat, quod non poterat verbis & longo tempore explicari. Nam (vt ait Daniel) *intelligentia est opus in visione*, quæ Dei est; licet interdum non statim offeratur, sicut euenit Sancto Petro, qui cum oraret g *cecidit super eum mentis excessus, & vidit descendens vas quoddam velut linteum magnum, in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ; & facta est vox ad eum, surge Petre, occide & manduca.* qui tamen non statim assecutus est, quid hæc figura significaret, donec paulò post Spiritus Sanctus quid sibi figura vellet, reuelaret. Et quamuis Sanctus Petrus initio existimauit, illa esse vera animalia, sed (vt Sanctus Augustinus aduertit) hæc deceptionis ratio in huiusmodi visionibus non est perniciosa, modò ea non contingat in intelligentia mysteriorum, & veritatum fidei, quas illæ figuræ significant.

Supra & q. 174. a. 2. & 3.

q 172. a. 3.

e Gen. 28. 12

f Iere. 36. 18

g Act. 10. 10

Lib. 12. de Gen. ad litt. c. 14 & 32.

3. ET quoniam manus Domini non est abbreuiata, nec alia nunc est, quam fuerit olim, etiam nunc concedit multis personis raræ virtutis, quas ipse in suas accepit, hunc modum Contemplationis, seipsum illis ostendendo, aut in forma infantuli, aut in cruce, aut in aliis figuris & imaginibus, quæ diuinas personas repræsentant, aut Angelos, aut Sanctos, aut alia varia mysteria, quod totum geritur in facultate animæ imaginandi, in qua ponit Deus speculum siue librum, in quo superior intellectus pars, diuina luce illustrata, videat h *legatque* ingentibus admirationis & amoris affectibus, quod illi Deus vult reuelare. Nam huiusmodi imagines, etiam sunt tanquam signacula imprimentia in anima veritates, virtutesque cœlestes quas referunt: idque modo cum teneritate quadam, & suauissimis lacrymis; modò cum iubilis & exultationibus iucundissimis; modò cum arctissimæ chari-

h Iere. 36. 8.

tatis vnitione, qua quietiſsimè DEVM ipſum complectitur, licet magna cordis vehementia. Interdum veluti ſuſpenſa aſpiciens, & audiens: nihil tamen loquens; licet aliquando etiam loquatur, quamuis parcè: &, cum opus eſt, petit aliquid ſibi, aut alijs iuxta neceſsitatem, quæ impulit ad orandum; aut iuxta Dei inſpirationem ad id inducentis: ſemper tamen adeò mutatam, & cum tanto profectu ſe deprehendit, vt facilè aduertatur, eſſe Deum, qui per eas imagines loquatur, & talia in ipſa faciat.

§. I.

De ijs quæ in hoc modo Contemplationis geruntur.

QVONIAM verò innumera, eaq; valde inſignia ijs eueniunt, quos Deus hac via deducit, ijs præmiſsis quæ ſupra tetigimus, fuſius hic de ijs agemus, explicantes quod amicus quidam Iob, nomine Eliphaz, de ſeipſo narrat ſibi eueniſſe in quadam viſione, quam habuit: a *Porro ad me dictum eſt verbum abſconditum, & quaſi furtiuè ſuſcepit auris mea venas ſuſurri eius. In horrore viſionis nocturnæ, quando ſolet ſopor occupare homines. Pauor tenuit me, & tremor & omnia oſſa mea perterrita ſunt: & cum ſpiritus me præſente tranſiret, inhorruerunt pili carnis meæ. ſtetit quidam cuius non agnoſcebam vultum, imago coram oculis meis, & vocem quaſi auræ lenis audiui: Nunquid homo, Dei comparatione iuſtificabitur, aut factore ſuo purior erit vir? Ecce qui ſeruiunt ei non ſunt ſtabiles, & in angelis ſuis reperit prauitatem: quantò magis hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, conſumentur velut à tinea?* Omnia hæc verba (teſte Sancto Gregorio, cuius explicationem ſequemur) plena ſunt admirandis documentis, ad cognoſcendum modum, quo Deus D.N. eleuat animas ad haſce viſiones & contemplationes adeo ſupernaturales, & earum effectus. Nam *primum* omnia hæc verba fiunt per occultas Dei inſpirationes, quas hic *verba abſcondita* appellat eò quòd intus in ipſo corde gerantur, nec quiſquam eorum valorem nouerit, niſi qui experitur, vt ex dictis ſupra de eiſdem verbis conſtat.

Tract. 1. ca. 22.

a Iob. 4. 12.

Lib. 5. Mor. c. 19.

1.

SED percipiuntur tamen, & *quaſi furtiuè ſuſcipit auris venas ſuſurri eius,* non ſtatim aſſequendo quod dicitur. Deus enim in Contemplatione non vno tractu manifeſtat quicquid manifeſtare intendit, ſed paulatim aliquid manifeſtando, aliquid occultando, vt alterum, ſpiritum addat; alterum, eundem humiliet; & cognitio eius, quod manifeſtatur, excitet deſideria cognoſcendi, quod occultatur; feruentiq; & humili deſiderio ſe melius diſponat ad illud excipiendum. Et quamuis verum ſit, quicquid Deus de ſe dicit in hac vita eſſe inſtar ſuſurri, reſpectu eius, quod manifeſtabit in gloria, quando facie ad faciem illum licebit intueri: tamen etiam quod Deus iuſtis communicat initio conuerſionis eorum, aut in principio Orationis, eſt tanquam ſuſurrus & murmur quoddam, ſi comparetur cum eo,

2.

S. Greg. cap. 20.

quod ijsdem postea communicat, crescente claritate ipsius manifestationis; sicut crescit dispositio illam accipientis. & ita Beatus Pater noster Ignatius de se dicebat: studia Dei erga se, primis suæ conuersionis annis Manuessæ, etiamsi fuerint satis magna, respectu tamen eorum, quæ postea ab eodem DEO accepit, non fuisse nisi leue aliquod signum aut vestigium.

3. HINC est, quod Contemplatio incipere soleat ex perceptis venis susurri Dei, quæ venæ (teste Sancto Gregorio) sunt creaturæ huius mundi, per quas Deus se nobis manifestat, & loquitur; licet non satis clarè, sed quasi mussitando: ita tamen vt eius præsentia, & aliqua eius magnalia cognosci possint. Et quemadmodum aqua sensim permeans venas terræ, si fodiatur altiusq; aperiatur fluit copiosius: Ita qui profundius fodit in cognitione creaturarum, quæ sunt in publico & patenti loco, in maiori copia percipiet cœlestis Sapientiæ aquam, quæ latet in occulto. & ita opportunè continget b *percuti petram*, vt mox aperiatur vena ex qua egrediantur *aquæ largissimæ*. Deus enim ex cognitione alicuius operis sui, repentè erigit ad cognitionem & amorem magnitudinis suæ. quare aspectus Creaturæ, vena fuit diuinæ inspirationis, quæ infinitam Creatoris pulchritudinem manifestauit.

b Num. 20. 1.

4. SED amplius adhuc innotescit DEI omnipotentia & Sapientia, quod excelsam adeò contemplationem communicet *in horrore visionis nocturnæ*; ita vt nocturno tempore videamus, quod ipse nobis vult manifestare: Ita vt, fide in sua obscuritate permanente, adeò tamen eadem clarificetur, vt possit aspectus appellari: & *quando solet sopor occupare homines* carnales in nocte propter tenebras, quas in anima sua patiuntur; tunc viri Spirituales vigilent: & dormientibus oculis corporis, vigilent oculi Spiritus, vt sicut Iacob contemplentur c *Deum scalæ innixum*, manentes cum magna quiete, solitudine, atq; silentio, quæ per tempus nocturnum repræsentantur, quo dormiunt omnes, nec vllus se mouet, aut strepit. Post hanc enim Creatoris Contemplationem in venis creaturarum, erigit ipse illos ad aliam quietiorem, in qua illæ taceant, solus verò ipse loquatur.

S. Greg. c. 12.

c Gen. 28. 13.

5. SED videamus, quo pacto nouus hic modus Contemplationis inchoetur. *Pauor*, inquit, *tenuit me & tremor, & omnia ossa mea perterrita sunt.* quo significatur, initia recentium harum visitationum semper esse cum huiusmodi pauore & tremore, tum ob nouitatem & magnitudinem earum, quæ metum incutit non experto: tum ob cognitionem propriæ infirmitatis & miseriæ, quæ indignam se iudicat re adeò sublimi: tum etiam propter obscuritatem, quia non satis dignoscitur, an sint à Deo, donec amplius manifestentur: ac deniq; quod non sciatur, quò tendant, & quem finem sint habitura. d *Spiritus enim vbi vult* vehementer *spirat: & vocem eius audis, sed nescis, vnde veniat, aut quò vadat.* Percipis inspirationem; sentis

d Ioan 3. 8.

rapi te in spiritu; & incipere res nouas cognoscere; id quod magnum tibi adfert pauorem, nescienti vnde talis impulsus veniat: aut quem finem tanta eius vehementia sit habitura. Quod tamen totum cœlestis hic Magister ita disponit: vt humilietur discipulus: timorq; attentum reddat; magisque se disponat, ad lucem recipiendam, quæ mox communicabitur.

ET propterea additur, *cum spiritus me præsente transiret, inhorruerunt pili carnis meæ.* his verbis significans, quod cogitationes per capillos significatæ, in ea occasione eriguntur: prauæ quidem & inanes, vt fugiant, & ex capite cordeq; ipso euellantur. eò quod nec comparere, nec manere audeant coram Deo tantæ Maiestatis: bonæ verò etiam in altum eriguntur, clamantes ad Deum quò illi coniungantur: & supplices orantes, recipi sub eius protectionem, ne ab aliquo decipiantur. 6.

Tract.1.c.23.

QVID verò id est, quod spiritus, *ipso præsente transiret*? hoc nimirum innuit, quod contemplatio huius vitæ semper fiat obiter; nec posit esse stabilis, donec veniat ad vitam æternam. Nam quantumuis anima supra seipsam ascendere cupiat, suiq; dilecti desiderio ardeat, propria tamen & naturalis eius debilitas, statim eam deiicit, agnoscentem, se non posse videre, quem tanto diligit feruore; quamuis nec adeò illum diligeret, nisi aliquo eum modo videret. 7. *S.Greg. c. 24.*

QVAMOBREM ipsemet Dominus, cùm ad eam visitandam, ingreditur, videtur obiter id facere, & quasi qui festinat discedere: vt euenit, quando se coniunxit discipulis euntibus in Emaus, vbi c *finxit, se longius ire*, quò illi ipsum rogarent, & instantia sua *cogerent*, non discedere. Quod si Deus D.N. indicet, quasi velit discedere, nosq; relinquere, id facit desiderio diutius in oratione morandi, crescente propterea in nobis feruore, humiliq; instantia ac diligentia ad eum retinendum. Et ita euenit (ait Sanct. Gregorius) vt contemplatio sit diuturnior. fit enim vt mens paulò latiùs radio suæ speculationis inhæreat, & pœnè figat SPIRITVM, qui transibat. *c Luc.24.28.* *cap. 34.*

ET hoc est, quod dixit Eliphaz: *stetit quidam*, quasi diceret, subsistit, vt nos intelligeremus, DEVM Dominum nostrum natura sua stabilem esse, æternum, & immutabilem; &, quod in se est, semper velle esse nobiscum: sed in hac vita, simul *transit & stat. transit* eò quod postquam illum agnouimus, non possumus detinere semper iuxta nostra desideria. qui tamen permanet, semperq; stat: quia nunquam in seipso mutatur; & ipso tempore, quo durat contemplatio, ex instituto, & quietè, attendit, vt illam communicet, quatenus id vult, vt nos magna tranquillitate illi attendamus, reijcientes pro eo tempore reliquas omnes curas, vt eius cognitio- 8. *S.Greg. c. 25.*

ni tan-

ni tantum, amoriq; attendamus, eiusq; erga nos studium amplectamur.

9. SED quamuis illud eius studium fauorq; sit magnus, verum est tamen quod mox vir ille subiecit de eo qui apparuerat, dicens: *cuius non agnoscebam vultum:* sed in quadam *imagine, quæ coram eius oculis* apparuit, vt ex eo intelligamus contemplationem huius vitæ non eousq; peruenire, vt vultum Dei, sicut est in seipso, videamus: sed in aliquo exemplari aut imagine ipsius, quæ interdum est pictura creaturarum irrationalium, qualis est f *clibanus ignis, lampas* accensa, g *electrum,* nubes, columba, agnus, & aliæ similes, quæ etsi non loquantur, aliqua tamen Dei magnalia & eius operum excellentiam repræsentant. Aliquando verò est pictura h *persona* rationalis, cum insignibus ornamentis, magna mysteria significantibus; & per hanc imaginem diuinus Spiritus loquitur, docet, eleuatq; ad altissimam contemplationem. Sed quomodo loquitur?

f Gen. 15. 17. g Ezech. 1. 17. h Dan. 10. 5. h Apoc 1. 13. S. Greg hom 8. & 14. in Ezech.

10. AUDIVI (inquit) *vocem quasi auræ lenis*, ac subtilis. Nihil noui est, in diuina scriptura contemplationem appellare, non solùm visionem, sed etiam auditionem. Sanctus enim Paulus in suo raptu ait, se i *audiuisse arcana verba Dei*, & ipse Christus D. N. dixit, k *quæcunq; audiui à Patre meo, nota feci vobis*, & quemadmodum appellatur visio, ad significandum, quod fiat sine discursibus, aut successione: Ita appellatur auditio, vt appareat esse opus ipsius Dei, præcipuè si totum sit opus supernaturale, in quo nihil aliud homo facit, quàm lumen & instructionem accipit, quam Deus illi communicat, eo modo, quem sanctus Dionysius appellat, *pati diuina*, recipere scilicet diuinas illustrationes, audiendo diuina supremi Magistri verba, in magna cordis quiete. & propterea comparantur l *sibilo auræ lenis & tenuis*, quæ nec turbationem affert, nec strepitum: eo quod sua diuina præsentia timores & tremores abstulerit; & pilos, qui inhorruerant composuerit. *transiit* enim *Spiritus grandis & fortis subuertens montes & conterens petras, in quo*, vt dictum est Eliæ, *non erat Dominus*; postmodum verò sonuit *sibilus auræ tenuis, in quo erat Dominus.* Figura hac sensibili seipsum manifestans, & ostendens se esse, qui loquatur, qui tempestatem sedet, qui viuificet, recreet, & animum addat, & qui res suæ diuinitatis delicatissimas & subtilissimas, notas faciat. quamuis quicquid communicet sit instar sibili auræ tenuissimæ, quoniam (vt Sanctus Gregorius ait) totum illud est parum, si cum infinito eo comparatur, quod ipse potest communicare, qui, si non se nostræ imbecillitati accommodaret, quis posset eius maiestatis sublimitatem agnoscere? nec sine causa, narrat scriptura sacra, quod Moyses, vt contemplaretur DEUM Dominum m *ascenderit in montem*; ad quem *Deus ipse descendit*, vt significetur, quod in contemplatione, ascendat homo, Deus verò descendat; & homo eleuet se supra se, vt coniun-

i 2 Cor 12. 4. k Ioan. 15. 15. l 3. Reg. 19. 12. cap. 6. m Exod. 24. 12. & c. 34. 5.

gatur

gatur. & tunc adhuc est opus, vt, sicut fecit Elias, n *operiat vultum suum pallio*, vt tantæ Maiestatis, quam cognoscit, altitudinem veneretur, nolens curiosè eam scrutari, sed suam ignorantiam confiteri, ac protestari, parum omninò esse, & quasi nihil, quicquid de Deo intelligit. Nam *quicquid perfectè conspicere mens humana praualet, non est Deus*, sed imago, speculum, aut figura Dei: neq; enim Deum videt in seipso, sed quasi per nebulam, & *tunc est verum quod de Deo cognoscimus, cum nos aliquid de eo cognoscere non posse, sentimus*.

n 3. Reg. 19. 13.

S. Greg.

Et eò tendunt excellentes veritates, quas Dominus in hac contemplatione reuelat: ait enim, *nunquid homo Dei comparatione iustificabitur, aut factore suo purior erit vir?* quod non ob aliud est dictum, quàm vt intelligamus, omnes veritates quas Deus hic docet, tendere ad retegendas deceptiones circa propriam & diuinam cognitionem; eò vt de nobis ipsis demissè, altissimè verò de Deo sentiamus: statuentes discrimen inter ea, quæ ex nobis ipsis habemus, & quæ à diuina gratia recipimus; & inter ea quæ ex diuina gratia habemus, & quæ habet Devs ex infinita sua natura, cuius comparatione quod nos ex gratia ipsius habemus, quamuis in se multum sit, est tamen tanquam nihilum: nec potest cum illo conferri: ac proinde multò minus illi coæquari. Deniq; quo homo, quantumuis gratiæ & fauoris plurimum in contemplatione accipiat, non euanescat, aut securum se reputet, sed humilitatem suam conseruet, cauteq;, & sancto cum timore progrediatur, affert illi in memoriam lapsum Angelorum, qui in cœlo Empyreo fuerunt in magna contemplatione, dicens: *Ecce qui seruiunt ei, non sunt stabiles, & in Angelis reperit prauitatem*, superbiæ. s. cuius causa amissa contẽplatione, expulsi sunt ex cœlo, in quo erant. quantò ergo magis decet, vt tu timeas, *qui domum luteam inhabitas*, cuius fundamentum est terra, adeoq; misera, vt ex teipso nascatur tinea & vermis, qui rodat & consumat vitam tuam, ac thesauros à Deo in anima tua positos? O supreme Magister, quam exactè nosti mysticam spiritus scientiam docere, ita vt discipulus, qui illam addiscit, nullum faciat detrimentum? O quam dextrè illum ad cæli sublimitatem eleuas, per cognitionem supremæ tuæ magnitudinis; quem etiam ad profundum abyssi abijcis, per cognitionem maximæ ipsius vilitatis? O quam opportunè eum turbas, ac sedas; tremere eum facis, & quiescere: & in ipsa quiete eum doces, quæ in turbatione timebat, omnia conuertendo in maiorem eius vtilitatem? Esto tu, Domine, Magister meus: loquere ad cor meum, da mihi contemplationem in eo gradu, quem volueris: eo enim ipso, quod illa sit tua, erit pacifica, certa, secura, & vtilis.

§. 2.

De supernaturali contemplatione per similitudines.

EX dictis deprehendes multa indicia veræ contemplationis, à bono spiritu prouenientis: duodecim enim illa, hactenus insinuata, sunt eius præsentiæ indicia, & testimonia, quod ipsa contemplatio sit opus eius, quod clarius adhuc perspicies, si ea contuleris cum ijs, quæ ad finem Tract. primi sunt posita. Solum itaq; huic modo contemplationis per figuras imaginarias addam: eas plurimum differre ab ijs, quas nos industria nostra in imaginatione formamus: quemadmodum supra etiam est dictum. Nostræ enim figuræ, vt plurimum sunt de rebus, quas vidimus, aut audiuimus, aut alio sensu percepimus: hæ verò plerumq; sunt rerum, quas nunquam vidimus, neq; audiuimus, nec in cogitationem nostram inciderunt. Nostræ sunt meræ figuræ, quæ ad summum emolliunt aliquantulum cor, suntq; ex vsu ad intellectus ratiocinationem: At hæ sunt viuacissimæ, eo quod in eis repræsentetur Deus viuens, & Angeli, & Sancti eius: efficiuntq; effectus stupendos in intellectu & voluntate, ad quos nullis nostris viribus aut industria pertingere potuissemus. Illæ nostræ breui tempore durant, & facilè transeunt; estq; nobis liberum eas vel accipere, vel dimittere. Illæ remanent valdè affixæ animæ nostræ, earumq; effectus diutissimè durant, cum magno profectu nostro; veniuntq; tanta diuini Spiritus vi, vt non possimus prætermittere, quin eas acceptemus; & quid per eas nobis dicatur, attendamus. Nostræ deniq; semper ferè sunt eædem: in his verò stupenda est varietas, plurimæ comparationes, & gratissimæ similitudines, quæ cœlestium mysteriorum arcana nobis aperiunt. Et hic modus comparationum frequentissimus est in contemplatione, eo quod Deus Dominus noster accommodet se nostro modo concipiendi res Spirituales per corporis similitudines. Et in hoc sensu S. Bernardus declarat illam promissionem, quam fecit DEVS suæ Sponsæ, cupienti ipsum videre in claritate meridiei, dixit enim a *murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento*, siue iuxta aliam versionem, *similitudines auri fabrifaciemus tibi, cum distinctionibus argenti.* quasi diceret illi: reuelabo tibi mysteria diuinitatis meæ, per varias sensibilium rerum similitudines, quib. fides per auditum ingressa, valde illustretur & confirmetur. Diuinæ res, inquit hic sanctus, sunt quas dicimus, sed nemo illas benè assequetur, nisi qui sit expertus. Quæ tamen declarari possunt ex ijs, quæ verbum incarnatum in suis sermonibus afferebat, declarans mysteria Regni cœlorum per parabolas & similitudines harum rerum visibilium. Et in hunc modum internè imprimit imaginationi nostræ præclaras similitudines & comparationes, quæ illustrantes intellectum, iucundissimam & valdè claram reddunt meditationem, & contemplationem diuinorum my-

cap. 9.

Serm. 41. in Cant.

a Cant. 4. 11.

Continuo nescio vnde adsunt imaginariæ quædam rerum inferiorum similitudines.

ſteriorum. Quoniam verò res huiuſmodi delicatæ exemplis melius capiuntur, duo vel tria recentia valdeq; vtilia hîc ponam cuiuſdam perſonæ iam vita functæ, cui huiuſmodi viſiones erant valde frequentes: de cuius veritate ac virtute propterea ſum ſecurus, quod in ea inueniantur illa indicia & ſigna, quæ in primo Tractatu ſunt poſita.

HVIC itaq; perſonæ in oratione conſtitutæ oſtendit Dominus pugnam, quam deſcribit Apoſtolus inter ſpiritualem animam & eius corpus, quia b *caro* inquit *concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem.* Vidit itaq; aſpectu interiori virginem quandam pulcherrimam, valdeq; modeſtam, veſte alba & precioſa indutam, ſtantem, & nonnihil à terra eleuatam, ad cuius latus proſtratus erat in terra deformis quidam vir & niger, ſed oculis tamen valde iucundis blandeq; allicientibus, vterq; autem compedes ſiue circulum ferreum ad pedem habebat, qui circuli prolixæ cuidam catenæ erant connexi, ita vt colligati & vincti tenerentur. Ille cupiebat & contendebat, vt virgo ipſum aſpiceret, quem ipſa nihili faciebat, licet ad magnam eius importunitatem bis illa terue oculos in eum coniecerit, quæ dum illum aſpiceret, ſenſim ſe demittebat triſtis in terram: ille verò lætus è terra ſe erigebat: donec virgo nimium eum aſpiciens, tandem ſedit in terra: in ipſo verò momento erexit ſe fœdus ille feruſq; homo & cœpit impiè currere, trahens pauperculam virginem per lutum & ſaxa, donec peruenit ad quoddam præcipitium, è quo ſeipſum præcipitauit, vt virginem quoq; ipſam ſecum traheret ac præcipitaret. Aduertens verò illa ſummum hoc periculum, reſumpto magno animo, arripuit fortiſsimè rupium crepidinem, cæpitq; ſenſim repere vſq; ad cacumen, trahens ſecum hominem illum per catenam: clamanſq; in cœlum petebat ſubſidium: crudelis verò ille hoſtis aſcendebat & deſcendebat, quantum catenæ longitudo patiebatur: ſeq; impetu quodam inferius proijciebat, vt virginem poſt ſe traheret. at illa fortiſsimè ad ſaxum ſe tenens, repellebat à ſe hominem, cum prope accedentem aduertebat, ſemper à DEO petens miſericordiam. Et tunc tota viſio ceſſauit, & in momento cognouit illa perſona hanc eſſe pugnam & conflictum crudelem, quam anima ſua tota vita haberet cum corpore, cui eſſet colligata: quod illam raptat ac præcipitat, quando inordinata affectione illud aſpicit, dans locum blandis eius perſuaſionibus & illecebris, quæ poſtea fiunt violentiæ.

b *Gal.* 5. 7

Pugnæ carnis aduerſus Spiritum egregium exemplū, viſum in ſpiritu.

NEC aliud ſupereſt remedium, ſi quando incuria ſua aliquid corpori tribuit, niſi vt ad ſe redeat, ſibiq; virili Mortificatione vim inferat: clamans ad DEVM pro auxilio, ad importuniſsimum hunc hoſtem ſuperandum, & repellendum, ſi quando ſimilibus perſuaſionibus accedere audebit,

cogens illum, vt se subijciat ijs, quæ illa imperauerit, tanquam seruum & mancipium, quod suæ Dominæ tenetur obedire ac seruire.

2. [...]militudo, [a]nimæ [te]pidæ, [...]o[ratio]nis sed [n]on se [m]ortificā[ti]s, ostensa [...] visione.

ALIA vice eidem personæ ostendit Dominus statum tepidæ & ignauæ animæ, quæ orationi quidem dat operam, sed absq; Mortificatione. Vidit enim in medio latissimi campi profundum valde, forte, & eboris instar album fundamentum, per quod deambulabat quidam iuuenis albus & rubicundus, pulchritudine admiranda, qui hanc personam vocans, dixit: Ego sum filius potentissimi cuiusdam Regis; ieci hoc fundamentum, vt superædificem palatium, in quo tu habites, meq; ad te visitandum venientem in eo excipias. quod faciam frequenter, modò tu præparatum pro me locum habeas, portamq; pulsanti aperias. Veniet autem tempus, quo veniens habitem ex instituto in eo, erisq; valdè contentus, quia bene tibi erit in meo contubernio. Ex magnitudine autem huius fundamenti cognosces, quale debeat esse ædificium. opus itaq; erit, vt tu quidem materialia omnia necessaria mihi afferas; ego totum opus perficiam. Illa persona cæpit affligi existimans impossibile esse tot se materialia posse afferre: cui hæc cogitanti, respondit ille iuuenis: ne dubita, bene poteris; incipe statim aliquid afferre; ego enim te adiuuero. Incepit itaq; aliquid quærere, sed paulò post hærens aspiciebat iuuenem, cuius aspectu delectabatur quidem, sed nullam operam dabat, vt eidem placeret. reuerebatur quidem illũ valde, & aduertebat se ab illo aspici; nec tamen erubescebat, quòd illi non obediret. Dum illa sic hæreret, aduertit fundamentum illud sensim obduci pulueribus & paleis à vento eò coniectis; & interdum turbines quidam ex vento & pulueribus ita exsurgebant, vt quasi amplius non posset ipsum fundamentum videre. Aliquando verò inundationes tales eueniebant, quæ multas sordes in illud conijciebant: quibus tandem fundamentum illud fuit pœne obductum, nascentibus supra plurimis malis herbis. Eousq; autem coopertum fuit fundamentum, vt nihil aliud eius appareret, quàm quod pedes pulcherrimi illius iuuenis occupabant, quem repente turbo quidam etiam cooperuit, fundamento multis sordibus cooperto remanente. Afflicta illa persona, quod se solam videret, repentè vidit se magna copia lapidum, calcis, & arena circumdatam, flexisq; genib. suam pigritiam & tepiditatem deflens, & existimans, eundem iuuenem adhuc latere in concauitatibus illius fundamenti, quem sordes illæ & immundiciæ non tangerent, magnis clamorib. ei dicebat: iam venio Domine, en adfero materialia, quæ adferre iussisti: exi, quæso, vt ædificiũ auspicemur: doleo enim valdeq; me pœnitet quod ex ignauia mea tamdiu hæserim, ac venire distulerim. In his bonis propositis existenti personæ illi, data est intelligentia visionis. Illud enim fundamentum significabat virtutem fidei & reliquarum virtutũ habitus, quos CHRISTVS Dominus animæ infundit per Baptismum,

desi-

desiderans ædificari in ea præclarum altissimæ perfectionis palatium, ita ad id cooperante ipsa, vt necessaria materialia afferat, obseruantiam scilicet diuinorum præceptorum & consiliorum, in virtute tamen eius Domini, qui præcipuus est huius ædificij artifex. Sed sæpè anima, quamuis Christi mysteria meditando oblectetur, tepida tamen est, & segnis in eius imitatione & obedientia, quasi negligente, & incuriosa, sensim obscurantur habitus virtutum accedentibus peccatis venialibus, & oculis animæ obfuscatis, ne videant & cognoscant, sicut antea, suum Saluatorem. Et interdum permittit idem Dominus in pœnam ignauiæ & torporis illius, vt labatur in aliquod lethale peccatum, quod omnia maculat, ac delet: destruit enim gratiam & charitatem, relicto solo fidei fundamento & spei. Diuina tamen misericordia, eius miseratione commota, redit, suaque inspiratione iterum mouet, vt prope se inueniat lapides, calcem & arenam contritionis, confessionis, & satisfactionis, quibus præteritam iacturam possit reparare, & iterum ædificium inchoare, clamando ad ipsum saluatorem, qui per fidem illi manifestatur, eam prouocat vt recurrat ad concauitates vulnerum eius, pedum, manuum, & lateris, in quibus est certum eius remedium, ad inchoandum & perficiendum, ædificium ea altitudine & magnitudine, quod initio fuit illi ostensum.

Tertiò memor eadem persona, quod Deus D.N. volens prophetam Ieremiam alloqui dixit illi c *descende in domum figuli:* habuit hanc visionem, quod ipsa descenderet per quosdam gradus ad quandam aulam valdè lucidam & claram, in qua erat magna quædam massa luti: per aulam verò deambulabat venerandus quidam senex in toga longa vsque ad pedes: & quasi nihil faciens, mundis, albisque manibus suis, accipiebat frustum illius massæ, & faciebat quædam vascula quæ ordine reponebat, in quodam abaco tanquam aurificis: ita significans, se velle vti illis ad haustum sumendum: viditque aliqua ex iis frangi, quæ ille proijciebat ad angulum, in quo cumulus erat similium; dans indicia, quod sibi displiceret, cum frangebantur, eo quod potuisset impedire. Sed non poterat hæc persona causam assequi, cur frangi permitteret, nec ausa est illum interrogare. Tantæ enim authoritatis senex ille videbatur, vt non deceret amplius eum interrogare, quàm ipsemet significare vellet. Qui deambulans per aulã aspiciebat hæc & illa vascula, cumque accederet ad cumulum fractorum, extendens interdum brachiũ accipiebat aliqua fracta, & iterum ea coniungens in abaco inter integra collocabat. Et quamuis non videbatur aliqua seligere, nihilominus accipiebat, quæ se magis propè & quasi in conspectu constituebant, & quodammodo esse mouendo offerebant, vt ea acciperet, cum aspiciebat. Domino autem reuelanti huic personæ profunda mysteria, quæ hic repræsentabantur, statim illa seipsam aspexit, tanquam vnum horum vasorum ex massa luti ge-

3. c Iere. 18. 2. Pulchra visio de occultis iudiciis Dei.

neris humani factum à manu Dei, vt in suæ gloriæ abaco reponeretur: quæ tamen culpa sua fuit fracta, & integritatem amisit, quam in prima iustificatione acceperat. Quod licet potuisset Deus omnipotentia sua impedire, occultis tamen suis iudiciis id non fecit, sed cuique permisit vti sua libertate. Sed cum se vas adeo fractum videret, proiecit se in cumulum aliorum, anxiè desiderans reparari, sperans venerandum illum Dominum illac transiturum, & misericordiæ oculis illam aspecturum & reparaturum, extrahendo illam ex miserando illo loco, vt inter vasa integra collocaret: sicut fecit cum Magdalena, de qua dicitur, in d *vas translata gloriæ, de vase contumeliæ.* Ex quibus tribus exemplis videre licet, quid in huiusmodi visionibus, quæ Dei sunt, agatur: quæ ordinariè tendunt ad aliqua fidei mysteria declaranda, & ad reformationem & profectum spiritualem eius, cui illæ conceduntur: vt torpore reiecto, feruenter Deo illas communicanti deseruiat.

In eius festi Hymno. d Rom. 4. 23

§. 3.

De Contemplatione merè intellectuali.

TErtius modus Contemplationis, quem Sancti indicant, est omninò intellectualis, in parte scilicet spiritus superiori, absque imaginibus & figuris sensibilibus. Qui modus (teste S. Thoma) est in se excellentissimus, & simillimus contemplationi Angelorum & Beatorum, qui per lumen gloriæ vident increatum lumen diuinitatis in seipsa, leguntq; in libro diuinæ essentiæ infinitas eius perfectiones, non accipientes hæc specula & imagines creatas. & hoc modo Deus D. N. eleuat & clarificat spiritum aliquorum, excellentissimo quodã supernaturali lumine, quod (eodem S. Doctore teste) sustinet officiũ speculi & imaginis, non sensibilis, sed omninò spiritualis; quo seipsum illis manifestat, suaq; arcana, ea claritate, quam status noster ferre non potest. Quemadmodum dixit Dauid: e *locutus est fortis Israel: sicut lux auroræ, oriente sole, mane absque nubibus rutilat.* Id significans: quod quamuis Sol Iustitiæ Deus æternus ordinariè mittat radios suæ lucis, aliquibus nubibus imaginum & figurarum sensibilium inuolutos, quò, vt S. Dionysius ait, magis proportionati sint naturæ nostræ, debiliq; nostrorum oculorum aciei: interdum tamen eos mittit absque his nubibus, seipsum mysteriaque sua manifestans visione merè intellectuali, valdeq; sublimi. & in hoc sensu dicit Scriptura, quod f *Moyses palam & non per ænigmata, & figuras Dominum videret:* & quod Deus g *ore ad os loqueretur ei, & facie ad faciem sicut solet loqui homo ad amicum suum.* & quando Apostolus dicit se h *raptum vsque ad tertium cælum:* per quod ait S. August. intelligi tertium hũc modum contẽplationis, qui duobus præcedentibus præstat: nam in hoc est summa quies, secretũ, & silentium ab omnibus creaturis: solumque loquitur ipse Creator, qui est super il-

2. 2. q. 171. a. 2 q. 174. a. 2 & 3.

2. 2. q. 173. a. 1. & 4. 2. ad 2.

e 2. Reg. 23. 3. S. Th. a. 20 S Th. 2. 2. q. 174. a 2 ad 4 id declarat vt communiter fit. f Num 12 8. g Exo 33. 11. S. Th. 2. 2 q. 174. a. 4. h 2 Cor 12. 2. 2. q. 175. a. 3 ad 4. Lib. 12 super Gen. ad lit. c. 28.

per il-

per illas omnes, quemadmodum idem S. Augustinus explicauit, agens cum Matre sua S. Monica de hac Contemplatione, his dulcissimis verbis: sileant strepitus carnis, imaginationes terrenæ, aqua & aer: sileant & ipsi cœli, & ipsamet anima sibi ipsi sileat, seque deserat, non cogitans de se: taceant somnia & imaginariæ reuelationes, omnis lingua, omne signum sensibile, & quicquid temporale præterit, taceat: qui enim hæc omnia audit, & de eis cogitat, omnia illi dicent: i *ipse* Deus, qui æternus *fecit nos, & non ipsi nos*. & cum hæc dixerint, sileant: iam enim aures aperuerunt & arrexerunt ad audiendum factorem suum: ipseque solus loquatur, non per eas, sed per seipsum, vt eius verbum audiamus, non per linguam carnis, aut per vocem Angeli: non per sonum nubis, nec per ęnigma, aut similitudinem: sed ipsummet Deum, quem amamus, in his rebus audiamus, sine illis: & præcipiti cogitatione penetremus ad æternam sapientiam, quæ permanet super omnia. Si hoc continuaretur, relictis aliis visionibus imperfectioribus, & si hęc vna visio rapit nos, absorbet, & abscondit in gaudiis internis eius, qui nos aspicit: ita, vt vita sempiterna sit, qualis hæc est contemplatio huius breuis temporis, num non erit hoc quod scriptum est: k *intra in gaudium Domini tui*? Hæc fere omnia sunt piissimi huius sancti verba. ex quibus apparet, hunc modum contemplationis esse perfectissimum quoddam silentium omniũ Creaturarum, quatenus illa ascendit ad plura intelligenda, quam illæ dicere norint. estq; exemplar quoddam æternę beatitudinis, in quo qui contẽplatur, fit particeps gaudiorum, quæ sunt in illa. hac enim visione summè crescit amor & gaudium spiritus. Et hanc ob causam non solum dixit Apost. l *se raptum esse vsque ad tertium cœlum*, per quod significatur excellentia cognitionis: sed etiam dixit: se *raptum* esse *in paradisum*, qui locus est deliciarum. Nam (vt ait S. Thomas) huiusmodi raptus proueniunt ab excellentissimo amore Dei, quorum finis sunt noua amoris incrementa, cum magnis delectationib. deliciisq; cœlestibus iis similibus quas beati possident in paradiso. Et meritò appellantur raptus, quia Dei virtus rapit spiritũ hominis, & alienatum à sensibus, ad cognitionem adeo sublimem, ad amorem & consolationem adeo eminentem extollit: loquens ad eius cor, cum magna suæ propensionis fauorisque significatione.

Lib. 9. Confess. c. 10.

i *Psal. 99. 3.*

k *Mat. 25. 21*

l *2. Cor. 12. 4*

2. 2 q 175. a. 2.

Sed quæ verba illi dicet? quæ arcana manifestabit? id nemo intelligere potest, nisi qui illa audit: & quando ea audierit, dicet cum Apostolo: *audiui arcana verba, quæ non licet homini loqui*. id itaque nobis sufficiat: familiare esse propriumq; insignium amicorum, communicare inuicẽ arcana, quę nolunt aliis manifestare. Et quoniã Deus adeò est excellens amicus, arcana sua magnis amicis reuelat, potestatem eis faciens, quędam manifestandi: prohibens verò alia, quę sibi solis seruent. quemadmodum ipsi Apost. reuelauit veritates Euangelij, quas omnibus prędicaret, seruans interim sibi quędam valdè

arcana, *quæ non licebat homini loqui,* homini ſcilicet cuicunque niſi ei, qui deſideret eſſe ſupra hominem, tradendo ſeipſum totum Deo, eiuſque contemplationi. quales fuerunt S. Hierot. & S. Th. & ſimiles alij. tum quod non deceret: m *mittere margaritas ante porcos, qui eas conculcant pedibus ſuis:* tum quod non expediat eaſdem abſcondere filiis Dei, qui magni illa faciunt, & ex eis proficere, ac diteſcere cupiunt. O mundi Saluator, qui tuis Apoſtolis dixiſti: n *iam non dicam vos ſeruos, quia ſeruus neſcit, quid faciat eius Dominus: vos autem dixi amicos, quia omnia, quæcunque audiui à patre meo, nota feci vobis.* age quæſo mecum tanquam cum amico, faciens mihi notum, qua via & modo, tibi magis placet, quod mihi expedit ſcire, ad te feruenter amandum & feruenti amore me tibi coniungendum.

m Matt. 6. 7

n Ioan. 15. 14

Signa, ad cognoſcendam veritatem triplicis huius modi contemplationis, ſunt eadem, quæ in fine tractatus primi fuerunt poſita: & ex iis, quæ ibi ſunt dicta, intelligetur, hunc tertium modum contemplationis eſſe duobus aliis ſecuriorem: quo ſolus ipſe Deus agere poteſt ita ſeorſim cum ſeruis ſuis, vt nulla creatura intercedat: hac enim via ſolet ipſe veritates fidei reuelare, ſicut ipſe dixit Ieremiæ o *annunciabo tibi grandia, & firma, quæ neſcis.* adeò enim excelſa ſunt illa, vt neque homo, neque Angelus ad ea poſsint pertingere, qualia ſunt myſteria S. Trinitatis, Proceſsionis diuinarum perſonarum, Incarnationis Verbi: & ſtupendi modi, quo illud eſt in Sanctiſsimo Sacramento. Ita S. Petro reuelauit, Chriſtum eſſe filium Dei viui: quem propterea p *beatum* appellat, eò quod *non caro & ſanguis* myſterium illud *reuelauerit, ſed pater eius cæleſtis.* Hac luce q *aperuit Apoſtolis ſenſum, vt intelligerent ſcripturas,* & multa alia myſteria, propter quæ dixit Apoſtolus r *nec in cor hominis aſcendit,* ſignificans, (vt ait S. Thomas) huiuſmodi myſteria non cognoſci, nec in cor hominis aſcendere per diſcurſus & ratiocinationes à Creaturis acceptas: ſed deſcendere è cœlo diuinas illuſtrationes; quæ illa manifeſtant: In quibus nihil habent quod agant Dæmones. Et quamuis illi poſſint imitari quicquid eſt exterius in hac ſuſpenſione, extaſi, aut raptu, & in viſionibus imaginariis: interna tamen imitari non poſſunt: quia illa ſunt ſolius Dei. Quare veritas raptuum potius æſtimanda eſt ex rebus, quæ ibi reuelantur, quàm ex indiciis externis, quæ in eis apparent. Dæmones enim non poſſunt altiſsimas intelligentias communicare grandium myſteriorum, quæ vera lux Dei intellectui reuelat in his imaginibus: nec puros clariſsimoſque affectus virtutum, quas per eos imprimit voluntati, de quibus in proximis capitibus dicetur.

o Ierem. 33.

p Matt. 16. 17

q Luc. 24. 45.

r 1. Cor. 2. 9. Ibid. lect. 2.



CAPVT

CAPVT IX.

DE VNITIONE CVM DEO PER COGNItionem & amorem, quæ propria est viæ vnitiuæ: & de stupendis eius proprietatibus & effectibus.



X dictis in Tractatibus præcedentibus satis explicatum videtur quod pertinet ad viam, quam vnitiuam vocamus, cuius finis est (vt ait Apost.) esse a *vnus spiritus cum Deo.* Sed quoniam multa & varia sunt dicta, iuxta ea quę occasio postulabat, recolligam nunc quasi in Epilogum, & summã, id quod excellentissimum & purissimum est vnitionis cum Deo, quæ perfecta contemplatione obtinetur. Præmissis igitur, quæ in capite decimo sexto secundi tractatus dicta sunt, est aduertendum, sanctissimam Trinitatem duplicem habere vnitionis rationem cum iustis: alteram *habitualem* & permanentem, quæ efficit in illis habitum gratiæ & charitatis cum omnibus donis & virtutibus supernaturalibus, quæ illam comitantur, quæ vnio nunquam ex parte Dei deficit, si iustus velit illam conseruare, non admittendo culpam vllam lethalem. b *Dona* enim *Dei* (vt ait Apostolus) *sine pænitentia sunt.* &, quamdiu nos eius volumus amorem, nunquam illum nobis subtrahit. Propterea enim ipse Dominus dixit: c *si quis diligit me, pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus,* & d *Pater meus dabit vobis spiritum paracletum, qui maneat vobiscum in æternum.* & vt S. Ioannes dixit: e *Deus charitas est, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo.* quamdiu enim charitas creata in anima perseuerat, etiam increata charitas, quæ est ipsemet Deus, ibi manet: & quamuis anima sit valdè imperfecta, valdeque immemor boni, quod in se habet, semper Deus cum illa est, illud conseruans, eidem animæ, hoc modo vnitionis, coniunctus.

a 1. Cor. 6. 17
b Rom. 11. 29.
c Ioa. 14. 24
d Ioa. 14. 23
e 1. Ioa. 4. 16

Alia est vnitio perfectissima, quam licet *Actualem* appellare, qua scilicet Sanctissima Trinitas est in ipsis Iustis, impellens eos ad actus procedentes à charitate, donisque & virtutibus, quas in ipsis posuit, ita vt actualiter illum agnoscant, & ita perfectè diligant, sicut præceptum amoris requirit, quo dicitur f *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua, &* g *ex omnibus viribus tuis.* Sed hæc vnitio non continua est, sed certis temporibus, quando scilicet ipse Dominus dignatur suos visitare: quam, licet interdum omni iustorum generi concedat, soli tamen perfecti in via sunt vnitiua, & in statu huius vnitionis:

f Deut. 6. 5.
Matt. 22. 37.
Mar. 12. 30.
g Luc. 10. 27

eò quod peruenerint ad conuenientem diſpoſitionem, ad eam frequenter habendam, ſuntque exercitati in cooperatione, quam ex parte ſua ad illam poſſunt adhibere.

Hæc cooperatio conſiſtit præcipuè in danda opera, cum eiuſdem Dei auxilio, vt omnes potentiæ coniungantur, quæ concurrunt ad vnitionem amoris: cor ſcilicet, anima, & mens, ac reliquæ vires corporis & ſpiritus. Si enim illæ ſuam habent vnitionem & concordiam, mox ſequetur vnitio cum ipſo Deo: dixit enim ipſe h *vbicunque ſunt duo vel tres congregati,* & vniti *in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Qui ſunt hi tres (ait S. Hieron.) niſi corpus, anima, & ſpiritus? hi enim iunguntur in oratione & contemplatione, quando corpus colligit omnes ſuos ſenſus, motus & potentias, vt quietè ibi animæ obediat: & ipſa anima, quæ eſt pars ſenſitiua, recolligit, vnitque omnes imaginationes, & appetitionum affectiones, ſubijciens eas, vt concordes ſint cum eo, quod vult ſpiritus: & hic ſpiritus qui eſt pars ſuperior recolligit ſuam memoriam, intellectum, & voluntatem, ad omnes ita in ſolo Deo tunc expendendas, vt ad nullam rem aliam tunc diſtrahatur. Et cũ quis ita decreuit, efficaciterque ſtatuit, faciens quod in ſe eſt ad has potentias ita vnitas conſeruandas, ipſemet Deus eſt in medio earum, adiuuans eas in ea recollectione, & vnitione, eaſdemq; ſibi coniungendas per actualem amorem, qui in ipſo præcepto commendatur. *Memoria* enim eſt vnita cum Deo, memor actualiter diuinæ eius præſentiæ: *Intellectus* eſt etiam vnitus cum Deo, agnoſcens infinitam eius magnitudinem & Maieſtatem: *Voluntas* eſt cum eodem Domino vnita, amans immenſam bonitatem, quam habet præſentem, eamq; complectens: *Imaginandi* facultas vnita quoque eſt cum Deo, formans intra ſe viuam eius imaginem, & exemplar, in quo valde recreatur. ſenſuum *appetitus* ſunt vniti cum Deo magno ſtudio propendentes in eum Dominum quem talis imago repræſentat. *Senſus* quoq; & *caro* cum eodem Deo ſunt coniuncti, exultantes in eo quod ipſa anima ſentit: nec volentes eã à tanta delectatione vel ad momentum retrahere: ſed iuuare potius eo modo, quo poſſunt, ne illam amittat. Et hac ratione pro eo tempore totus homo diligit Deum, corde, anima, ſpiritu, mente, fortitudine & viribus, quas habet: conſequiturq; felicem illum ſtatum quem inſinuat Ieremias, dicens: i *ſedebit ſolitarius & tacebit: quia leuauit ſuper ſe.* ſtupenda enim hæc vnitio efficit ſpiritualiter quietem, ſolitudinem, ſilentium, ſuſpenſionem ſiue eleuationem ſuper omnia creata. O fœlix quies quæ ſpiritum impellit, vt aſcendat ad Deum! Felix ſolitudo, quæ ſociam habet S. Trinitatem. Felix ſilentium, in quo loquitur Deus, & homo tacet: quod ſi homo loquitur, id facit cum ſolo Deo. O felix ſuſpenſio, quæ ſuſpendit corporis opera, vt ſolus ſpiritus operetur! O felix eleuatio, in qua exit Spiritus humanus à ſe, vt eleuetur ad vnitionem cum diuino: & qui eſt imago trium diuinarum perſo-

h Matth. 18. 20 Ibi. Tom. 9. S. Ambr l. 7. in Lucam c. 13.

i Thom. 2. q. 44 a. 5 Thre. 3 28.

narum,

narum, particeps fit eius vnitionis, quæ est inter illas. O Trinitas sanctissima, admitte me ad præclarissimam vnitionem, quam in te ipsa habes: vt tres meæ potentię sint vnum te cum, sicut sunt tres personæ in tua diuinitate. O fili Dei viui, qui petiisti, vt fideles tui k *essent vnum, sicut tu & Pater vnum estis*: doce me rationem, hanc vnitionem faciendi; quidq; mihi sit faciendum, ne sim eius indignus.

k Ioan. 22. Supra. Tract. 2. 14.

§. I.

De sex proprietatibus Vnitionis Charitatis.

ACCEDENTES ad particularia præclarissimæ huius vnitionis, quoniam ea præcipuè fit tribus superioribus facultatibus, in quibus elucet sanctissimæ Trinitatis imago, proponemus quod est cuiusque proprium, incipientes à voluntate, quæ proprium est charitatis subiectum, & in qua maiorem suam vim habet diuinus amor, cuius proprietas (teste S. Dionysio) est efficere Excessus siue Extases, extrahendo à se ipsum amantem; vt collocet in re amata: quare vi maxima & vehementia educit voluntatem à se ipsa, vt illam vniat coniungatque cum Deo. vbi enim est eius Thesaurus, illic est & cor eius. Sed quoniam duplex est genus amoris: alterum quod dicitur *Concupiscentiæ*, quærens quæ sua sunt: diligit enim rem, quam amat, sibi ipsi: & respicit propriam vtilitatem: alterum quod dicitur *Amicitiæ*, diligens amicum, ob illud bonum quod in ipso amico est: oportet à feruenti contemplatione, primum genus tanquam valdè imperfectum remouere: oritur enim ab amore proprio, qui, quod se aduertat alienis bonis indigere, extra se exit, vt ea quærat: sed mox ad seipsum, cum ea obtinuerit, reuertitur, plus se, quam illa amans. Perfectæ verò Contemplationis amor est Amicitiæ, quo voluntas omnino extra se exit, vt vniatur & coniungatur Deo propter ipsummet Deum, & infinitam eius bonitatem ac pulchritudinem, quam in seipso habet, in qua requiescit, & ea satiatur: sibique ita satisfacit, vt non recordetur sui, nec corporis, nec suorum appetituum, aut sensuum, nec propriorum commodorum, aut pręmiorũ. Omnia enim hæc pro eo tempore à se remouet tanquam aliena, contenta solo ipso Deo, quæ voluntas violentia quadam vehementi, suaui tamen, socios suos Memoriam, & Intellectum, post se trahit, vt occupentur in cogitatione & cognitione eius, quam illa amat: nec se ad aliquid aliud distrahant, & Spiritus S. qui est charitas increata & æterna, eam inuadens, hæc omnia mirificè, efficaciter, & suauiter operatur, iuxta illud Apostoli: a *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spir. S. qui datus est nobis.* Dicit autem diffusam, vt intelligamus abundantiam, qua penetrat, impletque sinus omnes animæ eius, potentias scilicet, assistente Spiritu S. qui est illis vnitus.

c. 4. de di Nom. p S. Thom. q. 28. a. 3 2. 2. q. 17 a. 2.

2 Cor. 5 siue me excedim Deo.

a Rom

HAEC illa est excellentissima charitas, quam tantopere prędicant S. Pa-

Tract de gradib. char. tres, virique spirituales qui eam experiuntur: cuius proprietates (vt ait Richardus) sunt admirandæ. *Primum* enim ita *charitas* Deum suum astringit, tantaque vi ei adhæret, eumque amplecti tur vlnis cognitionis & affectus vt ob nullam omninò rem creatam, illum deserat: nec vellet vnquam ab eius præsentia recedere: dicens cum Sponsa: b *Inueni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam*: & illud, c *fasciculus myrrhæ* valde fragrantis *dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur*: collocabo enim illum inter meam Memoriam & Voluntatem, eius continuè memor, vt omnino constanter illum amem, ipse enim dulci sua præsentia, incorruptibilitatem Myrrhæ mihi communicabit.

b Cant. 3. 4.
c Cant. 1. 13.

2. *Hinc* prouenit, vt hæc *Charitas sit insatiabilis*. nunquam enim satiatur amando & cogitando de eo, quem amat; nec plurima obsequia ei exhibendo: quo sic in amore crescat, semper esurit, vt faciat & patiatur aliquid, quò plus amet: eo quod videat DEVM, quem amat, esse infinitè amabilem, eiusque d *ignem nunquam dicere, Sufficit*: eò quod nunquam possit ad summum peruenire. Ideoque sancta quadam æmulatione & inuidia, desiderat illum amare, quemadmodum omnes sancti simul illum amant; eique seruire, sicut illi seruiunt; quia non contenta propriis, deprædatur quomodo potest aliena. O virtus fortissima, quæ neminem spolians, omnes deprædaris; amore efficiens, vt res alienæ sint quasi propriæ tuæ, nec tamen hoc tibi satis est, vt satieris.

d Prou. 30. 16.
Richard. supra.

3. *Hinc* est, quod eadem *charitas* sit etiam *inuicta*. Deo enim vnita, omnia potest, & omnia vincit: nec vlla difficultate terretur. Nam (vt supra est dictum) e *fortis est, vt Mors dilectio, nec aquæ multæ potuerunt extinguere eius flammas*. Et mori quidem poterit, sed non desinet amare. Nam licet mors vitam auferat corporis, & ita cesset fides, & spes, vtpote imperfectæ: f *Charitas tamen nunquam excidit*, quæ Deum amat, siue cùm fide eum credit; siue cum luce clara illum videt; siue illum adhuc spe, siue æterna iam possessione teneat.

Tract. 2. c. 14.
e Cant 8. 6.
f 1. Cor. 13. 8.

4. *Quocunque* verò modo illum teneat est vehementer *delectabilis*, deliciis puris & castis: qui enim vehementer amat, vel eo solo exultat, quod in sui dilecti præsentia versetur: dicitq; cum Dauide g, *Memor fui Dei & delectatus sum*: & cum sponsa, h *Introduxit me Rex in cellaria sua: exultabimus & lætabimur in te, memores vberum tuorum super vinum*, quæ quamuis sola fuit introducta, dicit tamen *exultabimus & lætabimur*, vt intelligamus, facultates omnes & sensus esse illius lætitiæ participes: quæ lætitia est lac diuinorum vberum, exceditque incomparabiliter vinum consolationum terrenarum: quarum si recordatur, id non facit, vt eas cupiat, sed vt contemnat, eò quòd diuinas tantum, & non alias magnifaciat. Non quà ipsam respiciunt, quæ nulla re creata satiatur: sed *in Te* dilecte mi, est gaudium meum. Tu

g Psal. 76. 4
h Cant. 1. 4.

enim

enim es tota mea voluptas, totum gaudium meum. esse enim tibi vnitam est tota mea lætitia: tibiq; placere est omnis mea consolatio. *quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram*? Tu es tota mea hæreditas, in te mea fœlicitas & beatitudo consistit. 1. Psal. 72. 25.

5. *Nec* tamen cogitandum tibi est, has amoris delitias doloribus & cruciatibus carere, quorum indicia sunt illa suspiria, & desideria sponsæ dicentis: k *Adiuro vos filia Ierusalem, si inueneritis dilectum meum, vt nuncietis ei, quia amore langueo*; aut vt LXX. interpretes verterunt, *Vulnerata charitate ego sum.* qui autem vulneratus est & languet, non caret cruciatu: quamuis amor adeò illum dulcem reddat, vt nollet eo carere, dum viuit. Vulnera charitatis sunt ardentia *desideria amandi*, multumq; *placendi* Deo. quæ dulci quadam pœna torquent eum, qui non potest illa explere, quantum desiderat. Vulnera quoq; sunt charitatis *anxia desideria*, vt Deus glorificetur, & omnes illi seruiant: quæ magna tristitia cor penetrant, eo quod non consequatur id quod tantopere desiderat. zelus enim comedit vritq; viscera amantis, ob iniurias quæ dilecto inferuntur. Vulnera deniq; sunt charitatis, *vehemens voluntas* & desiderium videndi Deum, & ipsi se in gloria coniungendi: quò cesset timor gratia eius excidendi. quæ desideria, iucundas quasdam querelas pariunt ob dilationem eius quod tantopere appetunt. k Cant. 5. 8

6. Hinc prouenit, quod quemadmodum, qui ex vulnere, dolore magno afficitur, aut qui valde molesta siti premitur, semper cogitat de re, quæ leuamen illi adferre possit: sic anima charitate vulnerata, vehementerq; sitiens Deum, semper sit memoria in Deo, quod Dauid sentiebat cum dixit: l *fuerunt mihi lacrymæ panes die ac nocte*, suspiranti ad eius dulcem societatem, & mittenti frequentes nuncios multorum suspiriorum, & orationum, quæ dicant quod amore langueat. Creaturæ, quas videt, sunt illi pro memoria Dei sui, qui in illis est: ex quibus tanquam arcu quodam sagittas amoris iaculatur ad cor, quod anxium & solicitum tenent, faciuntq; vt per ipsa dona, quæ accipit, vniri cupiat eorum largitori. Omnia deniq; opera sua tanquam excitatores sunt huius memoriæ: nihil enim vult efficere nisi dilecto suo coniunctus: cui propterea dicit: m *veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis*, simul laborantes, tu mecum & ego tecum: aspiciam ego te, sicut tu me aspicis: adiuuaq; vt semper faciam & laborem, sicut tu vis. l Psal. 41. 4 m Cant. 7. 11.

§. 2.

De sex aliis rebus admirandis, quæ huic vnitioni coniunguntur.

HAE sunt præclaræ proprietates charitatis vnitiuæ; & in omnibus illis relucet alia, quod scilicet sit *admirabilis*. quicquid enim cogitat, desi-

derat, loquitur, facit, aut patitur pro suo dilecto, id facit recenti quodã excessu amoris, & quotidie ascendit, crescitq; tanto impetu, vt cœlestes Angeli stupefacti dicant: a *quæ est ista, quæ ascendit de deserto delicijs affluens innixa super dilectum suum?* O Angeli sancti, dicite nobis, quid in huius ascensu admiremini: vt videamus, num aliquid sit in ea nobis imitandum. Multa, dicent, sunt admiratione digna: sed conijcite oculos primum in id, quod anima induta carne tanquam terra graui, ac propterea ad terrena inclinata, hanc suam propensionem vincens, velit omnia relinquere, quò ascendat ad suam conuersationem habendam in cœlo: & spiritu peruenire, quò non potest, corpus accedere. Etiam est nobis admirationi, quod illa degens in hoc mundo adeò pleno delicijs & voluptatib. sensuum, ipsa tamen in eo sit tanquam in deserto, sola sine comite, seipsam rebus omnib, exuens, quò agat cum solo Deo, & in hac solitudine cum illo conuersetur.

a Cant. 8. 5

Quatuor excellentię perfectæ contemplationis.

1.

2.

3. *Nec* minorem affert admirationem, quod cum ascensus sit difficilis adeò: iucundum vero carni, quod deserit, exeat ipsa à se & carne sua, continueq; ascendat, non retrocedens, non sistens, nec relaxans suum ascensum.

Verum multo maiorem affert admirationem, quod amore eius ad eam familiaritatem peruenerit, vt ad suum dilectum ascendat vnita Deo suo,
4. & Deus cum illa, innitente ipsa Deo: ipso verò Deo illã sustentante. O spiritus beati, meritò admiramini, quod creatura adeò debilis tantum animi & roboris habeat, vt pro Deo suo tanta faciat. sed num non etiam admiramini, quod ascendat *delicijs* cœlestib. *affluens*? Hoc inquiunt, non adeò mirum
5. est, cum vera sint, quæ de illa diximus. Quæ enim carnis delicias reiecit, magnum non est, si eius dilectus det illi spiritus delicias, & qui fieri potuisset, vt sic ascenderet, non facta particeps deliciarum sui dilecti? & quomodo simul esse posset, quod illa adeò arcto amore illi esset coniuncta, nec tamen partem aliquam haberet in eius immenso gaudio? videt quem amat, sentit, prægustat, innititur supra illum, illiq; est coniuncta: quid ergo mirũ, si ipso ascendente, ascendat & ipsa: quia illam ducit secum coniunctam. quid item mirum, si, ipsa ascendente, ascendat & ipse, qui in illa habitat: & vterq; est vnus spiritus, amoris glutine colligati. O spiritus sanctissime, extrahe me à rebus omnib. creatis, vt in contemplatione ascendam ad vniendum me tibi Creatori meo, innitendo semper supra te, & non supra me: & tali experientia cognoscendo, quis tu sis, vt crescam in amore b *ascendens de virtute in virtutem, donec videam te Deum Deorum in Sancta Sion.*

b Psal. 83 6.

Nec silentio præterimus quiddam aliud admirandum beatæ huius animæ, quæ, licèt ascendat delicijs affluens, non tamen super illas aut super seipsam innitatur, sed supra dilectum suum. Instar est enim magni prodigij, quod magnam habeat cœlestium consolationum abundantiam, & tamen nihil de illis præsumat, aut illis nimium adhæreat. sed anima quæ perfectè

Deum

Deum contemplatur, quò magis illum deguſtat, & in his conſolationibus agnoſcit: eò magis nouit ſeipſam, & experitur non ſuos eſſe tales fauores, ideoque neq; ſibi neque illis innititur: licèt non propterea parui illos faciat, non quidem ob ſenſibilem delectationem, ſed quod dona ſint ſui dilecti, & media per quæ creſcit eius amor: & quia ipſe dilectus ea largiendo delectatur: ita tamen anima illa in his ſe habet, vt, licèt dilectus ea non largiretur, non propterea illa in ſuo aſcenſu per deſertum deſineret inniti ſuper ſuum dilectum, oblectando ſe eius conuerſatione, & ſtudendo creſcere in virtute, quò illi placeat. Tribuet (vt ait Richardus) exiguis ſuis meritis, quod Deus illi non communicet hos affectus anagogicos, exceſſuſque amoris prædictos: non tamen propterea deſinet ſeipſam ſuperare, vt faciat quicquid poterit pro ſuo dilecto: ac deſideret multò plura, quàm poſsit: donec aſcendat ad altiſsimum gradum perfectionis, qui fuerit illi poſsibilis. *Lib. 4. de contem. cap. 16.*

§. 3.

Quem ordinem habeant cognitio & amor circa vnitionem cum Deo.

SED vlterius progreditur præclariſsimæ huius vnitionis excellentia, vt quæ non ſolum in admirationem rapiat Angelos, quib. eſt gratiſsima: ſed etiam ita afficiat ipſummet Deum, vt anima, charitatis vulnerib. vulnerata, viciſsim vulneret ipſum diuinum cor, alijs amoris vulneribus, vt vterque ſagitta amoris vulneratus, ſui ſint inuicem memores, Deo attendente ad benefaciendũ amico: hoc verò ſemper occupato, in diligendo ipſum Deũ & ſeruiendo eidẽ, vſurpando illa verba ſponſæ *dilectus meus mihi, & ego illi.* ego illi vnitus & ipſe mihi: ipſe me ſemper habet in ſua memoria, & ego illũ in mea: ipſe attendit meo commodo, ego illius ſeruitio: ipſe me vulnerat ſagittis amoris ſui, ego illum haſtis amoris mei, propter vnitionem, quam cũ illo habeo. Quis verò hoc auſus fuiſſet dicere, niſi ipſemet Dominus idem ſponſæ ſuæ dixiſſet: b *Vulneraſti cor meum ſoror mea, ſponſa, vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Oculi animæ contemplatiuæ, vt ſupra eſt dictũ, ſunt cognitio & amor: crines verò ſunt cogitationes, quas memoria producit. Quando igitur hæ potentiæ ſunt ita coniunctæ, vt memoria & intellectus omnes ſuas cogitationes colligant in Deũ, vt voluntas eum amet: quæ etiam colligit omnes affectus ſuos in Deũ, vt intellectus melius eundem cognoſcat, ac penetret: tunc inquam hæ potentiæ cum hac ſua coniunctione vulnerant cor Dei. Nam quemadmodum haſtæ, cũ violenter iaciuntur, & aliquem vulnerant, ſic penetrant viſcera vulnerati, vt cum eiſdem vnitæ & colligatæ maneant: ita cognitio, & amor intimum penetrant DEI, & vterque hac vnitione cum eo coniungitur: quia ſola cognitio ad id non ſuffeciſſet: amor verò ſolus etiam non potuiſſet: ſiquidem neq;

a *Cant. 2. 16.*

b *Cant. 4. 9.*


in ipso cœlo est aliqua vnitio per amorem sine cognitione: quantò ergò minus in terra? & tunc ipsemet Deus, vtpote vulneratus, vtrumq; recipit, retinetq; intra seipsum colligatos, amando intime eum, qui vtroq; hoc oculo adeò aptè vnitis, ipsum aspicit, absq; aliqua distractione ad rem, quæ illum inquietet, aut amoris sui puritatem perturbet.

HI SVNT magni illi duo amici Petrus & Ioannes, qui exiuerunt, vt Christum resuscitatum quærerent, & c *currebāt duo simul, sed Ioannes præcucurrit citius Petro, venitq; primus ad monumentum: non tamen introiuit. veniens ergo Petrus sequens eum introiuit in monumentum, viditq; linteamina,* & cætera, quæ erant intra sepulchrum: & *tunc introiuit etiam Ioannes, & vidit & credidit:* & exeuntes ex monumento, *abierunt ad semetipsos.* Quid verò fuit hoc totum, nisi nobis significari, cognitionem & amorem per Petrum & Ioannem significatos, conuenire, & communi consilio ire ad quærendum Deum, vt se illi vniant: vterq; autem simul currit, quia tunc simul cognoscunt & amant; amant & cognoscunt. amor tamen per Ioannem significatus, vtpote feruentior ac diligentior, citius peruenit ad portas cœli, vbi inclusus & absconditus manet eius dilectus, clamatq; ac suspirat, quò aditus illi pateat ad se vniendum cum illo: quibus clamorib. ac suspirijs portas aperit cognitioni, per Petrum figuratæ, quæ nouo modo ingreditur cœlum, & ipsum Deum: ibiq; aspicit, & admirabunda contemplatur, magnalia huius Domini, operaq; stupenda: & tunc ingreditur etiā amor ipsumq; dilectū amplectitur, & affectibus feruentib. illum videt, agnoscitq; per experientiam: confirmat fidem, auget claritatem cognitionis, efficitq;, vt vltra adhuc quærat & penetret. Nam (vt ait S. Augustinus) quò magis Deum amamus, eò magis cognoscimus; & amor ingreditur ad intima ipsius Dei, vt amplius illum cognoscat, quò etiam feruentius amet. & ita duo isti boni amici, inclusi manent intra ipsum Deum, tanquam in suo sepulchro, donec exeundi tempus perueniat. quando autem exeunt, quò se conferunt nisi *ad semetipsos*? intrant inquam seipsos, ibiq; semper ruminant & cogitant quæ viderunt. Præcipuè vero Petrus d *abijt secum mirans*, neq; ab admiratione cessat ob magnitudinem mysteriorum, quæ sunt illi reuelata. Et hac ratione conseruant diuinam vnitionem intra se, dum conueniunt ad lectionem repetendam, quam intra ipsum Deum didicerunt, cuius affectus recensebimus sequenti capite.

c *Ioan. 20. 4.*

Lib 8. de Trin c. penult & lib. 83. qq. q 25 S. Tho. 1. 2. q. 28 a 2. Nullū bonum perfectè cognoscitur, quod non perfectè amatur.


d *Luc. 24. 12.*



CAPVT

CAPVT X.

QVA RATIONE PRAEDICTA VNITIO adiuuet, exaltetq; opera vitæ Contemplatiuæ: & impetret perfectè experimentalem Dei cognitionem: & in quo hæc cognitio consistat.



IVSTI qui affectuosam & beneuolam vnitionem prædictam sunt assecuti, statim promouent vltra consuetum terminum reliqua exercitia vitæ contemplatiuæ. Nam primum in oratione positi adorant patrem in spiritu & veritate, quemadmodum ipse vult adorari, & ipse Saluator dixit Samaritanæ: a *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores non adorabunt patrem, neq; in hoc monte, neq; in Ierosolymis, sed in spiritu & veritate.* O felix hora, in qua illud NVNC peruenit veræ contemplationis & vnitionis cum Deo intra cor nostrum: illa enim est mons, in quo ascendimus ad sublime: est Ierusalem, quæ pacis visionem significat: vbi pacificè Deum videmus; est templum, in quod ingredimur secretò, vt nos recolligamus: in eo adoremus æternũ Patrem, in spiritu amoris, & in veritate cognitionis: spiritus enim & veritas conuenerunt ad illum cognoscendum, & amandum: eoq; feruore adorandum, quo ipse vult adorari: semperq; sunt coniuncti cum Deo suo per hunc affectum adorationis: secum enim portant montem, & templum Ierusalem, in quo vident, conuersantur, & agunt cum suprema Dei Maiestate, adeoq; illos impellit amor, vt semper prouocet ad reuerentiam: & ita amando, eum adorant: & adorando, amant. reuerentia enim & amor, quæ in creaturis nequeunt esse vnita, vniuntur cum ipso creatore, ita vt vnitio illa sit inseparabilis: amore conseruante reuerentiam, & reuerentia amorem. Et quamuis vterq; se videat b *in cella* iucundorum vinorum, quibus c *inebrientur:* d *Charitas* tamen semper est *in ordine*, valdeq; sibi attendit, aspiciens dilectum suum tanquam potentem Regem, summa veneratione & adoratione dignum.

a *Ioan.* 4. 24.
Tract. 1. *c.* 8.
b *Cant* 2. 4.
c *Cant.* 3. 1.
d *Cant.* 2. 4.

2. TVNC etiam eleuantur manus in cœlum cum feruentibus petitionibus pro tota Ecclesia: nec defatigantur in altum erectæ, eo quod conuenerint e *Aaron & Hur ad manus Moysis sustentandas:* conuenerunt scil. cognitio, quæ per Aaron significatur, qui est mons altus: & amor, expressus per Hur, qui est ignis: & ita coniuncti & vniti adiuuant spiritum ad orandum tanto feruore, vt vincat omnes suos hostes, magnaq; impetret bona pro suis

Tract 1. *c.* 9. 2.
e *Exod.* 17. 12.

Matth. 18. 19. proximis. Si enim f *duo consenserint super terram*, vt aliquid petãt à Deo: verbum est ipsius, quod illud *fiet à patre* æterno. & qui sunt hi duo ad orandum consentientes, & vniti, nisi cognitio & amor coniuncti spiritu, in virtute Spiritus Sancti & in nomine Christi, cuius clamores exaudiuntur, eo quod procedant ex admiranda vnitione quam habent cum ipsomet, qui eos est auditurus: & quoniam adeò prope loquuntur, non potest non attendere ad
g Ioan. 15. 7. eorum orationem. ipsius enim verbum est: g *Si manseritis in me* per amoris scil. vnitionem, *& verba mea in vobis manserint, quodcunq; volueritis, petetis, & fiet vobis.* O vnitio omnipotens, quæ orationem facit omnipotentem! O dulcissime Iesu, Deus & homo vere, admitte me ad hanc vnitionem tecum & cum tuo spiritu. Nam si oẽs tres vnum erimus, quicquid petiero, impetrabo ad conseruandam & ad perficiendam mirandã hanc vnitionem. Tunc etiam crescunt spirituales consolationes, ac desideria in virtutib. proficien-
h Cant. 4. 5. di: quia tunc locum habet, quod in Canticis dicitur, h *duo vbera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in lilijs, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ.* & quæ vbera hæc sunt, nisi Intellectus & voluntas, quæ Deus posuit simul in anima? quæ, vnita cum Deo suo per cognitionem & amorem, implentur lacte diuinarum consolationum, incedunt hilares, exultantes, diligentes, ac ferentes tanquam hinnuli, qui se inuicem comitantur, & pascuntur in lilijs diuinorum mysteriorũ, quamdiu durat dies huius mortalitatis, cessentq; vmbræ obscuræ fidei. Nec sunt sicut capreæ, quæ præ senectute induruerunt, nec proficiunt: sed sicut hinnuli, qui quotidie in feruore crescunt, conseruantes iuuenilem vigorem, & renouantes iuuentutem, instar aquilæ. Qui quamuis in feruore sint tanquam hinnuli, in fœcunditate tamen sunt sicut capreæ, & matres, quæ lac habent, ad spirituales filios in Christo nutriendos, ac suspirant, vt multos tales habeant, qui ipsum in eadem vnitione imitentur.

4. *Iis* autem dicit mox dulcissimus sponsus: Eia amici, ecce, *vadam ad montẽ*
i Cant. 4. 6. *myrrhæ & ad collem thuris:* ascendat vterq; mecum, vt vestram vnitionẽ conseruetis. Tunc intellectus ascendit ad supremum montis Myrrhæ verticem, quia eleuat se ad perfectam abnegationem suipsius, proprijq; iudicij, omniumq; discursuum & cogitationum, vt omnia subijciat Deo, cum eoq; coniungat, vt vnum habeat eundemq; cum ipso sensum: Voluntas verò comitatur cum Mortificatione omnium suarum actionum, vt eas vniat cum voluntate diuina, cogens appetitus, & carnẽ, & quicquid habet, ascendere simul ad eundem montem. Inde verò transit vterq; amicus ad collem thuris, iu-
Cant. 4. 11. uantes se mutuo in Oratione & familiaritate cum Deo, tanto feruore, vt eorum vestimenta, quę sunt reliqua opera, odorem thuris retineant, quia illis adiungunt orationem. O dilecte mi, si me tibi coniunctum habes, quid mirum, si vadam ego, quò tu vadis? Eamus domine, ad hunc montem & collẽ,

& ha-

& habitemus vterq; simul amore coniuncti. hæc enim vnitio efficiet, vt neque assensus ipse sit grauis, neq; habitatio incondita.

§. 1.

De experimentali Dei cognitione.

SED his alijsq; rebus vtilissimis ad quartum Tractatum reiectis, concludamus nunc, dicentes: adeò esse admirandos affectus & effectus internos, quos spirituales experiuntur in Contemplatione & familiaritate cũ Deo eo modo, quem hactenus declarauimus, vt per eos perueniant ad eũ cognoscendum, modo quodam valdè nouo atq; iucundo, tanquã qui palpat, tangit, ac sentit infinitam magnitudinem & maiestatem Domini, talia facientis. estq; cognitio inde proueniens adeo perfecta, vt ipse Christus Dominus dixerit suis Apostolis, loquens de Spiritu S. quem mundus nec videt nec scit: a *vos cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit*, talia eis testimonia interna reddens de se ipso, vt per ea multò excellentius ipsum cognoscerẽt. Et eadem ratione potuisset dicere: ipsos cognituros Patrem & Filium, eò quod & ipsi in eis manerent, facientes omnes tres personæ stupendos effectus, ex quib. huiusmodi experientiæ accipiuntur, ad perfectiones diuinas cognoscendas. a *Ioan. 14. 17.*

PRIMVM enim agnoscimus Patris Omnipotentiam in repentina mutatione morũ nostrorum, desideriorum, ac intentionũ. experimur enim, quod eius virtute incipiamus horrere, quod prius amabamus: amare verò, quod prius horrebamus. Perturbationes quoq; animæ quæ crudeliter nos impugnabant, rediguntur iam ad magnã quietẽ & concordiam: ignominiæ dolores, morbi, indigentiæ, & labores, quæ prius nobis timorẽ & tristitiam incutiebant, nunc ad sui desideriũ cum lætitia permouent, desiderãtes multa pati pro Deo nostro: & exultantes, quando aliquid patiẽdi occurrunt occasiones. hę sunt illa mirabilia de quib. Dauid, b *mirabilia opera tua, Domine, & anima mea cognoscet nimis.* quæ sunt opera (ait Cassianus) nisi mirabiles cordis nostri mutationes, cum experimur nos repentè mutatos ex superbis in humiles, ex delicatis in pœnitentes, ex sensualibus in castos, ex tepidis in feruentes? per hæc enim anima nostra *cognoscit nimis.* Sed quem cognoscit, nisi authorem earundem c *mutationum? dextram* scil. *Excelsi*, de cuius Omnipotentia talia experimur. O Deus omnipotens, permuta quod malum & imperfectum est in me, vt cognoscam, reuerear, ac venerer Omnipotentiam, quæ est in te. 1. b *Psal. 138. 14.* *Coll 12. c. 12. & 13.* c *Psal. 76. 11.*

ETIAM cognoscimus sapientiam Filij & verbi æterni, ex illustrationibus repentinis intellectus nostri: experimur enim nouos quosdã sensus veri- 2.

tatum, quas nunquã intelleximus: magnam opinionem rerum æternarum, quas antea parui æstimabamus: magnum contemptum rerum temporalium quas antea plurimi faciebamus: magnam iudicij nostri docilitatem, vt nos delectet illud abnegare, & alienum sequi, quò magis cum diuino illud conformemus. Deniq; omnis stupenda nouitas recentium Meditationum, & considerationum, & altitudo lucis & contemplationis, eiusq; effectus, experientiæ nobis sunt, in quib. agnoscimus æterni verbi sapientiã, à qua pro-
Psal. 138. cedunt. Quamborem dixit Dauid: d *mirabilis facta est scientia tua ex me*, hoc est, ex ea, quam ego in me habeo: hæc enim prodit, quam immensa erit tua,
Psal 50. 8. quæ ita repentè docere possit talem ignorantem, atq; ego sum, e *incerta & occulta aeterna sapientia tua*.

3. SED multo suauius agnoscimus infinitam bonitatem & charitatem Dei ac diuini eius spiritus, ex stupendis & feruentissimis amoris actibus, quos suauissima sua dulcedine infundit in corda nostra. Ex quo asserunt Sancti, quod amor sit cognitio: non quod propriè voluntas cognoscat; sed qꝑ experiatur suauitatem infinitæ bonitatis, quæ eius est obiectũ: intellectus verò, quæ est animæ potentia, remanet suspensus & quasi extra se, ob infinitam magnitudinem & charitatem Spiritus S. qui talem dulcedinem efficit: sicut qui mel degustat aut lac, non videns ea oculis, miratur suauitatem liquoris, quem delibat, ex qua dulcedine perfectius illum cognoscit, quàm si videret,
Psal. 33. 9. nec tamen gustaret. id quod expressit Dauid cum dixit: f *gustate & videte, quam suauis est Dominus*, quasi diceret, studete experiri id quod in Deo est, & gustu percipere eius dulcedinem: hinc enim multo excellentius eius magnalia cognoscetis. O diuine Spiritus, qui iubes te gustare, vt te videam; videam, quæso, te ita, vt te degustem: vt ex gustu crescat visio: & cognoscam, quis tu sis, vt ita ardentius te amem, sicut par est.

AD has tres experientias, tribus personis diuinis accommodatas, reducuntur omnes aliæ, quæ experimentalẽ hanc Dei cognitionem efficiunt, ad quam concurrit donum sapientiæ & reliqua dona cum experientijs, quæ ab eis procedunt: & ex ijs, quæ geruntur circa propriam cognitionem, licebit intelligere eorum efficaciã. Nam quemadmodum nullus se ipsum ita perfectè cognoscit per discursus & lectionem librorum, atq; per experientiã, quam habet de suis miserijs & infirmitatibus: quæ illi adfert magnam lucem apertamq; suæ deceptionis retectionem, ac viuum quendam sensum, quod sit miser & imbecillis: ita nullus suo discursu, aut solius intellectus opera, ita perfectè agnoscit, quis sit Deus, eiusq; magnalia, attributa, & perfectiones. atq; ea omnia agnoscit per experientiam affectuum & effectuum quos experitur intra seipsum: in quibus sublimitas relucet Domini illas efficientis. quare eò deueniunt vt cum Samaritanis dicant, quia iam non agnoscimus DEUM nostrum ex ijs solum quæ fides nos docet: sed etiam,

quia

quia g *ipsi audiuimus, & vidimus,* & experti sumus, *quia hic est verè* Deus. adeò enim hic fides illustratur, vt Visionis nomen mereatur: & quemadmodum Deus dat illis, vt experiantur, quantopere illos amat: ita illi animum resumunt, vt experientia ostendant magnum amorem, quem erga illum habent. cuius causa rebus omnibus renunciāt, auellendo suum amorem ab omni re creata, seque ipsos promptos offerendo etiam ad vitam per martyrium exponendam, vt placere illi possint. Et quoniam Deus est omninò bonus amicus, retribuit pro his nouas experientias amoris, quem erga illos habet: aperiendo illis arcana sua, dandoque h *manna absconditum,* cœlestium consolationum degustandum, & diuinum illud *nomen nouum, quod nemo scit, nisi qui accipit.* & sancta hac æmulatione vtriusque amoris, efficit amor Dei, vt illorum amor crescat: qui, dum crescit, efficit, vt etiam crescant indicia amoris Dei erga ipsos. O Deus infinite, da mihi, vt experiar, quis tu sis versus me, vt & ego reipsa experiri te faciam, quod esse desidero versus te. amem te, Deus, sicut tu me amas, vt tu impleas mea desideria.

g Ioa. 4. 42

h Apo. 2. 17

§. 2.

Quibus gradibus hæc cognitio impetretur.

QVOD si nosse desideras, per quos gradus ad cognitionem adeò excelsam ascendatur, id deprehendes delineatum in eo, quod Reginæ illi Saba euenit, quæ audita fama Salomonis permota, statuit relicto suo regno ad eum venire, vt propriis oculis eum cerneret & experiretur id, quod fama didicerat: a *& ingressa Ierusalem multo cum comitatu & diuitiis, camelis portantibus aromata, & aurum infinitum nimis & gemmas pretiosas, venit ad ipsum Regem Salomonem, & locuta est ei vniuersa quæ habebat in corde suo: & docuit eam Salomon omnia verba, quæ proposuerat. videns autem Regina Saba omnē sapientiam Salomonis, non habebat vltra Spiritum, dixitq; ad Regem: verus est Sermo, quem audiui in terra mea super sermonibus tuis, & super sapientia tua, & non credebam narrantibus mihi, donec ipsa veni, & vidi oculis meis: & probaui, quod media pars mihi nunciata non fuerit: maior est sapientia & opera tua, quam rumor, quem audiui. Beati viri tui, & beati serui tui, qui stant coram te semper.* Quæ ista est Regina Saba (ait Richardus) nisi anima, quæ nouit cogitationes & affectiones suas gubernare? quæ etiam appellatur *Regina* b *Austri,* quæ regio est meridiei, eò quod ardeat desiderio videndi verum Regem Salomonem, eiusque dulci conuersatione & sapientia infinita frui. Sed quibus gressibus peruenit, ad hoc, vt voti sui compos fiat? PRIMVM per fidem audit magnalia supremi huius Regis: & stupenda illa, quæ de eius operibus scripturæ diuinæ prædicant: & inde concipit ardens desiderium videndi, quæ audit: & experiendi, quæ credit, in eo gradu, qui ei concedetur. IDEOQVE sta-

a 3 Reg. 10. 2.
2. Par. 9. 1

Lib. 5. de grat. contemp. c. 2.
b Mat. 12. 42

1.
2.

tuit,firmiterque proponit ire in Ierusalem, quæ pacis visionem significat,
vbi pacificus hic Rex Salomon videri se permittit, aliosque cum ipso con-
uersari patitur,& ita statuit exercere opera vitæ Contemplatiuæ, donec ad
3. eius culmen perueniat. ET memor eius, quod Deus ille dicit: c *audi filia,&*
c Ps.44.11. *vide,& inclina aurem tuam,& obliuiscere populum tuum,& domum patris tui: &*
concupiscet Rex decorem tuum: statuit exire ex terra sua, & obliuisci anteactæ
4. vitæ,ac morum huius sæculi, quò magis appropiet Deo. ET quoniam ad
conspectum tanti Regis non decet accedere solam aut vacuam,studet ascis-
sere sibi exercitum virtutum moralium,quæ moderantur passiones,præci-
Lib. de casto connu.c.19. puè verò(vt S.Laurentius Iustinianus ait)humilitatem, puritatem. congre-
gat quoque diuitias multorum meritorum, & opera vitæ Actiuæ, figurata
per aurum & gemmas: additque aromata, quæ sunt exercitia Orationis &
5. Deuotionis;vt odores illi offerat,quibus delectatur. CVM hoc comitatu ac
diuitiis spiritualibus ingreditur ad conspectum veri Salomonis, vbi effun-
dit cor suum, omniaque sua desideria, & proponit suas quæstiones, insti-
tuendo varias meditationes,& colloquia circa eius mysteria, cum desiderio
eadem intelligendi ac penetrandi:non ex curiositate sciendi, sed amandi ac
6. obediendi desiderio. ET quoniam hic Dominus adeò est liberalis ac pro-
fusus, & omninò propensus ad communicandam suam infinitam sapien-
tiam,dat illi magnam eius partem, illustrando noua cœlesti luce ipsius in-
tellectum,vt videat & intelligat,quod optat: dat ei donum contemplatio-
nis,ostenditque placidum suum vultum, & mysteria, quæ crediderat, cum
admiranda certitudine.

7. EOVSQVE autem proficit hac luce,& eo,quod intra seipsam sentit,vt
iudicet,parum fuisse,quicquid fide percepit,comparatione eius quod nunc
experitur:& ipsamet fides adeò renouatur & illustratur,vt alia videatur es-
se,quàm fuerit.Quamobrem exit extra se cum magna admiratione,& quasi
suspensa ob ea quæ de Deo recens est assecuta,magno affectu exclamat:Bea-
ti illi sunt Domine qui semper sunt in tua præsentia, tuaque sapientia fru-
untur.Eò quod in hac vita habeant, quoddam pignus æternæ felicitatis, &
nunc delibant aliquid eorum quibus fruentur in illa. benè collocati cen-
sendi sunt labores, quos pertulerunt in se præparando, vt ad tuam præsen-
tiam ingrederentur,lucemque reciperent,quam illis ibi communicas. Pa-
rum enim est,quicquid fecerunt, comparatum ad ea plurima, quæ reci-
d Ps.138.6. piunt.O Deus infinite,d *mirabilis facta est scientia tua,* & quam de te habeo,
ex me & in,quæ in me experior:*confortata est* valdeque exaltata,*nec potero ad*
eam penetrandum peruenire. O Rex gloriæ, ne me sicut Iudæos,exemplo
e Mat.12.42. Reginæ Sabæ confundas, quæ vt veniret ad e *Regem Salomonem* videndum,
tantum subiit itineris laborem:& ego torpesco, vt ad te veniam,qui es in-
finite sapientior Salomone.& quandoquidem nemo potest ad te videndum

venire,

venire, nisi tu eum traxeris, trahe me, Domine, ad te odore suauissimorum tuorum vnguentorum, faciens me experiri dulces tuæ præsentiæ effectus, per quos te cognoscam, amem, curramque post te, donec tibi coniungar in tua gloria Amen.


Non erit verò rationi consentaneum præterire silentio copiosos fructus, qui ex hoc modo contemplationis colliguntur. Nam, si Regina Saba multa dona obtulit Regi Salomoni, scriptura S. refert, quod acceperit multò maiora, f *Rex* (ait) *Salomon dedit Reginæ Saba omnia quæ voluit & petiuit ab eo, exceptis iis quæ vltro obtulerat ei munere Regio, &* g *multò plura quàm attulerat ad eum.* Quid autem hoc sibi vult, nisi nobis significari, quid faciat Deus cum iis, qui in contemplatione sunt adeò perfecti, quibus duo communicat supernaturalium donorum genera. Quædam quæ ipsi desiderant, & in sua oratione petunt: quorum desideria Deus implet, & petitionibus annuit: sed præter hæc, alia multa largitur, quæ ipsi non petebant, idque adeò liberaliter & copiosè, vt ex contemplatione exeant multò ditiores, quam ad eam venerint. Et quamuis multa ibi offerant Deo, multò plura ipsi recipiunt cum magno profectu in diuitiis spiritualibus, quas ante habebant. Quæ quàm sint præstantes & magnæ, permittamus iudicio eius, qui legerit, ac perpenderit, vel expertus fuerit, quod in his tractatibus est dictum. & nunc transeamus ad agendum de copiosis admirandisque fructibus, quos arbor contemplationis & vnitionis in ipsis contemplationibus profert: vt sic crescant in admirandis aliis vnitionibus, & heroicis virtutibus ad perfectionem sui ipsorum, & proximorum destinatis, de quibus erit sermo in tractatu sequenti, qui est vltimus.

f 3. Reg. 10. 3.

g 2 Paral. 9 12.

FINIS TRACTATVS TERTII.






DVCIS SPIRITVALIS TRACTATVS QVARTVS

DE MORTIFICATIONE ET EXCELLENTIORIBVS OPERIBVS, QVAE VEL SVNT FRVCTVS VITAE CONTEMPLATIVAE, vel ad eam disponunt.

INTRODVCTIO.

DE OCTO EXCELLENTIBVS MODIS vnitionis in bonis operibus, ad quos reducuntur fructus vitæ contemplatiuæ: ac de orationis & considerationis praxi, quæ illas comitatur.



CVm in tribus præcedentibus Tractatibus declarauerimus, quicquid pertinet ad nobilissimam scientiæ spiritus partem, quæ docet exercere opera vitæ contemplatiuæ: operæ pretium erit de altera quoque parte agere nec minus necessaria, nec minus vtili, quæ docet modum practicandi virtutes, quas appellamus opera vitæ actiuæ: tam quæ præcedunt contemplationem, quàm quæ illam sequuntur, tanquam fructus arboris adeò præstantis. quarum quædam spectant ad profectum & perfectionem propriam: alia ad bonum spirituale proximorum, vtraque autem fuerunt significata per duos filios Rachelis, a *Ioseph*, qui significat augmentum, & b *Beniamin*, qui filium dextræ.

a Gen. 30. 24
b 35. 18.

QVO verò magis in particulari, qui fructus hi sint, cognoscatur, operæ pretium est oculos conijcere in principalem vitæ contemplatiuæ radicem,

quæ

quæ eſt ipſa charitas, cuius ſcopus & finis eſt vnitio cum Deo, ſicut prædictum eſt. Ex quo prouenit, vt idem quod vtraque concipit in deſiderio & affectu, ſit earum fructus in effectu: dum ſcilicet illud executioni mandatur. Cum igitur quælibet arbor fructus proferat naturæ ſuæ proportionatos, pomus v.g. pomum, pyrus pyrum: ſi arbor eſt vnitio, quid proferet niſi vnitiones? Vita enim contemplatiua omnes res ad vnitionem reducit, de qua dixit Saluator noſter Marthæ quod c *neceſſarium eſſet* Vnvm: Significans, opera ad ſalutem & perfectionem noſtram neceſſaria, aliquem vnitionis modum participare. quas vnitiones licet ad has octo reducere. Prima eſt vnitio & conformitas in ipſis operibus cum ſupremis virtutum exemplaribus, ipſo ſcilicet Deo & Chriſto Seruatore noſtro. quæ obtinetur imitatione, ſtudendo ſcilicet eſſe illis ſimiles in vita: vt hac ſimilitudine amor etiam creſcat. *Secunda* eſt vnitio & concordia carnis cum Spiritu, per paſsionum perfectam mortificationem: & ſubtractionem rerum terrenarum, quibus illæ aluntur: vt ſic intereat cupiditas, creſcat verò charitas: quæ tunc eſt perfecta cum caret omni cupiditate: & hinc oritur *Tertia* vnitio, quæ renuncians rebus omnibus, eas redigit ad vnum, quod ſit neceſſarium ad vitam ſuſtentandam: renuncians quoque inanibus omnibus excellentiis, contenta eſt cum vna ſola, quæ eſt à veris virtutibus. Cum hac vnitione coniungitur *Quarta*, quæ iudicium & voluntatem noſtram cum Dei voluntate eiuſque miniſtrorum per fidem & obedientiam vnit, mortificando proprium ſentire & velle, vt ei ſe conformet, quod Deus vult & ſentit: vt ſic appareat, quod illum d *diligamus non verbo neque lingua, ſed opere, & veritate*. ad has vnitiones magis extollendas accedit *Quinta*, quæ recolligit vnitque omnes intentiones, dirigendo illas ad vnum ſolum præcipuum finem gloriæ Dei & ſalutis animæ, ſtudendo in omnibus Deum ſolum quærere, ne proprius amor aliquo modo illas relaxet. ex quo *Sexta* vnitio valde excellens oritur ipſarum virtutum, in quarum ſingulis vnit omnes gradus, quos habere poſſunt vſque ad ſupremum: ſtudendo vt omnes illæ concurrant ad opera bona, coniunctæ ipſi amori, vt omnes vnà creſcant, & perueniant ad culmen perfectionis. Huic accedit *Septima*, quæ recolligit cor, ſenſus omnes, & linguam, vniendo cogitationes & verba, illi rei tantum, quæ Deo placet: vt ſic amoris puritas conſeruetur. *Vltimum* locum tenet vnitio cũ proximis, optãdo & procurando ex parte noſtra cũ omnibus concordiam habere, feruenti quodã zelo, vt omnes tũ inter ſeipſos, tum cum Deo ſuo concordes ſint: vt ſic ad vltimam & perfectiſsimã vnitionem perueniant æternæ beatitudinis. Hæ ſunt excellẽtes vnitiones, quas Chriſtus Dominus noſter appellauit e *bonas margaritas*, quas quærunt homines negotiatores, qui cupiunt regnũ cœlorũ obtinere, aſpicientes in vnicam margaritã pretioſiſsimam, quæ eſt vnitio cũ Deo, à qua reliquæ procedunt. O vnitio excellentiſsima, & margarita

c *Luc. 10. 4[2]*
1.
2.
3.
4.
d *1. Ioa. 3. 18*
5.
6.
7.
e *Mat. 13. 4[5]*

pretiosissima, quæ vna cum sis, tot alias in te, & tam pretiosas contines, iure optimo negotiator, qui te inuenit, vendidit omnia, quæ habuit, vt te compararet. te siquidem empta, omnes simul emebat. O Deus æterne, aperi mihi adeo pretiosarum margaritarum valorem, vt prompta voluntate dem quicquid habeo, vt illas mihi comparem, summamque adhibeam curam in eis procurandis.

De his itaque octo vnitionibus, & actionibus, quibus illæ comparantur, ordine suo agemus: præmittendo, quod quemadmodum multa ex his operibus duplicem habent statum, alterum imperfectum, in quo sunt dispositiones ad contemplationem, & orationem recollectam: alterum verò perfectiorem, in quo sunt fructus eiusdem contemplationis.

De omnibus agemus simul in vtroque gradu & statu, propter connexionem, quam habent inter se. quò tam Tyrones, quàm Perfecti intelligant fructum, quem proferre debeant, & animentur ad eum gradum procurandum, quem sibi deesse animaduertunt: applicantes Orationem & Meditationem suam ad media quærenda, vt voti compotes euadant.

§. VNICVS.

De iis quæ Practica consideratio complectitur.

...Thom. 2. ...q.181. a.2. & 3.

VT verò intelligatur, qua ratione hoc sit faciendum, & hi fructus colligendi, est præmittendum, quod præter exercitia, quæ seorsim fiunt in vita contemplatiua, antequam nostra opera incipiamus, præmittendus sit modus quidam orationis & considerationis practicæ, quæ illa dirigat, adiuuet, & confirmet, vt sint perfecta, ad eum modum, quo antequã Hebræi terram promissionis ingrederentur, non solum Moyses misit duodecim exploratores, quorum fecimus mentionem capite secundo tractatus 3. Sed iterum Iosue, vt ingressioni in eam terram initium daret, a *misit duos viros exploratores in abscondito, & dixit eis: ite & considerate terram, vrbemque* Iericho, quæ erat prima, vt obseruarent, qua ratione posset expugnari.

Iosue 2. 1.

SIC etiam (ait Richardus) præter meditationes longiores, quæ præcedunt contemplationem, debent executionem nostrorum operum præcedere, oratio & consideratio practicæ, tanquam duo exploratores, qui nobis annuncient modum fugiendi malum, & prosequendi bonum.

...ract. de ...term. ma... c.12. & 13 ...ib. 83. qq. ...61. Et de ...orib. Ec...lesiæ c. 15. ...Th. 2. 2. q. ...7. a.1.6. & 7. ...ract. 2. c. 7

CONSIDERATIO Practica (quemadmodum ait S. Augustinus) est actus Prudentiæ, cuius obiectum complectitur omnia nostra opera: non tam, quæ antea fecimus, ea enim sunt materia propriæ cognitionis, illa examinantis, sicut supra est dictum: quàm, quę facturi sumus: in quibus tria pręcipua sunt perpendenda, vt bona illa sint ac perfecta, *Bonitas* scilicet, quam

ex proprio suo obiecto habent iuxta legem Dei eiusque diuinam voluntatem: *Intentiones* item, fines & motiua, cur illa fiant, attendendo, vt finis sit sanctus, intentio pura & electio conueniens: ac denique omnes *circumstantiæ*, quæ ipsa opera comitantur: vt omnes sint iuxta regulas rationis, qua separatur pretiosum à vili: approbetur bonum, & reiiciatur malum.

HAEC consideratio est primus explorator, qui præcedere debeat omnia nostra opera, vt illa sint perfecta, iuxta illud Sapientis: *oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant gressus tuos: dirige semitam pedibus tuis,* præuidens vbi eos colloces, antequam è terra eleues: & sic *omnes viæ tuæ stabilientur.* Quamobrem dixit S. Bernardus) *nec ipsi actioni expedire, consideratione non præueniri,* vt benè progrediatur: nec solum operi externo, sed etiam internæ actioni hoc ipsum expedit, iuxta illud eiusdem Sapientis, c *melius est videre quod cupias, quam desiderare, quod nescias:* quasi diceret: non est prudentis proijcere te ad desiderandum ex passione, quod nescias, an sit bonum, aut malum: vtile, aut noxium animæ tuæ: exponis enim, te periculo facile errandi: idem confirmat S. Ambros. dicens: quod appetitio non debet præuenire rationem, quia facilè eam turbabit, & excæcabit; nec tamen debet ratio illam omninò deserere, quia declinabit facilè in torporem & ignauiam. Præcedat itaque consideratio, & tunc sequatur affectus, ab ea gubernatus & directus: & sic proueniet opus valdè perfectum, iuxta illud Dauidis: d *cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos in Testimonia tua.* EADEM consideratio debet tanquam explorator præcedere omnes pugnas & tētationes, quas cum vitiis & passionibus habemus: seriò attendentes, qua ratione nos possimus ab eis expedire, illasq; superare: sic enim certior erit victoria, iuxta illud Sapientis e *frustra iacitur rete ante oculos pennatorum.* Videntes enim oculis considerationis paratū sibi rete tentationis, illud pennis virtutum fugiunt, quæ talibus tentationib. contradicunt, & resistunt. Et ipsamet consideratio hasce pennas & alas exstimulat, prospicitq; de armis, applicando ad præsentem occasionem rationes ex Meditatione & contemplatione collectas, quibus vincit, subiicitque intellectum, & impellit efficaciter voluntatem: & sic ingreditur conflictum aduersus vitia, donec vincãtur & prosternantur. quemadmodum fusè licebit videre in progressu huius Tract.

b *Prou.* 4. 25.

Lib 1. *de Consid.*

c *Eccl.* 6. 9.

Lib. 1. *offic. c.* 47.

d *Ps.* 118. 59

e *Prou.* 1. 17.

2.

SED primus hic explorator nunquam audet ire solus, si securus esse velit, quare secundum semper secum accipit, practicam scilicet Orationem. Practicam autem Orationē vocamus, quæ præcedit & comitatur ipsa opera, accipiendo illa tanquam materiam suarum petitionū, & colloquiorum: ascendit enim breuiter in cœlum, vnde affectibus & petitionibus feruentibus refert necessarium subsidium ad ea opera quæ facere intendit: prius cor ad cœlos eleuando, quam manus ad opera extendendo, quò illa sint perfecta, ad eum modum, quo id declarauimus c. 25. Tract. 1.

Num 13. 4. NEC tamen absque mysterio f *exploratores* missi à Moyse *ad terram promissionis fuerunt duodecim*, qui fructus eius aliquos valde dulces gratosque secum portarunt; quos verò misit Iosue in Iericho, non fuerunt nisi duo, nec fructus tales attulerunt, potius multos labores fuerunt perpessi, & in magnis periculis constituti. Sed hac ratione significatur: viros contemplatiuos per magnum Prophetam Moysen significatos, extendi ad multas & prolixas meditationes mysteriorum de regno Dei, quæ sunt innumerabilia & g *ingredi per duodecim portas*, quæ sunt in sancta ciuitate Ierusalem, quæ terra est promissionis æternæ: & ex h *duodecim fructibus quos lignum vitæ* producit in gloria cœlesti, afferunt secum aliquas reliquias cœlestium deliciarum, sicut prędictum est. Qui verò post hæc agunt de exequendis necessariis ad ingressum regni cœlorum, qui significantur per Iosue ducem strenuum, valdeq; bellicosum, duos tantum mittunt exploratores prędictos, vt explorent certoque intelligant praxim rerum pertinentium ad vtramque partem Iustitię, i *declinare* scilicet *à malo & facere bonum*: perferendo magnos labores in huius mundi Iericho, cuius Princeps est Dęmon, eorũ hostis capitalis, qui suis tentationibus eorum conatus vult impedire. Sed Deus D.N. ita illis fauet, vt assequantur quod scire desiderant: idemq; sine periculo exequantur. Et quãuis practicæ huiusmodi considerationes ordinariè non afferant nouam dulcedinẽ, sufficit tamen quæ in Oratione & Meditatione pręcessit, quarũ k *reliquiæ*, vt dixit Dauid, *totum diem festum agũt valdeq;* iucundum. Verum, quã solenniorem festiuitatẽ habere potes in decursu diei, quã si hoc medio ab innumeris peccatis eripiaris, & ab æternis pœnis, quas propter illa fuisses promeritus? Nã quemadmodum Iericho cum suis omnib. habitatorib. & rebus omnibus, quę in illa erant, cõbusta fuit, ac periit, nec quicquã euasit, excepta familia & cognatione *Rahab*, quę admiserat, domiq; suę l *exploratores absconderat*, quia ipsi exploratores hoc ei promiserant, ac iurarant, dãtes illi *signum, funiculum coccyneum ad fenestram domus eius alligatum*, tempore ipsius pugnę: quod fideliter pręstiterunt: pacificè eam, & ab illo periculo in locum tutum deducendo: sic etiam miser hic mundus, cum omnibus eius sectatoribus & amatoribus ob scelera sua peribunt; solis illis euadentibus, qui hos duos exploratores admiserint, dantes illis locum in suis conscientiis, & in eis occultando orationem & considerationem verborum Dei, acceptantes eius consilia, in declinando à malo & faciendo bonum: accipientes in signum suorum conatuum funiculum coccyneum, qui est m *charitatis vinculũ* & colligatio totius *perfectionis*. Quod itaque solatium par huic esse potest? quod gaudium potest esse vtilius? Felix eris si bonos hos comites in animam tuam admiseris, ob ingentia bona, quę ex illis tibi prouenient: tota siquidem familia tuarum potentiarum salua erit.

g Apo. 21. 12
h Cap. 22. 2.
i Psal. 36 27
k Ps 75. 11.
l Iosu 2. 17. & c. 6. 23.
m Col. 3. 14.


SED attende diligenter, opus esse cursum hunc altius inchoare, dando

prius

prius operam recollectæ & prolixiori Orationi, quo liceat facilius hanc breuem exercere, quæ illius prolixioris est fructus. Quemadmodum enim Iosue vnus fuit ex duodecim exploratoribus, qui terram Promissionis intrarunt, eiusq; fructum degustarunt: qui postea duos alios misit, & ipse quoq; ingressus est ipsam terram promissionis: ita etiam qui in vita Contemplatiua sunt exercitati, cómodaq́; & consolationes prædictas acceperũt, non manent manibus complicatis otiosi, ac desides: sed viriliter manus operi admouent, & orationis considerationisq́; practicæ auxilio, virtutes exercent, quæ sunt fructus Meditationis & Contemplationis recollectæ, quemadmodum in sequentibus capitibus distinctius dicetur.

CAPVT I.

QVOD PRAECIPVE VITAE CONTEMPLATIVAE fructus sint conformitas cum exemplaribus virtutibus Dei & Christi D.N. eiusq́; leges Sanctissimæ: ac subiectio, sub diuina ipsius gubernatione.



Vi iam semel conscenderunt montem feruentis Orationis, aut quietæ Contemplationis: & viderunt atq; audiuerunt, quæ in eis manifestantur, persuadere sibi debent, quod Deus Dominus Noster verba illa ipsis dicat, quæ aliquando dixit Moysi a *inspice & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est*, quasi illi diceret: ne existimes monstratum tibi esse exemplar in monte Contemplationis, vt illic tantum illud cerneres: sed etiam, vt iterum respicias consideratione practica, & sic agas sicut ibi vidisti. Et, nisi fortè sis oblitus eorum, quæ dicta sunt, inuenies, proposita tibi fuisse in hoc monte præcipuè duo illa illustrisima sanctitatis exemplaria: in quorum b *cognitione* & imitatione *est vita æterna*, si nos cum illis coniungamus perfecta conformitate & similitudine virtutes eorum exprimentes.

a Exod. 25 40.

b Iohan. 17 3.

I. Primvm exemplar est ipsemet Deus, cuius virtutes (vt ait S. Thomas) per excellentiam appellantur *exemplares*, eo quod sint primum exemplar omnium, quas participant Angeli & homines, ad quarum imitationem nos exhortatur idem Dominus, cum dicit: c *Sancti estote quoniam ego Sanctus sum*: & iterum, d *estote perfecti & misericordes, sicut Pater vester cœlestis perfectus est*: & de e *Iusto Abraham* dicit, *quod vocauerit eum, vt sequeretur se*; & imitaretur diuinas eius virtutes, eo modo quo potest creatura eas imitari: quæ imitatio adeò est gloriosa atq; magnifica, vt admirans Ecclesiastes

1.2.q.61. a.

Medita 7. Par. 6.

c 1. Petr. 1. 16.

d Matt. 5. 48.

e Isai. 41. 2.

 dixe-

f Eccl. c. 2. 12. dixerit: f *quid est homo, vt sequi posit Regem factorem suum*? O Rex cœli, quomodo te poterit sequi terræ vermiculus? O vniuersorū Creator, quis ausus fuisset diuinitatem tuam imitari: nisi tu ad eam imitandam inuitares? non erat dignus vilis homūcio tanto honore, sed misericordia tua infinita eousq; voluit eum extollere. g Eph 5. 1. g *estote*, inquit Apostolus, *imitatores Dei, sicut filij charissimi*, hunc honorem dignitati filiorum Dei afferentes, quod Patrē vestrū, h Eccl. 23. 38. imitemini. h *gloria* enim ait Sapiens *magna est, sequi dominum: longitudo enim dierum*, & vita sempiterna *assumetur ab eo*. i 2. Cor. 3. 18. *in eādem imaginem transformamur*. O Deus animæ meæ, sequar te ego, quò semper viuam: viuamq; vt semper te sequar: transforma me per imitationem in viuam imaginem gloriæ tuæ, vt ab omnibus propterea glorificeris. AMEN.

§. 1.

De modo, quo Christus D. N. virtutes exercuerit.

HOc exemplar diuinitatis præcipuè ostenditur in monte contemplationis viris valdè perfectis, qui oculos habent ad videndas virtutes inuisibiles Dei. Sed præter hoc ostenditur generaliter omnib. aliud exēplar visibile, qui est Christus Seruator noster, in quo sunt expressæ oēs virtutes, modo nostræ imbecillitati proportionato. Nam diuina Dei Maiestas, attēdens, quod homines vtpote corporales & visibiles, indigerent exēplari etiam corporali & visibili, non voluit hoc alicui alteri committere, sed in seipsum id suscipere. quare decreuit fieri homo propter homines, vt esset illis exemplar omnium virtutum: & modus ac ratio illas acquirendi, ingenio & statui ipsorum accommodata: quæ ratio valde distat ab ea, quam Deus ipse in eis exercendis habet, quemadmodum insinuauit Isaias, cum desideraret, Tract. 2. c. 10. a Isai. 62. 1 vt a *iustus* iustorū *egrederetur vt Splendor, & Saluator vt lampas accenderetur*. sic nobis significans, quod quemadmodū diuersa est ratio splendoris, lucis, & caloris qui mundo cōmunicatur à sole, & à lampade: sic etiam inter Deū, secundum suam diuinitatem, & secundum humanitatem, in luce & splendore, quem præfert in exemplis clarissimarū suarum virtutum. Sol enim sua opera præstat absq; vlla sui imminutione, aut iactura eius quod in se habet: lampas verò dum lucet & ardet, seipsam consumit. Idem enim ignis quo lucet & ardet, oleum consumit & lychnum, donec omnino consumatur. Eodem itaq; modo Deus D. N. secundum suam diuinitatem virtutes exercet sicut Sol, nullam in se propterea passus diminutionem. Nam Charitate sua nos diligit tanquam filios: misericordia nos liberat ab omni miseria: liberalitate distribuit magna dona, ac sua bonitate, mille modis se nobis communicat: quod tamen totum præstat, conseruata sua integritate & splendore, nihil omninò amittens eorum quæ in se habet, magis quam si non se communicasset. At quando ex infinita sua charitate b b Phil. 2. 7. *exinaniuit semetipsum formam*

serui

serui accipiens, cœpit exercere in ea virtutes ad modum lampadis, se ipsum, & res suas consumens: facultates videlicet, honorem, delicias, solatium & ipsammet vitam. Humilitatem enim exercuit, cum iactura suæ existimationis: Patientiam cum corporis defatigatione: abstinentiam, cum fame & siti: obedientiam Patri suo, cum abnegatione suæ propriæ voluntatis: & amorem erga proximos, cum iactura propriæ vitæ, pro eorundem amore, sic adimplens, quod scriptum erat, c *Zelus domus tuæ comedit* & consumpsit *me*: tanquam ignis enim Zelus consumebat eius viscera, donec posita hæc diuina lampas in candelabro crucis luxit & arsit, donec fuit consumpta & extincta, in summa rerum omnium nuditate, offerens seipsum in holocaustũ perfectissimũ, amoris igne inflammatũ. Hoc modo dulcissimus noster magister, Dux fuit omnib. suis discipulis: exemplo suo nos docens, quod in hac vita mortali, sint nobis comparandæ & exercendæ virtutes, sicut lampades lucẽtes & ardentes, clarissimis vitæ actiuæ & contemplatiuæ operib. consumentes tamen nosmetipsos continuis mortificationib. nosq; offerentes ad magnos subeundos labores: ita vt ignis diuini amoris viscera nostra comedat: & consumat in nobis omnes res terrenas, quæ cœlestibus aduersantur: & offeramus nos ipsos perfectum holocaustum, holocausto ipsius simile. O Magister supreme, nunc video quàm meritò dixeris: *si quis mihi ministret, me sequatur*. ego tanquam Dux præcedo, faciat quod viderit me facientem, e *abneget semetipsum*, sicut ego me abnegaui: & *tollat crucem suam*, sicut ego meã tuli: & *sequatur me* per viam, qua ego ambulaui. cum tu sis Dux, quis non te sequetur? cum è cœlo descenderis, vt nos duceres, ardens tanquam lampas, quis non velit ardere sicut illa? Si milites Gedeonis f habẽtes *lagenas vacuas, & lampades in medio lagenarum, confregerunt lagenas*, vt lampades lucerent, quia eorum dux idem fecerat, ac dixerat: *quod me facere videritis, hoc facite*: anne multum erit, si nos faciamus quod tu ipse fecisti? Tu, Domine mi, confregisti vas tui corporis, multis laboribus: arsisti tanquam lampas, sustinens multos dolores: æquum ergo est, vt tuum exemplum ego sequar: meumq; corpus ita tractem, sicut tuum ipse tractasti: & luceam virtutibus, etiam cum expensis multorum laborum: siquidem integra mea salus, meæq; animæ nutrimentum, non consistit solum in tui cognitione, sed multo amplius in imitatione.

c Psal. 68. 10. Ioan. 2. 17.
d Ioan. 12. 26.
e Matth. 16. 24.
f Iudic. 7. 16.

Hoc est, mi frater, exemplar visibile, quod Deus tibi ostendit in monte orationis, ex qua cum exieris, esto memor quid ibi videris, & cogita tibi dici: g *inspice & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est*: & siquidem h *eum posuisti vt signaculum super cor tuũ*, per feruentes affectus: *pone & illũ vt signaculum super brachium tuũ*, illud per imitationem opere exprimendo. Et siquidẽ huius signaculi imago, cælata fuit cœlo mortificationis: sic decet esse imaginem, quam tu cœlas ad eum perfectè imitandum.

Tract. 2 c. 17. de hoc est dictum.
g Exod. 25. 40.
h Cant. 8. 6.

DENI-

DENIQUE si hoc velis plenè assequi, conijciendi tibi sunt oculi in tertium exemplar virtutum, quod ostenditur in monte contemplationis, confectum ex illis, quæ in hoc ipso Domino eluxerunt, Sanctissima scilicet eius lege, cum omnibus præceptis, & consilijs, quæ tibi de eis proponit. estq; instar formæ siue descriptionis omnium eorum, quæ pertinent ad perfectionis ædificium, quod cogitas ædificare. quam descriptionem, statim atq; tibi Dominus monstrauit, dicit: *inspice & fac* iuxta hoc meæ legis exemplar: vitam tuam instituens, vt huic exemplari ita sit conformis: quod ni feceris, oratio & contemplatio tua nullius erit momenti. Quemadmodum enim Moyses, existens in monte, in altissima contemplatione, accepit duas legis tabulas digito Dei scriptas: quarum altera, præcepta continebat dilectionis & cultus Dei, altera præcepta dilectionis & vtilitatis proximi, i *quas duas tabulas portabat Moyses in manu sua*, cum tanto k *splendore faciei, vt non possent filij Israel in eum intendere*: Sic etiam, quando ascenderis ad montem contemplationis, & familiariter cum Deo egeris, illud maximum eius studium experieris, quod suæ inspirationis diuinæ digito scribet in tabulis cordis tui, memoria scilicet, intellectu & voluntate, legem viuæ charitatis, cum duobus eius præceptis, dilectionis scilicet Dei, & proximi, in quibus reliqua continentur, quæ præcepta sculpet in tuo spiritu, sicut literæ siue characteres vniti sunt & coniuncti cum ipsa tabula: ita tamen, vt, cum è monte descenderis, easdem tabulas portes in manibus tuis, ita illis coniunctas, vt in conspectu totius mundi, ad gloriam & honorem Dei & Domini tui, ipsam legem exequaris, cum tanta hominum admiratione, vt multi eorum, raris tuis exemplis obumbrentur: quibus eos doceas, & promulges hanc legem: quam non tibi soli, sed toti etiam populo, quemadmodum Moyses, tecum portas: vt omnes eam custodiant, sicut tu. Quare si tuæ orationis & contemplationis gradum, & valorem nosse cupis, inspice manus tuas, & ea quæ illis vnita affers, tanquam signum vnitionis, quam in corde habes. Quod si has duas legis & charitatis tabulas afferas, cum operibus, quæ ostendant vnitionem cum Deo & cum proximo, signum est, te verè fuisse in eo cacumine montis, & cum Deo ipso conuersatum: siquidem facis iuxta exemplar tibi monstratum: imitans in hoc (vt supra est dictum) filios prophetarum, qui descendentes de colle Dei, afferebant instrumenta musica, quæ eorum opera significabant. O Deus æterne, fac me ascendere ad sanctum hunc montem: & ostende mihi sanctæ legis tuæ exemplar tanta luce, vt cor meum manibus: & affectum operibus ostendam, AMEN.

i Exod. 32. 15.
k & 34. 29. 2. Cor. 3. 13.
Tract. 2. c. 9 §. 4.

§. 2. Quod

§. 2.

Quod iuxta hæc exemplaria oporteat nos Dei gubernationi subijcere.

VT avtem ingentia bona cognoſcas, quæ tibi prouenient, ſi conformes vitam tuam his tribus exemplaribus, quæ Deus tibi monſtrauit, audi quæ ipſe dixit per Iſaiam, his dulciſsimis verbis: a *Hæc dicit Dominus redemptor tuus ſanctus Iſrael: ego Dominus Deus tuus, docens te vtilia, gubernans te in via, qua ambulas. vtinā attendiſſes mandata mea: facta fuiſſet ſicut flumen Pax tua, & Iuſtitia tua ſicut gurgites maris: & fuiſſet quaſi arena ſemen tuum, & non fuiſſet attritum nomen eius à facie mea.* O Domine dominantium, & Sancte ſanctorum, Redemptor non ſolum Iſrael, ſed etiam totius mundi, quæſo cum quo loqueris, quem vis habere diſcipulum & cuius eſſe gubernator ac dux? tecum (inquit) loquor, & ad te dirigo ſermones meos, *docens te & gubernans te*: ita enim tibi proſpicio, atq; ſi ſolus fuiſſes in mundo, ita te doceo quaſi tui ſolius eſſem Magiſter: ita guberno, quaſi reliquorum cura me non tangeret: nam nec multi me occupant, nec pauci animum minuunt: & æq; vnum curo, atq; omnes: & omnium curam habeo atq; ſi omnes eſſent vnus. Ego itaq; Deus tuus, volo eſſe tuus Magiſter in monte orationis & contemplationis, proponens tibi ipſas veritates: & internam lucem, ad eas intelligendas communicans. Ego *docebo* te, non vana & inutilia, ſed res ſanctas & *vtiles* animæ & corpori tuo: non præteriens vllam, quæ ad æternam ſalutem & perfectionem obtinendam ſit tibi neceſſaria. ſum & *gubernator* tuus *in via, qua ambulas*, ſtatuens tibi leges ſanctas, gratiaq; mea te adiuuans, vt illas ſeruare poſsis. Non tibi deero in mea gubernatione & miniſterio ex ignorantia, quia ſum infinitè ſapiens: nō ex infirmitate & malitia, quia ſum infinitè ſanctus & potens, optoq;, vt mihi obedias, non propter meum, ſed tuum commodum. Si enim mandatis meis ita obediueris, vt quod doceo & committo, opere exequaris, quatuor ingentia bona tibi promitto: *Primum*, quod 1.
Iuſtitia & ſanctitas tua erit copioſiſsima, ſicut *gurgites maris*: quia creſces in omnibus virtutibus: quæ licet interdum carni tuæ ſint amaræ, at quemadmodum ex amaris aquis maris profluunt dulcia flumina, ita per huiuſmodi amaritudines eò peruenies, vt *pace* fruaris, tanquam *flumine* copioſiſsimo, 2.
quod te repleat immenſo gaudio, ex quo creſcet ſanctitas tua, vt ingrediatur in te b *regnum Dei, quod eſt Iuſtitia, pax, & gaudium in ſpiritu ſancto. Filios* quoq; in tanta copia & numero tibi dabo, ſicut *arena maris*, & omnes tanti ſplendoris, quales ſunt ſtellæ cœli: quia erunt innumeri fructus clariſsimo- 3.
rum operum, quæ facies in meum obſequium: & in virtute mea generabis plurimos alios, in quib. ego per gratiam habitem. Ac deniq; *memoria tui* 4.
erit æterna in conſpectu meo. Semper enim mei amici ſunt valde honora-

a Iſaiæ 48. 17.

b Rom. 14. 17.

ti:& ego ſemper memor ero tui, vt te honorem, & bonis impleam quæ deſideras: donec mecum regnes in æterna requie. Quod ſi meæ gubernationi reſiſtes, flumen pacis conuertetur in mare turbationis, & mare iuſtitiæ, in fel culpæ: cuius amaritudinis nec terminus erit, nec finis: poſt temporalem enim ſequetur æterna, delebo enim te ex memoria mea in æternum. O cœleſtis Magiſter, & vniuerſi gubernator, quas tibi reddam gratias pro tanto beneficio, quod hic mihi offers? ſi tu meus es Magiſter, quid potero ignorare? & ſi meus es gubernator, quid mihi poterit deeſſe? & ſi dux meus es, egoq; ſequar, quomodo potero errare: A te diſcere volo omnes virtutes: tu exemplar eris, ex quo illas deſumam, tu dux meus, ad illas quærendas: cuius gubernationi ſi me ſubjecero, ſpero me eas conſecuturum.

EX DICTIS facilè intelligitur primos Orationis & contemplationis fructus, in eo apparere, quòd gubernationi Dei perfectiſsima obedientia nos ſubijciamus, exequendo quicquid in ſancta ſua lege, & per occultas ſuas inſpirationes ſtatuit: Cuius legis ſcopus & finis (vt ait S. Tho.) eſt, *aſsimilari ſummo bono,* ita nos gerentes, vt exemplares diuinitatis & humanitatis virtutes, quantum poſſumus, imitemur: ac proinde, tota noſtra felicitas in eo erit, vt eius gubernationem ſemper ſequamur: nec ad punctum nos ſubtrahentes, & conuertentes ad rem quæ ſit ipſi contraria. Nam quemadmodum ea erat populi Hebræi felicitas, vt Deus illos duceret ad terram promiſsionis, oſtendens viam c *per columnam nubis in die, & per columnam ignis in nocte,* ita vt ad d *imperium Domini proficiſcerentur, & ad imperium illius figerent tabernaculum,* ita noſtra felicitas in eo conſiſtit, vt Deus D. N. ducat nos in hac via, qua tendimus in cœlum, ita, vt in nocte quietę orationis & contemplationis, illuſtret nos igne ardentium ſuarum inſpirationum: in die autem occupationum noſtrarum externarum, protegat nos diuinæ ſuæ protectionis nube, contra ardorem noſtrarum paſsionum: deducens nos in reb. noſtris omnib. occultis & publicis, aduerſis & proſperis: procurantib. nobis ſequi eius impulſum & directionem, & ex obedientia progredi ad tempus in operibus vitæ actiuæ: ad tempus verò tentoria figere, vt quieſcamus in operibus vitæ contemplatiuæ: & iterum ea erigere, vt in eadem via progrediamur, donec ad æternæ promiſsionis terram perueniamus, vbi requies erit firma & conſtans, abſq; vlla mutatione.

1. part q. 103 a. 4. *c Exod. 13.* *d Num. 9.*

NE VERÒ parcos nos oſtendamus in hac ſubiectione ſub gubernatione Dei, neceſſe eſt & hoc ſcire quod perfecta cenſebitur ſubiectio, ſi obediamus ijs, quæ ipſe iubet & inſpirat, & ſtatuit, ſiue per ſeipſum, ſiue per ſuos miniſtros, tam Angelos, quàm homines, cuiuſcunq; illi ſint conditionis, quatenus ipſius Dei vices gerunt: in acceptandis etiam, cordeq; generoſo tolerandis quibuſcunq; contemptibus, & calamitatibus, quæ nobis euenient, ſiue à Dœmonibus, ſiue ab hominib. hoſtibus noſtris. In omni enim re, quæ

non


non sit peccatum, relucet gubernatio diuina in nostram vtilitatem. Ideo enim ait scriptura: e *non esse malum in* magna huius mundi *ciuitate, quod Dominus non fecerit:* cumq; ipse sit sapientissimus & sanctissimus, in omnibus quæ facit circa gubernationem suarum creaturarum, æquum est nos acceptare eam partem, quæ nos contingit, cum exactissima obedientia in rebus aduersis, cum profunda humilitate in contemptibus: & cum inuicta patientia in doloribus & laborib. hæ enim tres virtutes sunt tanquam lapis Lydius, in quibus agnoscitur gradus & perfectio charitatis, veræq; orationis & contemplationis: ex quibus simul cum ipsa f *charitate quæ est vinculum perfectionis,* texendus est fortissimus triplex funiculus, quo nos colligemus cum Deo, cum Christo Seruatore nostro, & sancta eius lege, per ea media, quæ in sequentibus capitibus proponentur.

e Amos 3.6.

f Col. 3. 14.

CAPVT II.

QVOD NECESSARIVS SIT MAGISTER Visibilis, qui nos dirigat in operibus vitæ actiuæ & Contemplatiuæ, cuius fructus est etiam humilis subiectio sub hac directione.



VAMVIS Deus D. N. potuisset nos sufficienter ducere in operibus vitæ actiuę & contemplatiuæ, per semetipsum, aut per Angelos, cum inspirationibus & impulsibus internis, quorum fecimus mentionem ad finem primi Tractatus: eius tamen suauis & beneuola prouidentia, noluit ab hoc suo ductu & gubernatione homines ipsos excludere: sed vt alij alios ducerent ac dirigerent: eò quod hac ratione directionis valdè ipsi indigerent, magnosq; fructus ex ea perciperent.

Quamobrem in ipsamet Oratione & recollectione interna illos inclinat & impellit, vt huiusmodi ducem visibilem quærant, seq; ab eo dirigi sinant. Et licèt hoc punctum sæpius in præcedentibus Tractatibus sit insinuatum: quia tamen est fundamentum magni momenti ad ea, quæ in hoc sunt dicenda, illud hic ab ipsa radice explicabimus: incipientes à Tyronibus & in Virtute Nouitijs, quia tali directione maximè indigent.

§. I.

De necessitate Spiritualis Ducis ob triplex periculum, quod in via virtutis occurrit.

I. Ratio. 1. PRIMVM, certum est viam virtutis difficilè posse attingi, rectéq; teneri ab ijs, qui nunquam per eam ambularunt: subjacet enim multis dubijs, tàm circa res credendas & faciendas: quam circa petendas & recipiendas: multæ in eo itinere fossæ ac difficiles transitus, aliæ viæ se prope insinuant, quæ cum similitudinem magnam cum virtute habeant, eidem tamen prorsus aduersantur. sæpè enim, vt aduertere potuisti, videtur inspiratio Dei, qui est Dæmonis impulsus; speciemq; præfert spiritualis amoris, qui proprius est amor, & carnalis. Quamobrem ait Sapiens: *est via, quæ videtur homini iusta, nouissima autem eius deducunt ad mortem.* Non itaq; tutum est, si solus velis & absq; Duce, qui te rectà ducat, eam viam ingredi quam nunquam es expertus. Elige (ait S. Ambrosius adolescenti) socium tibi conuenientem, coniungens te seniorib. quos maximè probatos inueneris. Nam quemadmodum communicatio cum æqualib. iucundior est, ita est securior cum senib. quorum magisterium ac directio exornat mores adolescentum, tingitq; viuo & eleganti colore virtutum. Cum ergo ignari viarum, cupiant comites habere, qui sæpius eas ambulauerint, multò æquius erit, vt te seniorib. adiungas, & in eorum comitatu pergas ad æternam vitam, ne aberres, aut à vera virtutis semita recedas.

Prou. 14. 12.
Lib. 1. offic. 43.
S. Bernard. lib. de ordi. vit. c. 4.

QVOD si dicas: hoc periculum præueniri interrogando eos, qui eandem viam ambulant, qua sit eundem: nunquam enim defuturos, quos posis interrogare: & semper aliquem occurrere, qui dirigat aberrantẽ: quemadmodum narrat scriptura de Ioseph qui quærebat fratres suos, & *inuenitq; eum vir errantem in agro*, cui interroganti de fratribus suis indicauit locũ, in quo posset illos inuenire. cum ergo virtutis via adeò sit trita, non esse magnopere necessarium ducem, ad eam peragendam, accipere. Hæc quidem ratio non esset valdè absurda, si via virtutis esset corporalis, & conficeretur gressibus corporis: sed cum via sit spiritualis gresibusq; spiritus conficienda, qui difficilè cognoscuntur, & in singulis, qui eam peragunt, sint diuersi, iuxta varietatem ingeniorum & propensionum eorum, tam quæ sunt à natura, quam quæ à gratia, non est tutum cuilibet peregrino confidere, qui te, tuáq; mentem & intentionem non nouerit. quod si nihilominus cuiuis rationem reddere velis de te, quotiescunq; aliquid ex eo interrogas, hic vero labor est intolerabilis. si tamen rationem non reddas, te tuaq; ei aperiendo, probabile periculum est quod eius consilium directioq; à recto facilè aberret. Et cum infirmi cupiant medicũ aliquẽ certum habere, qui tẽpore infirmitatis illis adsit: & studiosi firmũ & cõstantẽ pręceptorẽ, q illos doceat: grauiterq; ferũt

Gen. 37. 15.

muta-

mutari quotidie medicos & magiſtros, eò quod quiſque proprium habeat curandi & docendi modum, & fortè vnus damnat, quod alter probauit: diſſoluitque, quod alter fecit: multo magis eſt orationi conſentaneum, vt ſtudeas medicum aliquem & Spiritualem Magiſtrum certum ac deſignatum tibi habere: qui & neceſsitatem tuam & infirmitatem agnoſcat: modumque & vitæ rationem, quam ſeruas, vt eius induſtria directioneque vtaris, & in cuius comitatu, & ſecurius, & cum minori labore pergas.

ALIVD periculum in via vitæ ſpiritualis imminet ei qui ſolus proficiſcitur, ob plurimos prædones, ac latrones publicos & occultos, viſibiles & inuiſibiles: nec minus aſtutos quam crudeles, quibus ea via ſcatet: qui ſedulò inuigilant, vt peregrinorum quos habent theſauros virtutum deprædentur, gratiæque vita ſpolient, quos cum ſolos viderint, ſtatim inuadunt tũ feritate ſua, tum aſtutia: nunc tanquam aperti inimici, nunc in forma & ſpecie amicorum: quare facilè omninò ſolum aliquem decipiunt ac deprædantur, vtpote non habentem adiutorem, aut deceptionum retectorem: qui ſi vel ſemel cadat, lapſus eſt periculoſus, vt qui non habeat, qui manum porrigat, & erigere poſsit. Ac propterea dixit Eccleſiaſtes: c *melius eſt duos eſſe ſimul, quàm vnum: habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ. Si vnus ceciderit, ab altero fulcietur: væ ſoli, quia, cum ceciderit, non habet ſubleuantem ſe: & ſi quiſpiam præualuerit contra vnum, duo reſiſtunt ei*: & qui audet contra vnum ſolum pugnare, deiiciet fortè animum pugnandi contra duos. prouerbio ſiquidem dicitur, *nec Hercules contra duos*. & Gygas ille d *Goliath*, etiamſi ſuperbus adeò & ferox, non eſt auſus tamen duos ſimul ex populo Iſrael ad certamen prouocare. Perſuaſus quidem, ſi cum vno ſolus congrederetur, certam ſe habere victoriam: dubiam verò, ſi duos aggrederetur. Hinc Dæmon cupidus valdè nos vincendi, obſeruat tempus opportunum, vt nos ſecurè aggrediatur. quod (vt S. Chryſoſtomus ait) eſt, cum nos videt ſolos, quemadmodum e *Serpens*, non auſus eſt Euam aggredi, quamdiu erat cum Adamo viro ſuo: ſed ſtatim atque ſolam vidit, & ab eo receſsiſſe, aggreſſus eſt, facileque decepit, ac vicit. Et eadem aſtutia aggreſſus eſt inſignem noſtrum Capitaneum Ieſum, cum vidit ſolum in deſerto: imò in eum finem, inter alios *Spiritus S. eum duxit in deſertum*, vt Dæmon auderet eum aggredi ac *tentare*: quem tamen ſuperare non potuit. Quis autem eſt ſicut Chriſtus, vt ſolus pugnet etiam contra vniuerſum infernum? & quamuis perfecti valdeque exercitati in huiuſmodi internis pugnis, poſsint ſe ad ſolitudinem recipere, & ſeorſim cum Dæmonibus congredi: Tyrones tamen facilè vincentur, niſi ſe coniungant aliis expertis, qui cœleſti luce pericula agnoſcant, & occaſiones tentationum, de quibus illos moneant, vt ſe præparent, ne imparati deprehendantur, ad eum modum quo Eliſæus exiſtens in domo ſua agnoſcebat inſidias, quas Syri ſtruebant contra Regem Iſrael, quem ea de re monebat di-

2. Ratio. 2.

c Eccleſ. 4.

d 1. Reg. 17. 9.

Homil. 13. i Matt.

e Geneſ. 3. 1

S. Tho. 3. p. q. 41. a. 12.

4. Reg. 6. 9 cens, g *caue ne transeas in locum illum: quia ibi Syri in insidiis sunt.* Ita strenui cõfessarij & Spiritus Magistri nouerunt astutias Dæmonis, & (vt ait Apostolus) h *non ignorant cogitationes*, & insidias *eius*, & occultas suggestiones, de quibus monent Pœnitentes ac discipulos suos dicentes: nolite accedere ad talem locum, nec tali occasioni vos exponatis, aut talibus cogitationibus locum detis: quia Syri, hoc est, Dęmones ibi sunt in insidiis, vt vita vos spoliẽt. Et quoniam Dæmon videt suas insidias ab illis aperiri, ac manifestari, vehementer illos odit, cauetque eos tentare, qui tam bonum habent socium. Ex quo concludit S. Chrysostomus: eum qui desiderat non tentari, aut non incidere in laqueos tentationum, studere debere, benè comitatum incedere, sicut bona & pudica virgo, quam lasciuus aliquis persequitur, dat operam vt non sit sola in loco in quo insidiator ille possit solam alloqui: sciens, illum non ausurum illam alloqui, si habeat socios, qui eius honorem & honestatem propugnent.

h 2 Cor. 2. 11

vbi supra.

EXPEDIT tamen aduertere, quod in hac via spiritus, non solum censeatur solus incedere, qui Magistrum ductorem non habet: sed etiam, vt ait S. Dorotheus, qui habet quidem ductorem, sed occultat illi tamen suas tentationes, non reddens ei rationem eorum, quæ in corde suo geruntur. Parum siquidem tibi proderit habere ducem & adiutorem, cuius nolis directione atque auxilio vti. nam ex hoc tuo silentio, animum accipit maiorem Dæmon, sciens sibi tecum tantum & seorsim esse negotium. Tu verò defraudas teipsum fauore cœlesti, quem acciperes per tuum illum ducem ac directorem. Ac propterea dicit Spiritus Sanctus (iuxta LXX.) i *si momorderit serpens, & non in sibilo, non est abundantia* siue lucrum *incantatori*, quod idem est (vt declarat Cassianus) atque si diceret: quando Dæmon iaculatur venenum malæ suggestionis in animam, si illa id taceat celetque suum medicum, non curabitur, & absque remedio peribit. Nam venenum in corde inclusum, spoliabit illud vita. At si serpens mordeat cum sibilo, non est morsus periculosus: humilis enim venenatæ illius suggestionis confessio, omnis veneni vim retundit. Quamobrem nihil æque horret noster aduersarius atque se deprehendi suasque machinationes manifestari: tunc enim videt, sibi contra duos pugnandum esse, in k *quorum medio Deus adest*, vt faueat tentato per Patrem eius spiritualem, idque tanta festinatione, vt sæpè antequam medicus verbum proferat, iam serpens abscesserit, ac venenum tentationis eius, instar fumi euanuerit. Quod expertus est Abbas Serapion in seipso, vt refert Cassian. suprà, & alij multi id quotidie experiuntur.

Serm. 5.

i Eccl. 10. 11
Colla 2. c. 11.

k Mat. 18. 20

3. TERTIVM periculum viæ virtutis est, eò quod illa sit aspera, longa, valdeque contraria propensioni & appetitioni nostræ carnis, ex quo prouenit, vt, qui eam recens inchoat, afficiatur magna tristitia, desolatione, magno tædio, timore, horrenda diffidentia ac melãcholia. Quare nisi habeat socium,

qui

qui consoletur, exhilaret, addatque animum in ea via, solet esse intolerabilis. Plurimum ergo refert non accipere seorsim ac solum, tantum laborem: sed eligere sibi bonum aliquem amicum, cum quo tantum laborem diuidat, & cuius communicatione labor fiat facilis ac tolerabilis. vt enim ait S. Ambros. magna est huius vitæ consolatio, fidelem aliquem amicum habere, cui cor tuum aperias, cum quo tua secreta communices, & apud quem occulta tui cordis deponas, quem ames, & quem sequaris in omnibus, qui & pietate paterna, tibi in aduersitatibus compatiatur, te in persecutionibus iuuet, & in prosperitatibus tibi congaudeat: Felix talis societas talisque amicitia, qua nihil sit in terra quod magis placeat atque delectet. Elige itaque (ait idem S. Doctor) ducem aliquem talemque socium, qui sit tibi approbationi, cõsolationi & honori: & per quem exaltet te Deus ad excellentiam, quam ille habet, aut etiam ad maiorem. Attende quam benè successerit Iosue, ex eo quod Moysi se coniunxerit: & Elisæo, qui Eliæ: Marco, qui Barnabæ: & Timotheo, qui Paulo. Ex tali enim familiaritate mutuaq; coniunctione, assecuti sunt aliquas excellentias, non multo minores, quam essent in eorum Magistris. l *Iosue* successit *Moysi* in munere *Ducis*, qui introduxit populum Israel in terram promissionis, voceque sua fecit sistere cursum m *Solis & Lunæ*, quod non legitur de miraculis Moysis. n *Elisæus* successit Eliæ in officio Prophetæ, & accepit *duplicatum Spiritum* quam eius Magister. Marcus cum esset comes S. Barnabæ, deposito metu ac pusillanimitate, euasit in virum adeò strenuum, vt à quo prius fuerat reiectus, vocaretur in eiusdem Apostoli auxilium. Timotheus & Titus sequentes Paulum, euaserunt eminentes Prælati, excellentes prædicatores, & gloriosi Martyres: qui omnes longas vias confecerunt magna alacritate, & in virtutibus profectu, eò quod se adeò excellentibus Magistris coniunxissent.

Lib. 3. de offic. c. 16.

Lib. 2. de offic. c. 20.
S. Bern lib. de ord. vit.

l *Iosue* 1. 5.
m c. 10. 12.
n 4. *Reg.* 2. 9
Act. 13. 13. & c. 15 38 39.

§. 2.

Quam sit necessarius Magister, qui Spiritus scientiam doceat.

Ex his, quæ nunc dicebamus, deducitur alia ratio & causa ob quam sit necessarius Dux & Magister ad hanc artem perdiscendam, seruiendi Deo, scientiamque Mysticam, cum eodem in oratione & contemplatione conuersandi, cuius excellentia tanta est, vt ordinariè non velit Deus eam per seipsum, solum, & seorsim per inspirationes internas communicare: ne existimes, te propriis viribus & industria, eam esse consecutum: eò quòd alterius opera non indigueris, qui te illam doceret, aut contemnas cæteros, videns, quod sine illis possis tua peragere. Quamobrẽ humilis hæc subiectio sub doctrina & institutione alterius, præcedit ordinariè ipsam contem-

platio-

plationem in Tyronibus: est verò eiusdem fructus in antiquioribus, quemadmodum ex subiiciendis exemplis apparebit.

1. PRIMVM enim quando Deus D.N. singularia beneficia vult conferre huius artis Tyronibus tanquam instrumenta accipit eorundem Duces, atque directores: vt ipsi propriam necessitatem agnoscant, qua ab illis dependent: quemadmodum fecit cum puero Samuele, cum esset in schola summi Sacerdotis Heli: velletque illi arcana sua reuelare & facere suum Prophetam. nam iacentem de nocte in lecto suo, & dormientem in templo Domini, vocauit bis, ter, voce simili voci sui Magistri, quo ad eum accederet, cogitans se ab eo vocari. cuius instructione, eò peruenit vt intelligeret, vocãtem se verè esse Deum, ideoque, si iterum vocaret, humiliter diceret a *loquere Domine, quia audit seruus tuus.* quod cum quartò vocanti respondisset, Deus illi sua secreta reuelauit. Nunquid Deus non potuisset, quando primum Samuel fuit semel excitatus, ei aperire, quod volebat: aut eum vocare alio vocis tono, quàm esset Heli? cur ergo ea dispositione, & his ambagibus est vsus, nisi vt Tyrones intelligerent, se ad familiaritatem cum suprema illa Maiestate non peruenturos, nisi subiecerint se & obediuerint ministris eius eorumque directioni ac deductioni acquieuerint: persuadentes etiam sibi, Dei vocem simillimam esse voci Prælati: & huius, qua talis est, vicissim esse Dei voci simillimam. Propterea siquidem dixit: b *qui vos audit, me audit.* &, *non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.*

a 1. Reg. 3. 10

b Luc. 10. 16 Matt. 10. 0.

2. PROPTER eandem causam, cum Christus D.N. Saulum conuertit, cœlestique sua luce ei inspirauit memorabile illud verbum: *Domine, quid me vis facere?* non aperuit illi tunc, quid esset facturus: sed *ingredere* (inquit) *ciuitatem: & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere.* ad quem postea misit Ananiam, qui illum instrueret. Hoc facto nos monens, quòd licet per seipsum incipiat opus nostræ iustificationis ac perfectionis, soleatque nos constituere in primis principiis contemplationis: non tamen velit totũ opus per seipsum perficere: sed mittit nos ad ciuitatem, Ecclesiam scilicet suam, in qua Prælati & Magistri per Ananiam significati, nos doceant, quod scire expedit: quos ipsemet prius docuit, sicut docuit Ananiam. Nam, vt ipse Apostolus postea dixit: c *prius* illi instruuntur, & *exhortantur à Deo, vt alios* instruant, & *exhortentur.*

Act. 9. 6.

c 2. Cor. 1. 4.

3. AD huius veritatis confirmationem ait S. Gregorius in suis Dialogis, quod licet speciali priuilegio Deus D. N. voluerit esse paucorum aliquorum Magister, quos suis illustrationibus & inspirationibus docuit per seipsum: quemadmodum docuit S. Ioannem Baptistam, & S. Paulum primum Eremitam, & quendam Honoratum, quem ipse ibi refert: de hoc tamen nullam generalem regulam esse constituendam, nec in exemplum trahendum debilibus & Tyronibus, ne *si discipulus hominis esse despiciat, Magister erroris*

ib. 1. c. 1.

fiat, maximè ſibi ipſi, qui ob ſuperbiam & præſumptionem ſuam decipi promeretur. Et quoniam ob ſuperbiam non vult eſſe hominis diſcipulus, permittit Deus, vt fiat Dæmonis, proprijque iudicij ſui, à quibus innumeros addiſcet errores. Nam qualis eſt Magiſter, talis erit diſcipulus, & quemadmodum lepidè S. Bern. cuidam Abbati, cupienti officium deponere, quo ab alio gubernaretur, dixit: *Qui ſe ſibi Magiſtrum conſtituit, ſtulto ſe diſcipulum ſubdit*. Nullus enim eſt magis ſtultus Magiſter in rebus noſtri Spiritus, quàm proprium iudicium, quod contemnit alienum: nec vlla maior eſt ſtultitia, quàm fieri diſcipulum adeò ſtulti Magiſtri, qui non docet niſi errores & fraudes, ſicut poſtea videbimus. *Epiſt. 27.*

HIS accedit (vt benè perpendit Caſsianus) quod reliquæ artes liberales & mechanicæ indigent Magiſtro, qui eas doceat, etiamſi de rebus ſint temporalibus ac viſibilibus: nec vllus præſumit incipere eis ſtudere abſque alicuius ductu, qui ſit in eis verſatus. quàm ergo erit magna deceptio, exiſtimare quod hæc ſola Spiritus ſcientia, non indigeat Magiſtro ac directore? cum ſit de rebus inuiſibilibus & abſconditis: quæ non ſolum oculis corporis, ſed neque animæ niſi valdè purificatis intelligi poſſunt: præcipuè cum error in his rebus, non adferat temporale detrimentum, quod facilè reparatur, ſed ſpirituale, quod poteſt eſſe æternum. *Coll. 2. c. 11. & 14. 15. S. Bernar. de ordin. vitæ. S. Hier. in reg. Monach. c. de obedient.*

SED quid de ſenioribus & perfectis in virtute dicemus, de quibus non videntur loqui rationes hactenus poſitæ? Verum hos ipſamet contemplatio & interior cum Deo familiaritas inclinat ad hoc, vt quamuis valdè ſint illuſtrati, Deoque familiares cum humilitate tamen, vt ab aliis doceantur ac dirigantur, parati ſint. *Primum*, quoniam ad hoc, vt quis deceptioni ſit obnoxius, ſatis eſt quod ſit homo. Quamobrem (ait Caſsianus) nullus ſuperbia tumens tantum ſibi tribuat, quod non opus habeat, de rebus ſuis cum aliis conferre. Nam eſto ſit ita, quod poſsit ſe expedire ab illuſionibus Sathanæ, nimirum tamen non euadet laqueos ſuperbiæ. Et quis erit, qui tantum de ſe præſumat, ſiquidem ipſum vas electionis S. Paulus, in quo Chriſtus loquebatur, dicit de ſeipſo, quod aſcendiſſet Ieroſolymam, propterea ſolum, ſ *vt conferret & communicaret cum Apoſtolis Euangelium*, quod ipſi Deus reuelauerat, & iuſſerat gentibus prædicare. Et quamuis certus eſſet, verum eſſe quod ſciebat, vt tamen ſingularitatis ac ſuperbiæ notam effugeret, voluit doctrinam ſuam à Magiſtris Eccleſiæ approbari. *Coll. 16. c. 12.* *ſ Gal. 2. 2.*

PRAETEREA, ſæpè ex Dei diſpoſitione euenit, vt valdè ſapientes ac Sancti, aliquid ignorent, quod ignari aliàs & imperfecti aſſequũtur, per quos Deus illud ipſum docet maiores: quò nec qui ſapiens eſt, euaneſcat, cũ videt, ſe aliqua ignorare: nec ignarus animo deficiat, cũ videat Deum ſibi aliquid manifeſtaſſe, quod alium ſapientem celauit. Confirmat hoc S. Chryſoſtomus exẽplo Moyſis, qui Dux erat antiquæ legis, gemebat ſub onere guber- *Homil. de ferendis re-*

rehenſio. & de con- uerſio. S. Paul. tom. 2. nationis totius populi per ſeipſum ſolum: qui cum adeò eſſet ſapiens, nunquam tamen illi incidit, vt onus gubernationis in alios diuideret: nec Deus ipſe cum quo familiariter conuerſabatur, hoc ei medium quo ſubleuaretur à tanto onere reuelauit, donec ſocer eius Iethro, id vt faceret, ſuggeſsit. & qui cum Deo facie ad faciem loquebatur, ſubiecit ſe conſilio hominis gen-

Exod. 18. 24 tilis, adeoq; ignari, vt vix, quis verus Deus eſſet, cognoſceret. Et S. Petrum Ducé etiam in lege noua, ſcimus ſemel fuiſſe deceptum à proprio ſuo Spi-

g Gal. 2. 12. ritu, exiſtimantem expedire, vt ſe g *ſubtraheret* à conuerſatione gentilium, ne turbaret *quoſdam Iudæos:* in qua re vt certum eſt, eum non ex malitia, ſed vel ex ignorantia, vel ex inaduertentia impegiſſe: ita quando S. Paulus ea de re ipſum monuit, mox ipſe ſubdidit ſe humiliter, eiuſque ſententiam eſt ſecutus. Si itaque viri adeò Sancti ac ſapientes, quales hi duo Eccleſiæ Duces fuerunt, res aliquas ignorarunt, & aliorum iudiciis ſe ſubiecerunt: quis adeò erit audax, vt ſuæ ſcientiæ Sanctitatique confiſus, iudicium contemnat eorum, quos Deus in Eccleſia ſua tanquam eius oculos conſtituit? Propterea

Prouer. 12 15 dixit Salomon, h *via ſtulti recta in oculis eius, qui autem ſapiens eſt audit conſilia.* quaſi diceret: ſtultus exiſtimat, ſe benè progredi, ideòque non acquieſcit aliorum conſiliis: qui autem ſapiens eſt dubitat humiliter, num via quam tenet ſit recta, an aberret: ideoque ad maiorem ſecuritatem alios conſulit.

3. HVC accedit, quod perfecti & contemplatiui, hac humili diſpoſitione & promptitudine, vt ab aliis hominibus doceantur, diſponant ſe, vt Deus ipſe per ſe illos doceat: vel mittat aliquem hominem, qui id faciat: cuius rei multa ſunt exempla in Vitis Sanctorum Patrum. De quodam Eremita refert Sophronius, quod magnam familiaritatem cum Angelo haberet, qui

In Prato ſpirituali c. 169. tamen nunquam ipſum à quodam errore circa vnum ex articulis fidei liberauit: donec per quendam alium Eremitam, qui viſitandi cauſa ad ipſum venerat, de illo errore fuit edoctus. cumque poſtea conquereretur apud Angelum, cur non ipſum ab eo errore liberaſſet, reſpondit: cauſam eſſe propterea quòd Deus D. N. ſtatuiſſet alios homines ab aliis doceri. Et alius Monachus, cum à Deo feruentibus orationibus & ieiuniis petiiſſet, reuelari ſibi ſenſum & intelligentiam cuiuſdam loci ſcripturæ ſacræ, non fuit exauditus: donec ſe humiliauit, vt vellet quendam alium hominem, de eodem ſenſu interrogare: & tunc venit ad ipſum Angelus, vt doceret quod deſiderabat. Sed cur defatigor, adducendo exempla virorum ſapientum & Sanctorum? ſiquidem Magiſter omnium, cum eſſet ætatis duodecim annorum,

h Luc 2. 46. voluit humilitatis & ſapientiæ ſuæ dare indicia, non docendo, ſed h *audiendo & interrogando Doctores* legis, vt ad eius exemplum, nullus dedignetur alium interrogare, quod ipſe neſcit: nec audire, quod alius ipſum docuerit.

ſi habes 24 q 3. Ad cuius exemplum inſignis illæ Eccleſiæ Doctor. S. Auguſtinus, non minus in humilitate, quàm in ſapientia celebris, hanc de ſeipſo ſententiam di-

cebat

cebat quæ refertur in decretis. *Ego ſenex à iuuene: Ego Epiſcopus tot annorum à collega nondum anniculo, paratus ſum doceri.* Ad cuius confirmationem dicit aliud decretum: *Nullus Epiſcopus propter opprobrium Senectutis, vel nobilitatem generis, à paruulis, ſi quid eſt vtilitatis vel ſalutis, inquirere negligat,* neque id opprobrium ſuum exiſtimet. nam quicquid honoris ex eo ipſi decedit, quod minus ſapientem interroget: accedit ipſi, cum erga inferiorem ſe humiliat, qui honor multò eſt maior. nam in oculis Dei pluris æſtimatur honor humilis, quam ſapientis: maioremque gloriam conſecutus eſt Moyſes, ſubijciendo ſuum iudicium, iudicio cuiuſdam gentilis, quam ex magna eruditione, acquiſita in ſcientiis AEgyptiorum.

D 38. c. vltimo.

Exod. 18. 24

§. 3.

Quam ſit neceſſarius ſpiritualis Medicus, qualiſque ille eſſe debeat ad nos curandos.

VENIAMVS nunc ad ſcientiam propriæ cognitionis, quæ cum perfecta eſt, hunc fructum profert ſubiectionis, de qua nunc loquimur, quæ cognitio abſque alterius directione non perueniret ad ſuam perfectionem, eo quod (teſte S. Baſilio) res ſit difficillima, cognoſcere & curare ſeipſum: quiſque enim naturaliter ſeipſum amat: amor verò proprius inſtar trabis eſt, quę mentis oculũ excęcat, ne ſeipſum plenè cognoſcat: ipſamque voluntatem emollit, vt nimium ſibi compatiatur. Quamobrem negligit curare quædam vitia, quia ea non nouit: quædam verò, quæ nouit, etiam negligit, ne conuenientia remedia, eo quod amara ſint, applicet: cum contrà facile ſit & cognoſci, & curari ab alio perito medico, qui non habens tale impedimentum circa res noſtras, habet oculos ad nos cognoſcendos, & efficacitatem ad curandos: ac propterea fortè mortificatio appellatur crucifixio, & id quod eſt mortificare ſeipſum, idem atque ſe crucifigere aut configere cruci Chriſti. Nam, quemadmodum nullus poteſt ſeipſum integrè cruci affigere, quia etſi manibus poſſet configere pedes, manuque dextera ſiniſtram; dexteram tamen non poſſet, niſi alius eam configat: Ita etiam nemo poteſt ſeipſum integrè mortificare, niſi alius ad id iuuet. Et quãuis ſuperiori voluntate poſſet inferiores affectus, & carnis appetitiones inſultuſque mortificare, in hoc ipſo tamen ſæpè remanet propria voluntas immortificata, quam conſtat a *inueniri in ipſo ieiunio*, & in proprio iudicio, quod facilè fouetur eo quod in ſpecie videtur bonum. Quare perito medico & chyrurgo opus eſt, qui nos curet, permittentes vt ſecundum ſuum iudicium & voluntatem alliget & aſtringat fortiter, donec nos plenè crucifigat. Et eandem ob cauſam dixit Spiritus ſanctus,

Ratio 5. *De Conſtit. Monaſti. c. 23.*

Mortificatio quare dicatur Crucifixio.

a *Iſai. 58. 3*

Eccl. 38.9 b *ne infirmus* tam in corpore, quam in anima *despiciat seipsum*, etiamsi grauis sit morbus, sed *recurrat ad Deum* frequentioribus *orationibus ac votis: detq; locum medico, etenim illum Dominus* ad id *creauit*, & constituit, *& non discedat*, inquit, *à te: quia opera eius sunt necessaria:* ne illum fugias, existimans Deum solum te posse sanare. nam industriæ medicorum etiam sunt necessariæ, sine quibus non recuperabis sanitatem; nam Deus non reddit illam per miracula iis qui humana & ordinaria media contemnunt. Et cum ipsemet Medicus, si in grauem morbum incidat, non soleat soli suæ scientiæ fidere, prohibente scilicet humore ea rectè vti; sed medicum alium aduocat, qui ipsum curet: meritò ergo quicunque spirituali curatione indiget, etiamsi senior sit & sapiens, recurret ad alium, qui illum in ea iuuet. Ideoque Christus Dominus noster admiranda sua prouidentia constituit, vt medici Ecclesiæ suæ, qui sunt Sacerdotes & Confessarij, non possint seipsos à propriis peccatis absoluere, sed vt ad alios accedant pro absolutione consequenda, & quamuis Episcopi sint & summi Pontifices, debent se alicui in inferiori dignitate constituto submittere, propriasque culpas confiteri, & reprehensionem & pœnitentiam, quam ille iniunxerit, acceptare; videns enim cœlestis noster Protomedicus, medicos benè curare alios infirmos, seipsos autem non benè, voluit alios, curare alios, vt omnes perfectè curarentur.

PRAETEREA omnes virtutes habent suam perfectionem in quodam medio amplectendo inter duo extrema vitiosa; quod medium constituit prudentia, consideratis omnibus circumstantiis personæ, loci, & temporis. Et quoniam hæc prudentia est valdè breuis in Tyronibus & Nouitiis, ob defectum experientiæ, in antiquis verò suspecta tanquam in propria causa, non ita potest medium rectè attingere, nisi à perito alio Magistro, & qui affectu aliquo inordinato non ducatur, adiuuetur, qui sapientia & prudentia sua cognoscat recteque statuat de medio tenendo, monendo ipsos quemadmodum Moyses, vt, c *quæ præcepta sunt, faciant, non declinando neque ad dexteram, neque ad sinistram*, excedentes nimio feruore illud medium, aut ex desidia illud non attingentes.

Ambros. l.1. offic. c.3

Deut. 5.32

Ex prædictis omnibus deducitur, quod studiosi perfectionis, si velint voti esse compotes, meritò debeant eligere sibi Ducem aliquem Magistrũ, ac medicum spiritualem strenuissimum ac perfectissimum, quẽ poterunt inuenire: cui claram & plenam reddant rationem animæ suæ, & rerũ suarũ, probarum & improbarum; vt has corrigat, illas perficiat; promptos se offerentes ad amplectendum, quicquid in eum finẽ ipsi præscripserint. Qui Magister adeò expertus esse debet, vt ex iis, quæ audit, videtque exterius, interiora cognoscat, quę non sciunt illi aperire; indicetque illis, quod reuera habent, sed non intelligunt. Præterea habeat, quemadmodum ille

Moyses

Moyses Dux populi Israelitici, magnam familiaritatem cum Deo; à quo ipse discat, quod sibi commissos docere debeat, suisq; orationibus posit impetrare, quod illorum necessitas requirit. Sit jtem mitis & zelosus, vt mansuetudine sua, amanter permoueat ad virtutum exercitia; zelo verò seuerè retrahat illos à vitijs. Hoc documentum mirificè tradit S. Basilius his verbis: Cum summa vigilantia magnaq; circumspectione quære virum aliquem, quem accipias Ducem vitæ tuæ, scientem te docere rectam viam accedendi ad Deum; qui exemplarib. virtutib. sit exornatus, magna scil. charitate & amore Dei; multa scientia & cognitione diuinarum literarum: vir integer, hostis relaxationis, horrens auaritiam, non propensus, vt se temporalibus negotijs immisceat, quietus, misericors, patiens, valdeq; propensus ad eos docendos, qui hoc nomine se ipsi tradunt. quem nec inanis gloria inflet, nec superbia euanescere faciat, nec adulatio flectere; seuerus & constans, ***cui nihil sit præstantius honore Dei.*** Et quando talem virum inueneris, exue propriam tuam voluntatem, & teipsum illi trade gubernandum: ita vt eius virtutum hæres efficiaris. Et aduerte, quod hostis noster, cùm non potuit nobis persuadere, vt in mundi perditione maneremus; procurat, ne vitam perfectiorem quæramus; ne tradamus nos Magistro alicui, & confessario, qui ponat nobis ob oculos nostra peccata, eaq; corrigat; sed vt alium quempium quæramus, gloriæ cupidum, vitia dissimulantem, vt & nos in illis hæreamus, ipseq; pereat nobiscum. Nam d ***si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt.*** Hæc Basilius. cuius consilium valdè fuit à Patrib. antiquis approbatum, qui (teste Cassiano) Tyronib. constituebant strenuos Magistros, qui illos dolarent, propriamq; voluntatem eorum frangerent: & ipsi valdè animosè offerebant se dolandos, quemadmodum feruens ille vir, de quo refert S. Ioannes Climacus. quod in ipso Religionis aditu. Abbati dixerit: sicut ferrum est in manu fabri, vt faciat de eo pro libitu, sic ego me trado tuis manibus, vt facias de me quod tibi lubet: quasi illi dixisset: Tibi incumbit cœlare & dolare me vehementium mortificationum ictibus; mihi verò, cū diuina gratia, ad eos excipiendos me offerre. O Deus æterne, qui es præcipuus Dux & Magister animarum, meam ego manib. tuis trado, tuorumq; ministrorum, e ***Proba me, Domine, & tenta me: vre renes meos, & cor meum,*** vt mortificer, & instar ferri cœler: quò viuā gratiæ tuæ imaginem in me sculpi sinam. Suggere & inspira ijs, qui me ducunt, viam & rationem me ducendi; doce eos, quod ipsi me postea doceant. Tu enim es f ***vnicus Magister,*** qui per omnes Magistros, alios doces; & vnicus Gubernator, qui per omnes Gubernatores, alios gubernas, cui sit gloria & honor in æternum. Amen.

Ser. de abdicat. rerum.

Vide S. Ambr. 2. offic. c. 8.

d *Matt.* 15 14.

Lib 5. c. 7 & 8.

Gradu 4.


e *Psal* 25. 2.

f *Mar.* 23. 10.

CAPVT III.

MORTIFICATIONEM ESSE EFFECTVM Orationis, disponere verò ad Contemplationem, cuius illa in perfectiori gradu est fructus: & quæ in eo gradu illa complectatur, & quænam sint eius excellentes proprietates.

A mortificatione inchoandum.



VANDOQVIDEM supremum virtutum exemplar Christus Dominus noster docet nos, per mortificationis viam eas exercere, & in eum finem, vt proximè dicebamus, tradimus nos ijs qui nos ducunt & gubernant; incipiamus nunc de ipsa mortificatione, iuxta nostrum institutum, agere. *Præmittimus* autem tanquam rem certam, quod vita spiritualis, inchoanda sit ab exercitio mortificationis nostri ipsorum, vt omnia impedimenta remoueamus vtriusq; vitæ, Actiuæ & Contemplatiuæ, iuxta eam descriptionem, quam Deus Dominus noster Ieremiæ Prophetæ proposuit dicens: a *Ecce constitui te hodie super gentes & regna, vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes.* In quibus verbis duas præclaras actiones insinuat huius suæ dispositionis.

a Iere. 1. 10. Euellas, vt plantes.

Prima est, quia nullus vir prudens seminat plantatue aliquid in ea terra, quæ spinis scatet & malis herbis, nisi prius eas euellat. Quamobrem idem Propheta populo suo dicebat: b *nouate vobis nouale, & nolite serere super spinas,* ne suffocent bonum semen. Necesse itaq; est aratro propriæ abnegationis, euellere spinas peccatorũm, malasq; herbas inordinatarum nostrarum affectionum, & emollire duritiem terreni cordis nostri. & tunc securè (vt ait Propheta) licebit c *seminare nobis in Iustitia,* & pro voto *metere misericordiam:* aderit enim diuina misericordia, vt faueat nostræ sementi, quò possimus, copiosos perfectæ sanctitatis fructus colligere.

b Iere. 4. 4.

c Osee 10. 12. Metite in ore misericordiæ.

ALTERA ratio est, quia non potest recens ædificium erigi in ea terra in qua est antiquum, nisi hoc prius destruatur, nouaq; fundamenta aperiantur, effossa tota terra molli, donec perueniatur ad viuum saxum. d *Domus* enim *super arenam fundata facilè corruet.* Si itaq; desideras Christianæ perfectionis turrim erigere, domumq; collectæ contemplationis ædificare, destruendum tibi prius est antiquum ædificium vitiorum vitæ præteritæ; & fodiendum in anima tua ligone mortificationis, & ex ea extrahendum quicquid molle est terrenarum eius affectionum: alioqui, quicquid super eas exstruxeris, corruet. Et quoniam ædificium, quod paras, valdè altè est ascensurum: necesse est ipsum quoq; fundamentum valdè esse altum. ac propter-

2. Destruas & ædifices.

d Matth. 7. 27.

Theodor. in eius vita.

ta magnus ille Simeon Stilita, qui stabat in columna initio suæ conuersionis, vocem quandam in somnijs audiuit dicentem sibi: surge & fodias. & cùm parum fodisset, ac cessasset, eandem vocem audiuit dicentem, altius fodias, idq; quater illi accidit: & pòst dictum est illi, nunc ædifica sine labore. His autem significabatur illi, quod ad vitam adeò excelsam & extraordinariam, quam Deus illi communicare volebat, esset necessarium ter & quater fodere in omni genere mortificationum: quas Ieremias complexus est quatuor illis verbis, *euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes*, eo quod quatuor sint res mortificandæ; maculæ scilicet omnium peccatorum; habitus siue consuetudines vitiosæ, quæ ab eis oriuntur; passiones & affectiones sensuum inordinatæ; pertinaciaq; in proprio iudicio, & propria voluntate. Et in hac mortificatione omnis labor vitæ Actiuæ & Contemplatiuæ consistit. *Coll. 14. 3.* Postquam enim mortificatio perfectè functa est officio suo; reliqua omnia opera exiguo labore conficiuntur: ideoq; ait Cassianus, actus abnegationis duplo pluribus nominibus esse expressos à propheta, quam actus virtutum: illi enim expressi sunt quatuor prædictis vocibus; hi verò duobus tantum, plantandi & ædificandi. *Idem lib. 7. Instit. c. 3.* illi enim labore duplo maiori; hi duplo minori exercentur: cum hi non habeant aliquam mortificationem annexam. item quia vitia duplo sunt plura, quàm virtutes. vnaquæq; enim duo contraria extrema habet; alterum per excessum, alterum per defectum: & vtrumq; est euellendum, vt possint virtutes plantari, exeundo scil. ad e *committendum bellum* (vt Saluator dixit) *cum decem millibus aduersus eum, qui cum viginti millibus venit ad se:* *e Luc. 14. 31.* vnica enim virtute liberalitatis, pugnam inimus contra auaritiam & prodigalitatem, quę vtraq; destrui debet, vt hæc virtus plantetur.

§. I.

Qua ratione Mortificatio & Oratio in vnum conueniant.

Ex hoc principio deducimus, Mortificationē esse primū fructum Orationis; primumq; finem, in quem ea sit dirigenda. 1. Nam quia illa ex suis proprijs est adeò laboriosa, carniq; molesta; nostrum verò cor debile ac timidum ad eam exercendam, opus est eam præuenire & adiuuare Oratione & aliquib. considerationibus: quarum effectus sunt, impetrare à Deo virtutem & robur, ad nos mortificandos, & cor emolliendum igne diuinorum affectuum: vt mortificationum asperitatem cum voluptate accipiat. Quemadmodum enim ferrum, non potest malleo cudi, nisi prius in ignem mittatur, cuius calore mollescat, quia dum frigidum est, frustra cuditur:

Ita existimare debes, cor tuum, tum ex eo, quod ex proprijs habet; tum ex mala consuetudine vitæ præteritæ, esse instar ferri nigri, turpe, durum, aridum, & frigidum: nigrum, ob ignorantias: turpe, ob culpas: durum, ob iudicij proprij pertinaciam, & voluntatis propriæ obstinationem; aridum, sine humore & succo deuotionis; frigidum deniq;, absq; feruore charitatis: quod si tam malè dispositum velis violenter colere, fortiter illud mortificationis malleo percutiendo, labor tuus magis erit molestus, quàm vtilis: imò interdum erit perniciosus: indurescit enim magis ex impatientia & obstinatione: ac propterea Deus D. N. tanquam pater misericors, & faber peritus solet illud diuinæ suæ inspirationis scintillis emollire, quò posit aptius coli: quam diuinam artem secutus, curare debes, illud inducere in caminum Orationis & Meditationis; vbi diuinis inspirationib. accendatur, ardeatq; igne deuotionis, sanctorumq; affectuum, quib. emollitur, recipitq; cum delectatione & fructu ict⁹ mortificationum, & figuram induat omnium virtutum. Tu ipse accipies in manu tua malleum mortificationis; volesq; ieiunare, vt euadas temperans, & te humiliare, vt fias humilis: priuare te voluptatibus, vt fias castus. Quod si alius malleo quoq; accepto te mortificauerit, etiam id tibi placebit: sic enim te solidius cuderis, vt perfectior euadas. Estq; hoc bonum signum felicis orationis successus, si statim accipias occasionem mortificationis. Nam quemadmodum inutile esset, ferrum in ignem coniecisse, nisi statim extractum malleo cuderetur; vt antequam frigesiat & indurescat, ad intentum finem aptetur: Ita parum vtilis erit Oratio, quæ te quidem emollit, nisi statim sequatur mortificatio, quæ te aptet ac perficiat, formam scilicet desideratam inducendo. Nam sicut ignis & malleus simul domant & flectunt ferrum: Ita Oratio & Mortificatio carnem domant, & cor perficiunt, mutando illud ex obscuro in splendidum, per lumen viuæ fidei; è deformi in pulchrum, per splendorem gratiæ; è duro in molle, per subjectionem obedientiæ, & ex arido in humidum succulentum per teneritatem misericordiæ; ex frigido in accensum & ardens per feruorem charitatis; ac deniq; ex rudi & impolito, aptè elaboratum, per exercitium omnium virtutum. Felices illi, qui norunt in Orationis focum ingredi, & mox manum adhibent, ad seipsos aptandos malleo mor-
Iere.23. 9. tificationis. O Deus æterne a *cuius verba*, vt tu ipse dixisti, *sunt quasi ignis*, & simul *quasi malleus conterens petram*, introduc me in cœlestem hunc focum, loquere verbum aliquod cordi meo, quo illud emolliatur & tenerescat, cuius virtute illud mortificem & perpoliam.

2. Ex hoc intelliges causam, cur Deus Dominus noster simul nos exhortetur, & inspirationibus suis impellat ad vtrumq; hoc exercitium, licet inter-
Matt. 17. 0. dum primo loco vnum exprimat, interdum verò alterum. Quando enim
Marc. 9. 28 dixit suis discipulis: b *hoc genus Dæmoniorum non eijcitur, nisi in Oratione &*

Ieiunio, prius Orationem expreſsit, vt ſignificaret, eam eſſe præcipuam,& quæ impetret virtutem & vires,ad ieiunandum & eijciendos Dæmones:ſed in libro Canticorum, cum ſponſam inuitaret, vt cum ipſo c *aſcenderet ad montem myrrhæ & ad collem thuris*,prius poſuit myrrham mortificationis, vt ſignificaret, ſi velis orare, debere quoq; ſtatuere,vt te mortifices: exercitiū enim Orationis,affert ſecum quaſi intrinſecè coniunctum exercitium mortificationis,ad difficultates,quæ in ea ſunt, ſuperādas;ipſa verò mortificatio diſponit adiuuatq; ad Orationem & Contemplationem quietam & tranquillam impetrandam. Quamobrem,ait S.Bernardus, duo extrema ſunt tibi fugienda: alterum eorum, qui carnem ſuam nimium mortificantes, negligunt orationem; qui vt plurimum ſuperbi ſunt & arrogantes,qui delectantur rebus externis, quæ aliquem honorem pariunt, Spiritu interim & Sanctitate vacui:ideoq; dicet illis Dominus illud Pſalmi: d *Nunquid manducabo carnes taurorum,& ſanguinem hircorum potabo?* quaſi diceret: num mihi placent mortificationes ſuperborum & arrogantium, etiamſi carnes ſuas lacerent crudelibus diſciplinis? alij contra multum incumbunt in Orationem, negligentes paſsionum ſuarum mortificationem, qui plerumq; ſibi indulgentes,laxi ſunt,nec verum ſpiritum habent Orationis. Quamobrem dicet illis Deus: e *quid vocatis me Domine Domine,& non facitis quæ dico vobis?* niſi ergo in alterum horum extremorum incidere velis, neceſſe eſt vtramq; coniungere, quia mutuò ſe iuuant, ſicut duæ valdè coniunctæ ſorores.

c *Cant.* 4. *Actuū* 13 3.

Ser. 59. *ex paruis &* 4 *Quadrageſ.*

d *Pſal.* 48 13.

e *Luc.* 6.46.

3. QVANDO Oratio & Mortificatio ita ſimul conuenerunt,ipſo corde iam benè expolito,ædificant intra illud domum Contemplationis, quæ non cōceditur,niſi illis, qui longo vtriuſq; huius exercitij vſu, ad illam ſe præpararunt, quemadmodum ſupra eſt dictum. poſtquam autem ea eſt obtenta, compenſat illis bonum, quod ab eis recepit; eleuat enim ipſam mortificationem,proferendo illam in gradum multò perfectiorem. Quamobrem dixit S.Iob(vt perpendit S.Gregorius) quod deſideria veræ mortificationis, f *gaudent vehementer, cum inuenerint ſepulchrum* quietæ Contemplationis, in qua felicem hancq; optatam mortem plenè conſequuntur. Et vt idem Iob ait, g *elegit ſuſpendium anima* eorum, vt quæ à terrenis ad cœleſtia in ipſa contemplatione eleuetur: nec ſolum caro ipſa exterior, ſed & ipſa *oſſa*,quæ ſunt internæ potentiæ, *moriantur* omnibus rebus creatis, & tunc Mortificatio aſſequitur duplicem illum præcipuum finem,in quem ipſa dirigitur: vnitionem ſcilicet & concordiam carnis cum ſpiritu; pacificans crudelem illam pugnam,quæ eſt alias inter vtrumq;. mortificata enim vita carnis viuit vterq; conformiter ad vitam Spiritualem, de qua dixit Apoſtolus: h *Si ſpiritu facta carnis mortificauerimus, viuemus*: ex quo oritur vnitio cum Chriſto crucifixo,per hanc perfectam cum ipſo ſimilitudinem, iuxta illud

f *Iob* 3. 21. *S Gregor.* 5. *Mor.* c 4. & *lib.* 8 c.13.

g *Iob.* 7. 15

h *Rom.* 8. 13.

Ita existimare debes, cor tuum, tum ex eo, quod ex proprijs habet; tum ex mala consuetudine vitæ præteritæ, esse instar ferri nigri, turpe, durum, aridum, & frigidum: nigrum, ob ignorantias: turpe, ob culpas: durum, ob iudicij proprij pertinaciam, & voluntatis propriæ obstinationem; aridum, sine humore & succo deuotionis; frigidum deniq;, absq; feruore charitatis: quod si tam malè dispositum velis violenter colere, fortiter illud mortificationis malleo percutiendo, labor tuus magis erit molestus, quàm vtilis: imò interdum erit perniciosus: indurescit enim magis ex impatientia & obstinatione: ac propterea Deus D. N. tanquam pater misericors, & faber peritus solet illud diuinæ suæ inspirationis scintillis emollire, quò posit aptius coli: quam diuinam artem secutus, curare debes, illud inducere in caminum Orationis & Meditationis; vbi diuinis inspirationib. accendatur, ardeatq; igne deuotionis, sanctorumq; affectuum, quib. emollitur, recipitq; cum delectatione & fructu ict⁹ mortificationum, & figuram induat omnium virtutum. Tu ipse accipies in manu tua malleum mortificationis; volesq; ieiunare, vt euadas temperans, & te humiliare, vt fias humilis: priuare te voluptatibus, vt fias castus. Quod si alius malleo quoq; accepto te mortificauerit, etiam id tibi placebit: sic enim te solidius cuderis, vt perfectior euadas. Estq; hoc bonum signum felicis orationis successus, si statim accipias occasionem mortificationis. Nam quemadmodum inutile esset, ferrum in ignem coniecisse, nisi statim extractum malleo cuderetur; vt antequam frigesiat & indurescat, ad intentum finem aptetur: Ita parum vtilis erit Oratio, quæ te quidem emollit, nisi statim sequatur mortificatio, quæ te aptet ac perficiat, formam scilicet desideratam inducendo. Nam sicut ignis & malleus simul domant & flectunt ferrum: Ita Oratio & Mortificatio carnem domant, & cor perficiunt, mutando illud ex obscuro in splendidum, per lumen viuæ fidei; è deformi in pulchrum, per splendorem gratiæ; è duro in molle, per subjectionem obedientiæ, & ex arido in humidum succulentum per teneritatem misericordiæ; ex frigido in accensum & ardens per feruorem charitatis; ac deniq; ex rudi & impolito, aptè elaboratum, per exercitium omnium virtutum. Felices illi, qui norunt in Orationis focum ingredi, & mox manum adhibent, ad seipsos aptandos malleo mortificationis. O Deus æterne a *cuius verba*, vt tu ipse dixisti, *sunt quasi ignis*, & simul *quasi malleus conterens petram*, introduc me in cœlestem hunc focum, loquere verbum aliquod cordi meo, quo illud emolliatur & tenerescat, cuius virtute illud mortificem & perpoliam.

a *Iere.* 23. 19.

2. Ex hoc intelliges causam, cur Deus Dominus noster simul nos exhortetur, & inspirationibus suis impellat ad vtrumq; hoc exercitium, licet interdum primo loco vnum exprimat, interdum verò alterum. Quando enim dixit suis discipulis: b *hoc genus Dæmoniorum non eijcitur, nisi in Oratione &*

b *Matt.* 17. 20.
b *Marc.* 9. 28

Ieiu-

Ieiunio, prius Orationem expreſsit, vt ſignificaret, eam eſſe præcipuam,& quæ impetret virtutem & vires,ad ieiunandum & eijciendos Dæmones:ſed in libro Canticorum, cum ſponſam inuitaret, vt cum ipſo c *aſcenderet ad montem myrrhæ & ad collem thuris*,prius poſuit myrrham mortificationis, vt ſignificaret, ſi velis orare, debere quoq; ſtatuere,vt te mortifices: exercitiũ enim Orationis,affert ſecum quaſi intrinſecè coniunctum exercitium mortificationis,ad difficultates,quæ in ea ſunt, ſuperãdas;ipſa verò mortificatio diſponit adiuuatq; ad Orationem & Contemplationem quietam & tranquillam impetrandam. Quamobrem,ait S.Bernardus, duo extrema ſunt tibi fugienda: alterum eorum, qui carnem ſuam nimium mortificantes, negligunt orationem; qui vt plurimum ſuperbi ſunt & arrogantes,qui delectantur rebus externis, quæ aliquem honorem pariunt, Spiritu interim & Sanctitate vacui:ideoq; dicet illis Dominus illud Pſalmi: d *Nunquid manducabo carnes taurorum, & ſanguinem hircorum potabo?* quaſi diceret: num mihi placent mortificationes ſuperborum & arrogantium, etiamſi carnes ſuas lacerent crudelibus diſciplinis? alij contra multum incumbunt in Orationem, negligentes paſsionum ſuarum mortificationem, qui plerumq; ſibi indulgentes,laxi ſunt,nec verum ſpiritum habent Orationis. Quamobrem dicet illis Deus: e *quid vocatis me Domine Domine, & non facitis quæ dico vobis?* niſi ergo in alterum horum extremorum incidere velis, neceſſe eſt vtramq; coniungere, quia mutuò ſe iuuant, ſicut duæ valdè coniunctæ ſorores.

c Cant. 4 Aduñ 13 3

Ser. 59. ex paruis &c. Quadrageſ.

d Pſal. 41 13.

e Luc. 6. 46

3\. Qvando Oratio & Mortificatio ita ſimul conuenerunt,ipſo corde iam benè expolito,ædificant intra illud domum Contemplationis, quæ non cõceditur,niſi illis, qui longo vtriuſq; huius exercitij vſu, ad illam ſe præpararunt, quemadmodum ſupra eſt dictum. poſtquam autem ea eſt obtenta, compenſat illis bonum, quod ab eis recepit; eleuat enim ipſam mortificationem,proferendo illam in gradum multò perfectiorem. Quamobrem dixit S.Iob(vt perpendit S.Gregorius) quod deſideria veræ mortificationis, f *gaudent vehementer, cum inuenerint ſepulchrum* quietæ Contemplationis, in qua felicem hancq; optatam mortem plenè conſequuntur. Et vt idem Iob ait, g *elegit ſuſpendium anima* eorum, vt quæ à terrenis ad cœleſtia in ipſa contemplatione eleuetur: nec ſolum caro ipſa exterior, ſed & ipſa *oſſa*,quæ ſunt internæ potentiæ, *moriantur* omnibus rebus creatis, & tunc Mortificatio aſſequitur duplicem illum præcipuum finem,in quem ipſa dirigitur: vnitionem ſcilicet & concordiam carnis cum ſpiritu; pacificans crudelem illam pugnam,quæ eſt alias inter vtrumq;. mortificata enim vita carnis viuit vterq; conformiter ad vitam Spiritualem, de qua dixit Apoſtolus: h *Si ſpiritu facta carnis mortificauerimus, viuemus:* ex quo oritur vnitio cum Chriſto crucifixo,per hanc perfectam cum ipſo ſimilitudinem, iuxta illud

f Iob 3. 21. S. Gregor. 5 Mor. c. 4. & lib. 8. c. 13.

g Iob. 7. 15

h Rom. 8. 13.

i Gal. 5. 24. eiuſdem Apoſtoli: i *qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.* Qui aut ſunt cenſendi ad partes Chriſti accedere, niſi qui non ſtant à partibus mundi, aut carnis, aut ſui ipſorum, ne proprio ſuo ſpiritu viuunt, ſed ſpiritu Chriſti, cui ſunt vniti? Hi, inquam cum ad excellentem adeò vnitionem peruenerint, in hoc eam manifeſtant, quod vitam carnis crucifixerint cum omnibus eius vitijs & concupiſcentijs, vt ita ſint Chriſto conformes, k *Chriſtuſq; in illis viuat.* O Magiſter dulciſsime, ſiquidem nemo poteſt duobus Dominis ſeruire, à duabus partibus contrarijs ſtare, ego eligo ſtare ad tuas, tecumq; configi cruci, vt tu in me viuas, & ego viuam per te in æternum. Amen.

k Gal. 2. 20.

§. 2.

De variis gradibus mortificationis.

OPERAE PRECIVM tamen eſt explicare nunc, quid ſit carnem crucifigere cum vitijs & concupiſcentijs, quò agnoſcamus res illas, quas adeò perfecta mortificatio complectitur. Hoc autem intelligetur ex his, quæ S. Auguſtinus dicit de duplici genere mortificationum: quædam enim ſunt corporeæ & externæ, aliæ ſpirituales & internæ, & vtraq; eo tendit, vt quemadmodum dicit Apoſtolus, a *mundet nos ab omni inquinamento, carnis & Spiritus,* à peccatis ſcil. quæ Sancti carnalia & ſpiritualia appellant. *corporalis mortificatio* eſt illa, quæ carnis inſultus reprimit, vt illa Spiritui ſubijciatur, ieiunijs, cilicijs, diſciplinis, & alijs aſperitatibus corporis; Sanctoq; b *Dei timore* configit, quemadmodum faciebat Apoſtolus cum dixit: c *caſtigo corpus meum & in ſeruitutem redigo,* timens, *ne fortè cum alijs prædicauero, ipſe reprobus efficiar.* Ad hanc mortificationem etiam ſpectat, cohibere quinq; ſenſus corporis, & ipſam linguam continere reliquoſq; corporis motus, iuxta regulas rationis componere. Hæc item abſcindit quamcunq; ſuperfluitatem in externarum rerum poſſeſsione, fortunarum, honoris ac deliciarum; id quod neceſſarium eſt ad integram noſtram perfectionem. Nam virtutes non poſſunt conſeruari abſq; operibus externis, ad quæ illæ propriam habent propenſionem. *Mortificatio Spiritualis* interior eſt, quæ reprimit affectiones & cogitationes cordis, quam Apoſtolus appellat d *occultam circumciſionem cordis in Spiritu,* ſine qua externa carnis circumciſio nihil valebat. Eſt enim exterior abſq; interiori tanquam corpus ſine anima, idolum & larua ſanctitatis, hypocritarum propria, qui cupiunt videri mortificati, vt ſancti habeantur: quemadmodum qui vultu triſti ieiunant, in quorum e *ieiunio inuenitur voluntas eorum,* quod propterea ab ipſo Domino reijcitur. contra quos dixit S. Petrus, vt f *ſuccingeremus lumbos mentis noſtræ;* nobis ſignificans, non ſatis eſſe, ſi corpus cingatur, niſi etiam cor aſtringatur.

Serm. 20. de Sanctis.
a 2. Cor. 7. 1.
S. Greg. 31. Mor. c. 31.
S. Tho. 1. 2. q. 72. a. 2. 1.
b Pſal. 118. 120.
c 1 Cor. 9. 27.
d Rom. 2. 29
Coloſſ. 2, 11.
e Iſa. 58. 3.
f 1. Petr. 1. 13.

Inter has Mortificationes interiores & exteriores, sunt quoq; alij gradus, eò quod quædam sint de præcepto, quo nos obligant: aliæ spontaneæ, & solum ex consilio. *Primæ* sunt illæ, quæ coniunguntur bonis operibus, ad quæ obligamur lege Dei, aut Ecclesiæ, aut ex voto, & legibus particularibus nostri status: qui enim nos obligat ad ieiunium, obligat nos ad mortificandum appetitum comedendi extra tempus ad id præscriptum. & harum sunt duo gradus. Nam quædam est necessaria, vt abstineamus à peccatis lethalibus; alia, vt etiam à venialibus, mortificantes nos ipsos in rebus leuibus, ne in grauiores incidamus. Qui enim propensionem suam, ad otiosa verba proferenda mortificat, melius eandem mortificabit, quam habet ad verba iniuriosa proferenda. propterea enim iubebat Devs Nazaræos, qui g *speciale fecerint votum, & se voluerint Domino consecrare, à vino, & omni quod inebriare posset, abstinere*, à quo vt remotiores essent, etiam abstinere *ab vuis recentibus & siccis, & ab vua passa vsq; ad acinum*, vt sic doceret, eos qui perfectioni obtinendæ student, qua cura mortificationi attendere debeant, etiam in rebus paruis, quæ aliquam habent cum grauioribus affinitatem & similitudinem, vt etiam ab omni actu otioso, qui finem bonũ non respiciat, abstineant, quale est comedere acinos passularum, ad quod neq; necessitas, nec vtilitas, aut etiam rationabilis delectatio impellere possit. 2.

g Num. 6. 4.

His mortificationibus nouum perfectionis gradum afferunt illæ quæ spontè suscipiuntur, & tantum ex consilio, quibus abstinemus à licito vsu aliquarum rerum, quæ sunt alias minus perfectæ, aut admittimus alias quæ pœnam afferunt, sed ad eam subeundam non tenemur. quemadmodum Dauid mortificauit se h *non bibendo aquam* quam ipsi attulerant *ex cisterna, quæ erat in Bethleem*, quam prius cupiuerat: sic enim vicit non solum delectationem, quam bibendo percepisset; sed priorem quoq; bibendi appetitum, quem antè habuerat. Et idem, dum iniurijs afficeretur, vt se mortificaret, i *silebat à bonis*, hoc est non proferebat etiam bona, quæ in sui defensionem afferre potuisset, ne fortè laberetur in malum. Nam (vt S. Gregorius ait) *solus in illicitis non cadit, qui se aliquando & à licitis cautè restringit*. siquidẽ etiam ex Apostolo, k *non omnia quæ licent expediunt*: & in his expedit nos mortificare, vt perfectum nostri ipsorum dominium acquiramus. Pasio enim, quę hodiè me facit seruũ rei bonæ, ad quam propendeo, cras me subijciet rei malæ. Et quemadmodum palæstritæ & milites, vt strenui sint in ipsa palæstra & pugna, in qua agitur de vita, exercent se tempore pacis in aliquib. exercitijs voluntarijs, & ludicris quæ cum serijs habent similitudinem: Ita ait S. Chrysostomus, debere nos exercere & mortificare in rebus, quæ sunt de consilio, vt expediti ac strenui simus quando

h 2. Reg. 23. 16.

i Psal. 38. 3

Lib. 5. Mor c. 8.

k 1. Cor. 6. 12.

Serm de charitate, quæ iuncta dirigit to. 5.

illæ occurrent, quæ sunt sub præcepto: quamuis hæc vita, inquit, adeò plena est occasionibus mortificationum, vt non multum sit opus eas quærere: quia ipsæmet sese ingerunt, & passim occurrunt.

3. HINC etiam alia oritur mortificationum varietas. Nam (vt ait S. Augustinus & S. Dorotheus) quædam eueniunt ex propria nostra electione, quale est gestare cilicium, assumere disciplinam, fateri meum defectum, de quib. dixit Dauid, i *tribulationem & dolorem inueni: & nomen Domini inuocaui.* aliæ, non quæsitæ, inferuntur nobis ab alijs, quales sunt temporum iniuriæ, persecutiones inimicorum, superiorum ordinationes palato nostro contrariæ, morbi, & reliqua, quæ hostis noster Dæmon contra nos texit, Deusq; ipse permittit, aut disponit in bonum nostrum, de quibus dixit Dauid: k *tribulatio & angustia inuenerunt me.* De vtroq; hoc mortificationis genere instruxit Christus D. N. S. Petrũ, quando eum constituit ouium suarum pastorem, dicens illi: l *cum esses iunior, cingebas te & ambulabas, vbi volebas; cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget & ducet quò tu non vis:* quia cruci affigeris pro nomine meo. quam crucem etsi caro recuset, Spiritus tamen acceptabit; & lubens manus extendes, vt alius eas crucifigat: ita significans, hanc secundam mortificationem, cum acceptatur generosa voluntate, faciendo ex necessitate virtutem, esse valdè gloriosam & efficacem ad domandam carnem, reprimendos appetitus, abnegandam propriam voluntatem, & consequendam magnam perfectionem. de vtraq; hac mortificatione gloriabatur sponsa, dicens: m *manus meæ stillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrhæ probatissima.* Nam vt aduertit Plinius, arbores, quæ myrrham dimittũt, initio id faciunt per poros ad instar sudoris siue lacrymæ, quæ myrrha est ꝓbatissima, licet sit modica. quam ob causam arborem ipsam pungunt, finduntq; corticem per multas partes, per quas fluit myrrha copiosior. Ad eundem ergo modũ vir iustus, qui similis est arbori myrrhæ, propendens ad suæ carnis, suiq; ipsius mortificationem, eam primum exercet sponte, & à nullo alio coactus: quæ mortificatio, etsi pretiosa sit ex ea parte, qua est voluntaria; non tamen est sufficiens, vt ille sit perfectus: ideoq; disponit Deus, vt pungatur, vulneretur, ac decorticetur mortificationibus & afflictionib. ab alijs illatis, quas acceptans ille ex sua voluntate cum humilitate & patiẽtia non solum eructat myrrhã copiosiorẽ, sed etiam eo pretiosiorẽ, quò illa minus habet de voluntate propria & specie vana; & quo similior est ei, quam Christus Dominus noster acceptauit: qui totam vitam suam in continuis mortificationibus consumpsit, quas propria electione assumebat, ieiunando, vigilando, iter faciendo & se humiliando, donec in horto Gethsemani tristatus fuit, adeoq; afflictus, vt per corporis sui poros guttas sanguinis sudaret, tanquam liquorem Myrrhæ probatissimæ. Et præterea grauissimas persecutiones & humiliationes sustinuit,

In Psal. 49. S. Doro. Ser. 21. i Psal. 114. 3. Supra cap. 2. k Psal. 118. 143. l Ioan. 21. 18. m Cant. 5. 5. Lib 12 c. 14 15. 16.

donec

donec in sua passione corpus eius fuit flagellis decorticatum, spinis punctum, clauis vulneratum; per quæ vulnera cum grauissimo dolore fudit suum sanguinem, repletus myrrha non copiosa tantum, sed etiam probatissima, altissimæ humilitatis, patientiæ, & charitatis. quæ omnes mortificationes, etsi in specie coactæ viderentur, erant tamen valdè voluntariæ, ob nostri amorem & reparationem. O arbor myrrhæ altissima, cuius n *labia* semper *distillarunt myrrham primam* & selectissimam, doce nos perfectam mortificationem, quam tu ipse exercuisti, & gratia tua me adiuua, vt possim tuum exemplum imitari: punge, vulnera, decortica me pro tuo libitu, modò proferam in magna copia myrrham mortificationis, quæ tibi magis placeat.

n *Cant.* 5 *Tract.* 2. c.

§. 3.

Finis & commoda perfectæ mortificationis.

EX his quæ dicta sunt, licet cognoscere magna commoda perfectæ nostri ipsorum mortificationis; & præclaros fines, quos per illam possumus intẽdere, qui in summa sunt octo. *castigare* scilicet nos ob nostros præteritos lapsus; *purificare* ab omnibus culpis & imperfectionibus; *præseruare* à recidiuis; *vnire* carnem cum Spiritu, vt conueniant & in pace concordent ad opera diuini obsequij; *aptare* nos ad Orationem & internam cum Deo familiaritatem; *negotiari* & augere virtutes, quas sine mortificatione assequi non datur: *imitari* Iesum Christum Dominum nostrum qui eas hac eadem via exercuit: ac denique *renouare* Spiritum nostrum, vt illum cum diuino vniamus, a *expoliantes nos veterem hominem, & induentes nouum* cum præclara sua perfectione. Quamobrem sacra Scriptura propriissimè comparat mortificationem b *cingulo*. Nam quemadmodum cingulum constringit & angustat corpus, vestimenta colligit & componit ne diffluant, & incessum impediant; eadem verò carni ipsi coniungit, vt eam calefaciant ac foueant: Ita Mortificatio nos constringit & angustat iuxta Dei legem; colligit cogitationes & affectiones, ne dissolutæ oberrent; & per terrenas res raptatæ, impediant exercitia bonorum operum; mores componit, omnesque internos ac externos motus. per eam obtinetur & conseruatur facultatum & appetitionum nostrarum vnitio cum ratione; vt totus homo hoc cingulo constrictus in se possit quoque constringi & vniri cum Deo. siquidem non est absque mysterio, quod idem cingulum quod symbolum est & figura mortificationis, sit etiam vnitionis cum Christo. c *sicut* (inquit) *adhæret lumbare ad lumbos viri, sic agglutinaui mihi omnem domum Israel.* vt ex hoc appareat, quàm arctè vtraque sit coniuncta, & quàm feliciter altera alteram iuuet.

a *Colos.* 3. 9
b 1. *Petr.* 1. 1 *Ioan* 21. 18.
c *Iere.* 13 11.

HOC totum videbimus mirificè delineatum in duobus cingulis siue

baltheis, quibus cingebatur summus Sacerdos, quorum altero cingebatur d *tunica stricta*; altero verò ipsum e *superhumerale*. qui balthei, figura erant (vt perpendit Origenes) duplicis mortificationis internæ & externæ, quas vt diximus adhibere debebat summus Sacerdos, vt Sanctus esset in corpore & Spiritu, dignusque qui ingrederetur in Sancta Sanctorum, vt videret & contemplaretur maiestatem Domini, quæ in arca & eius propiciatorio adumbrabatur. Erant balthei illi ex quadruplicibus filis valdè pretiosis texti, ex quibus etiam omnes vestes Sacerdotales texebantur, ex f *hyacintho* scilicet, *purpura, coccoque bis tincto, & bysso retorta*. Baltheo autem summi Sacerdotis proprio, inserebatur adhuc filum aureum, quo ille reddebatur pretiosior. qui etiam (vt notat Iosephus & S. Hieronymus) ita texebatur, vt quatuor illi colores in certis spatiis conficerent pulcherrimos flores, ita aptè, vt viderentur veri: textura verò eius erat rotunda & longa, *in similitudinem pellis colubri, qui exuit senectutem*. Iure optimo Ecclesiasticus hunc baltheum appellauit g *zonam* Iustitiæ & *gloriæ*, vtpote in quo describebatur Iustitia & Sanctitas, qua ornati Sacerdotes, pro gloria Domini cui ministrabant, cingentes se perfecta mortificatione, cuius præcipuus finis esset, h *exspoliare* illos *veterem hominem & induere nouum*. Et eam ob causam baltheus, quo se cingebant, habebat *similitudinem pellis colubri quando exuit senectutem*, vt nos, qui i *Spirituales sumus Sacerdotes*, cum baltheum accipimus mortificationis, memores simus vetustatis, quam ex nobis ipsis habemus; & viæ ac rationis, qua vtemur ad nos spoliandos ea vt renouemur, imitantes (quemadmodum ait Sanctus Augustinus) prudentiam serpentis, cui temporis decursu senescenti pellis corrugatur suumque splendorem amittit; qua vt se spoliet, ingreditur per angustum valde foramen, & sic manet renouata, pelle altera recenti, valdeque speciosa: ad quem modum etiam iusti, qui (vt ait S. Gregorius) ipso continuo actionum suarum exercitio, insensibiliter inueterascũt, & segniores fiunt, amittentes splendorem & feruorem Spiritus, opus habent frequenti renouatione & expoliatione torporis & ignauiæ, & prauarum propensionum, quas sensim acquirunt. Contra quod nullum efficacius remedium ex parte sua habent, quàm si cingant se, & seuerè constringant, ingredientes per angustum foramen mortificationis suiipsorum, iuxta præceptum Saluatoris dicentis: k *Intrate per angustam portam, quia angusta porta & arcta via est, quæ ducit ad vitam*. quasi diceret: præcingite & constringite vos valdè, & ingredimini per angustias pœnitentiæ & abnegationis propriæ, alioquin nec vestri Spiritus renouationem obtinebitis, neque ad vitam æternam ingrediemini: per cuius portam, eò quòd angusta sit, non patet aditus discinctis, laxeque pro libitu suo viuentibus.

d *Exo. 28. 4*
e *28. 39 & cap. 29. 5.*
f *Exod. 28. 5.*
Lib. 3. Antiq cap. 8. Epist. 127. ad Fabiol. Vide Riberam lib. de vestit. Sacerdot. c. 7. 13. & 15.
g *Eccl. 45 9*
h *Colos. 3 9*
i *1. Petr. 2. 5*
Lib. quæst. ex Matt. S Tho. in Catena in id Matt. 10. Estote prudentes sicut Serpentes.
Lib. 19 Mor. c 16. ipso aliquo modo viuendi vsu inueterascimus.
k *Matt. 7. 13*

§. 4. Qua-

§. 4.

Quatuor excellentes affectus mortificationem comitantur.

SED quoniam non quælibet mortificatio prædictam renouationem perfectè efficit, necesse est eam quatuor excellentissimos affectus comitari, qui adueniunt ei ab Oratione & Contemplatione, quarum est fructus in isto gradu; & significantur per quatuor illos colores filorum, ex quibus hic baltheus texebatur, qui erant preciosissimi totius terræ. delectatur enim Deus, quod a *in omnibus nostris operibus simus præcellentes*; sanctaque b *æmulatione* contendamus, ad *charismata meliora* virtutesque perfectissimas, à quibus quatuor hi affectus proueniunt. a Eccl. 33. 23 b 1 Cor. 12. 31.

PRIMVS AFFECTVS, significatus per *hyacinthum*, qui est coloris cœlestis, est *puræ intentionis*, ac finis non terreni sed cœlestis, quemadmodum postea dicemus: adiunctis eidem desideriis valde excellentibus rerum æternarum, quò mortificatio suauissima sit, ac meritoria. affectus enim Spiritus, dulcorant, & attollunt pœnas & afflictiones corporis. Ad quod magnum adfert adiumentum *secundus affectus*, figuratus per *purpuram*, quæ est coloris sanguinei, ACCENSVM scilicet DESIDERIVM subeundi multos grauesque labores, vt peccato resistas, & Christum imiteris: optando, si opus esset, sanguinem effundere, propriamque vitam exponere. Nam sicut purpura quæ adeò est pretiosa, vt ea olim Reges induerentur, tingebatur sanguine cuiusdam piscis: ita perfecta mortificatio non obtinetur, nisi generosa hac animi resolutione, ac desiderio proprium sanguinem effundendi, quando ita expediuerit ad eius Domini gloriam, qui horrendis doloribus suum effudit; vt nos illo tincti, essemus mundi, diuites, ac pretiosi in diuinis eius oculis. Sic autem mortificatio euadit valdè suauis, quia vehemens desiderium multa patiendi, efficit vt quicquid patiaris, parum tibi videatur. 1. C. 11. 2.

HOC ipsum multò melius obtinetur affectu *tertio*, qui significatur per *coccum bis tinctum*, qui est coloris accensi tanquam ignis, & symbolum CHARITATIS cum duplici suo amore, Dei. sc. & *proximi*, quæ suaui quodam & efficaci modo mortificat, vrit & consumit in nobis quicquid aduersatur voluntati Domini, quem diligimus; donec illud in pulueres redigat & nihilum: quemadmodũ mors & sepulchrum dissoluunt, vt supra est dictũ. Nec sine mysterio affectus hic significatur per coccum, cuius tinctio, adeò splendida & elegans, fit ex quibusdã vermiculis adeò minutis, vt videantur pulueres: ideoque puluerum nomine appellantur, ita vt coccus præstantissimus dicatur, coccus de puluere: vt intelligatur, quod splendor & feruor charitatis prouenit ex eo, quod Iustus seipsum agnoscat & humiliet; ac vermiculum & puluerem reputet, qui eiusdem charitatis igne, se magis 3. Tract. 2. c. 14.

mor-

mortificet & comminuat; ac tanquam vermem, puluerem & cinerem tractet, ob nihilum, quod ex seipso habere cognoscit: & tunc maximè efficit, vt mortificatio sit suauis, fortis ac splendens, vbi enim amor locum habet, nullus sentitur labor.

4. DENIQVE sicut charitas coniunctam habere solet puritatem, *quartus* AFFECTVS per *byssum retortam* significatus, erit DESIDERIVM vehemens PVRITATIS corporis & animæ; ex quo procedit, vt facillimè mortificetur & conculcetur, quicquid maculat hanc puritatem, & deformat cordis munditiem, & quicquid aliquo modo causa esse potest & occasio illam inficiendi, torquendo & retorquendo in eum finem omnes carnis appetitiones, propriæque voluntatis affectiones. Nam quemadmodum filum byssi, nisi benè contorqueatur, facilè frangitur, ac propterea volebat DEVS, vt esset retortum: ita puritas, nisi mortificationem comitem habeat, facilè amittitur; si autem sit eius comes, diu durat. Hi sunt quatuor præcipui affectus, ex quibus texitur baltheus mortificationis, quo spirituales Sacerdotes sunt cingendi & constringendi ad imitationem summi Sacerdotis Christi IESV, qui eisdem se succinxit & exornauit. Quamobrem

c Isai. 11. 5. de eo dixit Isaias: c *erit Iustitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius.* Si enim diligenter attendamus totam eius vitam à præsepio vsque ad crucem, adeò strictè fuit cinctus, vt nec momentum habuerit quie-

d Marc. 10. 38. tis, sed continuè hauserit d *calicem* afflictionum, dicens se valdè e *coarctari*

e Luc. 12. 50. & angustari præ desiderio *baptismi* tribulationum, quo sciebat, se *baptizandum*: In omnibus autem, quæ fecit & perpessus est, mirificè elucebat *hyacinthus* cœlestis *intentionis*, qua semper quærebat gloriam æterni Patris; & *purpura* inuictæ *patientiæ*, qua complectebatur omne genus tormentorum, vsque ad effusionem totius sanguinis, quo sacratissimum eius corpus tingebatur: *coccus* etiam bis tinctus ardentissimæ eius *charitatis*; quam ostendit moriendo, vt cœlesti suo Patri obediret, & hominibus etiam inimicis benè faceret; ac denique eluxit *byssus* retorta, purissimæ ipsius *munditiei*, absque vllo culpæ, aut imperfectionis vestigio aut odore. Huic verò telæ addebat filum aureum infinitæ suæ Sapientiæ ac diuinitatis, cuius causa, opera & mortificationes erant valoris infiniti, vtpotè DEI & hominis opera, quibus nulla alia possunt æquari; quamuis liceat eas imitari, petentibus aurum Sapientiæ, cuius creaturæ sunt capaces. O summe Sacerdos ac DEVS æterne, qui ex tela adeò pretiosa texuisti baltheum tuæ mortificationis, vestesque tuarum virtutum, vt in Sancta Sanctorum gloriæ tuæ ingredereris, concede mihi copiosam tuam gratiam, vt similem telam texere possim. Concede, ô Magister supreme, aliqua fila aurea quibus eam exornem, communicando mihi excelsas cogitationes, ac sensus tuæ cœlestis sapientiæ, quibus ornatus ingrediar in Sancta Sanctorum tuæ diuinitatis & humani-

tatis,

tatis, vt eius magnalia contempler, quia tali auxilio adiutus, facilis mihi erit quæuis mortificatio propria.

§. 5.

Feruor Spiritus in mortificatione.

Qvis autem referre posſit pulcherrimos innumerabilium virtutum flores, qui ex quatuor his affectibus in cingulo perfectæ mortificationis oriuntur? Sufficiat nobis dicere, quod omnes virtutes morales, nulla omninò exclusa, exornent illud cingulum quo nos cingimus in actionibus omnibus, iuxta regulas rationis. qui virtutum flores, quando à principiis adeò nobilibus proueniunt, adeò sunt excellentes, vt ad viuum referre videantur eas, quę in nostro Saluatore eluxerunt. Sed vt aliqua ex parte hoc intelligatur, audiamus aliud quiddam singulare, quod Iosephus narrat de hoc baltheo, dicens, habuiſſe quatuor cubitos in latitudine; adeoque longum fuiſſe vt cum bis totum corpus circa pectus circundaret, supereſſet præterea tantum vt vtraque extremitas ad pedes vſque penderet. Quid autem erat, quatuor cubitos habere in latitudine, niſi quod nobis significabatur, perfectam mortificationem debere nos cingere in quatuor rebus, quas homines magnifaciunt: in facultatibus ſcilicet, voluptate, honore, & libertate propria: quod præſtant eminenter paupertas ſpiritus, temperantia in voluptatibus, cordis humilitas, & exactiſsima obedientia. Quibus virtutibus bis nos cingere debemus, quò nostra mortificatio plenior ſit ac diuturnior: ſemel quidem in rebus præceptis, quod faciunt iuſti, qui vitam ducunt communem iuſtorum; ſecundò verò, vt dictum eſt, in materia conſiliorum, quod præſtant qui ſunt feruentes, præcipuè religioſi; qui votis ſe cingunt & obſtringunt, vt diutius durent in earum abnegatione. hoc itaque eſt, quod cingulum bis corpus circumdaret: licet enim ſatis fuiſſet, ſi ſemel circumdaret, ne quis diſcinctus incederet: ſed tunc facilè cingulum laxatur, niſi ſecundò circumdetur, vt prior circulus ſit fortior ac firmior.

Virtutes morales comitantur mortificationem.

Verum multò adhuc vlterius progredi debet feruor perfectæ mortificationis, ita vt non ſimus contenti, & ſiſtamus propterea quod bis nos cinxerimus; ſed multum adhuc ſupereſſe nobis debet, vt amplius, ſi opus erit, nos præcingamus. Quare ſi feruens ſis, cum te videris mortificatum in omnibus, ad quæ tuæ vires ſe extendunt, non debes faſtidio aut tædio, aut ſpiritus defatigatione quieſcere; ſed viuum potius quoddam deſiderium concipere, amplius te mortificandi, ſi poſſes; & te ipſum pręparare ad quamcunque mortificationem, quæ ad Dei gloriam, & propriam tuam perfectionem conuenire poterit, & conferre. Talis erat feruor Apoſtoli, quan-

Deſideriũ mortificationis vltra proprias vires.

a Act. 21.13. do a *Propheta Agabus. accepta Zona Pauli, eaq; alligans sibi pedes & manus dixit: Hæc dicit Spiritus sanctus, virum, cuius est Zona hæc, sic alligabunt in Ierusalem Iudæi, & tradent in manus gentium.* Sed strenuus miles, hac Prophetia audita, non tristatur nec flet, nec timet, aut fugit; non petit sententiæ reuocationem, nec repugnanter eam accipit, quasi qui non possit resistere: sed potius reuerenter excipiens vocem Spiritus sancti quæ talem illi prædicebat comprehensionem, statim respondit: *ego non solum alligari, sed & mori in Ierusalem paratus sum, propter nomen Domini* IESV. O virum inuictum, quem minæ tales non timidum reddiderunt, sed nouum spiritum, & feruorem addiderunt: & parùm iudicans esse, quod comprehenderetur, & catenis alligaretur, offert se, vt etiam clauis cruci alligetur & configatur, donec in ea mortem obeat. Hoc est, quod pendeat vsque ad pedes id, quod de cingulo superest, quo significatur nobis, quod nostra mortificatio comitari debeat omnes gressus nostros, vsque ad finem vitæ.

Continuãda Mortificatio vsq; ad mortẽ. Lib 8. Moral. cap. 2. ATTENDE itaque frater, quid cogites, quid loquaris, quid diligas, quid oderis, & quid intendas, opereque exequaris: & cura, vt semper te comitetur cingulum mortificationis. Semper enim inuenies aliquid, in quo te præcingas & mortifices. Semper (ait Greg.) mortificet spiritus, quod caro profert; semper enim illa aliquid producit, quod spiritum mortificat. Licet sis Nazaræus & valdè sanctus, non poteris tamen euellere capillos tuarum cogitationum, & affectuum superfluorum, sed summùm poteris b *eos radere nouacula,* quantumcunque excessus tuos mortifices: quoniam radices intus adhuc manent, producent iterum aliquid meritò mortificandum. Vinea est anima tua, nec sufficit semel illam putare, sed quotidie ait S. Bern. inuenies aliquid in ea putandum falce mortificationis. Erras, si existimas, vitia esse omninò mortua. Nam in tuum despectum, habitat aliquis Iebusæus intra terminos tuos, quem subijcere quidem poteris, sed non omninò destruere. Si vis c *sequi Christum, abnega temetipsum, & tolle crucem tuam quotidiè,* sicut ipse dixit: d *semper mortificationem* IESV *in corpore tuo circumferens,* omni tempore, omni loco, & in quacunque occupatione. Nam vt ait S. Leo Papa. *sicut totius est corporis piè viuere: ita totius est temporis crucem ferre,* sine qua piè non viuitur.

b Num. 6. 9.

Serm. 58. in Canti. Cassi. colla 24. c. 2

c Luc. 9.23

d 2. Cor. 4. 10.

Serm. 9. de Quadrages.

e Rom. 8.36 ET quid multum est, e *si te mortifices tota die, æstimans te ouem esse occisionis,* propter dulcem tuum Redemptorem, qui se continuè præcinxit, ac mortificauit, & licet tribus clauis fuerit præcinctus & confixus, multo tamen plura pati desiderauit, quàm reipsa est perpessus: & postquam tanta passus est, fuit tamen quod superfuit eius cinguli infinitum, eò quòd omnia, quæ pertulit, fuerunt exigua, ad eius desiderium comparata.


f Luc 12.37. BEATVS eris si hoc modo te præcinxeris. Nam, *cum* iste *Dominus* ad iudicandum *venerit*, deducet te in regnum suum, & *faciet te discumbere, &*

præcingens se, ministrabit tibi, implendo omnia tua desideria visione suæ diuinitatis, tuis meritis proportionata: g *dabitq; tibi mensuram bonam, & confertam, & coagitatam & superessfluentem*. *Bonam*, eò quod bonitatem dilexeris; *confertam* eò quòd te mortificaueris in rebus omnibus tibi præceptis: *coagitatam*, eò quod te abnegaueris in aliis multis, quæ non erant præceptæ, sed sub consilio: & patienter tuleris, quod alij tibi molesti fuerint, & *superessfluentem*, ob desideria mortificationis subeundæ, vltra quàm posses ferre. g *Luc. 6. 38.*

NE verò existimes, vniuersum mortificationis præmium differri in alteram vitam; etiam in hac eius præmium habebis: cinget enim te hic Dominus secum, dulcis vnitionis cingulo, quam solet in dulci Contemplatione communicare: quæ præmium est eorum, qui se mortificant; & nouum incitamentum, vt in mortificatione pergant. Audi quid ipse dixerit per suum Prophetam: h *sicut adhæret lumbare ad lumbos viris, sic agglutinaui mihi omnem domum Israel, & omnem domum Iuda; vt essent mihi in populum, & in nomen, & in laudem, & in gloriam.* Quæ est domus Israel & Iuda, nisi congregatio Iustorum? qui se generosè præcinxerunt ac mortificarunt & peruenerunt ad videndum Deum per Contemplationem: eumque laudandum, ob tot magnalia, quæ in se habet. Hi sunt tanquam cingulum seu lumbare Dei, quia perfecti amoris vnitione illos sibi agglutinat: vt ostendat magnitudinem suæ Charitatis & Misericordiæ. Hi (ait S. Ambrosius) sunt i *Zona illa aurea qua S. Ioannes vidit Christum D. N. præcinctum ad mammillas*: eò quod illos habeat sibi vnitos, detque illis degustandam dulcedinem consolationum, quæ à diuino suo pectore profluunt. O suprema sublimitas! O immensa dulcedo! beati qui se ita præcingunt, siquidem tantam excellentiam consequuntur: & fruuntur tanta iucunditate ac dulcedine. præcinge te anima mea magno feruore, si vis, vt te Deus secum agglutinet. Non enim delectatur discinctos secum vnire: & repellit potius à se non mortificatos. O Deus æterne, præcinge & arctè constringe me tecum, vt arrideat mihi semper esse me benè præcinctum. Nam si tuus aduentus ad iudicandum sic me præcinctum inuenerit, certus sum, quod me præcinges vnitione æternæ tuæ gloriæ, Amen.

h *Ier. 13. 11.*

i *Apoc. 1. 13.*



CAPVT IV.

DE TERTIO FRVCTV ORATIONIS, RENVNCIAtione ſcilicet omnium rerum, & variis eius gradibus, quorum alij ad Contemplationem diſponunt, alij ex ea naſcuntur: & quod in ea promiſſum centuplum obtineatur.



ORTIFICATIONI tuiipſius affinis eſt abrenunciatio rerum omnium, adeò celebris in ſacro Euangelio; quæ ex ſe quidem moleſta eſt, ſed quando charitas & cum Deo coniunctio illam producit tanquam ſuum fructum, euadit valdè ſuauis. Quemadmodum enim homo qui valdè friget, valdè etiam ſibi applicat veſtes, vt foueatur & caleſcat: ſi verò valdè caleat, exuit illas, ac reponit, quia graues illi ſunt, contentuſque eſt ſolum neceſſariis, vt ſe decenter contegat: Ita qui friget, aut in ſpiritu eſt tepidus, deficiente calore amoris Dei, conquirit multa bona externa, quibus valdè afficitur, vt in Creaturis leuamen inueniat, quod non inuenit in Creatore. Quod ſi ferueat amore ſummi boni, ſtatim abijcit à ſe externa hæc bona, tanquam moleſta, & quæ huius amoris puritatem impediant. vixque ex illis, quod neceſſarium eſt, accipit, dicens cum Apoſtolo: a *habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti ſumus.* Et propterea fortè cùm Spiritus S. dixiſſet: b *dilectionem eſſe ſicut lampades ignis atque flammarum,* adiecit: *ſi dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam.* flammæ enim cordis efficiunt, vt ad interiorem ſuum ignem conſeruandum, deponat veſtimenta corporis, facultates, ac fortunas, quibus ſentit ſe onerari, abijciat.

a 1. Tim 6.8.
b Cant. 8.7.

HINC fit, vt etiam hæc renunciatio, fructus ſit perfectæ Contemplationis. Nam qui ſummi huius boni præſtantiam cognouit, & infinitæ eius bonitatis dulcedinē deguſtauit, ſtatim contemnit quicquid creatum eſt: & ſicut ipſe Apoſtolus, c *omnia exiſtimat detrimentum* eſſe, vt aſſequi poſſit *eminentem ſcientiam Ieſu Chriſti D.N.* cum quo eſt contentus, etiamſi reliqua omnia deſint. Et ideo S. Thom. ait indicium eſſe magnæ charitatis, omnia huius mundi relinquere, quò quis ſolum in Dei contemplatione occupetur. magnum enim eſt indicium, quod quis eum multum amet, ſi vt illum videat, omnia quæ in terra habet, relinquat: in qua, vt mox videbimus, centuplum recipit eorū, quæ pro Chriſto D.N. reliquit. quā retributionē expertus nō ſolū approbat factā renunciationē; ſed animum potius reſumit, vt iis renūciet, quæ

c Philip. 3 8.
2. 2 q 182. a. 2. ad 1.

reman-

remanserant: crescens ita per gradus renunciationis, vsq; ad supremum. Ad cuius rei declarationẽ est præmittendum, ꝙ hæc renunciatio præcipuè fundetur in illa sollemni Saluatoris nostri sententia, dicentis: quod queẽadmodum nemo potest turrim ædificare, qui sumptus necessarios non habeat ad eam perficiendam: neq; exire ad bellum cõmittendum aduersus suũ hostem, nisi sufficientem habeat exercitum, vt occurrere illi posit: d *Sic* (inquit) *omnis ex vobis, qui non renunciat omnib. quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* d Luc. 14. 28.
Quibus verbis nos monet, quod hæc renunciatio sit necessaria ad ædificandam turrim Christianæ perfectionis: & vincendos hostes, qui eã impediũt. Sed quemadmodum hæc perfectio varios habet gradus, quosdam, qui sunt sub præcepto, alios, qui tantum sub consilio: ita etiam ipsa renuntiatio varios gradus habet, sicut iam declarabitur.

§. 1.

Duplicem renunciationem esse sub præcepto.

PRIMVS gradus est renunciationis rerum omnium, & personarum, quæ nos impediunt exequi diuinã voluntatem: & scandalo nobis sunt, aut occasioni, contra illam aliquid faciendi. In tali enim causa omnia sunt relinquenda, etiamsi valdè sint necessaria & pretiosa, ne Deum amittamus. Ad hunc perfectionis gradum obligati sunt omnes Christiani: sine quo nec primum lapidem in hoc ædificio iacere, nec vllam victoriam in hac pugna obtinere, nec in vitam æternam introire poterunt, iuxta Christi D.N. sententiam, dicentis, a *si manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & proijce abs te: bonum est tibi, ad vitam ingredi debilem vel claudum, quàm duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum. Et si oculus tuus scandalizet te, erue eum, & proijce abs te, bonum tibi est cum vno oculo in vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.* quod idem est atq; si dixisset, si qua persona aut res aliæ huius mundi fuerint tibi occasio peccandi, quantumuis sit illa tibi coniuncta amicitia, aut sanguine, adeoq; necessaria & vtilis sicut est manus, vel pes, vel oculus: discede ab ea: præstat enim animam tuam saluam facere, sine tali re, aut persona, quam cum illa damnari. Sed quoniam non est credendum, supremum nostrum Magistrum, casu tantum fecisse mentionem harum trium corporis partium, fortè voluit tria genera personarum nobis in memoriam reuocare, quarum opera indigemus. Quædam enim sunt nobis superiores, tanquam oculi: aliæ inferiores, tanquam pedes: aliæ æquales, quæ in medio sunt tanquam manus: quæcunque harum sit tibi impedimento ad Deo seruiendum, illiq; obediendum, deserenda tibi est, siue sit superior, quales sunt parentes: siue inferior, quales sunt famuli: siue pares, quales sunt fratres & amici: de quibus dictum 1. a Matt. 18. 8. & c. 5. 29.

Quod si scire velis, qua ratione sit renunciandum, audi præclarum illud Apostoli documentum: c *Hoc itaq; dico fratres, tempus breue est: reliquum est, vt & qui habent vxores, tanquam non habentes sint, & qui flent tanquam non flentes, & qui gaudent, tanquam non gaudentes: & qui emunt, tanquam non possidentes: & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur, præterit enim figura huius mundi. volo autem vos sine solicitudine esse.* O sublimitas Christianæ perfectionis: O turris excelsa, à cuius ædificio, neq; coniugati excluduntur, neq; diuites, nec mercatores aut negotiatores, nec quibus prospera eueniunt, aut mundi splendores: modo rebus suis omnibus renuncient affectu: quamuis effectu & reipsa eas non abijciant, aut deserant. Si vis perfectus esse, habes verò vxorem, filios & familiam, ita viue, atque si eam non haberes: procurando (vt ait Sanctus Gregorius) cor tuum ita ab eis excarnare, vt eorum causa nec facias, quod est tibi prohibitum, nec negligas imperatum: nec diminuas Dei amorem, nec obliuiscaris tractationis cum eo familiaris. Quod si defles, quod tibi accidunt aduersa: aut exultas quod prospera: id ita fac, vt neq; te fletus deijciat, nec effundat exultatio. Nec lachrymas intermittas pro tuis peccatis, ob eam exultationem: aut gaudium in solo Deo propter illum fletum. Quod si emas, aut vendas, vt noua temporalia bona acquiras, id fac animo adeò à cupiditate expedito, atq; si emptio aut venditio non tibi, sed alicui alteri fieret. Si vteris bonis, quæ in hoc mundo habes, id fiat tanta puritate ac libertate cordis, atq; si ea non haberes: vt non propter illa euanescas, nec tuam in eis fiduciam ponas: neque enim id facere, magnum quid est: siquidem transit figura huius mundi, tempusque vitæ est breue. prudentiæ itaque est, ea quæ in mundo sint ita accipere, vt cor tuum illis non adhæreat: nec æternorum negotiationem impediat. Beatus vir, qui hac ratione viuere potest: Sed d *quis est hic & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua.* stupenda res est lilium inter spinas: vt quis scilicet in virtutibus ita crescat, vt diuitiarum spinæ & curæ, quæ illis coniunguntur, illum non suffocent. Sed hæc prodigia fructus sunt Orationis, cum feruenti spiritu frequentatæ: in qua reteguntur multæ fraudes ac doli, viresque recipiuntur ad transeundum ita per bona temporalia, vt non impediant æterna.

c 1 Cor. 7. 29.
3 part. Pastor. admonit. 28. S. Thom. lect. 6. in 1. ad Cor. 7.
d Eccl. 31. 9.

§. 2.

De triplici renunciatione ex Consilio.

Nemo potest negare, quod sit valdè difficile huius vitæ bona ita possidere, vt cor illis non adhæreat, nec eorum abundantia suffocet Spiritum: quemadmodum apparet in tribus illis viris, a *qui ad cœnam vocati*

a Lucæ 14. 18.

nudi sequentes nudũ Iesum. alij enim virginitatem vouentes coniugijs renunciant, alij facultates suas pauperib. erogant, alij simul omnia abiiciunt, vt in desertis, aut cœnobiis vitam ducant. O dulcissime Iesu exactè quidem ꝙ dixeras impleuisti, *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* exaltasti, Domine, tuos discipulos, vt omnia relinquerent, quò te sequerentur: & eosdem exaltasti, vt perfectionis altam turrim ædificarent, in qua reddis illis centuplum eorum, quæ reliquerant, multosq; video ad altissimã tuorum magnatum contemplationem erectos, eo quod se humiliauerint ad abiectiones tuas amplectendas: Exalta me Domine, tecũ in tuam istam crucẽ, vt ex ea etiam euehas ad Regni tui gaudium.

d *Ioan.* 12. 32.

Sed altior tamen quidam gradus nobis superest in hac renunciatione, ad ipsum Saluatorem nostrum perfectè imitandum: vt non solum reb. nostris, sed nobis etiam ipsis renunciemus, exspoliantes nos omni iure quod ad eas percipiendas, aut liberum earum vsum habere poteramus. Hæc est feruens renunciatio, quam faciunt Religiosi vt perfectionis turrim firmissimè erigant, & ad summum vsq; fastigium perducãt. Voto.n. Castitatis renunciant voluptatib. licitis Matrimonij, & iuri omni quod ad eas habebãt. Voto paupertatis renunciant dominio diuitiarum, & libero earum vsui iuriq; easdẽ aut ꝓcurandi, aut retinendi: voto obedientiæ renunciant libertati & voluntati propriæ: & omnib. tribus votis offerunt Deo quoddam de seipsis, rebusque suis sacrificium, illi simile, quod in lege veteri appellatur e *Holocaustum,* quod (teste Philone) erat omnium excellentissimum, eò quod esset ab omni cupiditate & proprietate alienum. Nam qui animal in Holocaustum offerebat, nihil eius sibi reseruabat, sicut in reliquis communib. sacrificiis: sed integrum omnino Deo offerebat, & igne sacrificij cremabat. Sæculares homines (ait S. Gregorius) offerunt Deo commune sacrificium, vt qui partem aliquam Deo offerant, partem verò sibi reseruent: voluptatum enim carnis illicitas sacrificant, retinent verò sibi licitas in Matrimonio: distribuunt quoq; suas facultates, aliquam partem Christo in eius pauperibus largiendo, sed reliqua sibi seruant in proprias expensas: libertatem quoq; diuidunt, iugulando eam in iis quæ sunt contra diuina præcepta, eandem tamen retinent in iis, quæ tantum sunt sub consilio. At Religiosi omnium offerunt holocaustum renunciantes omnibus, & cremando omnia igne diuini amoris, nihil sibi reseruantes, sed suo dilecto omnia offerentes quicquid sunt, quicquid habent, quicquid desiderant, aut quicquid habere aut desiderare possunt. Hæc sunt f *holocausta,* quæ Dauid *medullata* appellat, hoc est, cum ipsa etiam medulla, quæ (teste S. Augustino) est intima in animali. nam pellis carnem vestit, hæc os, quod in se claudit medullam: ignis autem holocausti totum comburit: facultates, carnem, voluntatem, & intima cordis Creatori suo totum offerendo. Quis mihi hoc tribueret Saluator mi vt g *in his holo-*

Renunciatio Religiosorum.

e *Leu* 6. 9. *Lib. de victimis.*

Hom 12. & 20 *in Ezech* & *S Thom* 2.2 q 186. a. 7.

f *Psal.* 65. 15. Ibidem.

g *Psal* 65 15. *Aug. Ibi*

caustis intrarem domum tuam, votaq; mea tibi rêdderem ardentissima: *Totum consumat ignis tuus: nihil mei remaneat mihi: totum sit tibi.*

ol.3. cap.6. HINC ascenditur ad renunciationẽ perfectissimam, quam extollit valdè Cassianus, qua homo rebus omnibus visibilibus renunciat, spolians Spiritum suum omnib. imaginationibus, cogitationibus ac desiderijs rerũ creatarum, quatenus impedire possunt, aut retardare purissimum amorem Creatoris transferens illa omnia in ipsum, quò eius affectio & conuersatio sit in cœlis: qua conuersatione summum fastigium imponitur Euangelicæ turri, finisq; perfectionis obtinetur, hostib. omnino prostratis: eò quod ad locum ille altum eisq; superiorem conscenderit. Hæc renunciatio est proprius fructus contemplationis: in qua vt superius est dictum, iustus moritur rebus omnibus visibilibus & creatis, quò Deo soli viuat, eius soli Spiritui vnitus.

§. 3.

De præmio Centuplo.

NE verò animum despondeamus in rebus adeò excelsis procurandis, statuit prouidentia diuina, (ait S. Ioannes Climacus) vt in oratione & contemplatione recipiatur excelsum illud præmium, quod Christus D. N. renunciantibus promisit, cum dixit. a *omnis qui reliquerit domum vel fratres, aut Patrem, aut Matrem &* cætera, *propter nomen meum, centuplum accipiet in hac vita &* b *nunc in hoc tempore*, intelligens per hoc centuplum abundantiam præcipuè bonorum spiritualium, quæ ita corporalia excedunt, sicut centenarius numerus vnitatem. Quæ bona etsi innumera sint, ad tria tamẽ insigniora reduci possunt: ad perfectionem scilicet vitæ spiritualis, cum augmento virtutum omnium: Ad lætitiam & gaudium Spiritus S. cum ea pace quæ exuperat omnem sensum: & ad vnitionem & possessionem, si ita loqui licet, ipsius Dei, cum speciali protectione, quam ipse suis adhibet. quæ omnia tria bona cognoscuntur, æstimantur, ac delibantur in oratione & contemplatione: qua etiam conseruantur & augentur ad eum modum, quo Iacob cum renunciasset domui paternæ, & ijs quæ in illa habebat, pergens per desertum in Mesopotamiam (vbi duxit Lyam & Rachelem) in medio itinere vidit mysticam illam scalam, cui Deus ipse assistebat, qui dixit illi: c *ero custos tuus quocunq; perrexeris*, tantaq; consolatione fuit in ea contemplatione Iacob affectus, vt ex ea valdè fuerit animatus ad iter suum prosequendum & perficiendum. In hunc ergo modum incipienti renunciare rebus terrenis, largietur tibi cum proportione Deus res cœlestes, iuxta id quod promisit dicens: d *date & dabitur vobis: eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.*

Gra 28.
a Matt.19. 29.
b Marc. 10 30.
c Gen 28.15.
d Luc. 6 38.

PRIMVM enim prout ascendes per gradus renunciationis, perges quoq;

ascen-

ascendendo per gradus orationis & contemplationis, donec peruenias ad perfectionem charitatis,omniumq; virtutum,quæ per centenarium numerum significantur. Quemadmodum S. Gregorius præclarè perpendit: non deserunt, inquit, viri Sancti res terrenas, vt easdem multiplicatas in hoc mundo recipiant: qui enim res terrenas desiderio terreno deserit, verè eas non deserit,sed potius quærit. quare numerus centenarius in hoc loco,perfectionem significat Spiritus, quæ contemptis rebus temporalibus amore Creatoris,acquiritur. Quod indicabat ille Angelus, qui e *metiebatur latitudinem & longitudinem templi à facie portæ inferioris, vsq; ad frontem atrij interioris extrinsecus*, vt intelligeremus à primis exercitijs fidei,quæ prima porta est, aditusq; ad perfectionem, vsq; ad perfectam contemplationem, in qua intimè coniungimur Deo, intercedere exercitia omnium virtutum, quibus hæc perfectio plenè obtinetur: quam largietur D.N. ei qui instar Angeli renunciauerit rebus omnibus terrenis: centumq; hos cubitos progrediendo, id est,practicè in his se virtutibus exercendo metietur. O quot iusti(ait idem S.Doctor)subjecti viuunt multis sæculi huius necessitatibus, cuius curis etiam seruiunt: quibus ita intricantur, vt quamuis vera gaudia cognoscere liceat: *amare tamen non tantum licet,quantum libet*, tanto scilicet feruore, quanto ipsi vellent, donec à Deo inspirati excutiant à se iugum huius mundi rebusq; suis omnibus renuncient, deponendo omnes curas huius sæculi,magnoq; desiderio sinus animæ dilatando ad cœlestes influxus recipiendos:eligendoq; sibi quandam vitam collectam, in qua Sanctas orationes ac meditationes exerceant, lachrymarum fontes ex oculis dimittentes,cordis torporem igne diuini amoris consumentes, seq; ipsos in rebus omnibus suis renouantes: tunc enim centuplum accipiunt eorum,quæ reliquerunt. Pro diuitijs enim temporalibus spirituales recipiunt: & pro honoribus, quos in mundo habebant, implentur virtutibus, ac donis spiritus S.Sapientiaq; & scientia iucunda Dei: quæ adeò inferiora omnia excedit, vt Sapiens f *diuitias nihil esse duxerit in comparatione illius: & omne aurum in comparatione illius arenam esse exiguam: & tanquam lutum æstimari argentum in conspectu illius.*

Hom. 18 & 19. in Ezech.

e Ezech. 40. 19. & 28.

Hom. 19. in Ezech.

f Sap. 7. 9.

2. De Instit. Monast. c.

Qvid autem dicemus de illa lætitia & gaudio, quod Spiritus S. in Oratione & contemplatione ei communicat, qui ipsius amore res omnes abjecit? Proculdubio delectatio, quæ oritur ex eis relictis, millies excedit eam, quæ oriebatur ex earum possessione. Iusti feruentes, ait S. Basilius multo iucundiores sunt ac lætiores cum paupertate, quàm diuites cum diuitiis: plusq; delectantur sua vilitate, quàm magni sua exaltatione:magisq; contenti cum castitate, quàm homines sensuales cũ suis voluptatibus,& libentius habent ipsi suos dolores,quam homines huius mundi suas delicias.No-

minatim enim promisit Dominus, g *se illis daturum centies tantum cum ipsis persecutionibus*, dum scilicet ipsæ perdurant, tantam eis lætitiam communicando, vt in ipsis persecutionib. exultent. O dulcedo immensa: O gaudium ineffabile: quæ potest maior esse dulcedo, ea, quæ id quod in hac vita est amarissimum, dulcorat: & quod maius gaudium, eo, quod cor in reb. etiam tristissimis huius vitæ exhilarat. O Deus liberalissime: ego h *eligo abiectus esse in domo tua magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum: quia melior est dies vna in atriis tuis super millia* extra illa. Quod si vnus dies ꝓ mille valeat: iã nõ solum centum accipio, sed mille ꝓ vno. Ne existimes, frater, quod, quando rei alicui, Christi amore, renuncias, illam omninò amittas: aut credita pecunia, ad terminos alterius vitæ longos diuendas, potius existimare debes, eam renunciationem esse instar cuiusdam venditionis, qua Deo rem illam tradis, vt in numerato tibi soluat in hac ipsa vita, & in hoc ipso tempore, pretioq; adeò sublimi, vt pro ea re, quæ vnum tantum valebat, det tibi centum. Est instar cambij, quod facis intra idem regnum ad breues terminos & interdum statim inspecta Cambij scheda, idq; ingenti adeò lucro, vt tu dans vnum, accipias centum, & quid dico centum: millies, millies plus valet quod accipis, quam quod deseris. Nam (vt perpendit S. Augustinus) hic numerus centenarius, non significat numerum determinatum: sed omnia illa, quæ possis desiderare, ad satiandum cor tuum: & vt sis beatus eo modo, quo in hac vita esse potes, cum eius Regni possessione, quod Paulus appellat i *Iustitiam, Pacem, & gaudium in Spiritu S.* O fœlix Regnum, cuius leges sunt iustitia: diuitiæ, virtutes: muri, pax: alimenta, gaudium: prospector, Spiritus S. & supremus Rex ipse Christus: primus verò fundator, Pater æternus: præmium, ipsemet Deus, quia est omnia in omnibus rebus, iis, qui pro eius amore illis renunciant. Et (vt ait S. Ambrosius) ipse fit possessio loco eorum, quibus eius amore est renunciatum. Cogita itaq; hunc Dominum tibi dicere, renuncia omnibus: & in me inuenies omnia. Ego ipse tibi ero centuplum, quod tibi reddam pro re quacunq;, mei causa, relicta. Si patrem reliqueris, ego tibi Pater ero; si reliqueris fratres, & amicos, ego tibi frater & verus amicus ero: si sponsalia sensuumq; delectationes reliqueris, ego spõsus ero animæ tuæ, & lætitia cordis: si renunciaueris diuitiis, & agris, ego thesaurus tuus ero & hæreditas: si tuæ libertati renunciaueris, etiam tibi ipsi, nihil quod tuum sit tibi reseruans, ego tibi summam dabo libertatẽ, & quicquid ego sum, nihil relinquens, quod meum sit, k *omnia enim mea erunt tua.* Quod si renuncies omnibus, quæ sperare possis à creaturis: in me illa cum infinito excessu inuenies, ego tuus ero custos in via, adiutor in periculis, magister in dubiis, consolator in tristitiis, medicus in morbis, præmiumque tuorum seruitiorum. Ego ero tibi ipsummet Regnum, quod prętendis, cuius te Iustitia replebo, ditabo pace & gaudio satu-

g *Marc.* 10. 30.

h *Psal.* 83. 10.

Epistol. 89. q. 4.

i *Rom.* 14. 7.

Serm 8. *in Psal.* 118.

k *Luc.* 15. 31.

rabo:beatumque efficiam eo modo,quo hic es capax beatitudinis. O effusio immensa: ô inæstimabilis commutatio: in qua terrena pro cœlestibus commutantur,humana pro diuinis,finita pro infinito,& Creatura pro Creatore? Quomodo ergo non delectaberis, si talem commutationem facias omniaque tua in huiusmodi cambio exponas? Si diuitiarum, si honorum; si deliciarum es cupidus, vbi hæc omnia copiosius inuenies, quam in Deo? si tuiipsius es amator, quomodo non amas tibi bonum adeò grande, atque est ipse Deus? si terram circumis, si nauigas mare, mundumque inuertis, vt hæc bona terrena & peritura assequaris, quanto melius & facilius tibi erit, ea relinquere: & pro cœlestibus & sempiternis per Cambium permutare? O Deus infinite, fateor, nihil esse, quod ego relinquo, etiamsi totum, quod habeam relinquam: siquidem das teipsum mihi, in quo sunt omnia cum infinito excessu. Gratias tibi, quantas possum, ago, eo quod ita remuneres, quod relinquo, cùm sit tuum, atque si verè fuisset meum, concede mihi, quæso, donum orationis, vt hunc fructum proferam adeò gloriosæ renunciationis.

CAPVT V.

QVOD MEDITATIO ET CONTEMPLATIO PER propriam cognitionem producant perfectam superbiæ mortificationem, pugnent q. contra omnes eius actus, gignendo heroicos humilitatis.



EX fructibus quos vita Contemplatiua profert per propriam cognitionem, maximi momenti est renunciatio propriæ inanis excellentiæ, perfectaq; mortificatio superbiæ: illam procurantis cum iactura nostrę verę & vnicę excellentiæ, quæ consistit in veris virtutibus: quas fera hæc, variis actibus internis & externis sæpissimè impugnat aduocans in suum auxilium inanem gloriam & ambitionem, aliaq; sibi addicta vitia. Estq; adeò molesta & prolixa eius pugna, vt cum illa (teste S. Isidor.) primum impetũ faciat, ex vitiis, quæ spiritualia vocamus: sit tamen vltima, quæ vincatur: & ipsi perfectiores (ait S. August.) magna attentione & cautela opus habent, ne maiori impetu illos mordeat. Nam (vt S. Gregor. ait) instar generalis cuiusdam pestis in omnes virtutes edit stragẽ, destruitque omnes eos, qui non cautissimè incedunt. alitur enim omni genere bonorum, quibus est annexa aliqua excellentia. Quare omnes SS. Patres duo distinguunt superbiæ genera, vnam carnalem & mundanam: al-

Lib. 2. de sum. bono. c. 38.
Cassian. lib. 12 c. 1.
In Ps. 7.
S. Thom. 1. 2 q. 84 a. 2.
Lib. 34. moral. c. 18. & c. 12.
Cass lib. 12. c. 2 & Colla. 5 c. 12.
S. Doroth. Serm. 2.

teram Spiritualem & in specie religiosam. quę significantur per primam bestiam, quam Daniel vidit ascendentem de mari, a *quæ erat quasi leæna, & alas habebat aquilæ:* quæ figura erat superbi Nabuchodonosoris, eiusque monarchia. Nam quemadmodum leæna, est instar reginæ inter animalia terrestria: & similiter aquila inter aues, quæ in aëre volitant: Ita superbia excellentiam appetit & primatum inter omnes res terrenas, & cœlestes, carnales & Spirituales. Superbia *carnalis* est inordinatus appetitus excellentiæ in rebus corporeis & spectabilibus, quas mundus iudicat excellentes. estque propria hominum mundanorum, qui nihil aliud magni faciunt, nisi bona hæc externa, quæ sensibus percipiuntur, quam S. Ioannes appellauit b *superbiam vitæ quæ ex mundo est: & mundus cito transit, & concupiscentia eius,* cui illa innititur. Superbia verò *Spiritualis* est inordinatus appetitus in rebus Spiritualibus quæ Spiritum exornant, quales sunt virtutes & scientiæ: quas iactare solent, qui profitentur se esse Christianos, Religiosos, & homines Spirituales, ad similitudinem Angelorum, ad quos aditum inuenit superbia, non satis habens ambulare in terra, sicut leæna: sed alas accepit aquilæ & volauit, vsq; ad cœlum Empyreum, ibique primum inuasit Luciferum, eiusque sequaces, vt euanescerent ob pulchritudinem scientiarum & virtutum quibus præditi erant. Quos cùm ab illa eminentia deiecisset, descendit alis suis ad terrenum Paradisum, ibique secundam egit prædam in Adamo & Eua: impellens eos ad concupiscendam scientiæ excellentiam, vt c *essent sicut Dij, scientes* omnia, *bonum* scilicet, *& malum.* Et in hunc modum volitat per totum mundum, non parcens loco sacro aut Oratorio adeò occulto, quod non adeat, inuadat, ac, si adsit incuria, non vincat. Et quamuis mundana superbia vilior sit, crassiorque quoad radicem, ex qua oritur, eò quòd innitatur ignorantiæ valoris & pretij bonorum horum temporalium, iudicans excellens & præstans, quod hoc nomen non meretur, aut est valdè exile coram Deo aut Angelis eius: at superbia Spiritualis periculosior est: quia eius inordinatio est in rebus maioris momenti, facitque stragem in virtutibus, quas instar tineæ consumit, nihil in eis relinquens præter corticem & exteriorem speciem. Quod si vtraque sedem suam in vno aliquo habeant, miserandam stragem in eo faciunt, impellendo eum ad omne genus peccatorum, tam carnalium, quam Spiritualium. Quamobrem contra eam exclamat. S. August. dicens. ô superbia, vitiorum mater, virtutum nouerca, infernorum porta, Dęmonum caput, errorum Magistra, & peccatorum principium: quid facis inter homines? Tu cœlum multis Angelis spoliasti, infernum verò Dæmonibus repleuisti: Tu immortales homines ex Paradiso exturbasti: terram verò mortalibus repleuisti, statum innocentiæ in miseriæ statum commutando. Per te Nabuchodonosor regnum perdidit, fœnumq; sicut bos comedit: & per te Iustus regnum amittit Iustitiæ, facitq; opera bestiarum. O monstrosa be-

a *Dani. 7. 4.*

b *1. Ioa. 2. 16*

c *Gen. 3. 5.*

S. Thom. 2. 2 q 162. a. 2. ad 3.

Serm. 23. ad frat. in eremo.

ſtia, quæ in corpore leænæ, alas habes aquilæ. leæna es, vt crudeliter nos deſtruas, & aquila, vt citò nos præcipites, & in vno eodemque mundi ſuperbiam coniungis cum ſuperbia ſpiritus: vt maiori eum furore præcipites in infernum. O Deus æterne, diſperde hanc feram in me, nè illa diſsipet bona quæ accepi à te.

§. 1.

Modus, & ratio contra ſuperbiam pugnandi.

AD conflictvm cum terribili hac fera ingredieris cum conſiderationibus propriæ cognitionis: dando operam, vt eius ingreſſus & exitus, greſſus per terram, & volatus per cœlum probè intelligas: & modum, quo eius alas poſsis euellere, ignorantiaſque & ſtuporem diſſoluere: attentè conſiderans, & ſicut S. Daniel attendens, quid feræ huic accidat in miſeris ſuperbis, quos poſsidet: qui inſtar ſpeculi tibi erunt, vt videns quid in aliis faciat, intelligas quid faciet in te, ſi aditum illi præbeas. Nam (vt ait Caſsianus) ſuperbia duplicem reſpicit finem, alterum rectà in homines: quærit enim tanquam leæna excellentiam ſuper omnes habere, ſeſe omnibus illis præferendo, ſiue id ſit in rebus corporalibus, ſiue in ſpiritualibus: alterum rectà contra Deum, ſibi nimirum attribuens, quod ipſius diuinitatis eſt proprium: aſcendens inſtar aquilæ in cœlum, vt cum ipſo Deo de throno & ſede contendat. Vtrumque hunc finem & ſcopum manifeſtauit ſuperbus ille Rex, qui Luciferum ſuperborum Regem referebat, dicēs: d *in cœlum conſcendam: ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum: ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis: aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero altiſsimo.* O deteſtandam ſuperbiam, ô inauditam præſumptionem? Dic mihi, ô ſuperbe, quis tibi alas dabit, vt poſsis nubes penetrare, & in ipſum cœlū ingredi? vnde tanta tibi audacia, vt ſolium tuum ſuper reliquos homines colloces, qui ſtellarum inſtar reſplendent? quæ hæc tua eſt ſtultitia ſedere velle in monte ſancto ad latus illud, in quo Deus ſuum habet templū? & quomodo tu, viliſsime vermicule, in tanti Dei pręſentia audes ſedere: excellentiam illā vſurpans, quę illi ſoli debetur? Seraphini ſtant, tanquā ſerui, & tu vis tāquam Dominus ſedere? & quid hoc aliud eſt, niſi quod velis Dei ipſius dignitatem tibi vſurpare, eſſeque ei ſimilis, in quo ſimilis eſſe non potes? negligis eam ſimilitudinem procurare, quam meritò deberes, in virtutibus. ſc. audes verò eam quęrere in aliis excellentiis, quas non poteris obtinere: ſed ſtulta hęc tua pręſumptio non relinquetur impunita: niſi te ſubmittas, & emendes. Deus enim & ſuum & ſeruorum ſuorum honorem propugnabit, quos tu deſpicis. Et qui temerè contendebas in cœlū: pręcipitaberis in profundū. tu, qui ſedem ſuper oēs ſtellas habere ſatagebas, ab eiſdē conculcaberis: & qui pręſumpſiſti ſedere in conſpectu Dei, nec ſtare quidē permitteris.

Dan. 7. 4.

Lib. 12. c. 1.
S. Doroth. Serm. 2.

d *Iſai. 14.*

b *Pſal. 35. 13*
b Expulſi

repel-

sunt: nec potuerunt stare: *Lib. 8. Moral. c. 24 & lib. 9 c. 2.* c *Dan 7. 4.*

repelleris enim ab eius præsentia, tanquam seruus infidelis & quandoquidem adeò es audax, vt eisdem bonis, quæ à tuo creatore accepisti, ipsum impugnes; æquum est (ait S. Gregorius) vt in confusionē tuæ superbiæ, eisdem bonis spolieris. Ipse euellet tibi alas bonorum, quibus elatus contendebas super omnes volare: vt illis detractis serpas super terram, & ab omnibus conculceris. c *Aspiciebam* (ait Daniel) *donec euulsæ sunt alæ eius*, leænæ scilicet. O si profunda valdè meditatione & tu aspiceres, quemadmodum Deus superborum alas euulsit, spoliās eos donis, quæ prius eis dederat. Aspice, quod vno tractu alas euulserit Lucifero, eiusque sequacibus Angelis: spolians eos propter vnicum superbiæ peccatum, omni pulchritudine, quam habebant adiectam sibi ex diuina gratia. Attende, qua ratione simili alio tractu, Adamo & Euæ alas euulserit, spolians eos originali Iustitia, cum qua illos condiderat, attende similiter, qua ratione abstraxerit alas Nabuchodonosori, cuius regnum hæc fera repræsentat: quem omnibus diuitiis priuauit, & palatiis, quæ iactabat. & siquidem diuina Iustitia vel in hac, vel in futura vita simili te afficiet pœna, consonum est rationi, vt tu ipse firmiter ac fortiter statuas, perniciosas huius feræ alas præscindere, reprimens omnes altas cogitationes eius ac desideria. Humilia eam, alioqui te humiliabit: deijce eam, alioqui te deijciet, desiste à consueto isto & alto volatu, & ambula humiliter in infimo. hæc enim bestia (vt idem S. Propheta dicit) quando eius alæ euulsæ fuerunt, & septennio fœnum sicut bos comedit, *stetit super pedes sicut homo, & cor hominis datum est ei*, præuenta scilicet à luce cœlesti agnouit se non Deum, sed hominem esse, & quidem fragilem & minimum omnium hominum, adeoque improbum, vt mereretur tractari tanquam bestia. Et tunc superbæ Leænæ cor commutauit in cor humilis agni: & cor aquilæ temerariæ, in cor simplicis columbæ, eligens potius subesse omnibus, quàm vel vni imperare. O Deus Omnipotens, qui d *superbis resistis, humilibus autem das gratiam:* præueniat me tua gratia, vt vincere posim superbiam: repelle à me quemcunque affectum inanem, qui me separat à te quod si vno tractu non licebit alas eius euellere, adiuua me, vt vel singulas plumas euellam, donec eam in rebus omnibus mortificem.

d *Iacob. 4. 6*

§. 2.

Ratio pugnandi contra quatuor actus superbiæ.

SED congrediamur iam cum omnibus huius bestiæ actibus, & proprietatibus, de qua S. Bernard. ait, quod sit quædam superbia *cæca*, quædam autem *vana*. *Prior* oritur ex ignorantia & errore iudicij: cum quis iudicat de se & suis rebus supra id, quod reuera sunt, quemadmodum in secundo Tractatu est dictum. *Secunda* oritur ex deprauato cordis affectu,

Epist. 42. ad medium.

c. 4. §. 2.

dum gloriatur quis de ijs, quæ habet, etiamsi sciat se accepisse à Deo. Vtriusque autem mentionem fecit Apostolus dicens a *quid habes, quod non accepisti: si autem accepisti quid gloriaris, quasi non acceperis?* & hæc secunda maiorē multò facit inter fideles stragem: quæ etiam fundatur in practica ignorantia. satis enim est cæcus, qui de alieno se iactat. quod si diu in hac iactantia persistat, breui incidet in cæcam ignorantiam. Nam teste S. Gregorio, superbia est tanquam nubes in oculo, quæ quò magis dilatatur, eò breuiorem reddit visum: minusque percipitur ab eo, qui illam habet.

a 1. Cor. 4. 7.

Lib. 24 Moral c. 13 & lib. 23. c 16.

S. Greg 23. Moral. c. 27.

S Bern de ordine vitæ post mediū.

S. Bonauent. de Reform. mentis c. 2

S. Thom. 2. 2. q. 162. a. 4 & Lect. 1. in 1. Cor. 4.

Serm. 4. in Cant.

Ex quò fit, vt, iuxta SS. Patrum sententiam, quatuor hęc superbia habeat actus siue errores. *Primus* est *cogitare*, quod bona quæ habet, sint sua, naturæ scil. suæ debita, aut propria sua industria comparata, non verò à Deo accepta. Quod si agnoscit, se accepisse, *Secundus* actus est, *cogitare*, non sibi ex gratia esse collata, sed ex Iustitia: eo quod industria sua, viribusque naturæ ea sit promeritus: siue hæc cogitatio sit superbiæ cæcæ error: siue tantum inanis, quæ credens, quod fides docet, superbit tamen ex eo, quod habet, atque si esset proprium. Et hæc est (vt ait S. Bernard.) superbia, à qua Iob immunem se esse protestabatur, cùm dixit b *si osculatus sum manum meam ore meo, quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altißimum.* Nam osculari alterius manum, est agnoscere & profiteri, se ab eo aliquod bonum accipere: superbus autem cum Dei manus osculari deberet, ob accepta ab ipso bona, osculatur proprias manus: attribuens illa fortitudini brachiorum ac meritorum suorum: quæ maxima est iniquitas, quia reipsa negatur Deo, quod est ipsius Diuinitatis proprium: esse videlicet authorem omnium bonorum. Talis fuit iniquitas superbi illius Senacherib, iactantis: c *in fortitudine manus mea feci, & in sapientia mea intellexi.* cum quo Deus pugnam iniens dicit ei: cæce & stulte *nunquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea, aut exaltabitur serra contra eum, à quo trahitur? Quomodo si eleuetur virga contra eleuantem se, & exaltetur baculus, qui vtique lignum est.* Nunquid, si hæc instrumenta fuissent mente prædita, sibi ipsis attribuissent opera, quæ faciunt: an artifici, qui ad ea facienda illis vtitur: sine cuius motione non potuissent per se loco moueri? ô superbe, quis tibi dedit esse, & potētias, quas habes, nisi Deus? & quid illæ sunt, ad opera bona facienda, nisi baculus, serra, aut penicillus? etsi enim libero arbitrio sis præditus: at sine Deo, quod opus bonum præstare poteris? si iaces in terra ob aliquam culpā, nunquid propria tua industria poteris ab ea resurgere? si quod vitiū resecare à te velis, poteris ne per teipsum solū ad id moueri? si vis in anima tua imaginem alicuius boni operis depingere, putasnè id facies absq; Dei auxilio? ô stulte, d *quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi* tuum sit, & *non* ab alio *acceperis*! amplectere ergo perfectissimam humilitatem, quæ existimat, se ab omni bono vacuam, nisi à Deo illud accipiat: & comprime vanam iactantiā, ne tibi eueniat, quod

b Iob. 31. 27 Eccl. 29. 5.

c Isaie 10. 13.

d 1. Cor 4. 7.

e Isai. 10. 16. ipse Deus Senacherib est minatus, dicens. e *propter hoc mittet dominator Dominus exercituum in pinguibus eius tenuitatem, & subtus gloriam eius succensa ardebit quasi combustio ignis*, quæ illam consumat, quod S. Hierony. ait fuisse impletum, quando f Isai 37. 36. f *Angelus Domini percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia*, ex eius exercitu: efficiens vt sub armis & vestimentis gloriæ eius, ignis accenderetur, qui illos consumeret, essetque nutrimentum flammæ quod prius fuerat superbiæ. Ita igitur permittet Deus animositatem tuæ fortitudinis marcescere: & ex tua ipsius inani gloria exsurgere ignem luxuriæ, & flammas cupiditatis, cum innumerabilibus alijs culpis & pœnis, quæ superbas tuas cogitationes humilient. O bonorum omnium auctor, non manus meas, sed tuas osculari volo, ob dona tua, quæ in me habeo: siquidem illa à te accepi. & siquidem sum instrumentũ tuum, in manibus tuis omnes meas potentias colloco: vt ego tecum & tu mecum per eas operemur, dando tibi semper gloriam de omnibus meis operibus.

SVPERATIS duobus prædictis superbiæ actibus, pugnandum nobis est contra tertiũ: quo superbus agnoscens Dei esse dona, quæ habet: eadẽ tamen existimat esse maiora & excellentiora, quàm reuera sint: attribuẽs sibi ex ignorantia, aut vanitate, quod non habet: aut plusquam habeat: aut se iactans, quasi illud haberet. Talis erat superbia illius Episcopi. de quo Christus D. g Apoc. 3. 17 N. dixit in Apocalypsi: g *dicis, quod diues sum & locupletatus, & nullius egeo: & nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus*, ô superbe, qui tantum de te præsumis: non attendens, quam multa tibi desint. Quæ maior miseria esse potest, quam quod prostratus iaceas in huiusmodi culpis? & quæ maior paupertas, quam omni virtute carere? quæ nuditas magis infamis, quam veste carere gratiæ & charitatis? quę profundior cæcitas, quam habentem tot miserias, existimare te liberum esse ab eis? O cæce, non attendas, quid tu cogites de te, sed quid Deus: nec de te præsumas, propter id, quod tu imaginaris: sed attende, quam parum in occasione constitutus fah Ier. 48. 29 cias. h *audiuimus* (ait Dominus) *superbiam Moab, superbus est valdè & arrogans corde. ego scio iactantiã eius, & quod non sit iuxta eam virtus eius: nec, iuxta quod poterat, conata sit facere*. multum gloriatur, sed parum facit: offert se ad magna quædam præstanda: ad quæ tamen exequenda, timidus est, & pusillanii Matt. 26. 33 mis. Dices fortè sicut Petrus Christo i *& si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor*: & eris primus qui illum deseras: offeres te, & *in carcerem, & in mortem ire*, vt ipsum sequaris: & mox ad vocem ancillulæ negabis illum. Quid verò dicam de arrogantia & sublimitate, ad quam ascendit superbia? quæ non sistit, nisi ad vltimum gradum perueniat, vt te vnicum, & singularem esse persuadeat in bonis quæ accepisti: vt nullus tibi par esse videatur, & quemadmodum superbus ille Pharisæus, gratias agas Deo,

k quod

k *quod non sis sicut cæteri hominum, quibus* omnibus te præfers, ac præ cæteris omnibus commendas: adeoque bonis abundare te existimas: vt ascendens ad Orationem,(quòd S. August. perpēdit) obliuiscaris aliquid petere, quasi nulla re indigeres. Talis erat superbia Corinthiorum, quibus dixit Apostolus: l *iam saturati estis? iam diuites facti estis? sine nobis regnatis*: quasi eis obijceret: cæpistis vix Deo seruire, & iam vos existimatis saturatos, & plenos esse virtutibus, diuites in bonis operibus, iam Reges vos esse putatis, qui nec parem nec superiorem habeāt cui obediant, iam vobis tantum arrogatis, vt vos ipsos sine alterius auxilio possitis gubernare: sine nobis regnatis; vtinā regnetis sitisque tales, quales vos esse existimatis. Sed vestra superbia excœcat vos ac decipit: famem & desiderium proficiendi auferens, & voluntatem vos alijs subiiciendi: cùm contra suggerat animum alijs imperandi. Ex hoc enim superbiæ gradu oriuntur ambitiones dignitatum, inuidiæ, iræ & contentiones circa primatum. Leæna enim quæ alas habet aquilæ, crudelitatem suam exacuit, quò voti compos euadat in ijs quæ ambit, volatque velocissimè quantum potest, quò singularis euadat in omnibus quæ desiderat. O superbe, quomodo ita cæcutis, vt non videas imminens tibi malum? si enim super omnes ascendere contendas, ad omnium pedes abiicieris: si quæris esse in excellentia singularis, attende, quod m *singularis ferus depascitur vineam* animæ tuæ, cuius omnes vites virtutum euellit & extirpat. Si vis esse singularis, id fiat in mortificanda perniciosa hac singularitate, subijciens te omnibus non solum maioribus, sed & æqualibus, nec his solum, sed minoribus etiam, ita vt nulli te præferas. elige (vt ait Sanctus Bernardus) n *locum* quem tuus Magister tibi ostendit non supremum, non medium, neque penultimum, sed *nouissimum*, infra quem nullus alius supersit. ne metue iacturam aliquam, etsi te omnibus subiicias, time verò vel maximam, si vel vni soli te prætuleris: humilitatis enim ianua valdè est demissa: nec est periculum, etiamsi plurimum te demittas: cum tamen valdè magnum immineat, si te vel paululum eleues plusquam oportet. O felix singularitas. per quam quis iudicat se inter improbos pessimum, & inter bonos minimum! O Deus infinite, cuius excellentia est verè singularis: corrobora me singulari gratia, vt vincam hanc singularem feram. cupio congredi cum superbo isto Gygante, qui me prouocat o *ad singulare certamen*, & sicut humilis Dauid, caput eius proprio ipsius gladio amputare, humiliando me ipsum, vel hoc nomine, quod me adeò superbum videam, qui tot habeam me humiliandi causas.

k Luc. 18. 11. Serm. 3. de verb. Domini.
l 1. Cor. 4. 8.
m Psal. 79. 14.
Serm. 37. & 42. in Cant.
n Luc. 14. 10.
o 1. Reg. 17. 9. 51.

iudicans se in eius comparatione canem esse mortuum, ac vilem vermem, vt hinc discas viam & rationem, te proximis tuis humiliandi, vt qui nescias, quem tu locum, & quem illi apud Deum habeant. fortè enim, quem tu minorem existimas, est in Dei oculis maior: & (quod S. Bernardus perpendit) ille vnus, quem tu contemnis, & cui te præfers, erit melior te, cæterisque omnibus, Deo illum, sua omnipotentia conuertente, & commutante: quemadmodum e *Publicanum iustificauit*, quem contemnebat Pharisæus; & qui nunc in se est improbus, in Dei decreto designatus est, vt sit optimus: & fortè hoc ipso die, te id ignorante, iam ille mutatus est, & melior effectus: quemadmodum Saulus conuersus erat, cùm Ananias de illo diceret Domino: f *Audiui à multis de viro hoc, quanta mala fecerit Sanctis tuis in Ierusalem.*

Serm. 37. in Cant.

e *Luc. 18. 14.*

f *Act. 9. 13.*

Praeterea, cùm quis graui morbo Iliaco laborat, non meminit, quid alij patiantur: sentitque adcò grauiter suum, vt existimet, maximum esse omnium: Ita qui propria sua peccata grauiter sentit, sciens quot nominibus Deo sit obstrictus, & quam ingratum se exhibuerit: iudicat, illa maiora esse, quàm aliorum: seque omnium minimum.

Sed quorsum tempus sic discurrendo trahimus? hæc enim humilitas propriè est fructus Contemplationis, lucisq; cælestis effect⁹: quæ instar est selectorum perspiciliorum, cum quibus, si is, qui breuem habet visum, paruā rem aliquam aspiciat, valdè magnam esse iudicat: sine quibus tamen aspiciens, magnam iudicat esse paruam. Aspiciens itaque hac cælesti luce peccata propria, non verò aliena: sua iudicat esse magna, aliorum verò parua. Ex quo prouenit, vt huiusmodi sensa non tam prolixis ratiocinationibus, quàm accensis affectibus obtineantur: quibus desideres te humiliare, & sub omnium pedibus abijcere, haberique vilissimus & despectissimus omnium. Est enim (Sancto Bernardo teste) humilitas quædam cognitionis, à veritate producta, quæ ostendit nos magnos esse peccatores: quia reuera tales fuimus. de qua humilitate Tractatu secundo est dictum. Est verò alia humilitas affectus, producta à charitate, quæ etiam attendens quod fuerimus peccatores, summè desiderat despici, & contemni, vt imitetur eum Dominum, qui dicebat: g *Ego sum vermis & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.* quibus affectibus frequentatis, maxima sensa obtinentur nostræ vilitatis, persuadentes nobis, miserabiliores nos esse, quam dicere, aut intelligere possimus: id enim efficit Deus, vt de nobis sentiamus.

Serm 42. in Cantic. & Serm. 5. de aduentu. S. Bonauen. process. 6. relig c 21.

g *Psal. 21. 7.*

Qvod si quæras, qua ratione affici possis erga huiusmodi charitatis humilitatem, quæ talia profert humiliationis desideria. Huic interrogationi respondebo, alteram valdè iucundam applicans, quæ proponitur in Canticis

Cant.8.8. ticis in hunc modum : h *Soror nostra Humilitas parua est*, ad paruitatem & vilitatem, locumque nouissimum inclinans : *& vbera non habet*, externa enim specie nec fœcunditatem præfert, nec dulcedinem, sed potius sterilitatem, & laborem : *quid faciemus sorori nostræ in die, quando alloquenda est*, vt sponso tradatur, & sit aliquis, qui illam velit, ne ab ea fugiant omnes? quomodo eam exornabimus, vt hominibus arrideat, velintque in sponsam accipere? *Si murus est*, inquit, *ædificemus super eum propugnacula argentea : si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis*. MVRVS est humilitas, vt quæ cæteras virtutes protegat, & propugnet. & (vt ait S. Dorotheus) est antemulare tecti alti perfectionis, significatum per illud, quod Deus in Deuteronomio iussit, dicens : i *cùm ædificaueris domum nouam, facias murum tecti per circuitum, ne effundatur sanguis in domo tua, & sis reus labente alio, & in præceps ruente*. Hic ergò murus est humilitas, quæ protegit eos, qui ad culmen charitatis ascenderunt, ne inde ruant. Etiam est OSTIVM, per quod patet aditus ad Regnum Cælorum, iuxta illud Christi Domini; k *Nisi efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in Regnum cælorum*. Nec solùm in illud Regnum, quod in altera vita possidetur : sed etiam in illud, quod in hac vita obtinetur : l *Quod est iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto*, ad quod (teste Sancto Augustino) nulla via est certior, securior, aut compendiosior. Sed quæ sunt *propugnacula argentea*, quæ Deus *ædificat super murum* humilitatis, vt sit securus & iucundus, omnesque libenter ad illum ascendant? Hæc sunt ampla præmia, quæ illi promittit, & benigna studia, quibus eam prosequitur : & rationes efficaces, quibus illi persuadet : quæ instar sunt antemuralium, ex quibus fortes globi sententiarum iaciuntur in hostes virtutum. Humilitati promittitur m *Regnum Cælorum*, n *primatus inter Sanctos*, o *primus locus in nuptiis* cælestibus, p *Exauditio* nostrarum Orationum, *Exaltatio* in ijsdem rebus, in quibus nos humiliamus, gratia, sapientia, donaque Spiritus Sancti, cuius protectio facit eam inexpugnabilem. Quæ autem sunt *tabulæ cedrinæ, quibus ostium* humilitatis *compingitur*, eamque ita iucundam, gratamque reddunt, vt omnes libenter ad eam accedant? hæc sunt heroica exempla Sanctorum, qui floruerunt sicut Palmæ, & sicut Cedri de monte Libano, præcipuè verò altissimæ Cedri, Christi Domini nostri, qui de monte Libano, cælo videlicet, venit in mundum, vt exempla daret humilitatis. cum hac ingressus est mundum : eam sibi sociauit, quamdiu in eo vixit : & in ipso exitu, cùm se humiliauit vsque ad mortem, quam nudus obijt in cruce. Quis itaque non libenter se humiliet, cùm videat ipsummet Deum humiliatum? Quis non accipiat humilitatem in sponsam, quam

[Margin notes: ...erm.14. | Deu.22.8. | Matt.18.3. | Rom.14.17. | ...pist.56.ad ...ioscorum. | ...Matt.5.3. cap.18.4. Luc 14. ...11. Eccl.35.22]

ipſe Chriſtus, eiuſque Sancti in talem acceperunt? Ne aſpicias, frater, hoc humilitatis oſtium nudum, & cum ſola tuarum miſeriarum propria cognitione, ne fortè vel ipſe aſpectus horrorem tibi afferat: ſed aſpice illam compactam, & obductam elegantibus his Cedri tabulis, & his exemplis allectus delectaberis, per tale oſtium ingrediendo, ſicut Sancti fuerunt delectati. Aſpice quoque eandem ornatam tabulis clariſsimarum virtutum, & gratiarum, quæ illam comitantur, pulchrioremque reddunt, vt eius pulchritudine capiaris. Ne aſpicias hunc murum absque propugnaculis argenteis, ne ab accedendo prope timidè deterrearis. aſpice ergo illam in tua Oratione cum his propugnaculis argenteis: & mox delectaberis, conaberiſque ad eius culmen aſcendere.

Et tunc dices verè: etſi ſoror noſtra parua eſt in oculis ſuis, magna tamen eſt, & excelſa in oculis Dei: nam per eam reliquæ virtutes creſcunt, & ad ſuam perfectionem perueniunt. Vt enim ait Sanctus Baſilius: *animi in virtute progreſſus in humilitate progreſſus eſt*? Tunc etiam dices; quamuis ex ſeipſa *vbera non habeat*, Deus tamen ea liberaliſsimè ei largitur, efficiens eam (vt ait Sanctus Gregorius) tanquam Matrem nutricem, & Magiſtram, quæ generat, nutrit, ac dirigit reliquas virtutes lacte ſuæ doctrinæ, ac dulcedine, quam Deus illi per ſuam gratiam communicat. His conſiderationibus magnum concipies humilitatis amorem: ac delectaberis exercendo affectus eius internos: cuius externa opera etiam tibi reddentur facilia: quia (vt ait Sanctus Bernardus) nihil eſt facilius volenti, quam ſe humiliare. Nam, ſi velis te extollere, multi ſe tibi opponent, teque impedient: ſi autem humiliari, nullus ſe tibi opponet: ſed Deus ſua gratia ad id iuuabit. O Magiſter humilitatis, qui veniſti, vt murum hunc, oſtiumque perfectionis munires, & exornares: oſtende mihi luce tua cæleſti, horum exemplorum pulchritudinem, præmiorum præſtantiam, & harum rationum efficacitatem, quæ illam adeò amabilem reddunt, vt ſpiritum reſumens, ad murum hunc humilitatis conſcendam: & per hoc oſtium ingrediar, vt admirandis bonis, quæ in ea latent, fruar in æternum, Amen.

(∴)

Lib. 3. de virg. & ſer. de abdic. rerum ad finem.

Lib. 23. Moral. c. 77. Caſſ. col. 1. cap. 7.

Serm. 2. de quadrageſ.



CAPVT

CAPVT VI.

QVA RATIONE PROPRIA COGNITIO, alijs considerationibus adiuta, congrediatur cum inani gloria, & honorum, ac dignitatum ambitione; easq; vincat.



CVM ipsa Superbia sunt valdè colligatæ inanis gloria, & ambitio, cum quibus congrediuntur Oratio, & Meditatio, per propriam cognitionem, à practicis, valdeque efficacibus considerationibus, ad eas vincendas adiutam. Et quoniam inanis gloria multos habet actus, non agemus hic de illa, quatenus est inanis quædam complacentia in ipsis bonis, quæ habemus: Hæc enim est ipsamet Superbia, de qua in proximo capite egimus: sed quatenus est appetitus quidam inordinatus, quo appetimus laudari, magnique fieri ab hominibus ob ea bona, quæ facimus, aut habemus: siue corporalia illa sint, siue Spiritualia: aut est effrenis quidam appetitus placendi hominibus, eisque arridendi, quò nos laudent ob has excellentias. Vocatur autem *gloria*, vt quæ sit generosa quædam apprehensio, quam alij de nobis habent: *inanis* tamen, (vt ait Sanctus Thomas) ob aliquam
2 2 q. 132. a. 1. ex tribus causis. *Prima:* quia eam quærimus, ob inania aliqua bona, & ab omni esse vacua quemadmodum qui gloriantur de suis peccatis: aut de fictitiarum virtutum actionibus, aut de alijs bonis, quæ cùm nunc sint, citò pereunt. Et propterea dicit Sanctus Chrysostomus vo-
Hom. 43. ad popul. cari Cenodoxiam, gloriam scilicet Actorum in Comedijs, qualem habet etiam infamis homo, cùm in Comœdia, alicuius Regis personam
S. Bernard. Epist 18. gerit. *Alia* causa, cur vocetur *inanis* est, quod illi, à quibus eam gloriam quærimus, inanes sint, & ab omni veritate vacui: qui interdum nobis adulantur, etiam aduertentes falsum esse, quod de nobis dicunt: interdum ex ignorantia, existimantes se dicere verum: & vniuersi homines subiacent huic malitiæ, & fraudi, quamobrem Dauid eos ap-
a Psa. 61. 10. pellat, a *mendaces*, *& deceptores*. *Tertia* causa, eaque valdè ordinaria huius vanitatis est, ex inani fine, quem ex hac gloria quærimus: quæ etsi sit de rebus alioqui Sanctis, & à personis Sanctis quæratur, erit nihilominus inanis, nisi quæsitus finis, sit gloria Dei, aut aliqua proximorum vtilitas: non verò propria nostra oblectatio, in qua tanquam in principali nostri operis fine sistamus.

SED

SED quamuis hæc gloria adeò sit inanis, est tamen simul adeò fortis, vt nosipsos inanes & vacuos, in spiritu relinquat. est enim (vt S. Basil. ait) dulcis deprædatrix nostrorum bonorum, hostis læta nostrarum animarum, occulta virtutum tinea, bonorum operum nostrorum latro suauis: vt quæ venena obducat mellis dulcedine, propinetque nobis non aduertentibus, haustum lethalem: quæ statim atque nauem pretiosis cœlestibus diuitijs onustam videt, tumentes excitat fluctus, vt illam submergat: aut partem certe magnam illius thesauri sibi vsurpet. Estque tanta eius violentia, vt (teste S. Augustino) nullus eius vim sentiat, nisi qui statuit, illi se opponere. Nam (vt ait Cassianus) mille artes, modosque habet nos aggrediendi ex omni parte, quamuis contraria illi esse videatur. inuadit enim æquè, sordidè, atque eleganter vestitum: tacentem & loquentem: ieiunantem, & comedentem: & ipsummet, qui in eam inuehitur in suggestu, aut in conuersatione, aut se accusat de ea in confessione: omnes inuadit, vt laudem cupiant ex eo quod dicunt, aut faciunt. quod si quis fortè eam vincat, aliam inanem gloriam suggerit, eò quod priorem vicerit, quamobrem S. Ioan. Climac. eam comparat quibusdam vepribus qui cuspides aut spinas habent quinque, quos quocunque modo in terram proieceris, semper vna spina erecta manet, quæ pedes calcantium lædit: quomodocunque enim vitam tuam instituas, aggredietur te, eritque importuna inanis gloria, aliqua ex suis spinis. quis ergo ab eis liber erit? S. Gregorius Nazianzenus dicit: aliquis, S. Petrus, aut S. Paul. hunc fortè morbū euadent, quem Hier. passionem communem appellat, à qua magnam molestiam patiebatur. Paucissimi enim sunt, qui sicut S. Iob. non b *videant solem cum fulget, & Lunam incedentem clarè*; &, qui cum hæc videant, *non osculentur manum suam, ore suo*, reuerentiam eis exhibentes, seque eisdem oblectantes. Quis autem est sol fulgens (ait S. Gregorius) nisi bonum opus manifestatum, quod peruenit ad notitiam hominum: & propterea ab eis laudamur? Et quæ est Luna incedens clarè, nisi fama, quæ ex hoc resultat, perduratque etiam occumbente sole, & hac vita finita? quis ergo est, qui non interdum aspiciat hunc Solem & Lunam, eosque tanquam Deum adoret, constituendo illos tanquam sui operis finem, osculando manum suam, sibique in gloria & fama propria complacendo.

Damna inanis gloriæ. De consti. Monasti. c. 11.

Refert S. Th. 2.2 q. 132. a 3 ad 3. lib. 11. c. 3.

Gradu 11. Caßi lib. 11. c. 5. comparat eam tunicis seu corticibus cepæ, quarum vna sublata statim altera apparet. In Apolo. init. ad Gala 5 ne efficiamur inanis gloriæ cupidi. Iob. 31. 26.

Lib. 32. Mor. c. 6.

§. I.

Quomodo sit pugnandum contra inanem gloriam.

CONTRA crudelem hanc hostem ineundum tibi est certamen cum armis propriæ cognitionis: alijs tamen considerationibus fulcitæ, 1.

quas inuenies in propugnaculis argenteis humilitatis. quam inanem gloriam in hunc modum argues: ô superbia cæca, ô gloria vana! si quemadmodum oculos habes ad videndum solis fulgorem, & lunæ claritatem: ita etiam haberes ad illud nihilum cognoscendum, cui fulgor & claritas illa innituntur: & porrò nihilum, in quod tandem dissoluentur: omni procul dubio mox illos clauderes, ne talia videres: tuamque perniciosam cæcitatem in aliam tibi vtilem conuerteres! Attende, quod hic Sol & Luna, qui ita nunc tibi arrident, in die iudicij obscurabuntur, & conuertentur tibi in sanguinem: cognoscente toto mundo, gloriam tuam fuisse inanem, & famam falsam, in sola virtutum specie fundatam: admixto etiam peccatorum sanguine: & qui nunc te laudant, habentque bonam de te opinionem, tunc

2. malè de te sentient, ac pro meritis te vituperabunt. Attende, quod hic Sol & Luna in hora mortis tibi disparebunt: siquidem nec lucem, nec refrigerium in inferno existenti afferre poterunt: neque iustum in cœlo affliget, aut contristabit exigua fama quam in mundo reliquit: nec reprobum in inferno consolabitur bona. Sed non opus est hæc remittere ad terminos adeò

3. distantes & remotos: Nam in hac ipsa vita hic Sol & hæc Luna patiuntur repentè multas eclipses, obscurata gloria & fama ex mille occasionibus: nam

Eccl. 47. 2. qui hodiè te laudant, cras vituperabunt: quia a *maculam* aliquam *dedisti in gloria tua*, sicut Salomon: nam quemadmodum Sol non impertitur lumen Lunæ, quando terra interponitur: ita opera, quæ præterierunt, non conseruant claritatem famæ, quando interponitur terra alicuius culpæ. Et

4. quamuis non interponatur, est tanta lunæ inconstantia, vt pro suo libitu

5. fingant homines aliqua, quibus fama bona obscuretur. Si vis Solem & Lunam aspicere, aperi oculos fidei, & intende in Solem inuisibilem ipsum videlicet Deum, qui præsentissimus est omnibus, quæ facis: & erubesces, quod in eius conspectu aspicias homines, vt ab eis lauderis: & mox eleua oculos in Cœlum Empyreum, & eundem solem intuere, quem Angeli & Beati in-

6. tuentur: quorum gloria famaq; erit æterna absque alicuius eclipsis periculo. quia oculos suos intenderunt in Dei gloriam, quam quæsiuerunt, & non in suam. Aspice præterea solem Iustitiæ Christum Iesum, & splendorem

Ioan. 8. 50. claritatemque eius vitæ sanctissimæ, in qua numquam b *quæsiuit gloriam suã*,

7. nec famam, sed gloriam æterni Patris, & diuini eius nominis claritatem. Et hoc aspectu animatus, retrahe oculos ab inani tua gloria: claude aures laudibus tuis: non quæras placere hominibus ob gloriam & famam, quam ab eis speras: non intendas oculos in hunc solem & lunam tanquam in præcipuum finem tuæ actionis: sed nec obliquè eos aspicias, aliquem eis locum dando, cum te in media ipsa actione inuadũt: dicet enim tibi Dominus, quod

Mat. 6. 16. ieiunantibus, vt videantur & laudentur ab hominibus, c *Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam.* O stulta commutatio, ô cambium ineptissimũ?

potuisses

potuisses actione tua aspectum promereri solis inuisibilis & æterni, qui te in æternum beasset, & vis potius contentus esse aspectu miseri huius solis, gloriæ tuæ perituræ, qui te faciet infelicem. quod valet Regnum æternum, tu vendis & commutas pro adeò vili precio: si cæca tua vanaq; superbia tãtopere appetit excellentiam, cur adeò cæcutis, vt æternam deseras pro temporali, veram pro inani: vt qui sponte velis solem aspicere, qui te excæcabit: & non eum, qui tibi reddet visum? O sol Iustitiæ, clarifica oculos animæ meæ, vt te aspiciam: eosdem verò excæca, ne alterum solem tibi contrarium intueantur. gloria tua sit mea, nec meam vnquam quæram, nisi vt tua augeatur, & lauderis ab omnibus in æternum Amen.

S. Greg. 3. par past. admonit 36 & l. 8 mor. c. 2

§. 2.

Qua ratione sit contra honoris ambitionem decertandum.

ALTERVM vitium vanægloriæ valdè simile, est ambitio, quæ est appetitus quidam inordinatus honoris, qui exhiberi solet hominib. in testimonium excellentiæ quam habent in sapientia, sanctitate, aut potestate: quale est cedere illi loco: titulo, & cognomine gloriosiori illum appellare: magnam ei exhibere reuerentiam & similia: cuius inordinatio in eo est, quod honor, sicut & gloria & laus (vt ait S. Tho.) non est ex bonis, quæ appellamus honesta: vt propter se desiderari, aut quæri possint, sicut sunt virtutes. Honor.n.& gloria, non est in eo, cui exhibetur: sed in exhibente: qui & dare potest, & auferre pro libitu: & ita inordinatè, vt illum exhibeat indigno: subtrahat verò dignissimo. At verum, bonum, honestũ non dependet ab aliorum voluntate, præcipuè improborum: neque inniti potest apparentibus tantum excellentijs: ac proinde, qui gloriam & honorem propter ipsa quærit, collocando in eis præcipuum suorum operum finem, inuertit bonum ordinem rationis: quia pluris ea facit, quam virtutẽ. Et cum eadem tanquam medium adhibere deberet, vt vel in propria virtute cresceret, vel ad aliorum virtutem iuuaret, ipse sibi illa vsurpat, & ad propriam oblectationem, aut emolumentum applicat: nec ordinat ad gloriam & honorem Dei, qui gloriæ nostræ finis est vltimus.

1. 2. quæ. 13 art. 1.

HINC ergo incipies arma sumere rationum aduersus hoc vitium: quod adeò omnes improbant, vt idem ipse, qui eo laborat, studeat illud occultare. Nam si manifestetur, hoc ipso excidet gloria & honore, quem quærebat. Ambitio (inquit S. Bern.) est vitium vile & infame: cum enim aspiciat quicquid excelsum est, & sublime in mundo, ipsa refugit videri. Est mater hypocrisis, amat angulos, quærit tenebras, nec potest ferre lucem. *quid tam inglorium, quàm gloriæ cupidum deprehendi?* hæc est tentatio, quam Dauid appellat a *negotium perambulans in tenebris.* Nam ambitio est

Epist. 116

a Psal. 90 S. Bernar. & Serm. in Cant.

valdè ſolicita ſui honoris negotiatrix, ſed æquè ſolicitè tegit negotiationem, ne illa deprehenſa eius fructum amittat. Quemadmodum filij Zebedæi, cupientes impetrare primatum in ſeſsione, acceperunt b *Magiſtrum* ſeorſim, ne condiſcipuli olfacerent, quid illi quærerent: imò ipſummet Magiſtrum voluerunt ſuam mentem celare: ad hoc enim c *matrem* ſuam adhibuerunt, vt illa peteret, quod ipſi ambiebant: ne cognoſceretur id ipſos quærere. Quæ igitur maior eſſe poteſt vilitas, quàm ambulare ſemper in tenebris, vt humanum quæras ſplendorem? nunquid poteris Deo celare ambitionem tuam, cui ipſæ tenebræ ſunt meridiana luce clariores? & quid dico, Deo? ipſiſmet hominib. non potes eam occultare: aut quia Deus eam ad ignominiam tuam manifeſtabit: aut quòd tot ipſemet das in[di]cia tui, vt facile detegatur, & qua via exiſtimabas te honorandum, incid[i]s in ignominiam. Nam honor (ait S. Aug.) debet te quærere; non tu hono[re]m. Ille debet eſſe inſtar proprij corporis vmbræ, quæ ſequentem ſe fugit, & ſequitur fugientem. ſi virtutem amas, honorem verò fugis, ipſe te ſequetur poſt virtutẽ; ſi autem rectà ipſum honorem ſequaris, fugiet à te, nec vnquam poteris aſſequi. Honor.n. mundi & ſpirituale commodum, non benè conveniunt: nec ſaccus cordis vtrumq; capit, cum ſit potius neceſſe multa honoris mundani conculcare, vt anima poſsit diteſcere.

b Mar. 10.35

c Mat. 20.20

Tractat. 50. Homil. 13.

2. S. Baſil. in conſtit. corũ qui perfectã volunt ducere vitam.

QVID autem dicam de miſeranda illa ſeruitute, cui te ſubijcit hoc vitium? neque enim per illud liber euadis, ſed manes ſeruus: nec vnius hominis tantum ſeruus, ſed omnium etiam, qui vel dare tibi poſſunt honorem, vel auferre. Nam qui in poteſtate ſua habet cathenam, vt eam quocunque velit, trahat: habebit æquè in ſua poteſtate eum, qui ſit cathenæ alligatus: ac proinde, ſi vinculo amoris alligatus es, honoris & gloriæ: neceſſe eſt, ſubijci te cuicunq; qui dare tibi poſsit illam, vel auferre. Homines, quib. varè placere cupis, plus habent poteſtatis in corde tuo, quam tu ipſe: qui ſæpè non facis, quod velles: ſed, quod vides illis placere: vt propterea te laudent, & honorent. Quis (ait S. Ber.) eſt homo, qui magnos ſuos theſauros includat ciſtæ, non habenti ſeram; aut cuius claues ſint in manib. hoſtium eius? Sic enim cuiuis liberum erit, theſaurum deprædari, aut ipſe non erit liber, vt poſsit eo vti. Theſaurus eſt pretioſus, libertas Spiritus, pax animæ, lætitia cordis, & beatitudo huius vitæ. Si itaq;, hunc theſaurum colloces in gloria & honore, quiſq; poterit te eo ſpoliare: nec liberè poteris eo vti: ſiquidem ille potius dependet à voluntate hominum, quorum ora ſeras non habent: & quorũ volũtates ſæpè ſibi aduerſantur: & quoniam illæ adeò ſunt inconſtantes, quot in eis erunt mutationes, tot neceſſe eſt eſſe in tuo corde. Nũc itaque triſtis eris, nunc lætus: nunc quietus, nunc turbatus, & mille amaritudinibus plenus. Nam ſi vel vnicus tibi non deferat, potentior ille erit ad te turbandum, quã mille qui deferant ad conſolãdum. quẽadmodum expertus

3. Epiſt. 42 & Serm. 13. in Cant.

eſt am-

est ambitiosus Aman, qui de se fassus est: d *cùm hæc omnia habeam* (quod scilicet ab omnibus sibi deferri videret) *nihil me habere puto, quamdiu videro Mardochæum sedentem ante fores regias*, qui nullum ipsi honorem deferebat. ô ambitio, ambientium ipsorum crux: quomodo omnes torquens, omnibus places? nihil horrendiùs cruciat, nihil molestiùs turbat; & nihilominus nihil homines auidius amplectuntur, quam eius negotiationem & solicitudinem importunas. Si crucem ferre velis tolle Christi crucem, mortificans strenuè appetitus honoris & gloriæ vanæ: amplectens autem pro eius amore ignominiam: quæ Christi crux non erit adeò grauis atque illa est, in quam affigit te furiosus amor honoris. illa enim animæ est vtilis, hæc valdè pernitiosa: illa terminum habet quietis, hæc cruciatus: illa alleuiatur imitatione Christi, hæc grauis est sicut ipse infernus. O Christe dulcissime, crucem tuam volo, crucem tuam adoro: illam amplexus viuere volo. Nolo meam libertatem & lætitiam, in manibus hominum huius mundi ponere: qui nec sciunt, quid laudent, nec cui deferant honorem; sed in te, à quo vera lætitia, summusque honor procedit. amicus tuus esse cupio: quia *nimis honorificati sunt amici tui, Deus*: & in die nouissimo honorabis illos coram Patre tuo, & Angelis tuis. non volo splendidam vestem, non titulum Magistri ob vanitatem: quia id tu prohibes. mihi ergo nouissimum locum eligam: quia id tu statuis. honori verò est mihi facere, quod tu iubes. malo *abiectus esse in domo* tua, quā honoratus *in tabernaculis* & palatijs huius mundi. nam honor huius mundi terminabitur æterna confusione: ignominia verò domus tuæ finem habebit, æternam exaltationem.

d *Esther* 5.13. *S. Ber. lib.* 3. *de consid.*

Psal. 138.17

Matth. 23 10 *Luc.* 14.10. *Psal.* 83. 11.

§. 3.

Contra dignitatum ambitionem.

VENIAMVS nunc ad vltimum affectum superbiæ, qui quærit eximi ab aliorum gubernatione, & qui per excellentiam appellatur Ambitio. estque inordinatus appetitus alijs imperandi; ac dignitates & eminentia officia habendi, ob honorem maiorem, qui in illis est. Hæc nominatim est illa a *leana cum alis aquilæ*, de qua in proximo capite. quæ, quà leæna est, præeminet in republica ciuili; quà verò est aquila, in repub. Ecclesiastica & Religiosa: vtrobique nos impellens ad officia, & munia imperandi, & gubernandi alios. Sed quis leænæ huius feritatem, & aquilæ solertiam enarrabit, ad hoc, vt voti compos fiat; & quod quærit, assequatur; quamuis dignitatem non mereatur; & opus sit, mala aliqua media adhibere? quam ob caussam nullum peccatum prætermittit; nullam exequi negligit crudelitatem; nullam fraudem non inuenit; licet postea pluat super caput eius, castigante diuina Iustitia ipsum ambitiosum exemplari aliqua pœna: cuius exemplis refertæ sunt historiæ. Sed hoc prætermisso, tanquam nimis noto, satis nobis

a *Dan.* 7. 4.

S. Th. 2.2.q. 131.a.1.

sit scire; à nullo vitio toties appetitos fuisse ipsos Christi Apostolos, atque ab hoc; vt totam illam scholam indignationibus & contentionibus turbarit.
b Mat.20.20. Homil 66. in Matth. hæc b *Ioannem, & Iacobum* occupauit: qui, etsi aduerterent, se meliori esse loco apud suum Magistrum, quam cæteros socios; illud tamen (vt S. Chrysost. aduertit) illos cômouit, quod videret plus eundem Magistrum Petro tribuere, cui nominatim claues Regni cœlorum promiserat. harum ergo clauium desiderium, ob singularem illam præeminentiam, eorum corda turbauit: cuius rei causa, indignatio & discordia in omnes est ingressa. Sed affert stuporem, quod ambitio acceptis alis aquilæ, ausa fuerit ingredi Sancta Sanctorum ipsius Christi, & in ipso cænaculo, omnibus mensæ assidentibus nullo habito respectu ad præsentiam supremi illius Magistri, & quod paulò ante ille se ad eorum pedes lauandos abiecisset, eisque sanctissimi corporis & sanguinis Sacramentum communicasset, facta sit contentio inter eos, c *quis eorum videretur esse maior*, alijsque præesset: quasi scire vellent, quis Magistro succederet in Ecclesiæ gubernatione. c Luc.22.24

1. O COELESTIS Magister, quid pusillo huic tuo gregi dicis, in quem ambitio fera ingressa est, talemque contentionem in eo excitauit? doce me, contra eam pugnare, vt eam sub meis pedibus ponam. *Reges* (inquit) *gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur*: hanc suam excellentiam existimantes, vt ipsis præcipientibus obediatur. *vos autem non sic; sed, qui maior est in vobis, fiat sicut minor: & qui præcessor est, sicut ministrator.* suamque excellentiam non in imperando, sed in obediendo ponat; non in hoc, vt ipsi ministretur, sed vt ipse ministret: *sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare*, & d *dare animam suam redemptionem* pro omnibus. O fili hominis, simulque Dei viui, ad quem iure spectat suprema potestas, & gubernatio; propter quam summus tibi debetur honor & gloria: benè & exactè nos docuisti discrimen inter paganos & Christianos, inter discipulos tuæ Scholæ, & eos, qui Scholam mundi frequentant. Symbolum enim hominum huius mundi est, excellentias eius appetere, & gubernationem; habereque primatum super alios: at symbolum tuorum discipulorum est, totum hoc fugere, amare paruitatem, desiderare subiectionem, esseque omnium minimum. hic mea est securitas, pax mea, & lætitia mea, perfectaque heroicæ tuæ vitæ imitatio. d Mat.20.28

2. SED videamus nunc, qua ratione, propria cognitio de his omnibus hostibus triumphet: persuadens Iusto, quod, etiamsi sit Sanctissimus, donisque DEI plenissimus, periculum tamen ipsi immineat, eis omnibus excidendi, si vanè desideret, aut acceptet huiusmodi honores ac dignitates: ac proinde, ne spirituale bonum quod habet amittat, reijciendum illi sit, quicquid mundanum est, & periculosum, quod illi offeratur. Hoc apparebit mirificè depictum in parabola illa iucunda, quam diuina

Scriptura

Scriptura refert de arboribus siue lignis, quæ voluerunt sibi eligere Regem: e *dixeruntque oliuæ: impera nobis, quæ respondit: nunquid possum deserere pinguedinem meam qua vtuntur & Dij & homines, & venire vt inter ligna promouear? Dixeruntque ligna ad arborem ficum: veni & super nos regnum accipe: quæ respondit eis; Nunquid possum deserere dulcedinem meam, fructusque suauissimos, & ire vt inter ligna promouear? locutaque sunt ligna ad vitem, veni & impera nobis. Quæ respondit eis: nunquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum & homines, & inter cætera ligna promoueri? dixeruntque omnia ligna ad rhamnum: veni & impera super nos. Quæ respondit eis: Si verè me regem vobis constituitis, venite & sub vmbra mea requiescite.* quæ oliuæ, ficus, & vites sunt hæ? quæ imperium refugiunt super cæteras arbores, ne copiam & dulcedinem fructuum suorum amittant? & quis ille timor est, dulces suos fructus amittendi ob tale imperium & præsidentiam, quasi non benè simul se compaterentur, tale imperium, & talis fructuum dulcedo? quis verò est Rhamnus, qui sine timore alicuius iacturæ imperium & regimen acceptat? & quæ tam exilem habet vmbram, offert se ad alios sub illa recipiendos? Hoc sine dubio proponit nobis discrimen inter discipulos Christi, eum imitantes, f *qui fugit in montem solus, cùm cognouisset, quia venturi essent, vt facerent eum Regem*; filiosque huius sæculi, qui ambitiosè quærunt & acceptant regnum & imperium. Illi sunt significati per tria fructuosarum arborum genera in omnibus statibus, & gradibus Ecclesiæ, qui fructus proferunt benedictionis: quales sunt Tyrones, Proficientes, & Perfecti, qui se exercent in operibus misericordiæ, in contemplatione rerum cœlestium, & feruentibus amoris affectibus? Hi omnes fundari debent in vera sui ipsorum cognitione: & quam parum possint ad fructus suos dulces conseruandos, in medio prosperitatum humanarum: ac propterea eas sponte non acceptant etiam oblatas: potius, quod in se est, fugiunt eas, ac mortificant illas propensiones, quæ in huiusmodi occasionibus erumpere solent. Experientia enim eos docet, quòd, qui aut quærunt, aut acceptant ambitiosè talia munia, expositi sint periculo amittendi fructus operum bonorum, quæ facere consueuerant. Si enim eos amisit Saul, ingressus in Regnum absque ambitione: quomodo eos non amittet, qui cum ea huiusmodi regnum ingreditur. Hæc enim oleum destruit deuotionis, dulcedinem Contemplationis, & forte vinum charitatis. Præstat verò hæc bona in demisso loco secura seruare: quàm exponere se periculo, eadem in altiori loco amittendi. At filij huius sæculi, per Rhamnum significati, vt qui sint valdè superbi & arrogantes, nihil dubitant procurare & acceptare onus, quod Iusti horrent. Aptè verò appellantur Rhamnus, vt qui peccatis suis, curisque, quas illis affert perniciosa illa ambitio, incedunt semper tanquam puncti. &, quoniam spiritualia

e Iudic. 8. 5

f Ioan. 6. 15.

2

3.

bona

bona non habent, quæ amittant, audent se offerre ad harum dignitatum honores: simul offerentes vmbram protectionis, quam ipsi non habent, nec dare possunt, eò quòd minus apti sint ad gubernationem. O quantò illis esset melius, animam suam per mortificationem, ab his desideriorum, & ambitiosarum curarum spinis auellere: amplecti verò spinas Iesu Christi, quæ rectà contra eas sunt constitutę, vt spinæ spinas, sicut clauus clauum, truderent? O Rex gloriæ, quã carè tibi stat ambitio mea, pro cuius reparatione cõtemni voluisti, acceptis insignibus Regis, nõ minoris doloris, quam ignominiæ? quid sibi vult ista purpura opprobrij? arundineum istud sceptrum in manu tua? spinarum corona in tuo capite? & quod hostes tui genu coram te flectant? & arundine ad deridendum percutiant? ac demum quod in throno crucis te ponant, cum titulo Regis, sed in medio duorum latronum? Hoc autem totum apud me clamat, vt ambitionem mortificem: horream superbiam, quæ vehemens adeò pharmacum requirebat. Auertat ergo hoc à me Deus: ad tales voces obsurdescam. Ex nunc statuo, induere insignia tua ad mortificandum pompas huius mundi, & reijciendam coronam gloriæ & honoris mundani: amplectendas verò spinas tuæ coronæ, tuæque crucis ignominias, per quam crucem obtenturum me spero regnum aliud infinitè gloriosius: vt regnem tecum in throno gloriæ tuæ in æternum, Amen.

CAPVT VII.

VERAM ORATIONEM ET CONTEMPLAtionem impellere ad Mortificationem proprij Iudicij, vt Dei eiusque Ministrorum iudicio se subijciat: & hunc fructum esse excellentem: & qua ratione is obtineatur.



CERTISSIMVM inter alia indicium veræ cum Deo familiaritatis, perfectæque contemplationis illud est, si ea impellat ad subijciendum & captiuandum proprium intellectum & iudicium, vt cum diuino, ita vniatur, vt idem sentiat ac iudicet, quod sentit ac iudicat ipse Deus: idque præcipuè in quatuor punctis, in omnibus scilicet, quæ ipse per fidem reuelauit: in gubernatione totius mundi, & præcipuè eius Ecclesiæ: & gubernatione particulari propriarum rerum nostrarum: & denique in ijs, quæ præscribit mandatque per Ministros, qui eius nomine & iuxta eius leges nos gubernat. Nam hæc omnia complectitur perfecta abne-
2.Cor.10.5 gatio & subiectio, de qua ait Apostolus, vt a *in captiuitatem redigamus omnem intellectum in obsequium Christi*, credendo, acceptando, verumque, sanctum, ac

rectum existimando, quicquid ille nobis mandat aut præscribit. Nec vacat mysterio, quod fuerit vsus vocabulo *captiuandi*. Nam quemadmodum captiuus, violenter ex propria patria eductus, in alienã deducitur, vbi cogitur alteri subiectus viuere: Ita intellectus, qui mundum hunc, vt propriam patriam incolit; rebusque nutritur, quas percipit sensibus, proprijsque discursibus assequitur, ad alienam quasi regionem captiuus ducitur, quando cogitur credere, amplecti & sequi, quod eius ratio ac discursus non assequitur: quæ tamen captiuitas grauis, aut molesta non est ijs, qui seriò orationi & contemplationi se dedunt: in qua tot rationes inueniunt, ad conformandum suum iudicium cum Deo, in omnibus, quæ dicit, aut facit: vt summa voluptate illud amplectantur, & eiusdem amore etiam lubentes captiuent suum iudicium iudicio superiorum, qui illos gubernant; licet proprio suo discursu illud non assequantur. Sic enim primogenitum suum filium Isaac illi sacrificant, cùm primum ac nobilissimũ opus sui spiritus illi offerunt, quæ est proprij iudicij subiectio, cui innituntur fundamentales Christianæ vitæ virtutes. Innititur enim fides, quæ omnium est fundamentum; & humilitas, quæ illas conseruat; prudentia, quæ illas ordinat & concordat; obedientia, quæ illas complectitur; oratio, quæ illas impetrat; contemplatio, quæ illas degustat; & charitas, quæ omnes coronat. In quibus virtutibus, si profectum aliquem securè facere desideras, seriò suscipere debes eam curam, vt viriliter mortifices captiui huius impetus, qui solent esse vehementes, cùm adhærescit naturali propensioni quam habet, ad suam sequendã sententiã. Tunc enim appellatur iudicium propriũ: eò quòd non sit commune cum iudicio Dei, eiusque ministrorum; nec velit, se illis subijcere, nec alios consulere: sed maiorũ consilia contemnit, vt proprium sequatur, ex quo fit, vt virtutes omnes fundamentales prædictas desolet, & miserandam in eis faciat stragem. Quamobrem licebit meritò hunc comparare secundæ bestiæ, quam vidit Daniel ex mari ascendentem, b *similẽ vrso, in cuius ore tres ordines erant* dentium: *cui dictum est, surge, comede carnes plurimas.* qui surrexit & comedit. Vrsus, (vt ait Arist. & Plin.) est ferarum omniũ astutissimus, & sagacissimus; habet breuem visum, qui frequenter etiam obfuscatur; infirmatur ex capite; &, cùm sit bestia quadrupes, erigit se in solos duos pedes, & incedit tanquam homo. quæ magis ad viuum depicta effigies proprij iudicij esse potest? Quis enim magis astutus ad eũ decipiendũ, qui ipsi se dedit; aliosq;, cum quibus agit? Quis periculosiùs ex capite laborat, & superiori hominis parte, intellectu scilicet? Quis breuiorem habet visum, ad veritatẽ cognoscendam, recteq; de ea iudicandum? Quis frequentiùs impingit, & in grauiores incidit errores? Quis plus insolenter sibi arrogat, seque erigit supra se, & vltra id quod potest, audetq; cum ipso Deo cõtendere? Quid verò dicã de *triplici ordine dentium*, qui sunt fortes ac pertinaces ap-

b *Dan. 7. 6.*

Lib. 7. Hist. animal. c 17. lib 8 c. 36.

prehensiones contra proximos, contra superiores, & contra Deum? his dentibus comminuit deuoratque multas carnes: destruit enim innumeros carnales homines, deijciendo quosdam in errores contra fidem; alios in schismata & discordias contra charitatem; alios in rebelliones contra obedientiam; & in arrogantias contra humilitatem? Et quamuis, quicquid comedat, sit caro, aurum tamen veluti obducit adhibendo quandã speciẽ Spiritus, ideoque occultior est eius pernicies: ac proinde difficilius eius remedium. Difficilè enim curatur infirmus, qui putat se esse sanum. is enim neq; remedium quæret, neq; oblatum admittet, iudicans, se non indigere. c *Vidisti* (ait Sap.) *hominem sapientem sibi videri? magis illo spem habebit insipiens:* qui sc. talem se esse agnoscit. Talis (ait S. Bern.) est, qui infectus est hac proprij iudicij lepra. Nam *quantò plus abũdat* in huiusmodi lepra, *tantò quisq; sanior sibi esse videtur:* & quò magis decipitur, eò magis existimat se rectè sentire; nec aliud adhiberi illi potest remedium, nisi vt conuincatur, quod ægrotet; & quod sit intolerabilis error fidere proprio iudicio, & crudeli huic feræ se subijcere. Aggrediamur itaq; pugnã contra eam armis orationis & considerationis practicæ, manifestando fraudulentas eius astutias, breuem visum, pertinaciã & arrogantiam perniciosam, monstrumque quod præfert in dentibus: vt forti mortificatione eos euellamus, quò tandem se dedat ac subijciat.

Pro. 26. 12.

Serm. 3. de Resurrect.

§. I. *Grauia damna adfert pertinacia proprij iudicij.*

INCIPIENTES à duritie & pertinacia proprij iudicij, abominanda eius malitia ac damna, quæ ab ea proueniunt, mirificè delineata sunt in verbis illis Samuelis, quibus ex parte DEI reprehendit proteruum Saulem eò quòd DEO non obtemperasset: qui tamen perstitit, affirmando, se a *audiuisse vocem Domini*, præferens in hoc iudicium proprium iudicio ipsius DEI, eiusque Prophetæ, cui Samuel: *quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere.* In quæ verba ait Sanctus Gregorius: hominem in suo iudicio pertinacem, proprium iudicium habere pro idolo. Nam, *dum agenda concipit, quasi idolum facit,* & super altare & aram cordis & intellectus sui illud collocat; &, quemadmodum arioli, consultat cum eo, quid dicere, facere, docere & tractare debeat: illudque dat responsa ad interrogata: quæ statim, atque audit, acceptat, quasi à DEO redderentur; exequiturque & poplite flexo, idolum suum, vero DEO relicto, more idololatrarum veneratur; nolens consulere ea, quæ DEVS in Scripturis Sacris reuelauit; nec Sanctos, nec Prælatos, & Magistros Ecclesiæ, sed aras dæmoniorum. Et quemadmodum illa loquebantur olim, & responsa dabant per idola, quæ erant super aras, falsa & perniciosa, licèt larua religionis tecta: sic nunc loquuntur & respondent per iudicium proprium, tegendo sua consilia specie veritatis, & sanctitatis: quemadmodum Saul illa tegebat. exhortatur

1. Reg. 15. 20. 23.

Lib. 6. Reg. cap. 2.

tatur enim ad non obediendum, apposito titulo sacrificij & orationis; excitat contentiones sub pallio veritatis certiùs exquirendi: iram appellat zelum, carnalitatem, charitatem: & eousque peruenit eius stultitia, vt ipsam hæresim pro vera fide habeat, declinando ab vno in alterum errorem. Nam, vt est apud Iob: b *præcipitat eum consilium suum*: quemadmodum, *qui misit in rete pedes suos, & in maculis eius ambulat, tenebitur planta illius laqueo*: vt, quò magis mouetur, eò implicetur magis: & explicare atq; expedire eum nó valeat idolum, quod adorat: O infelix intellectus, qui factus est ara maledicti huius idoli: ô cor infelix, ara factum Sathanæ, in Angelum lucis transfigurati ad decipiendum ipsum, à quo adoratur. Ara debuit esse tuus intellectus, in quo Christus habitaret; c *templum* debuit *esse cor tuum, in quo esset Spiritus S.* d *quæ autem* (vt ait Apost.) *participatio Iustitiæ cum iniquitate? & quæ societas luci ad tenebras? quæ conuentio Christi ad Belial? & qui consensus templi Dei cum idolis?* e *Nunquid* (ait Elias) *non est Deus in Israel, vt eas ad cõsulendum Beelzebub Deum Accaron*? Nunquid non est Deus in populo Christiano, quem cõsules de his, quæ sunt credenda, & facienda? non est Pontifex Christi Vicarius in terra? non sunt SS. Patres & Doctores in Ecclesia? non sunt Prælati, Confessores, & Magistri Spiritus? Sancti docti & experti in vijs perfectionis Christianæ? cur ergo, his omnibus prætermissis, proprium iudicium, tanquã idolum consulis, vt propriam sequaris sententiam? Dei hostem & tuum adhibes Consiliarium, tot alijs, adeoquè bonis & amicis contemptis? audi ergo eiusdem Dei contra te sententiam. Quia tale consilium inijsti, taliumq; sententiam amplecteris; *morte morieris*: quemadmodum Ochozias, *qui misit suos nuncios, vt consulerent Beelzebub Deum Accaron*: & quemadmodũ Saul, qui consuluit idolum iudicij proprij. cuius causa vitam amittes spiritualem gratiæ, & non ingredieris æternam; & hic morieris amara morte: quia ipsum tuum idolum, duram & intolerabilẽ faciet tuã vitã, vt grauior sit tibi ipsa morte.

b *Iob* 18.7.
c 1.*Cor*.6.19
d 2 *Cor*.6.16
e 4 *Reg* 1 3.

Scito .n. iudicium proprium esse quemadmodũ illud idolũ, quod vidit Ezechiel iuxta ostium interius templi, quod respiciebat ad Aquilonem: vbi f *erat statutum idolum* Zeli *ad prouocandam* Aemvlationem. O idolum proprij iudicij, quod sedem tuam habes non solum inter Gentiles, sed etiam inter Christianos: nec solum inter sæculares, sed etiam inter Ecclesiasticos, & Religiosos: nec solum inter eos, qui veniunt ad exteriorẽ partẽ templi, exercentes videlicet vitam actiuam; sed etiam inter eos, qui penetrant ad interiorem, vt exerceant opera vitæ Cõtemplatiuæ. O abominandũ idolũ cuius ara sita est ad Septentrionalem portã, per quã ventus flat Cęcias frigidus & siccus: non verò ingreditur lux Orientis, nec Auster perflat calidus & humidus Meridiei. vbi .n. tu es, omnia sũt tenebrę ignorantiarũ, obscuritas errorũ, frigiditas culparũ, siccitas Spiritus, absq; deuotione ad Deũ; & misericordię visceribus ad proximũ. ostiũ tuũ semper patet Septẽtrionali vẽto suggestio-

f *Ezech*. 8.3.

nis diabolicæ, quæ liberum habet accessum, vt, quicquid velit, faciat in tua infelici domo. nunquam per tuas portas radij intrāt Solis Iustitiæ, nec splendor diuinarum illustrationum, nec ventus Auster cęlestium inspirationum; nunquam Solis faciē vides, nec in Oriente, nec in Meridie, quia nō es dignus, qui mediteris, aut cōtempleris opera Dei in creatione & redemptione mundi; nec ostendet tibi dulcem suam præsentiā; nec in virtute cresces *sicut* g *lux* matutina *splendens, quæ procedit vsque ad perfectam diem.* O cæcum Idolum, surdum, & mutum: quod, cùm habeas oculos, non vides; habens aures, non audis: linguam habens, non loqueris: & pedes, & manus, & neque ambulas, neque aliquid operaris: vtpotè quod omnes has potentias priues præstantibus hisce actibus in materia virtutum. O idolum tremendum, crudele, ac ferum, quod ideò es *idolum zeli, vt æmulationem prouoces:* vbi enim tu es, omnia sunt iræ, inuidiæ, discordiæ, vindictæ: semper incitas contentiones, æmulationes, ac dissensiones inter Pręlatos, & subditos: inter Magistros, & Discipulos: inter maiores, & minores: totamq; Ecclesiam, sectarum diuersitate perturbas: diuidens Christi tunicam Schismatibus; Religiones & communitates factionibus: turbans ciuitates litibus: domos & familias rixis & iurgijs: & ipsas conscientias magnis turbationibus. Qui te adorant (ait S. Bernardus) destructores sunt vnitionis; pacis inimici, charitatis vacui, tumentes vanitate, sibijpsis placentes, magni in suis oculis, adeoque arrogantes, vt veram Dei Iustitiam ignorātes, propriam velint extollere, & prætextu diuini zeli, adorent idolum diabolici. Nunquid ergo tu frater eris adeò stultus, vt adorare velis idolum, quod ita tractat suos adoratores? tot priuans eos bonis, tot verò mala eis afferens? Non attendis, miser, (ait S. Dorotheus) quod *velle viuere iuxta tuam sententiam, tibiq; soli concordare, sit, velle omnibus discordare?* Non aduertis, te erigere idolum, quod tu quidem adores, cæteri autem lapident: iaciendo in te lapides contradictionum, imò & murmurationum: te superbum appellantes, obstinatum, ignorantem, illusum, audacem, singularem, hypocritam, inanis gloriæ cupidum, aliorum contemptorem, & zizaniorum seminatorem.

Pro. 4. 18. | ...rm. 3 de ...surrect. | 4. | ...rmone 5.

5. ATTENDE denique, idolum hoc appellari *zeli prouocantis ad æmulationem,* quia contra se suosque adoratores prouocat zelum, iram, & furorem Dei, qui vindictam sumet seueram de iniuria sibi à te illata: qua tuum iudicium, ipsius, & ministrorum eius iudicio præfers; conculcans eius præcepta & consilia, quo falsi tui Dei consilia sequaris. Quis primum peccatum & horrenda supplicia miseriasque humani generis introduxit, nisi idolum proprij iudicij, quod Eua adorauit, dum illud iudicio ipsius DEI præposuit? Nam cùm DEVS dixisset h *in quocunque die comederis ex ligno scientiæ boni & mali, morte morieris:* illa præsumens plus scire se quam Deus, iudicauit se i *non morituram,* quia serpens ille maledictus,

Gen. 2. 17. c. 3. 3. 4.

locutus illi per idolum proprij iudicij, illam decepit. Quis Saulem regno priuauit? quis eum Spiritui malo inuidiæ & melancholiæ ſubiecit? quis induxit vt Pythoniſſam conſuleret? quis vt proprijs manibus interiret, niſi proprij iudicij idolum. ad quod ipſe, vt reſponſa acciperet, ſicut alij arioli, confugiebat & ſicut idololatra adorabat? Ex alieno igitur capite experimentum cape, vt cautior euadas: remoue ex ara intellectus tui hoc idolum; calca illud, & valida mortificatione conculca: & quando contra maiorum tuorum iudicia aliquid tibi ſuggeſſerit, reſponde cum S. Dorotheo: ***anathema tibi, & iudicio tuo.*** Nam, quod dictas, à Dæmonibus prodit, à quibus illud didiciſti. Si igitur ædificare cogites perfectionis Chriſtianæ turrim, domumque vitæ Contemplatiuæ: attende, (ait Sanctus Baſilius) ne eam fundes ſuper proprij conſilij arenam k ***pluuia enim, & flumina, ventique*** tentationum ***irruent in eam, eritque magna illius ruina.*** Et licet tales tentationes deforis non accedant, proprio tamen pondere corruet domus; eoque citius, quò altius aſſurrexerit, ob fundamenti malitiā miſerandos lapſus ex hac radice procedentes refert Caſſianus: Quia nullo (inquit) vitio citius Sathanas nos præcipitat, quam proprio iudicio: ex quo illuſiones multæ ſunt ortæ eorum, qui gloriantur ſe eſſe Contemplatiuos, valdeque Spirituales: & iactant ſe fortes eſſe, ac ſolidos. Qui etſi antiquiſsimi ſint, ſi tamen ſui iudicij ſint proprietarij, contemnentes ſuperiorum iudicium, tandem ſuccumbent: quemadmodum Sacerdotes illi, ac Duces, de quibus narrat Scriptura, quod l ***ceciderint in bello, dum ſine conſilio exiuerunt in prælium:*** non tamen ſine conſilio iudicij proprij: quia illud reipſa ſunt ſecuti: quod non meretur tam nobilem compellationem: ſed potius, vt dicatur, ſine conſilio ſui Ducis & Gubernatoris: quod, proprio relicto, ſequi debuiſſent. O magni conſilij Angele Chriſte Ieſu, à quo omne bonum conſilium procedit: accende in corde meo tuum Sanctum zelum, contra hoc idolum proprij iudicij: ne vnquam eius conſilio me ſubmittam. m ***conſilium meum, teſtimonia tua, & iuſtificationes tuæ***, & monita, quæ in diuinis Scripturis mihi dediſti: ea ſequi & amplecti volo iuxta maiorum meorum interpretationem: ſuper quos tanquam ſuper lapidem viuum erigam ædificium Perfectionis, turrimque Contemplationis, ne hoſtium impetus contra eam præualeant.

Serm. 5.

in Conſti. Monach c. 2

k *Mat. 7. 27*

Coll. 2. c. 5. & ſequent.

l *Mach. 5. 67*

m *Pſal. 118 24.*

§. 2.

De erroribus proprij iudicij, eorumq; remediis.

VIDIMVS dāna proprij iudicij ex peccatis, quæ producit; videamus nunc, quos habeat errores: ne illi fidas in vlla re, quam tibi propoſuerit. Si enim virum aliquem exiſtimares ſanctum, & prudentiſsimum: ego verò tibi, perſuaderem, quod, etſi exterius quidem talis videa-

tur, reipsa tamen sit improbus, imprudens & mendax: non esses tu adeò stultus, vt porrò pergeres fidem illi adhibendo. Ego igitur clarissimè tibi ostendam, proprium iudicium, cui tu inniteris, quantumuis pallio veritatis & sanctitatis se contegat, esse tamen reipsa ignorans, imprudens, falsarium, milleque erroribus subiectum, & pestem omnium virtutum. quod clarissimè tanquam typo excusum videbis in superbo illo Naaman Syro, leproso plus in anima, quàm in corpore, qui veniens cum magna pompa & apparatu ad Prophetam Elisæum, vt à lepra curaretur: Sanctus autem Propheta noluisset ad eum exire, nec cum illo loqui; sed misisset ad eum puerum suum Giezi, dicens: a *vade & lauare septies in Iordane, & recipiet sanitatem caro tua: atque mundaberis: iratus Naaman* superbus leprosus manifestauit indignatione sua lepram interiorem *dicens: putabam quod egrederetur ad me, & stans inuocaret nomen Domini Dei sui, & tangeret manu sua locum lepra & curaret me. Nunquid non meliores sunt Abana & Pharphar fluuij Damasci omnibus aquis Israel, vt lauer in eis, & munder? vertit ergo se, vt abiret indignans.* O verba & sententiæ proprij iudicij? quæ plus scatent erroribus, quàm corpus leprosum maculis.

4. Reg. 5. 9

1. PRIMVS error fuit, quod se constituerit gubernatorem ac ducem sui ipsius, in adhibendis medijs recuperandæ sanitatis; statuens ipse primus, quæ sibi aptiora videbantur; &, errante suo iudicio iudicans, Deum & ipsius Prophetam debere illa approbare, & sequi. ostendit etiam suam superbiam in eo quod inclinauit ad media suauiora, & magis honorifica, refugiens, quę magis erant laboriosa & abiecta. Nam, quoniam facilius ipsique magis honorificum erat, si ipsemet Propheta ad ipsum exiret; suaque manu ipsum tangeret: & verò genus quoddam ignominiæ, quòd per puerum suum Propheta illi significaret, vt lauaret in Iordane; idque non semel, sed septies: quæ res etiam erat laboriosa & permolesta: affectus magis ad primum medium, horruit secundum: & ipsum Prophetam, qui illud offerebat; ac Deum ipsum, qui per eum loquebatur. O errorem intolerabilem? num Pharmacum vni ægroto commodum, salutare erit omnibus? aptum erat medium alicui humili leproso, vt Propheta ad illum exiret, manu tangeret, ac sanaret: at non idem erat conueniens tibi superbo, & arroganti leproso: eò quòd tu ipse cæco tuo consilio ita digessisses. Nam fortè quidem liberatus fuisses à lepra corporis, sed non à lepra animæ. ideoque non vult Deus, tuam directionem sequi; sed te vult sequi suam; nec vult, vt tu ministris ipsius præscribas media tuæ salutis; sed vt tu ea amplectaris, quæ illi tibi præscripserint: quando illi non apertè discedunt ab ijs, quæ ipse Deus statuit ac præscripsit.

2. HIC verò apparet proprij iudicij deceptio, Prophetæ medium frigidis errantibusque rationibus reprobatis. *Nunquid*, ait *non meliores sunt fluuij*

Dam-

Damasci, omnibus aquis Israel, vt lauer in eis & munder? Quis tibi dixit ô superbe, aquas Damasci esse meliores, nisi amor tuæ patriæ, qui efficit, vt, quæ in illa sunt, magni æstimes? Quemadmodum rustici assueti bibere aquam ex suis puteis, illam laudant, & fluminibus præferunt. Esto tamen, quod essent meliores: num virtus ad sanandum, in illis prouenit à naturali præstantia, quam habent, an ab omnipotentia Creatoris? qui statuit, reddere tibi sanitatem, non per aquas meliores, quas tu approbas; sed per deteriores, quas reprobas? Aperi itaque, frater, oculos, eisque lustra mundum istum & ipsas Religiosas familias: in quibus fortè inuenies multos leprosos, æquè errantes, atque iste Naaman. & attende, num tu sis vnus ex illis, qui tui profectus media, proprio iudicio eligis; & agis, vt Prælati & Confessarij illa approbent: contra quos indignaris, si denegent, quod petis, iudicans illorum iudicia errare, tua verò illis præfers: eò quod superbia & amor proprius efficiunt, vt eligas quod apud te est honorificentius, palatoque magis iucundum: licet totum illud à carne proueniat, pallio tamen Spiritus tectum. Potest quidem ita esse, quod talis pœnitentiæ modus, solitudo, aut genus hoc occupationum sint ex se alijs aptiora: tibi tamen aptiora non erunt, qui eligis ea ex proprio iudicio, contra iudicium tui Prophetæ: nec Deus sanabit te per medium, quod tu elegisti: sed quod ipse constituit. Ne dixeris, meliores sunt aquæ patriæ meæ, quam aquæ Israel: & aptiora media ad salutē meam habuissem ego in sæculo, vbi fecissem, quod voluissem; quàm in Religione, faciens, quod alius vult: aut melius mihi est, sequi mores in quib. hactenus fui educatus: quā eis relictis, alios induere, qui mihi præcipiūtur. verbum enim hoc à lingua valdè leprosa procedit. Nam quemadmodum Naaman, etiam septies millies in patriæ suæ aquis lotus, sanitatē non recepisset: Ita nec tu sanaberis, si tuas dispositiones & inuentiones secutus fueris: cum Deus alias tibi præscribit. Et quemadmodū idem Naaman, si pertinaciter in suo iudicio perstitisset, & in patriam, vnde venerat, fuisset reuersus, mansisset leprosus & infidelis, fructuq; caruisset, quem aduentu suo in Israel percepit: Ita tu fructum amittes Religionis, & operū ac laborum tuorum: si deseras viam & dispositionē, quā Deus adhibet in tuū bonum; vt sequaris, quā proprium iudicium eligit in tuū malum.

Nec mysterio caret, quod cum esset Naaman vir magnus, & à tot milliaribus videndi Elisæi causa venisset: noluerit tamen Propheta ad illum exire, nec faciem suam illi ostendere, aut cum illo loqui: sed per puerum suum cum illo sit locutus. Quid autem hoc aliud est, nisi nobis significari, superbos, suique iudicij proprietarios, etiamsi multum in Oratione laborent, vt faciem Dei videant, & magnalia eius contemplentur, verbumque aliquod dulcis eius inspirationis ex eius ore audiant: id tamen eos non impetraturos; nec impleturum Deum, illorum desiderium; 3.

nec

nec daturum donum Contemplationis, aliasque dulcis suæ præsentiæ delicias? id quod amicus quidam Iob insinuauit, dicens: b *non audebunt contemplari Deum omnes, qui sibi videntur esse sapientes.* Nam superbè suam sapientiam sibi arrogantes, toties repelluntur à diuina præsentia; vt amplius non audeant id prætendere. Ideoque, sicut Naaman, desistunt ab eo, quod aliàs desiderabant. Quando autem Deus multum eis fauere vult, id facit, aliquem suum ministrum ad eos mittendo: qui significet illis, quid sibi sit faciendum, vt à suo morbo curentur. Non enim prius ad iucundissimum eius conspectum admittentur, quàm fuerint sanitati restituti. Ea enim humilitate ac resignatione vult Deus quæri: vt indignum te iudices, quem ipse visitet, faciemque suam tibi ostendat, aut vel vnicum verbum loquatur. Quod si existimes, sicut ille Naaman, Deum tibi hoc, & multò plura debere, decipieris: eoq; amplius lux cœlestis sese abscondet, quò magis eris leprosus in hoc iudicio.

Iob. 17. 24

4. ERIT autem rationi consentaneum, vt qui stulta sua responsione exemplo nobis fuit errorum proprij iudicij, idem sit quoq; exemplar remedij, quo illi reparantur, mortificata scilicet radice, ex qua illi proueniunt. Cùm ergo in hoc suo errante iudicio perseuerans abire vellet, c *accesserunt ad eum serui sui*, qui non ita cæci erant sicut ipse: quia non erant ita superbi. cognoscentes ergo eius errorem, *locuti sunt ei: Pater si rem grandem dixisset tibi Propheta*, aut valdè difficilem *facere certè debueras*, vt sanitatem recuperares: *quanto magis, quia nunc dixit tibi, lauare & mundaberis?* acquiescens his seruorum rationibus, qui abire cœperat indignans, rediijt ad se: &, qui antea indignabatur, nolens Prophetæ Dei parere, paret rationibus propriorum suorum seruorum: ac proinde etiam Prophetæ mandato, & *descendens* cum obedientia prompta, *lauit in Iordane septies iuxta sermonem viri Dei, & restituta est caro eius, sicut caro pueri paruuli: & mundatus est.* & cum *rediisset ad virum Dei*, ille exijt, dulciaque cum eo colloquia miscuit, vt anima quoque sanitati restitueretur, sicut corpus. O mutationem dextræ excelsi? ô vim & efficacitatem mortificationis proprij iudicij? æquum omninò erat, vt Prælatis tuis & Confessarijs, eo solo nomine te subijceres, quod illi sint Dei ministri, eiusque vices gerant; Deusque per eos loquatur, nullis alijs rationibus ad obediendum quæsitis. Sed quandoquidem ob tuam infirmitatem, hoc primo aspectu non peruenis ad tantam perfectionem, quære humanas rationes, quæ te emolliant, ac disponant, vt approbes, quod illi suadent. Consule vel seruos, vel amicos tuos, qui non ea passione ducantur, qua tu; & qui tuam potius vtilitatem quærant, quam quod palato arridet: & qui propendeant potius ad approbandam partem Prophetarum DEI, quàm filiorum huius sæculi. Mortifica in re aliqua proprium iudicium: nam hæc mortificatio, etsi minus sit perfecta, iuuerit ad aliam perfectio-

Reg. 5. 13.

rem. Amor ac desiderium salutis corporis impulit Naaman, ad parendum: vrgeat ergo te amor ac desiderium salutis Spiritualis, & quando ab hac lepra mundaberis, ipsa experientia videbis, aquas Iordanis magis conducere ad tuam sanitatem; quàm illæ tuæ patriæ. Et tunc Deum quærens, inuenies, ipseque ostendet tibi lætam & iucundam faciem suam in Oratione; & loquetur ad cor tenerè. & ita *audebis omnipotentem contemplari*, quia iam te nō existimas sapientem, sed stultum: vt quia tuam ignorantiam cognoueris: es tamen verè Sapiens. Nam qui talis esse desiderat, necesse est, (vt ait Apostolus) vt d *stultus fiat*. e *Ascende* (inquit S. Gregorius) sicut alter *Zachæus in arborem sycomorum*, & videbis Christum, elige sanctam hanc stultitiam, vt liceat tibi contemplari sapientiam æternam. Felix qui in suis oculis stultum se iudicat. Nam etiamsi æquè sit sapiens atque Salomon, simplici animo dicet: f *Stultissimus sum virorum, & sapientia hominum non est mecum*. paratus sum omnium iudicio meum subijcere, siquidem me iudico stultissimum. O Sapientia Patris, qui Sycomorum crucis ascendisti, habitus ab hominibus stultus, vt sic proprij mei iudicij arrogantiam curares: ego statuo, cum gratia tua, illud subijcere tuo, tuorumque ministrorum iudicio. Hoc erit semper mecum, hoc collocabo in ara intellectus mei, vt illud venerer; & in templo cordis mei, vt illud amplectar: confidens infinitæ tuæ Sapientiæ, quod hac via eripies me ab omni deceptione, secureque deduces ad æternam requiem, Amen.

d 1. *Cor*. 3. 18
e *Luc*. 19. 4.
Lib. 27. *mor*. c. 27.
f *Prou*. 30. 2

CAPVT VIII.

ORATIONEM ET CONTEMPLATIONEM obedientia cæca, discreta tamen, mortificare curiositatem proprij iudicij in rebus fidei, & gubernationis Dei, eiusq; ministrorum.



VRIOSITAS, quæ, teste Sancto Thoma, est inordinatum desiderium sciendi plus quam oporteat, comitari solet proprium iudicium, eiusque proprietas est, inordinato desiderio teneri cognoscendi rationes, & causas omnium, quæ proponuntur, dicuntur, fiunt, & præscribuntur: quas nisi assequatur, aut si ipsi non probentur, non admittit, nec credit, etiamsi alij ipsi dicant, & asseuerent: quemadmodum Sanctus Thomas Apostolus dicentibus sibi condiscipulis, a *Vidimus Dominum, ille dixit eis, nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam*

2. 2. q. 167. a. 1.
a *Ioan*. 20. 25.

in latus eius, non credam: sic manifestans, quàm pertinaciter proprio iudicio adhæreret, qui nollet credere, nisi videret: etiamsi multi alij id testarentur: iudicabat enim impossibile, hominem cruci affixum, & in ea mortuum, resuscitatum esse; &, nisi videret signa crucifixionis, non vellet credere resurrectionem: quasi illa esse non potuisset sine illis signis: in quo etiam decipiebatur, existimans necessarium iudicium resurrectionis, quod reuera non erat. Ex hac adeò peruersa proprij iudicij inclinatione, ad non credendum, nec admittẽdum, nisi quod proprio intellectu quis assequitur, procedunt tres actus vitiosæ curiositatis, qui internæ cum Deo familiaritati, eiusq; gubernationi, & ministrorum eius aduersantur: contra quos strenuè pugnat Oratio, & Contemplatio, refertq; de eis victoriam.

§. I.

De curiositate, quæ aduersatur familiaritati cum Deo.

PRIMVS ACTVS curiositatis est quærere, & scrutari magnalia, quæ Deus de seipso, & sacris suis mysterijs reuelauit: nullam quietem inueniens, donec intelligat etiam modum, & rationem eorundem mysteriorum. Et quoniam hoc excedit nostrarum virium paruitatem, euenit, quod dixit Salomon, vt, a *qui scrutator est Maiestatis, opprimatur à gloria*, & aspiciens Solem, excæcatur ab eius splendore, & impleatur dubijs, & perplexitatibus fidei, quas non assequitur: & interdum adeò crescit eorum cæcitas, vt, quemadmodum Iudas Apostolus dixit, b *quæcunque ignorant, blasphement*; falsumque reputent, quicquid proprio suo iudicio non assequuntur, quomodo id possit esse verum.

a Prou 25. 7.

b In epist. ... ano 10.

HINC est, quod vera Oratio, & Contemplatio vehementer impellant ad reprimendam, & mortificandam arrogantem hanc curiositatem, c *redigendo intellectum in captiuitatem,* vt supra dicebamus, *in obsequium fidei:* d *quia iustus ex fide viuit*. In hac regione, etiamsi sit obscura, transiges tuam vitam: in ea meditandum tibi est, Orandum, & Contemplandum: contendendo pacem inuenire, & quietem in hac captiuitate, ita, vt non sis coactus captiuus, & quia aliter fieri non posit: sed spontaneus, valdeque contentus. Ad gloriam enim tuam spectat, Deum adeò magnum habere, quem tu non posis comprehendere; imò hoc ipso ille non fuisset Deus, si tuo intellectu eum comprehendere potuisses: immensitas enim Dei, excedere omninò debet capacitatem omnium creaturarum, idque infinities amplius, quam Oceani immensitas vasculi alicuius capacitatem excedat. Quod si quando curiosus tuus intellectus voluerit in Meditatione transgredi metas dulcis huius captiuitatis, & scrutari quod non debet, reprime eam curiositatem, eiusque oculos claude; alioqui (vt ait Ecclesiast.) e *si plus*

c 2.Cor.10 5.
d Haba.2. 4
e Eccl.7.17

sapias

sapias, quam necesse sit obstupesces : & ita excæcaberis, vt non possis tuum Creatorem videre, qui illud Canticorum tibi dicit : f *auerte oculos tuos à me : quia ipsi me auolare fecerunt.* Aspice me simplicibus columbæ oculis, si vis, vt ad te accedam tecumque conuerser : si autem curiosis me aspexeris, g *faciam mihi pennas quasi aquilæ*, adeoque altè *in cælum volabo*, vt tuum aspectum effugiam : occludam me intra meum cælum, teque in tenebris relinquam, ita, vt non possis magnalia mea contemplari. Placeat itaque tibi viuere nunc captiuum in regione fidei : breui enim de captiuitate hac eductum, mecum ducam ad regionem Paradisi, vt videas clarè, quod nunc credis ; tuumque saties desiderium.

f Cant. 6.4.
g Prou. 23.5

Eisdem rationibus licebit mortificare secundum actum curiositatis, qui laborat inaniter in inquirendis, & cognoscendis rationibus, & causis operum Dei, in hominum gubernatione : cur scilicet hos prædestinet, illos reprobet ; cur iusti opprimantur, & peccatores exaltentur ; cur tot permittit infideles, tot hæreticos, & improbos Christianos ; cur ille auferatur, qui videbatur necessarius ad propugnandam Religionem ; sit verò superstes, qui causa est eius destructionis ; cur quosdam præueniat magna deuotione, & benedictionibus dulcedinis, alios verò in magna ariditate relinquat, amaritudine plenos? Hæc & similia, quæ pertinent ad secreta Dei iudicia, præcipuè quando eueniunt in rebus, quæ nos concernunt ; & venitur ad particulares casus, & personas singulares, excedunt omnem nostram capacitatem: quarum rationes & causas, si curiosè inuestigare velis, non inuenies; sed eris inquietus, & anxius ; iudicijs temerarijs, murmurationibus, & querelis plenus. Et nisi, proprio iudicio abnegato, te subijcias diuino ; credasque eum esse iustum in vniuersis, quæ facit ; non frueris fructibus eius prouidentiæ, nec obtinebis quietem in familiaritate cum Deo. h *In pluribus eius operibus* (ait Ecclesiasticus) *ne fueris curiosus : non est enim tibi necessarium, ea, quæ abscondita* tibi esse voluit, *videre oculis tuis :* potius dices cum Dauide, quod ipse dicebat, quando tales cogitationes eum inuadebant : i *vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum :* tanquam iumentum scilicet, cui neque discursus sit, neque iudicium proprium ; sed syncera fide apud te semper maneo non scrutans opera tua, nec me tuis iudicijs curiosè immiscens. Quid verò mirum, quod hoc fecerit Dauid pauper pastorculus, qui numquam litteras didicit, cùm idem faciant supremi Seraphini, cùm in præsentia Dei sunt ; agiturque de occultis eius iudicijs? Hoc significatur in eo, quòd Isaias Propheta eos viderit asistentes Maiestati Dei in templo, cùm ageretur de reprobatione Iudæorum, k *velantes duabus alis*

h Eccl. 3.22.
i Ps. 72.23.
Psal 70.15
k Isai. 6.2.

faciem eius, & duabus velantes pedes eius: duabus verò volantes, & clamantes: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercitium, plena est omnis terra gloria eius. Quid est eos alis suis velare faciem Dei, nisi mortificare proprium intellectum, eumque excæcare in diuina præsentia, confitentes, se non posse pertingere cognitione ad magnalia eius diuinitatis? Quid item est, duabus alis velare pedes Dei, nisi proprium iudicium mortificare in consideratione operum, quæ ille facit: confitentes, se non posse assequi eorum causas, & rationes: sed contentos esse quod sciant, ipsum esse ter Sanctum; Sanctum scilicet in seipso; Sanctum in suis iudicijs; & Sanctum in suis operibus: propter quæ dignus est, qui in vniuersa terra glorificetur. O felix ignorantia, in qua est vera Sapientia: gloria mea est, Domine, quòd opera tua adeò sint excelsa, vt ego non possim earum causam assequi: satis mihi est, credere, quod tua Sapientia sit infinita, & tua Sanctitas immensa: vt ego iudicium meum abnegem, & intellectus discursum contineam, & captiuum ducam in obsequium fidei, credens, quicquid dicas, ordines, & facias, esse iustum ac sanctum. l *Iustus es Domine in omnibus vijs tuis, & Sanctus in omnibus operibus tuis,* quæ hoc spiritu humilis abnegationis accedam, vt contempler.

l Psal. 144. 17.

§. 2.

De curiositate, quæ perfectæ Obedientiæ aduersatur.

TRANSEAMVS nunc ad actus curiositatis, qui oppugnant sanctam OBEDIENTIAM, quam CAECAM vocamus, non tamen stultam, neque indiscretam, sed sapientem potius, ac prudentem: aduersus quam insurgit proprium iudicium, volens inquirere, & cognoscere rationes, & causas eorum, quæ Deus, eiusque Vicarij, & Ministri constituunt; quæ si non inueniat cum proprio iudicio, palatoque conformia, aut si ea non iudicat sufficientia; ordinationem conculcat, & nihili facit obedientiam. Hæc maledicta curiositas originem habuit à callido serpente, interrogante Euam: a *Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno Paradisi? cui respondit mulier, de fructu lignorum, quæ sunt in Paradiso, vescimur: de fructu verò ligni, quod esset in medio Paradisi, prohibuisse Deum comedere, ne fortè morerentur:* Serpens verò replicauit hanc rationem esse falsam, *nequaquam enim,* ait, *morte moriemini: sed in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dij, scientes bonum, & malum.* illa verò, quæ eousque habuerat oculos sanctè clausos, & veluti cæcos, ne inquireret causam, & rationem diuini præcepti, incepit illos aperire instinctu serpentis: cui vt se conformaret, diuinum præceptum contempsit. O insipiens mulier: attende cum quo

a Gen. 3. 1.

loqua-

loquaris, & quid illi respondeas. Si Deus est, qui hoc præceptum tulit, talemque pœnam minatur, cur illi non credis? cur exanimas, quod ille mandat? satius tibi fuisset, hosti tuo respondere, nolo hunc fructũ degustare: quia Deus dixit, si gustauero, me morituram, & ita futurum credo. sed etsi non essem moritura, nolo tamen comedere: quia Deus hoc prohibuit: & id mihi est satis. Multò meliùs fecerunt Patriarchæ & Prophetæ, quibus Deus aliqua mandabat extraordinaria, & supra omnem humanam rationem; quorum tamen nullam reddebat rationem, vt sic dis erent, proprium suum iudicium abnegare, & mortificare curiositatem: hoc solo contenti, quod Deus ita mandaret, ita vt eorum obedientia esset cæca, ad quærendas alias rationes, præter hanc, quàm optimam & sufficientem iudicabant. Sic g *dixit Deus ad Abraham: egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui; & veni in terram, quam monstrabo tibi*: nec tamen dixit, vbi & qualis illa esset. Eidem postea præcepit dicens: h *tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Isaac, & offer illum in holocaustum*: nulla interim ratione insinuata, cur id præciperet. Isaiæ iussit idem Dominus, vt i *exiret per ciuitatẽ nudus, & discalceatus*: Ieremiæ iussit k *facere sibi vincula & catenas, easq; ponere in collo suo*. Ezechieli iussit l *dormire super latus suum sinistrum per trecentos & nonaginta dies, & in dextro quadraginta*. omnes hi sancta hac cæcitate, Deo paruerunt, contenti credere, quod esset Deus, qui ea mandabat. Si enim voluissent curiosè examinare præceptum, eiusque causas: tot fortè humanæ rationes occurrissent, quas ei opponerent, vt illud contemnerent: sed curiosis proprij iudicij discursibus mortificatis, ipsum præceptum super caput suum ponentes, ad nutum expleuerunt. Quæ obediendi ratio fructus est excellentissimus internæ cum Deo familiaritatis: in qua tanta opinio eius sapientiæ ac bonitatis acquiritur, quę sufficiat ad satisfaciendum intellectui; voluntatemque post se trahendam, etiamsi præcepti materia talis sit, vt eam non intelligat. Quem obediendi modum, vult Deus D. N. nos seruare erga Prælatos, quos ipse suo loco constituit; præcipuè verò Religiosos erga suos superiores; & qui perfectioni acquirendæ attendunt, erga Duces, quos ad eam comparandam eligerunt.

g Gen 12. 1.
h ca 20. 2.
i Isai. 25. 2.
k Iere. 27. 2.
l Ezec. 4. 4.

Ad huius maiorem notitiam præmittendum est, virtutem obedientiæ, vt perfecta illa sit, debere esse instar fidei, quæ non innititur rationibus humanis, neç eas adhibet tanquam fundamentum credendi, quamuis eas non reijciat. Quamobrem Angelicus Doctor S. Thomas interroganti, num rationes, quas adducimus, vt inclinemur ad credendum mysteria fidei, diminuant eius meritum, ipse respondet: si tales rationes tanquam fundamentum & motiuum afferantur, cui fides innitatur; & ita præcedant ipsam resolutionem credendi, vt sine illis non crederemus; aut non ita resolutè & firmiter: plurimum imminui meritũ; & fidei puritatẽ multos gradus amittere,

2. 2. q. 2. a. 10

quæ alias credit, quod sibi proponitur, eò quòd illud Deus reuelauerit; & non ob humanas rationes. Nam fides, quæ illis innititur, humana potius persuasio est, quàm fides diuina. Quando autem decreuimus, & statuimus, mysteria fidei credere, eò quòd Deus ea reuelauerit, Ecclesiaq; vt talia proposuerit, etiamsi humanæ rationes deessent: si in Oratione, & Meditatione, aut sacra lectione operā damus, vt inueniamus rationes, quò voluntas magis ad credendum afficiatur, & intellectus maiori suauitate & efficacitate seipsum abneget, tradatq; in obsequiū fidei: non diminuitur, sed potius augetur meritum, & perfectio fidei. Nam huiusmodi rationes quærere, non ex incredulitate prouenit, sed ex feruenti desiderio perfectius credendi: & in cū finem Doctores & Concionatores, huiusmodi rationes quæsitas populo proponunt; non, vt propter eas præcipuè credant, sed vt afficiantur ad credendū: quia Deus reuelauit, quod proponunt. Et quando huiusmodi rationes apud infideles adducunt, id solum faciunt, vt persuadeantur, quod Deus tales veritates reuelauerit: quibus cum hoc persuasum fuerit, eas credunt, eò quòd Deus illas reuelauerit. in eundem ergo modum agendum nobis est in rebus obedientiæ, ad quam prȩstandam verus obediens non debet rationes humanas quærere, in quibus illa fundetur; sed inniti solum voluntati Dei per eius ministros indicatæ. Nam si humanis rationibus innitatur, non erit vera virtus obediētiæ, sed persuasio quædā humana: & ita, deficientibus rationibus, deficiet obedientia, quæ illis innititur: aut quemadmodū S. Bernard. dixit: talis obediens mille anxietatibus erit plenus. Facta autem ea resolutione & animi decreto, licebit in Oratione & Meditatione quærere rationes, quæ te alliceant & adiuuent ad implendam diuinam voluntatem, prȩceptaque tuorum maiorum multò suauius ac facilius. id quod nec obedientiæ meritum imminuit, nec est contra eius perfectionem. siquidem, etiam eis rationibus non inuentis, non prætermitteres obedire etiamsi valdè asperum ac difficile sit, quod tibi esset imperatum.

Lib de præcepto & dispensat. c. 13

ET hanc ob causam & in eundem finem Deus D. N. reddit interdum aliquam rationem eius, quod mandat, sicut Angelus dixit S. Iosepho: m *Surge, & accipe puerum & matrem eius, & fuge in AEgyptum: futurum est enim, vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum.* & in præceptis tam antiquæ legis, quàm nouæ, & præmia promittit, & supplicia minatur: & ipsi Prælati exprimere solent rationes & motiua eius quod mandant; & vtilitates, quas secum affert, non quo nostra Obedientia his rationibus, & motiuis præcipuè innitatur; sed ad nos suauius ad eam impellendos. & qui præcipuè innitur promissis & minis, propè est, vt à Dæmone circumueniatur, & in vera obedientia deficiat, quemadmodū defecit EVA, credens se non morituram, quamuis obedientiam non seruaret: contrà quàm fecerint S. Petrus & alij Apostoli: qui prius decreuerunt sequi Christū, & postmodum dixerunt: n *Quid*

m Matt 2.13

n Mat. 19.27

ergo

ergo erit nobis? O dulcissime Iesu,nolo mihi maius aliud præmium,quàm te: tuam voluntatem explere, eò quòd tua sit, erit mihi præmium; nec aliam eius rationẽ quæro, quàm quod tu ita velis, quam vbi inuenero, ea sum contentus,nec aliam quæram, nisi ad eandem magis confirmandam.

§. 3.

De sancta Obedientia quæ dicitur cæca.

EX dictis efficitur, quod illa Obedientia sancta sit, & prudenter cæca, quæ alios oculos non habet ad obediendum,quàm oculos Dei, & eius ministrorũ: ad quos pertinet videre & examinare id, quod iubent,vt illud sit licitum,conueniens & vtile: ipsi verò subditi,qui maiori perfectioni student,absq; alio examine intellectum suũ captiuare debent in obsequiũ obedientiæ,& obedire Deo & pręceptis Pręlatorum,(in quibus expressus error aut peccatum non apparet) proposito sibi semper fine & motiuo præcipuo, quod hæc sit voluntas Dei,sicut pulchrè ipse DEVS declarauit,cum Israelitæ per desertum proficiscerentur, ipsumque tabernaculum hinc inde mouerent,iubens, vt a *Aaron & filij eius intrarent intra sanctuarium, ipsiq; disponerent opera singulorũ, & diuiderent quid portare quisque Leuitarum deberet*, tribuendo cuiq; quod illi conueniebat, idq; dabatur pallio hyacinthino tectũ. *reliqui* (ait) *nulla curiositate videant, quæ sunt in sanctuario, priusquam inuoluantur: alioqui morientur.* Quid est ingredi Aaron & filios eius in sanctuarium, & videre onera,quæ sunt distribuẽda alijs aperta? nisi nobis significari,quod Summus Pontifex Christus,cæterique Ecclesiæ,ac Religionũ Prælati,& qui animas gubernant, ingredi debeant ad conspectũ Dei cum Sacrificijs & Orationibus; magnaq; solicitudine attendere,quid subditis suis præscribant,examinando rem ipsam,viresq; ac facultatem eius qui eam sit executurus,tempus,locum,cæterasq; circumstantias occurrentes, vt cuiq; conueniens onus assignent:ne aut eius vires excedat;aut sit minus,quam eius necessitas requirat.Et quid est hoc ipsum onus pallio hyacinthino,qui color est cælestis,tegere?nisi,vt imponatur in nomine Dei, & in finem cęlestẽ: eo quòd ita velit, constituatq; Rex cœlestis? At subditi,& ipsi qui gubernantur,nõ debent curiosè aspicere onus detectum, inquirentes scil.proprio suo iudicio rationes eorum quæ præscribuntur, earumq; causas examinantes: sed acceptare illa hyacinthino illo pallio tecta: quia scil. Deus id faciendum constituit,ipsisque ita expedit,vt ad cælum peruenire, salutemque & vitam æternam consequi possint.Quod si audeant onus detectum aspicere, morientur, propter suam curiositatem; nam proprium iudicium erit causa mortis eorum ob inobedientiam: siquidem non inuenientes rationem, quam quærunt, cur ipsis tale onus imponatur; aut illud non acceptabunt, aut ita gementes tollent, vt tandem in terram proijciant.

a Num. 4. 15

Hoc


diſtribuere aliis onera; & quod præcipere & mandare aliis, ſit ipſum quieſcere & otiari: cum reuera ſit omnium onus grauiſſimum, & quod facit b *gemere* eos, qui cum Spiritu illud portant. & ipſos enim c *homines* & peccata aliena ſuper ſe portant: ea videlicet, quæ ipſorum incuria & negligentia fierent, tam in diſtributione onerum, quàm in attentione, ad modum, quo in eis ſubditi ſe gerunt. Quamobrem eidem Aaron dixit Deus: d *tu & filij tui portabitis iniquitatem ſanctuarij*, quaſi diceret, peccata, quæ fient contra ſanctuarium, ex veſtra negligentia, vos ipſos onerabunt, & eorum rationem vos reddetis; ac proinde etiam vos prement pænæ & ſupplicia, quæ talia peccata merentur. Bonis verò ſubditis incumbit non examinare curioſè hanc onerum diſtributionem; neque inquirere, cur mihi potius hoc onus impoſuerunt, quàm illud quod alteri; aut contrà, cur quod mihi eſt impoſitum, non alteri impoſuerunt? & cur mihi hoc potius, quàm illud? O curioſe ſcrutator cœleſtium diſpoſitionum! Quis tibi commiſit, vt quod Deus per ſe, aut per ſuos miniſtros diſponit, examinares? Abnega potius tuum proprium iudiciũ, abſcinde curioſum diſcurſum, tuaq; onera & aliena reſpice hyacinthino pallio tecta, credens nihil horum caſu euenire, ſed omnia à diuina prouidentia: etſi enim, per homines hæc præſcribantur, omnia tamen à ſupremo gubernatore diriguntur, ad fines ſibi notos. His ergo oculis & hac mente illa reſpice: ſic enim vitam ages quietam & lætam, ſub cœleſtis Regis protectione, qui probè nouit, quid tibi expediat. O Rex ſupreme. e *in cuius manibus meæ ſunt ſortes*, & f *corda Regum*, omniumque Eccleſiæ tuæ Gubernatorum, & *quocunque volueris illa inclinas*, inſpira, Domine, ac doce eos, qui me gubernant, onus quod mihi imponere debeant; me verò efficaciter impelle ad illud acceptandum & portandum. ſecuriſſimè cum Dauide dixero. g *vt iumentum factus ſum apud te*. Nam quemadmodum iumentum non habet oculos ad videndum, & examinandum onus ſibi impoſitum; num graue ſit, aut leue; num honorificum, an vile; num diu ſit portandum, an breui deponendum; num hac an illa via ſibi ſit eundum: quia id totum relinquitur prouidentiæ Domini, ipſum ducentis: Ita ego, Domine, in tuam ſupremam prouidentiam me totum conijcio, & abſque alio examine offero ad portandum onus, quod mihi impoſueris, eaque ratione ac modo, quo id præſcripſeris.

b *Heb.* 13. 17
c *Pſal.* 65. 12
d *Num.* 18. 1.
e *Pſal.* 30. 16
f *Prou.* 21. 1.
g *Pſal.* 72. 23



CAPVT IX.

PRAECIPVVM FRVCTVM VITAE CONtemplatiuæ esse perfectam voluntatis propriæ Mortificationem, & vnitionem, conformitatemque eius cum diuina.

EFORMATO intellectu, modo iam explicato, sequitur fructus gloriosissimus Orationis & Contemplationis, perfecta scilicet mortificatio propriæ nostræ voluntatis, qua vniatur, & conformetur in rebus omnibus cum diuina, qui scopus est, in quem cæteri fructus & mortificationes diriguntur, præcipuè ipsius iudicij proprij. Paruam enim vtilitatem afferret, quod captiuetur intellectus ad benè sentiendum de omnibus, quæ Deus mandat, & iudicandum, ea esse bona, apteque præscripta: si voluntas eadem non acceptet, ob aliquem finem, qui illi magis arrideat. Sicut parui momenti esset, quod Christianus captiuet suum intellectum ad credendum firmissimè res fidei, nisi opera etiam eidem coniungat. quamuis enim necessaria sit fides ad salutem, & perfectionem; non est tamen sufficiens. Ideò enim dixit Apostolus, esse
2.Cor.10.5. a *redigendum intellectum in captiuitatem in obsequium Christi,* cui non sola fide seruitur, nec sola proprij iudicij abnegatione, sed opere ipso, obediendo eius præceptis; captiuata quoque propria voluntate, eductaque à regione maledictę suæ proprietatis, & translata in regionem obedientię, in qua viuat subiecta ijs, quæ Deus mandat. Nostra enim voluntas non fuit creata, vt esset absoluta Domina liberi sui arbitrij; sed vt eo vteretur tanquam ancilla Dei, eius sequens gubernationem in omnibus, quæ mandat & ordinat. Quæ, cum audet hanc gubernationem transgredi, seque vt absolutam Dominam gerere, quæ nec subiectionem nec obedientiam alteri agnoscat, appellatur voluntas propria; vt quæ ita sit nostra propria, vt neque Dei sit, neque Prælatorum, eius locum tenentium; nec proximorum volentium, quod iustum sit, rationique conforme.

§. I.

De excessibus, ac damnis propriæ voluntatis.

HINC iam incipiunt apparere voluntatis propriæ inordinationes, contra quam est tibi pugnandum armis orationis, perpendendo eius tyrannidem & proditionem, quæ audet contra suum Creatorem insurgere; & quod diuinæ ipsius voluntatis est proprium, vsurpare contendit. Nam vt eleganter Sanctus Anselmus dicit: in solo Deo voluntas propria est bona, & quicquid ille vult, necesse est, propria voluntate velit: quia nullum superiorem habet, cui se subijciat; & illa est suprema & summa regula omnis bonæ voluntatis. Est enim ipsamet bonitas, & Sanctitas: nec velle potest quod non sit bonum & Sanctum. Ex quo fit, vt quãdo homo aliquid vult ex propria voluntate, Deo auferat diuinam eius coronam. Et quemadmodum grauem ignominiam Regi inferret, qui Regium Diadema violenter ex eius capite detraheret: Ita iniuriam facit Deo, qui aufert illi singulare priuilegium propriæ voluntatis: vult enim sibi vsurpare, quod propriũ est solius Dei. Quamobrem sicut in Deo propria voluntas origo est omnis boni: Ita in homine initium est omnis mali. Hæc, ait idem S. Anselmus, est ipsamet a *superbia*, quam Scriptura dicit *initium esse omnis peccati*. Superbia enim appellatur, quæ exsurgit, erigitque se supra id, quod reuera est; & voluntas propria nõ vult Dei voluntati subesse, sed supra illam se erigere: nollet voluntatem aliam supra se habere, cui manus suas traderet; sed ipsa vellet esse suprema. 1. *Lib. de simil. cap. 8.* *c. 6. & 7. sup.* a *Eccl. 10. 4.*

HINC est (ait S. Bernardus) quod voluntas propria, instar furis deprædari intendat honorem & gloriam, quæ est solius Dei propria; de qua ipse dicit: b *gloriam meam alteri non dabo*, & omnes diuitias mundi que delicias ita vellet sibi ipsi, vt nullum tributum penderet earum conditori. Eousque autem temeritas eius crescit, vt vellet, Deum non esse: vellet enim ipsum ignorare eius culpas; aut non posse, aut nole eas punire: quod est idem atque desiderare, Deum non esse. non enim potest esse Deus, qui nesciat, aut non possit aliquid: nec velit, quod iustum est. Hæc est, quæ c *factis Deum negat* & seipsam facit Deum, finemque vltimum actionum suarum. Cumque non possit esse nisi vnus Deus, hæc vsurpant sibi diuinitatem negat eam vero Deo, qui illam habet. O diabolica superbia, & præsumptio! quomodo audes, ô vilissima creatura, tantum tibi arrogare contra ipsum Creatorem tuum? cur non subiectionem tuam agnoscis, quam Deo debes; eò quòd liberum arbitrium tibi dederit, teq; fecerit Dominam & Reginam omniũ tuarum potentiarum, & sensuum, rerumq; omnium, quas in hoc mundo creauit, vt tibi indulgeret? O Regina adultera (ait S. Ansel.) quę verum & legitimũ virum tuũ, qui est Deus, cui te omni iure & ratione cõiungere deberes, 2. *Serm. 3. de resurrect.* b *Isai. 48. 11.* c *Tit. 1. 16.* *Vbi sup. c. 37.*

repudians, coniungis te regi alteri æquè adultero, atque tu; qui est Dæmon, Rex omnium superborum, qui etiam voluit esse sicut Deus. Ex tali autem coniunctione qui alij filij nascentur, quam tres illi æquè execrandi, atque
c 1.Ioan 2.16. eorum parentes? Nam *Concupiscentia* deliciarum CARNIS; *Concupiscentia*, & curiositas OCVLORVM; & *superbia* VITAE, horum sunt filij, qui innumeros alios, eiusdem familiæ & generis gignunt, quæ sunt vitia. Ex quibus omnibus exercitum congregas, qui continuè oppugnet cælorum Regem, eiusque virtutes. O quàm aptè bestia illa te describit, quam Daniel vi-
d Dan.7.6. dit ex mari ascendentem, d *quasi Pardum, quæ alas habebat quasi auis quatuor super se, & quatuor capita erant in bestia; & potestas magna data est ei.* Tigris & Pardus es ob tuam velocitatem & crudelitatem; & quod maiorem habeas culparum varietatem, quàm Pardus macularum. quid autem sunt quatuor illa capita, nisi quatuor feri appetitus tui, *honoris, voluptatum, diuitiarum, & libertatis?* & quæ alæ, nisi altæ tuæ cogitationes, quibus hæc vitia nutris & audes volare supra minores, æquales, & maiores etiam ad contendendum cum ipso Deo. Et in hunc modum innumera procreas mala, destruens exercitum virtutum. Tu corrumpis earum Reginam, charitatem scilicet, quæ non quærit, quæ sua sunt, sed quæ sunt Dei. tu autem non quæ-
e Bernard. sup. & ser. 71. in Cant. ris quæ Dei sunt, sed quæ tua. Tu destruis patientiam, quia horres pati, non minùs quàm obedire. propter te contemnitur à Deo e *Ieiunium*, *in quo* tu locum habes. f *Humiliatio* quoque & *Oratio*, quibus tu coniungeris,
e Isai 58.3. f Matt.6.5.6. & quæ absque te fuissent bona, per te fiunt grandia mala: lilia enim orationis & aliarum virtutum, conuertis in spinas vitiorum & peccatorũ. & tu ipsa tibi es carnifex, & cruciatus: nulla enim pęna hominem cruciat, nisi quod
S. Bern. sup. sit contra id, ad quod tu ipsum instigas. *Demque* pro te factus est infernus, o-
4. pera enim tua sunt ligna, quæ horrendum eius ignem nutriunt; qui etiã cessaret, si tu cessares: quia etiam peccatum cessaret, quod tale meretur supplicium. Attende infelix, quid facias. si enim te ad cælum vsque extollas, Deus te ad abyssum vsq; repellet; ne oppugnes diuinam eius voluntatem: si enim nunc victrix euaseris, obtinẽdo quod quæris: postea eris in æternum victa, & patieris, quod non velles. O Rex cœlestis, exstirpa in me feram hanc, eiusque audaciam reprime, ne tantam tibi inferat iniuriam; mihi verò tantum damnum! Assiste mihi tua gratia, vt eius capita amputem, alasq; extraham, eiusque tyrannides omninò mortificem, Amen.

Ex dictis cognoscere licebit, quanta sit stultitia, propriam voluntatem sequi; diligendo scilicet eam, quæ tantum tibi affert detrimentum, tantisque bonis te spoliat: quia contrahis amicitiam cum hoste crudelissimo, quẽ habes; pacemque inis cum maximo Dei hoste, quemadmodum pulchrè de-
Vbi sup. c. 38 clarat Sanctus Anselmus iucunda hac similitudine. Voluntas propria (inquit) est herba quędam venenata, quam qui comedit, mox leprosus efficitur

&inte-

& interit. & quamuis medicus quidam valdè peritus Principem quendam, caputque cuiusdam familiæ hac de re monuerit: nihilominus ille comedit de ea, mansitque leprosus: quam lepram etiam filijs suis communicauit, qui etsi huius rei sint benè conscij, eam tamen herbam ita alijs omnibus præferunt, vt tanquam condimento quodam vtantur ad omnia, quibus vesci volunt. Manè cum primum surgunt, eam tanquam medicamentum sumunt; in meridie accipiunt tanquam cibum: & nocte iterum recipiunt, cùm volunt incumbere. & ita tandem pereunt, sicut medicus ipse illis prædixerat, luentes hoc modo stultitiæ suæ pœnam. Voco autem stultitiam, quia nemo non stultos iudicauit eos, qui scientes hæc mala, quæ inde habent, talia nihilominus faciunt. Siquidem non minus sunt stulti, qui sequuntur propriã voluntatem, quæ herba quædam est venenata omnibus, qui illam degustant. Quamobrem Deus Dominus Noster medicus sapientissimus, primos nostros parentes in Paradiso monuit, ne propria voluntate vterentur, vescentes fructu, quem illis prohibebat, dicens, g *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris*: Illi tamen his minis non territi, ea sunt vsi, & propterea leprosi remanserunt, lepra culpæ, quam omnibus suis filijs, & successoribus communicarunt. omnes enim eadem lepra peccati originalis infecti nascuntur, adeò affecti & inclinati ad propriam suam voluntatem, vt præ omnibus rebus illam ament, & tanquam condimentum quoddam adhibeant omnibus quæ faciunt, manè, meridie, vesperi, & in omni tempore, de die, & nocte: ostendentes in hoc suam stultitiam, vt qui nulla re alia magis delectentur, quàm propria sua morte. O stulti filij Adam, cur adeò delectamini re, quæ gustata mortem vobis affert, adeò amaram. sapite periculo capitis vestri, priusquam eius venenum animam vestram interimat. O voluntas propria, quid amplius de te dicam! vt qui te amat, suam aduertat stultitiam. loquatur Sanctissimus Ambrosius, qui te benè nouit, ac testatur, quod sis in rebus omnibus vaga, incerta, instabilis & stulta; facilis & audax ad aliquid aggrediendum, sed infirma ad præstandum: in cupiditatibus es cæca, in honoribus tumida, in curis anxia, in suspicionibus inquieta; plus appetens gloriæ, quàm virtutis; plus amans bonam famam, quàm bonam conscientiam; & super omnia tua ipsius experientia te facit infelicem: miserabilior enim es, dum consequeris, quod appetis; quàm si eo careres. nihil ex te ipsa habes, nisi facilitatem ad impingendum, cadendumque in periculis. voluntas enim mutabilis, quæ non dirigitur à diuina immutabili, eò citius, velociusque cadit in culpam, quò maiori acumine attendit ad suum opus. O felices, qui se mortificant, siquidem à tot malis liberantur.

g *Gen* 2.17.

Lib. 1. de vocat gent c. 2. S. Prosper. l. simil c. 6.

§. 2.

Quæ bona proueniant ex mortificatione propriæ voluntatis.

COGNITIS malis ac damnis, quæ fera hæc adfert, eleua mox oculos spiritus, ad ingentia illa bona, & commoda consideranda, quæ tibi prouenient ex eius mortificatione, persuadens tibi, pari passu crescere perfectionem, quò hæc mortificatio progreditur. Et (vt ait Cassianus) ab hac inchoandum est tyronibus, si proficere cogitant; & illa est finis perfectorum, quatenus secum adfert perfectam nostræ voluntatis cum diuina conformitatem; tam in exequendo, quicquid nobis inspirat; quam in acceptanda quacunque re pænali, quæ ab eius prouidentia nobis euenit: vtrumque hoc, perfectissimo modo exequendo, quod Deus vult, & abnegando nostram voluntatem, quò diuinæ conformetur: donec delectationem inueniat in hoc, quod illi sit vnita. Hoc supremum est, & vltimum vitæ spiritualis fastigium: ad hoc diriguntur omnia exercitia Orationis, & Contemplationis, omnesque consolationes, quas in eis accipimus; imò vera, intimaque cordis lætitia, & beatitudo huius vitæ, summaque totius legis Euangelicæ in eo sita est, vt in rebus omnibus voluntatem nostram cum diuina conformemus, id quod integra, plenaque propriæ voluntatis mortificatione obtinetur. Quapropter Sanctus Ephræm & Sanctus Hieronymus dicere solebant, ***tantum adijcies virtuti, quantum subtraxeris propriæ voluntati: & eò quisque plus proficit, quò voluntatem suam magis deijcit.*** ad eum modum, quo in horologij ponderibus, quò alterum ascendit plus, eò alterum descendit magis: Ita quò magis voluntas propria minuitur, eò crescit magis Sanctitas. Quod etiam confirmat Sanctus Bonauentura dicens: omnem Religiosæ vitæ perfectionem redigi tanquam ad summam, ad abnegationẽ propriæ voluntatis: cuius fructus sunt, pax conscientiæ, & gaudium Spiritus S. cum multis alijs bonis cælestibus, quæ idem Dominus promisit ijs, quorum ieiunium propterea contempserat, quod in eo voluntas propria inueniretur. quibus, vt animum adderet ad eam mortificandam, dixit: a ***si auerteris voluntatem tuam in die sancto meo, eumq; glorificaueris, non faciens vias tuas: & non inuenietur voluntas tua, vt sermonem loquaris***, quem volueris: ***tunc delectaberis super Domino: & sustollam te super altitudines terræ, & cibabo te hæreditate Iacob Patris tui.*** atque si distinctiùs dixisset: si delicias quæris, si altitudinem, si saturitatem, & plenitudinem tuorum desideriorum, abnega tuam propriam voluntatem: quod si feceris, delectaberis non in teipso, neque in tuo honore, nec in facultatibus tuis, nec in vlla re terrena; sed super Domino: ille enim erit delitiæ tuæ, super eum innitetur lætitia tua, ab eo proueniet b ***gaudium tuum***, quod ipse ita firmiter conseruabit, vt ***nemo illud tollat à te***; ille te sustollet super altitudines terræ, transferens cor tuum in cælum,

[Marginal notes: *Li. 4. c. 8 & Colla. 19. c. 8. Finis Cœnobitæ est omnes suas crucifigere voluntates.* — *Opusc. de vita supernaturali.* — *In speculo discipl. c. 4.* — a *Isa. 58. 13.* — b *Ioan. 16. 22.*]

in quo

in quo tuam habeas Conseruationem; ille animum adeò generosum tibi dabit, vt superior sis rebus omnibus terrenis: ponasque sub tuis pedibus, quicquid mundus super suum collocat caput. Ille cor tuum in tanta altitudine collocabit, vt eò non perueniant turbationes, & tempestates huius sæculi. qui enim propriam voluntatem non habet, nihil erit de quo tristetur. Ne timeas famem, quia Deus erit esca tua; non paupertatem, quia ipse erit hæreditas, quam promisit Iacob; ille deducet te ad suum regnum, & assidere faciet secum in mensa sua: vt comedas quod ipse comedit, claram scilicet diuinitatis suæ visionem. O felix, qui propriam abnegat voluntatem, siquidem adeò grande bonum sperat! si vis (ait S. Dorotheus) defendere te ab hoc sæculo; si desideras assequi libertatem Spiritus, & felicem animæ impatibilitatem, & tranquillitatem; nega tuam voluntatem: quam si decies in die abnegares, citò ad hoc totum peruenires: & per hanc mortificationem eò deuenires, vt eodem fruereris, quod abiecisti. nolentes (inquit) propriam explere voluntatem, inueniemur profectò semper illam expleuisse: ac porrò (vt ait Sapiens) b ***non contristabit te, quicquid tibi acciderit***, præter culpam: eò quòd voluptatem tuam, ac delectationem non in eo, quod voluntas tua vult; sed in eo, quod vult Deus, posueris, & in amplectendo, quicquid tibi euenerit. Verbum est Christi Domini nostri, c ***qui amat animam suam, perdet eam: & qui*** eius amore ***illam in hoc mundo odit, in vitam æternam custodit***. idemque credere potes, si tuam propriam voluntatem amaueris: te scilicet eam perditurum: nam in inferno nunquam eam explebis; & hic eueniunt plurima, in quibus etiam explere non poteris. Quod si amore Christi, eam abnegando, perdideris, semper eam explebis, non solùm in cælo, vbi fiet semper quod volueris, quia nihil voles præter id, quod volet Deus; sed suo modo etiam hic in terra, idem tibi eueniet. Nam abnegans tuam voluntatem, vt eam cum diuina conformes; dum explebis diuinam, tuam quoque expletam deprehendes. Quamobrem dixit S. Bonauentura: ***qui sunt voluntati diuinæ conformes, sunt quasi Dij, suæ voluntatis omnipotentes***: quia eam omninò transtulerunt in diuinam. & quoniam diuina semper expletur, etiã illorum expletur; quod si quando naturalis voluntas eorum reclamat, è vestigio eam corrigunt, & ad voluntatem Dei reducunt, dicentes, quod Christus Dominus noster dixit Patri suo: d ***non mea voluntas, sed tua fiat***.

S. Greg. l. 31. Moral. c. 19.

Ser. 1. & 19.

b Prou. 12. 21

c Ioan. 12. 25

In diæta salut. tit. 8. c. 1.

d Luc. 22. 42.

DENIQVE ad cognoscendam conformitatis huius præstantiam, ex mortificatione nostrarum voluntatũ, sufficit quod ipse Christus Dominus noster dixerit: e ***se descendisse de cælo, non vt faceret voluntatem suam, sed voluntatem Patris, qui misit eum.*** si enim diligenter attendamus, Christus Dominus noster, quà est filius Dei viui, semper faciebat in cælo voluntatem Patris sui absque vlla suæ mortificatione: quia erat vna eademque essentialiter cum voluntate Patris, cùm vterque sit vnus DEVS: sed volens dare

e Ioan 5. 30. & 6. 38.

Quomodo Christus fecerit Patris sui voluntatem.

nobis

nobis exemplum singularis huius mortificationis, quæ adeò est excellens, voluit accipere voluntatem aliam humanam, cum bonis eius naturalibus propensionibus; & ita implere voluntatem diuinam, mortificando in aliquo ipsam humanam, quatenus se obtulit ad mortem, mortificans propensionem naturalem, quam, quatenus homo erat, habebat ad vitam, vincens timores & tristitias, quas passus est propter mortem imminentem.

SI ERGO honori tibi reputas, quod sis Christianus: intellige, debere tecum Christo dicere: ego non veni in mundum, nec per baptismum ingressus sum Ecclesiam, nec per vota Religionem, neque hanc vitæ rationem elegi, aut munus hoc suscepi, vt facerem meam voluntatem; sed Dei, qui me condidit; & Christi, qui me redemit; & quam professus sum me facturum in baptismo, in quo nomen Christiani accepi. Hoc est enim gloriosum illud nomen, quod Deus promisit Ecclesiæ, eiusque filijs, cùm dixit: f *Vocabitur tibi nomen nouum*, quod est, *voluntas mea in te:* quia in omnibus eris conformis voluntati meæ, meoque desiderio aptatus: in quo mihi complacebo, eo quod mea voluntas aditum semper inueniet ad te: quia semper eã implebis. Hoc est nomen gloriosum, *quod os Domini nominabit*. nisi enim ipse nominaret, quis posset illud assequi? sed quomodo nominabit? id amplius declarat verbum hebræum *perforabit, seu excauabit*, significans, hoc nomen esse imprimendum & excudendum, non quemadmodum nomina, quæ calamo scribuntur, additis super chartam characterum lineis, sed stylo ferreo, quo olim scribebatur, pungendo scilicet, & loco linearum chartam perforando; aut cælo tabulam excauando, & nomen exsculpendo. Hoc itaq; modo, vt supra fuit insinuatum, nomen voluntatis Dei, non potest in nobis scribi, super addita illa super nostram: nisi aliquid ex nostra subtrahatur. hoc enim reseruatur in cælum, vbi voluntates sunt omninò conformes. At hic imprimenda est diuina voluntas pungendo, & perforando cor nostrum multis mortificationibus; & ex propria voluntate omnes excessus, & perfluitates excauando. Nam, si nomen g *Obedientiæ* Christus D. N. sibi comparauit, dum punctus fuit spinis & clauis; & perforatis pedibus, manibus, ac latere horrendis vulneribus, & vt Apostol. dixit: h *didicit ex his, quæ passus est, obedientiam:* delirij instar erit, si existimes, te posse alia via felicissimum hoc nomen obtinere. O Redemptor dulcissime, cuius ore gloriosum hoc nomen imponitur, & cuius omnipotentia imprimitur, imprime, quæso, illud in anima mea, etiamsi ad id exponenda sit vita mea. Moriatur in me voluntas propria, vt tua viuat: siquidem i *vita mea, in voluntate tua est*. Si vitam gratiæ volo, si vitam Spiritualem, si Actiuam, si Contemplatiuam, si vitam volo Aeternam, in voluntate tua illam inueniam. k *Doce me facere voluntatem tuam: quia Deus meus es tu*, & Magister meus: ego seruus tuus, ac discipulus.

f Isa. 62. 2. Hieron.

cap 2.

g Phil. 2. 8.

h Heb. 5. 8.

i Psal. 29. 6.

k Ps 142. 10

§. 3.

§. 3.

Confirmantur prædicta exemplis Abrahami & Iephte.

Omnia, quæ dicta sunt, depicta videbis mirificè in duobus exemplis, quæ S. Ambrosius in hunc finem perpendit: alterum Abrahami, & filij eius Isaac; alterum Iephte & filiæ eius: licet euentibus contrariis. Nam cum statuisset *Abraham,* ex mandato Dei filium suum a *sacrificare,* acceptauit Deus hanc eius voluntatem; at non permisit, filium occidi; sed eius loco voluit, sibi sacrificari *arietem,* remunerans illud pietatis & obedientiæ officium ingentibus *benedictionibus* cœlestibus & terrenis. b *Iephte* autem, cum *vouisset Deo se sacrificaturum primum, qui ex domo sua ipsi reuertenti occurreret, occurrisset autem ei vnigenita filia,* eam ipse sacrificauit, Deo id non impediente: etiamsi vnica illa esset Patri suo, & æquè innocens atque Isaac: nec tamen propterea aliquod præmium à Deo accepit. Nunquid (ait S. Ambrosius) Deus est acceptor personarum? non sanè: sed meritorum, & virtutum. & quoniam quatuor hæ personæ inæquales fuerunt in obedientia & mortificatione suæ voluntatis; fuerunt valdè impares in euentibus & fauoribus. Abraham & Isaac habuerunt tres gradus obedientiæ in magna perfectione, subijcientes proprium iudicium & voluntatem iudicio & voluntati Dei; & exequentes eius mandatum cum promptitudine, ad nutum, & velociter, absque replicis excusationibus, aut dilationibus. In cuius rei præmium voluit Deus, vt Isaac non moreretur, sed viueret ad consolationem Patris: cuius esset in domo sua successor. At Iephte & filia eius, existimantes se teneri ad votum illud explendum, multas admiserunt in obedientia imperfectiones. Nam Iephte proprio suo iudicio se gubernauit, non consuluit legis peritos in casu adeò graui; scidit vestimenta sua præ dolore, quasi pœnitens, quod vouisset: filia quoque ingemuit, & quæsiuit dilationem duorum mensium, vt intempestiuam suam mortem defleret; & vterque de diuina misericordia dubitauit. non habentes illam fiduciam, quam habuit Abraham: quod ex sua obedientia nihil mali esset illis euenturum. & in pœnam harum imperfectionum, permisit Deus, vt ipsa mors sequeretur. In hunc igitur modum perfectè obedientes, statim atque Deus iubet sacrificari sibi filium primogenitum, proprium scilicet iudicium & liberum arbitrium, etiam in re sibi charissima, se offerunt ad sacrificandum & iugulandum, vt exequantur, quod Deus iubet: & ipsummet liberum arbitrium, tanquam alter Isaac, patitur, se ligari & captiuari, & offert se ad mortem, etiam cum per talem mortem ea, quæ designauerat, & ad quæ tendebat, irrita fiant. Et licèt rationes & causas habeant, quas afferre possent ad procrastinandam, aut impediendam suam obedientiam: quando tamen intelligunt, superiori eas causas esse notas, tacent sicut Abraham, confidentes Deo, quod implebit pro-

Lib. 3. de Virgin pr pe mediu

a *Gen.* 22. 10. 30.

b *Iudic.* 11 34 39.

S. Ambro supra. vid

Tract. 1. c. 2.

nobis exemplum singularis huius mortificationis, quæ adeò est excellens, voluit accipere voluntatem aliam humanam, cum bonis eius naturalibus propensionibus; & ita implere voluntatem diuinam, mortificando in aliquo ipsam humanam, quatenus se obtulit ad mortem, mortificans propensionem naturalem, quam, quatenus homo erat, habebat ad vitam, vincens timores & tristitias, quas passus est propter mortem imminentem.

SI ERGO honori tibi reputas, quod sis Christianus: intellige, debere te cum Christo dicere: ego non veni in mundum, nec per baptismum ingressus sum Ecclesiam, nec per vota Religionem, neque hanc vitæ rationem elegi, aut munus hoc suscepi, vt facerem meam voluntatem; sed Dei, qui me condidit; & Christi, qui me redemit; & quam professus sum me facturum in baptismo, in quo nomen Christiani accepi. Hoc est enim gloriosum illud nomen, quod Deus promisit Ecclesiæ, eiusque filijs, cùm dixit: f *Vocabitur tibi nomen nouum*, quod est, *voluntas mea in te:* quia in omnibus eris conformis voluntati meæ, meoque desiderio aptatus: in quo mihi complacebo, eo quod mea voluntas aditum semper inueniet ad te: quia semper eã implebis. Hoc est nomen gloriosum, *quod os Domini nominabit*. nisi enim ipse nominaret, quis posset illud assequi? sed quomodo nominabit? id amplius declarat verbum hebræum *perforabit, seu excauabit,* significans, hoc nomen esse imprimendum & excudendum, non quemadmodum nomina, quæ calamo scribuntur, additis super chartam characterum lineis, sed stylo ferreo, quo olim scribebatur, pungendo scilicet, & loco linearum chartam per forando; aut cælo tabulam excauando, & nomen exsculpendo. Hoc itaq; modo, vt supra fuit insinuatum, nomen voluntatis Dei, non potest in nobis scribi, super addita illa super nostram: nisi aliquid ex nostra subtrahatur. hoc enim reseruatur in cælum, vbi voluntates sunt omninò conformes. At hic imprimenda est diuina voluntas pungendo, & perforando cor nostrum multis mortificationibus; & ex propria voluntate omnes excessus, & perfluitates excauando. Nam, si nomen g *Obedientiæ* Christus D. N. sibi comparauit, dum punctus fuit spinis & clauis; & perforatis pedibus, manibus, ac latere horrendis vulneribus, & vt Apostol. dixit: h *didicit ex his, quæ passus est, obedientiam:* delirij instar erit, si existimes, te posse alia via felicissimum hoc nomen obtinere. O Redemptor dulcissime, cuius ore gloriosum hoc nomen imponitur, & cuius omnipotentia imprimitur, imprime, quæso, illud in anima mea, etiamsi ad id exponenda sit vita mea. Moriatur in me voluntas propria, vt tua viuat: siquidem i *vita mea, in voluntate tua est.* Si vitam gratiæ volo, si vitam Spiritualem, si Actiuam, si Contemplatiuam, si vitam volo Aeternam, in voluntate tua illam inueniam. k *Doce me facere voluntatem tuam: quia Deus meus es tu*, & Magister meus: ego seruus tuus, ac discipulus.

f *Isa.* 62. 2. *S. Hieron.*
Cap 2.
g *Phil.* 2. 8.
h *Heb.* 5. 8.
i *Psal.* 29. 6.
k *Ps* 142. 10.

§. 3.

§. 3.

Confirmantur prædicta exemplis Abrahami & Iephte.

OMNIA, quæ dicta sunt, depicta videbis mirificè in duobus exemplis, quæ S. Ambrosius in hunc finem perpendit: alterum Abrahami, & filij eius Isaac; alterum Iephte & filiæ eius: licet euentibus contrariis. Nam cum statuisset *Abraham*, ex mandato Dei filium suum a *sacrificare*, acceptauit Deus hanc eius voluntatem; at non permisit, filium occidi; sed eius loco voluit, sibi sacrificari *arietem*, remunerans illud pietatis & obedientiæ officium ingentibus *benedictionibus* cœlestibus & terrenis. b *Iephte* autem, cum *vouisset Deo se sacrificaturum primum, qui ex domo sua ipsi reuertenti occurreret, occurrisset autem ei vnigenita filia*, eam ipse sacrificauit, Deo id non impediente: etiamsi vnica illa esset Patri suo, & æquè innocens atque Isaac: nec tamen propterea aliquod præmium à Deo accepit. Nunquid (ait S. Ambrosius) Deus est acceptor personarum? non sanè: sed meritorum, & virtutum. & quoniam quatuor hæ personæ inæquales fuerunt in obedientia & mortificatione suæ voluntatis; fuerunt valdè impares in euentibus & fauoribus. Abraham & Isaac habuerunt tres gradus obedientiæ in magna perfectione, subijcientes proprium iudicium & voluntatem iudicio & voluntati Dei; & exequentes eius mandatum cum promptitudine, ad nutum, & velociter, absque replicis excusationibus, aut dilationibus. In cuius rei præmium voluit Deus, vt Isaac non moreretur, sed viueret ad consolationem Patris: cuius esset in domo sua successor. At Iephte & filia eius, existimantes se teneri ad votum illud explendum, multas admiserunt in obedientia imperfectiones. Nam Iephte proprio suo iudicio se gubernauit, non consuluit legis peritos in casu adeò graui; scidit vestimenta sua præ dolore, quasi pœnitens, quod vouisset: filia quoque ingemuit, & quæsiuit dilationem duorum mensium, vt intempestiuam suam mortem defleret; & vterque de diuina misericordia dubitauit. non habentes illam fiduciam, quam habuit Abraham: quod ex sua obedientia nihil mali esset illis euenturum. & in pœnam harum imperfectionum, permisit Deus, vt ipsa mors sequeretur. In hunc igitur modum perfectè obedientes, statim atque Deus iubet sacrificari sibi filium primogenitum, proprium scilicet iudicium & liberum arbitrium, etiam in re sibi charissima, se offerunt ad sacrificandum & iugulandum, vt exequantur, quod Deus iubet: & ipsummet liberum arbitrium, tanquam alter Isaac, patitur, se ligari & captiuari, & offert se ad mortem, etiam cum per talem mortem ea, quæ designauerat, & ad quæ tendebat, irrita fiant. Et licèt rationes & causas habeant, quas afferre possent ad procrastinandam, aut impediendam suam obedientiam: quando tamen intelligunt, superiori eas causas esse notas, tacent sicut Abraham, confidentes Deo, quod implebit pro-

Lib. 3. de Virgin pr pe mediu

a *Gen.* 22. 10. 30.

b *Iudic.* 11 34 39.

S. Ambro supra. vide

Tract. 1. c. 2.

missionem suam, consuletque saluti & vitæ ipsorum. & ita euenit, vt non moriatur ipsum liberum arbitrium; sed perficiatur potius. Nam, vt dictum est, tot consolationes dat Deus, quando se obedientiæ causa mortificat, vt
Psal. 29.6 hoc ipsum sit illi vita. cùm dicat Dauid: quod b *vita sit in voluntate Dei*: in executione scilicet eius. Verum quidem est, quod quemadmodum aries fuit mactatus, Isaac viuo relicto: ita caro moriatur, quia suas delectationes amittit: sed hac morte oblectatur Spiritus, qui illa moriente, viuit, quem Deus implet benedictionibus cœlestibus, vt pater sit multarum gentium, & multas obtineat gloriosas victorias.

IGNAVI verò & imperfecti, per Iephte significati, cum DEVS iubet, aut inspirat, sacrificari sibi propriam eorum voluntatem, cum ad executionem venitur, tædio magno afficiuntur, & repugnantia: quibus succumbunt, quærentes occasiones & excusationes ne obediant; vel vt sacrificium differant. Et quoniam Spiritus, qui est velut Pater, ex amore quo filiam, propriam scilicet voluntatem, prosequitur, illi annuit in his moris trahendis, & excusationibus afferendis; aut si tandem paret, id facit coactè, aut timore alicuius alterius damni: ideoque permittit DEVS, vt mortem fugiens, incidat in eandem. Nam ipsum obedire redditur adeò graue & molestum, atque ipsamet mors. & passim occurrunt res palato ipsorum contrariæ, quæ mortificant & iugulant ipsam propriam voluntatem, licet cum paruo fructu: quia, quod faciunt, est semicoactum. deflent enim cum filia Iephte infelicem suam sortem, cum querelis & murmurationibus contra superiores, qui ipsos in tales angustias redigunt. Non sic autem magnus ille Patriarcha, qui non solum ex domo sua exiuit, nihil vxori suæ Saræ significans; sed etiam cum peruenit ad montem, seruos suos in inferiori parte reliquit: & solus cum filio ad montis cacumen ascendit, vt eum ibi, iuxta imperium Domini, sacrificaret: ne quis illi posset esse impedimento. non tamen defuit Angelus cœli, qui eius brachium detineret. Vt intelligas, quod si velis propriam voluntatem sacrificare, vt impleas diuinam, deserere debeas eos socios, qui te possint impedire, ascendens ad cacumen montis, orationis & mortificationis, vbi solum DEVM habens testem, tuum ei offeras sacrificium: cui assistet ipsemet DEVS & Sanctus eius Angelus, vt moriatur quidem voluntas tua carnalis, & viuat solum spiritualis. O felix mors, in qua moritur, quicquid est caro: viuit verò valdè iucundè, quod est Spiritus! O DEVS æterne, cui tantopere placuit obedientia ABRAHAM & ISAAC, quæ significabat filij tui vnigeniti IESV CHRISTI obedientiam, concede mihi, vt vtriusque obedientiam perfectè imiter, vt in me tibi complaceat, sicut complacuisti in eis: Amen.

CAPVT

CAPVT X.

DE TRIBVS HEROICIS GRADIBVS OBEDIENTIÆ, qua paretur voluntati Dei: & tribus excellentibus charitatis affectibus: & qua ratione illi impetrentur in Oratione & Contemplatione.

SI EX PRAEDICTIS in proximo capite senseris te animari ad mortificationem perfectam propriæ tuæ voluntatis, vt expleas diuinam; scire autem cupias, in quibus rebus, & qua ratione eam exequi debeas: vtrumque hoc nunc tibi proponemus. Præmoneo tamen, ne timidior fias, aut animo deficias, cùm leges sublimitatem perfectionis, quam in hoc capite & sequentibus tibi aperiemus. Siquidem non te obstringimus ad eam integrè procurandam, tanquam necessariam, vt peruenias ad Regnum cœlorum; sed solum ob oculos eam ponemus, vt scias quid petere, quid prætendere debeas, si velis esse perfectus in eo gradu, quem lex Euangelica consulit, cum gratia quam ipse legislator communicat, ad eum modum, qui explicabitur. Est autem præmittendum, quod perfectissima hæc Obedientia diuinæ voluntati, de qua nunc agimus, non sit propriè vna aliqua virtus; sed omnes, redactæ ad excellentissimam quandam formam & rationem Deo placendi; & quod mandat, consulit, aut à nobis requirit, exequendi. Ideoque dixit S. Thomas: omnia virtutum opera ea ratione apud Deum esse meritoria, quâ fiunt ad obediendum diuinæ voluntati. Nam neque ipsum martyrium, neque omnium facultatum distributio in pauperes, meritum apud Deum habebit, nisi in eum finem dirigatur, vt fiat voluntas Dei: sicut nec habebit absque charitate; quæ etiam esse non potest absque obedientia. Et propter eandem causam, simpliciter est verum, quod Sanctus Gregorius dixit, quod *obedientia sola virtus sit, quæ cæteras menti inserat, insertasq; custodiat,* ac perficiat. Hoc enim vnicum desiderium, Dei voluntatem exequendi, efficit, vt exerceat actus omnium virtutum, cum quibus coniungitur; & quibus eas comparat, & auget; vt apparebit, discurrendo per eius gradus, quorum summam Apostolus posuit, cùm dixit: a *nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in nouitate sensus vestri, vt probetis, quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta.* In quibus verbis tres gradus indicat diuinæ voluntatis, qui propriè sunt Iustorum iam in Spiritu renouatorum: quam voluntatem vocat *bonam, beneplacentem, & perfectam.*

2.2.q.104.a.2.

Lib. vlt Moral. c. 12.

a Rom. 12. 2.

Suntque hi actus, fructus Orationis & Contemplationis in perfectissimo suo gradu: in quibus etiam consistit perfecta interioris hominis reformatio, sicut in progressu declarabitur.

§. I.

De obedientia diuinorum praeceptorum.

VOLVNTAS DEI BONA est, quæ prohibet omne malum, præcipit verò bonum: quæ est expressa in præceptis diuinæ legis, & Ecclesiæ, ac Prælatorum; aut includitur in statutis & votis alicuius status & officij. omnia enim hæc præcepta, sunt voluntas Dei: quæ seruanda sunt cum omni integritate, siue magna illa sint, siue parua; siue obligent sub reatu culpæ lethalis, siue culpæ leuioris, & venialis. a *nec iota*, (vt ait ipse Christus D.) *nec apice* prætermisso; nec minimo scilicet præcepto, per iota significato, qui minimus est omnium characterum; nec minima circumstantia, cum qua obligat, per apicem expressa, quæ minimum est omnium signorum. Neque absque mysterio (ait S. Remigius) exemplum posuit Redemptor noster in Iota, qui character apud Græcos ponitur pro numero decennario, sicut apud Latinos eadem valet vnitatem, ad significandum, eodem spiritu seruandum esse præceptum paruum, atque reliqua omnia. in omnibus siquidem resplendet vna eademque Dei voluntas, estque vnus & idem b *Legulator, qui omnia mandat*: cui si hoc spiritu obedias in paruo, obedies quoque in cæteris. Nam c *qui fidelis est in minimo, & in maiori fidelis erit*. Motiuum quoque Deo placendi, qui rem paruam imperat, efficacius te permouebit, vt eidem placere studeas in re magna.

a *Mtt* 5.18.

Super Mat. 5

b *Iacob.* 2.10

c *Luc.* 16.10

1. EX quo fit, vt sint vitanda duo extrema vitiosa, alterum hypocritarum, qui in occulto transgrediuntur præcepta maiora, quò propriam voluntatem sequantur: in publico verò eandem mortificant, custodientes aliqua parua, quorum mortificatio & obedientia non est vera, quia in ea explent propriam suam voluntatem, quærentes honorem, & opinionem Sanctitatis: euitant verò minores culpas, vt homines existiment maiori illos cura euitare grauiores. Contra quos dixit Christus Dominus: d *Væ vobis scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham, & anethum, & cyminum; & reliquistis quæ grauiora sunt legis: excolantes culicem, camelum autem glutientes.* Nec sine causa (ait Sanctus Gregorius) Redemptor noster posuit exemplum in rebus paruis, sed fragrantibus: vt appareret, quod si in rebus exiguis legem custodiebant, id erat vt apud homines benè olerent; ideoque bonam opinionem apud eos acquirerent. Aduertit etiã Origenes, exemplum fuisse positũ in rebus quæ non sunt cibus præcipuus, sed quasi condimenta, & præparatio ciborum: quia hypocritę contemnunt verum Spiritus cibum,

d *Mat.* 23.23 *Luc.* 11. 42.

3 *Pastor. ad moniti.* 39.

Homil. 23. *in Matt.*

mor-

mortificationes & virtutes solidas: delectantur verò facilioribus, ac delectabilibus, aptisq; ad sanctitatis opinionem, quam quærunt, obtinendam.

Alterum extremum sequuntur aliqui ex Iustis, tepidi ac remissi; qui certo decreuerunt voluntatem propriam mortificare, in custodiendis grauioribus præceptis: absq; quorum obseruatione non possunt ad gloriam æternam peruenire: alia verò minora non curant; nec se volunt mortificare in eorum obseruatione. Non glutient quidem camelum peccati mortalis, ne suffocentur: sed nihili faciunt, quòd excolent innumeros culices peccatorum venialium, vt propriam voluntatem in eis sequantur. Et quemadmodum Pharao à Moyse petijt liberari à ranis, locustis, & alijs plagis maioribus: non tamen legitur, quod petierit liberari à plaga culicum: Ita hi petunt quidem à Deo præseruari à culpis grauioribus; sed non instant, vt etiam à minoribus liberentur; contra quos direxit etiam Christus D. N. quod dixit ipsis Pharisæis: e *hæc oportuit facere, & illa non omittere.* atq; si diceret: & maiorum transgressionem reprobo & minorum executionem approbo, f *qui* enim *spernit modica, paulatim decidet* in maiora. Nec solùm nauis animæ perit à tempestatibus furiosis, quæ vno impetu illam demergunt; verùm etiam cùm sensim tanta aqua venialium peccatorum ingreditur, vt ad culpam lethalem disponant, quæ illam planè demergit, ac mittit in profundum. Quare si perfectionem consequi cupias mortificanda tibi est propria voluntas in rebus omnibus magnis, & paruis, quæ voluntati Dei aduersantur: quam Bonam dicimus. statuens apud te ipsum, quod sciens & volens nec pro toto mundo admittere velis vel vnum peccatum veniale, etiamsi ex inaduertentia aut incuria non possis in aliquod non incidere. Imaginare itaq;, dicere tibi Deum, quod olim populo suo, g *perfectus eris & absq; macula, cum Domino Deo tuo*, nec admittes maculam culpæ grauis, quæ charitatem destruat: nec leuis, quæ illam obfuscet. h *qui* enim *seruat verba Dei, verè in eo* (vt ait S. Ioannes) *charitas Dei perfecta est.* 2.

e *Matt.* 23. 23.
f *Eccl.* 19. 1
S. Greg sup
g *Deut.* 18 13.
S Tho. 3 *p.* *q.* 87 *ar.* 2. *ad* 3.
h 1. *Ioan.* 2. 5.

§. 2.
De Obedientia Consiliorum.

Sed hoc totum non sufficit ad integram perfectionem: nisi etiam impleamus voluntatem Dei Bene placentem, expressam in consilijs Euangelicis. Apertum enim est indicium voluntatis Dei, vt illa seruemus, ad quæ nos exhortatur, specialia præmia promittens, si ea sequamur: licet non voluerit ad id nos obligare, vt in cœlum peruenire possemus. Hic obedientiæ gradus, primum præsupponit, nouamq; perfectionem illi addit. consilia enim sunt addita, vt perfectiùs præcepta impleren-

a Mat.5.34 tur. Quemadmodum consilium a *non iurandi omnino* proponitur, vt eò remotiores simus à peierando: & consilium de *præbenda altera maxilla ei, qui te percusserit in dexteram,* proponitur, vt eò exactius seruetur præceptum non sumendi vindictam. Ex quo apparet, fore hypocrisin pharisaicam prædictę similem, seruare aliqua consilia, non verò curare ipsa præcepta. quemadmodum b *fatuæ virgines*, lampadem quidem virginitatis, quæ erat consilij, seruarunt: sed neglexerunt *oleum* charitatis, & misericordiæ, quod erat præcepti, quibus etiam dici potuit: *hæc oportet facere, & illa non omittere.* Optimum quidem fuit, quod Deus consuluit, facere: sed multò melius erat, non negligere quæ præcepit. sed quemadmodum transgredi, quod Deus mandat, est peccatum: ita contemnere, quod consulit, maximi est periculi. Qui enim diuina consilia contemnit, prope est, vt præcepta transgrediatur. Id autem efficit voluntas propria, quæ aduersatur voluntati Dei BENEPLACENTI, calcas eius præcepta in eo gradu, quo fuisset melius ea sequi. Nam non omnia consilia Euangelica sunt omnibus proposita: siquidem multi sunt, qui, iustis de causis, amplecti non possunt consilium de virginitate, aut paupertate seruanda, aut statu Religioso amplectendo: in quibus non à propria voluntate proueniet, vt ea consilia non sequantur. At si hæc & cætera, quæ omnibus conueniunt, à diuina inspiratione intimentur, aut à custode Angelo, aut à rationis dictamine aut fidei, aut à directione Superioris & Magistri spiritualis, qui nos gubernat: si eis ex contemptu resistatur, aut ex negligentia prætereantur: aut attendatur alijs rebus, quæ nobis magis arrident, hic affectus est propriæ voluntatis, quæ resistit vocationib. Dei, & interno rationis dictamini, & laudabilib. majorum consilijs: quare qui maiorem desiderat perfectionem, debet strenuè etiam in hoc propriam voluntatem mortificare, statuens omninò eam calcare: quò fiat, quod melius est, & maioris Dei nostri gloriæ: vt non solum leuiores culpæ fugiantur, sed etiam occasiones earum, & cuiuscunq; imperfectionis: imitans (vt ait Dorotheus) eos, qui vestem aliquam nouã valdeq; pretiosam, induerunt: qui valdè sunt soliciti, ne aut laceretur, aut maculetur, aut luti aliquid, siue etiã pulueris illi adhæreat: nolunt prius in loco immundo aliquo sedere, nisi prius benè purgetur: & quando exeunt domo, si sit lutum, magnam adhibent attentionem; ne aspergatur: &, si longior est, eleuant, ne per lutum trahatur, statim verò atq; maculam aliquam incidisse aduertunt, eam purgant & excutiunt, quotidie illam complicant & curâ magnâ custodiunt. At quando vestis iam veterascit, splendoremq; priorem amittit, sensim quoq; illa cura remittitur: non tanti nunc facientes multa, quæ antea magni faciebant. In hunc modum Iusti qui c *renouati sunt in spiritu mentis suæ, &* d *induti* pretiosam vestẽ gratiæ & charitatis, imo & eius auctorẽ *Iesum Christũ D.N.* ob magnam opinionẽ, quam de illa conceperunt, diligenter attendunt, ne illa le-

Marginal notes: a Mat. 5.34. 39. — b Matt. 25.3 — Serm 2. de Humil. — c Ephes. 4. 23. — d Rom 13. 14.

tha-

thali aliqua culpa laceretur, aut maculetur leuiori: nec luti aut pulueris rerũ terrenarum aliquid ei adhæreat: & cùm domo exeundum est, recolligunt suos sensus, fugiunt conuersationes prophanas, nec sistunt in locis vbi apparent aliquæ occasiones. & si quando in aliquam incidunt culpam, aut imperfectionem ex infirmitate, statim se ab ea per pœnitentiã expurgant: dantq; operam, vt potius quotidie vestis hæc perficiatur, & exornetur recentibus virtutum gemmis, & obseruatione diuinorum consiliorum: mortificantes propriam voluntatem in omnibus, quæ illis aduersantur. O Sponse animarum castarum, qui e *te ipsum tradidisti* pro Sponsa tua *Ecclesia*, ne illa *haberet maculam aut rugam*, ob senectutem aut fœditatem aliquam: *sed esset sancta & immaculata*, indue me veste noua perfectæ Charitatis, ita feruorem eius recentem conseruando, vt nec culpis maculetur, nec tepiditatibus inueterascat: aut deformata maneat ob imperfectiones. Amen.

e Ephes. 5. 27.

§. 3.

Qua ratione implenda sit voluntas Dei: quemadmodum impletur in Cælo.

VENIAMVS ad tertium gradum voluntatis diuinæ, quam S. Paulus PERFECTAM, per excellentiam appellauit, eò quod supremum gradum contineat perfectionis. inspirat enim non solum obseruationem præceptorum, & consiliorum, sed excellentissimam quoq; formam, qua vtraq; seruari possint: qualem formam ipse Christus D. N. iussit peti in Dominica precatione, dicens: a *fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra:* quasi distinctiùs diceretur: exequantur omnes homines tuam voluntatem bonam, bene placentem & perfectam: obseruantes tua præcepta & consilia cum ea excellentia & perfectione, qua illam exequuntur in Cœlo Angeli & Spiritus beati: quæ excellentia & perfectio in eo consistit, vt ei obediatur cum his conditionibus. *Prima* est puræ intentionis gloriæ Dei, ita vt nullus finis terrenus, aut imperfectus admisceatur: *Secunda* est amoris valdè intensi, affectionisq; omninò rectæ, non admisso timore vllo seruili, aut cõmodo proprio, aut voluntaria tepiditate. *Tertia* est promptitudinis & lætitia spiritualis, ita vt non detur locus repugnantijs, tædijs, tristitijs, aut turbationibus contra id, quod præcipitur: eò quò strenuè mortificauerit proprium iudiciũ, propriamq; voluntatem: ex quibus id totum procedit. *Quarta*, vt velociter & ad nutum fiat, absq; excusationibus, replicis, dilationibus aut tepiditatibus in executione eius, quod iubetur. *Quinta* est feruentis integritatis, nec apice prætermisso omnium eorum, quæ Deus vult, sed potius desiderando fame quadam insatiabili plura præstare, si Deus plura vellet.

a Matt. 6. 10.

Sexta eſt, inſignis perſeuerantiæ vſq; ad finem operis, & quamdiu vita ſuperſtes erit: imò quemadmodum dixit Dauid, b *inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum.* Hæ ſex excellentiæ ſunt tanquam ſex alæ Seraphinorum, quos Deus habet in terra, illis ſimiles, qui habitant in cœlo: quibus volant ad implendam diuinam voluntatem, cum ea perfectione, quæ obtineri poteſt in hac vita, ad imitationem ſpirituum illorum cœleſtium: quorum munus (vt dixit idem Dauid) eſt, c *eſſe potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem ſermonum eius*, ſumma ſcilicet velocitate inſtar d *ignis* & fulguris. Adeò verò eſt expedita eorum obedientia, vt ipſemet Dominus de ea glorietur, loquens cum Iob: e *nunquid mittes fulgura* quò voles, ita vt tibi obtemperent: & expedita obedientia *reuertantur, dicantq́; tibi, adſumus*, vt iterum nos mittas, quocunq; placuerit? Quæ iſta ſunt fulgura, niſi viri valde perfecti, qui honori ſibi ducunt, quod obediant Deo cum excellentia, quam hactenus diximus? fulgur eò, quod ſit ignis, natura propendet, vt aſcendat in altum, quam tamen abnegans ad inferiora deſcendit, eò quod Deus illud mittat, venitq́; cum ſumma velocitate & vi, efficacitateq́; incredibili rūpens muros, & rupes penetrans, vt nihil ſit, quod illi reſiſtat: fulgura ſunt Chriſti, qui naturalem ſuam propenſionem abnegant; propriamq́; voluntatem mortificant, quò ei obediant. Et licèt alta appetant: abnegant ſe tamen & inclinant ad infima, quando Deus hoc illis imperat: nec id faciunt cum repugnantia, tædio, aut tarditate aliqua, ſed magna velocitate, ſummaq́; feſtinatione omnes difficultates ſuperando, quæ in contrarium occurrunt, ad eum modum, quo ſancta illa animalia, quæ vidit Ezechiel, f *ibant, & reuertebantur in ſimilitudinem fulguris coruſcantis*, ſequentia impulſum ſpiritus diuini: nec propterea, obediendo, defatigantur: ſed potius cum expleuerint, quod iuſsi ſunt, reuertuntur, ſeq́; ſiſtentes coram Deo dicunt, *ecce adſumus*, parati obedire cum perſeuerantia vſq; ad mortem, iube quod vis: deſiderio enim tenemur, faciendi quicquid iuſſeris. O fœlicia fulgura, quæ ita veſtrum Creatorem cognoſcitis, & gloriamini in neganda veſtra natura, quò eidem debitam reddatis obedientiam, & ſubiectionem. AEquum eſt, te dare operam, vt ſis tanquam vnum fulgur ex his, mortificans propriam voluntatem, quam dicimus imperfectam, quatenus habet repugnantiam ad laborandum exceſſæ adeò perfectionis cauſa, cùm Deus inſpiratione ſua ad eam impellat.

b *Pſal.* 118. 112.
c *Pſal.* 102. 20.
d *Pſal.* 103. 4.
e *Iob* 38. 35.
f *Ezech.* 1. 14.

SED attende, quod ignea huiuſmodi fulgura, non generentur, niſi intra nubes valdè clauſas, ac denſas: adeò enim amabilis feruenſq́; obedientia, fructus eſt orationis & contemplationis cuiuſdam à terra valdè eleuatæ, ac recollectæ, in abſcondito faciei Domini: conſiderantis ſcilicet magnalia & beneficia eius: & ardentis igne amoris eius, quem oſtendit obediendo ei

hîc

hîc in terra, cum eo spiritu, quo ei obeditur in cœlo. Quamobrem dixit Ecclesiasticus: g *qui conseruat legem, multiplicat orationem.* quasi diceret, si diuina præcepta & consilia seruare vis ea perfectione, qua impleri debent, ora frequenter. Oratio enim homines eleuat à terra, & inducit in nubem Contemplationis, vbi conuertuntur in fulgura, illa verò ascendit in Cœlum, refertq; inde sex alas, quibus Angeli obediunt Deo, vt eisdem etiam homines illi obediant, & eadem Contemplatio impetrat donum Sapientiæ, quo (vt S. Bern. dixit) sapidus fit cibus obedientiæ, sicut ipsi Domino accidit: qui oblitus cibi corporis, dixit suis discipulis: h *meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me.* O Saluator dulcissime, cuius obedientia fuit condimétum, quo nostra dulcesceret, siquidem vis, vt in terra tibi obediam, sicut Sancti obediunt in Cœlo: da mihi, quod tu desideras; vt expleam, quod mihi præcipis. Si debeo tibi obedire, quemadmodum illi, qui sunt in Cœlo: necesse est conuersationem, & familliaritatem meam esse in cœlo: erige me à terrenis ad cœlestia, aut adueniat mihi saltem Regnum tuum, vt in alium virum mutatus, per gratiam tuam, talem Obedientiæ formam obtineam. Amen.

g *Eccl. 35.*

Serm. de obedientia, patientia, & Sapientia.

h *Ioan. 4. 34.*

§. 4.

De Spiritu Amoris circa Obedientiam Deo & Superioribus præstandam.

PRAEDICTVS hic obedientiæ modus est, quem diuina Scriptura frequenter appellat Obedientiam Charitatis. Nam (vt ait S. Bonauentura) non est obedientia ex necessitate & coacta, qualis est seruorum, qui aliter facere non possunt: neq; est ex cupiditate lucri alicuius, aut præmij, qualis est obedientia mercenariorum, qui mercedem exspectant: sed merè fit ex amore, qualis est proborum filiorum obedientia ad suos parentes: & honestarum coniugum ad suos viros, iuxta Ecclesiastici sententiam, dicentis: a *filij sapientiæ Ecclesia iustorum: & natio illorum obedientia & dilectio.* Nam ex vtriusq; huius virtutis coniunctione cognoscuntur esse filij Dei: quia per easdem (ait S. Petrus) b *castificant animas suas in obedientia charitatis:* illas enim purificant, vel ab ipso odore propriæ voluntatis: subijciunt verò tanquam virgines castæ dilecto suo Sponso, purè vt illi placeant, etiamsi nec pœnam timerent, nec præmium sperarent.

Processu Relig. c. 27

a *Eccl. 3. 1*

b *1. Pet. 2.*

AD CVIVS REI ampliorem explicationem, est aduertendum, quod quemadmodum Theologi dicunt, ad perfectè credendum multum conferre piam voluntatis affectionem ad tria: ad *personam* scilicet, quæ testificatur: Si enim vir sit verax, mihiq; amicus lubens illi credo. Ad *Rem* etiam, quæ proponitur: quisq; enim libenter credit, quod cupit esse verum: Tertio ad ipsum *actum credendi:* quia videl. delectatur, quod sit capax &

S. Tho. 2 2 q. 1. a. 4. & 5.

docilis ad credendum, quando expedit: Ita etiam Spiritus amoris, qui obedientiam comitatur, tria complectitur, quod scilicet amet *superiorem*, qui præscribit aut mandat: *rem* deinde ipsam, quæ præcipitur, quæcunq; illa sit: ipsam deniq; *subiectionem*, quia delectatur obedientia & alterius imperio.

1. PRIMVM, Quoniam supremus omnium Superior est Deus, amor debet ab illo inchoari, ita vt ametur, cum omni ea perfectione, quam amoris præceptum præscribit: quod voluit Dominus esse primum, & veluti ad cætera præambulum: vt intelligeretur, obedientiam decem eius mandatorum, qualem ipse desiderat, incipere debere ab amore, non quocunq;, sed qui sit c *ex toto corde nostro, anima, mente, & viribus:* faciendo extremum potentiæ in amando eum, qui amore infinito dignus est. Ex eodem amore oritur amor Prælatorum & Magistrorum, qui Dei loco nos gubernant: ita vt in eis intueamur ipsum Dominum, qui dixit: d *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.* ac proinde qui vos amat, me amat: & qui vos odit, me odit. Et quamuis Prælatus is esse deberet, qui subditos prouocet ad se amandum, quia, vt S. Ambrosius ait, id refert multum, vt exactè ei obediatur: tamen licet per seipsū id non mereatur, sufficit, vt eo amore sit dignus, propter eum, quem repræsentat, & cuius nomine præcipit, aut prohibet: quemadmodum Dauid, eò quòd esset subditus Regis Saul, tenerè illum amabat, etiamsi eius esset hostis: resq; valde difficiles præciperet, etiam praua intentione, vt vitam in eis amitteret: quia non illum tanquam hostem, sed tanquam Christum vnctum Domini intuebatur. Et quando comites viri, qui cum eo erant, illum ad vindictam sumendam prouocabant, dixit: e *propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem, vt mittam manum meam in eū: quia Christus Domini est,* quem diligere debeo, eiq; obedire: eò quod ab ipso Deo sit constitutus ad me eius nomine gubernandum. His oculis aspiciendus tibi est superior, vt eum ames. Aspice tanquam patrem, qui te in esse gratiæ per Iesum Christum generat: & tanquam matrem & nutricem, quæ suo te lacte nutrit: tanquam ducem, qui in itinere cœlesti te dirigit: tanquam medicum, qui morbos tuos curat: tanquam magistrum, qui tuas adfert ignorantias: tanquam protectorem & defensorem in tuis omnibus tentationibus: & tanquam tuum apud Deum aduocatum: per quem omnia hæc beneficia Deus in te confert. His & similibus considerationibus excitare potes in corde tuo ignem amoris: attende tantum, vt amor sit purè spiritualis absq; admixtione carnis. facilè enim amor spiritus mutatur in amorem carnis. Et quantum primus prodest: tantum nocet secundus.

c Deut. 6. 5 Mat. 22. 37 Luc. 10. 27.

d Luc. 10. 16.

Lib. 2. officior. c. 7. & 8 Nihil tam vtile, quam diligi: nihil tam inutile, quàm non amari.

e 1. Reg. 24. 7.

2. ALTER AMOR, qui debet Obedientiam comitari, est ad RES, quæ præcipiuntur: ita vt afficiamur ad illas, tanquam à Deo præscriptas, ac

desi-

designatas, tanquam medium nostræ salutis & perfectionis. Hoc spiritu vult Deus, amari à nobis sanctam suam legem, præcepta, & consilia: quæ omnia ponamus in medio cordis nostri, scribamus in visceribus nostris: & tanquam coronas super nostra capita imponamus: & tanquam monilia ad collum nostrum appendamus: & tanquam pretiosos annulos in digitis nostris gestemus: magni ea facientes, & amplectentes: semper illorum memores, & in eorum executione gloriantes. Ad quod omnes eas considerationes adhibebis, quæ hunc amoris ignem accendere magis possunt: considerans dulcedinem, fauores, commoda, præmiaq; temporalia & æterna, quæ ea obseruantibus, & cum amore exequentibus conceduntur: quemadmodum declararunt Moyses in Deuteronomio, Dauid in suis Psalmis, Salomon in Prouerbijs, & ipsemet Christus D.N. in Sanctis suis Euangelijs: quo appareret, quam esset amabilis lex Domini: & quanta suauitate impleretur, si feruenter amaretur: siquidem vt Sanctus Leo Papa dixit, *non dura ibi necessitate seruitur, vbi diligitur quod iubetur*, f *anima* enim *esuriens etiam amarum pro dulci sumet*, & præceptum difficile & asperum, amore fit suauissimum: iugum deniq; graue, redditur leue. *Serm. 4. de ieiunio primi mensis.* *f Prou. 27. 7*

Simili amore sunt diligendæ regulæ siue leges, & constitutiones status, & officij, & reliqua quæ Superiores, & Magistri, qui nos gubernant, præscribunt: ita vt quæramus rationes, quæ illa nobis faciant amabilia, iuxta ea, quæ supra diximus. Aduertendum est tamen, has leges esse duplices. *Cap. 9.* *Quædam* enim sunt voluntati & desiderio nostro accommodatæ, eò quòd carni blandæ sint & gratæ, aut etiam in mundo gloriosæ: quas vt amemus, non est opus rationes quærere. nam potius (vt ait S. Gregorius) obedientia *Lib. vlt. Moral. c. 10.* in huiusmodi rebus prosperis, quò perfecta sit, nihil de suo habere debet. Si *S. Tho 2. 2. q. 104. a. 1. ad 3.* enim ad eas propendeamus, ob gustum & delectationem propriam: aut obedientia non est: aut certè valdè imperfecta, vt quæ habeat admixtam propriam voluntatem, quæ in eis amplectendis propriam sequitur propensionem. Ideoq; viri spirituales, quando eis talia iniunguntur, ea humiliter recusant: quemadmodum Moyses deprecabatur gubernationem populi Israel. Quod si acceptare cogantur, id non faciunt amore prosperitatis, *Exod. 4. 10. 13.* quæ illis coniuncta est: sed purè amore ipsius Domini, qui iubet: & tanquam media, quæ ipse accipit ad suæ gubernationis cursum & progressum. *Aliæ* sunt leges carni & propriæ voluntati nostræ contrariæ, & in his (ait idem S. Doctor) necesse est obedientiam aliquid ex suo habere: vt se videlicet inclinet ad eas amandas & amplectendas: tum quia iubentur: tum quia valdè sunt aptæ, ad propriam voluntatem mortificandam, & multa pro Deo D. N. toleranda, & ostendendum amorem nostrum erga eum. offerendo nos ipsos sicut Apostolus non solum ad ea quæ præscribit, sed etiam

g Act. 21. 3. ad grauiora, pro maiori ipsius gloria: g *Non solum alligari* (inquit) *sed & mori in Ierusalem paratus sum, propter nomen Domini Iesu.* carne autem propriaq; voluntate repugnante, opus est quærere rationes, quæ inclinent ad amandum, quod horrent: & amplectendum cum delectatione, quod cum timore fugiunt. Hoc modo obediebat Christus D. N. coniungens amori Patris sui amorem legis, & h *ingrediens mundum dixit* Patri: *ecce venio, vt faciam Deus voluntatem tuam:* i *Deus meus volui, & legem tuam* posui *in medio cordis mei:* & perseuerans continuè in hoc amore, dixit suis discipulis in nocte Cœnæ: k *vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio, surgite eamus hinc.* iam enim instat hora patiendi, & moriendi, obediendi causa. O strenuissime Dux, qui l *exultasti, vt Gigas ad currendam viam tuam* vsq; ad ipsam crucem, magnoq; amore acceptasti Patris obedientiam adeò pœnalem & ignominiosam, concede mihi, vt & ego cum lætitia curram cursum vitæ meæ in obedientia perfecta, ponens legem, præcepta, & consilia tua in medio cordis mei, amemq; res amaras, atq; si essent dulces: *nihil* siquidem *dulcius* est *quàm respicere in mandatis Domini*, quàm exequi tuam voluntatem.

h Hebr 10. 5.
i Psal. 39. 7.
k Ioan. 14. 31.
l Psal. 18. 7.
Ecclesi. 23. 37.

§. 5.

Quam sit amabilis vita Obedientiæ, præcipuè Religiosæ.

3. TERTIVS affectus, qui debet Obedientiam comitari, est amor ipsius obedientiæ: quo scilicet hoc ipsum, quod est obedire, & alteri subjectum esse, amamus. Sunt enim aliqui ita suæ voluntati ac libertati addicti, vt non ex odio superioris, aut rei, quæ præscribitur, sed gratis omninò repugnent ac refugiant ipsi obedire: ita vt quod libenter & cum voluptate ex propria sua electione fecissent: idem faciant cum repugnantia, quando ab alio præscribitur. Quemadmodum Loth, quando Angelus eduxit eum de Sodomis, iussitq; a *vt in monte saluaret semetipsum*, valdè replicauit, ne in montem ascenderet: allegans fortè solitudinem, ac defatigationem: *ne fortè,* inquit, *apprehendat me malum, & moriar.* petiitq;, vt in ciuitate parua, quæ prope erat, & Segor dicebatur, saluari posset: & cum Angelus etiam *in hoc suscepisset preces eius*, ipse cum in ea esset, oblitus difficultatum, quas opposuerat, ne in montem ascenderet, sponte sua decreuit, relicta Segor, *ascendere in montem.* & fortè in pœnam imperfectæ eius obedientiæ, & quòd se proprio iudicio gubernasset, permisit Deus, vt in monte tangeretur igne Luxuriæ, qui in Sodomis eum non tetigerat: vt ex alieno periculo cautiores fiamus: summamq; fœlicitatem reputemus, viuere sub obedientia, quam tenerè amemus tanquam virtutum omnium matrem, mediumque cer-

a Gen 19. 17.

tissi-

tissimum nostræ salutis & perfectionis: siquidem nec in monte sine ea erit securitas:& cum ea etiam in Segor erit, & in quocunque loco. protectio enim Dei protegit obedientes in loco, vbi ipse eos collocat: &, vt S. Io. Climacus dicebat: obedientia est secura quædam nauigatio, in qua etiam dormientes pergimus sine periculo. Nam, si vel solum gubernatori, qui nos gubernat, pareamus, perueniemus ad portum salutis. & in rationibus, quas in die nouissimo reddemus, illa nos apud iudicem excusabit, reddetque rationem pro nobis. Quamobrem dicitur, quod b *vir obediens loquetur victoriam.* dum enim obedit, semper vincit:& tũ in vita, tum in morte obtinebit, quod desiderat. Verum non est cur nouis exquirendis rationibus laboremus, si superius positæ attentè considerentur. Id solum operæ pretium est addere: hanc Obedientiæ formam, in hoc capite positam, esse Religiosorum maximè propriam, qui, quod eam ament, votum eius speciale edunt: accipientes eam in sponsam & perpetuam sociam, vt eminenter impleant Apostoli consilium, dicentis: c *nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in nouitate sensus vestri, vt probetis, quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens & perfecta.* Quis remotior est à conformitate sæculi, quam religiosus, qui omnino illud deserit, & fugit? Quis magis spiritu renouatur, quam qui omnibus operibus veteris hominis renunciat: incipit verò vitam nouam similem homini nouo? quis magis reformat internum suum sensum, quam qui proprium deserit, quo Dei iudicium sequatur, per eius ministros manifestatum! Et quis exactius exequitur bonam, & placentem diuinam voluntatem, quàm qui propriam suam strenuè mortificat, ipsaque consilia Dei, facit sibi præcepta, cùm votis se obstringit, vt ea perfectius exequatur? Ac denique, quis melius approbat voluntatem Dei perfectam, quàm qui se obligat ad procurandam perfectionem, mediaque ad ea exequenda aptissima adhibet? Nam hac via experitur, delibatque dulcedinem, quæ in diuina voluntate exequenda latet; accipiens in hac vita centuplum, quàm reliquerit, in prǽmium oblationis, quam fecit? O felix obedientiæ votum, quod ad tantam eleuas sublimitatem? beati, qui illam explent cum triplici amoris actu, quem exigit integra eius perfectio: in eis enim habet locum, quod dixit Ecclesiasticus de Sole, *qui* d *tripliciter exurit montes, radios igneos exsufflans, & refulgens radiis suis obcæcat oculos.* qui sunt hi montes alti, nisi Apostolici viri, qui ad altitudinem ascendunt status Religiosi, eiusque excellentem perfectionem profitentur? Hos Iustitiæ sol *ter exurit.* imprimit enim illis tres accensos amoris affectus prædictos; *exsufflat in eos igneos radios* suarum illustrationũ, & cœlestium inspirationum: quibus eos magis in suum amorem inflammat: adeoque, & in tanta sanctitate facit eos *splendescere, vt obcæcare faciat oculos* debilium, ne tantam magnitudinem aggredi audeant, licet enim Deus D.N. in omnibus statibus viros habeat perfectos: Religiones tamen

Cap. 4.
b Prou. 21.
c Rom. 12.
d Eccl. 43. 4

ſunt inſtar nubium altiſsimarum, à terra eleuatarum: in quibus ſua recollectione, vitaque adeò feruenti, generantur fulgura, quorum ſuperius fecimus mentionem: de quorum obedientia tantopere Deus gloriatur, quia ſuas inclinationes vincentes, aſsiſtunt ſemper coram Deo, parati exequi feſtinanter quicquid illis mandat. O Religio ſacra mons Dei, & nubes cœleſtis! O ſi alas haberem, quibus ad hunc montem volarem: ingredererque hanc nubem, vt diuinæ lucis & charitatis radios acciperem, & conuerterer in fulgur, quod amoris obedientiâ, valde feſtinanter ac fortiter, quod Deus mandat, adimpleret. O Sol Iuſtitiæ, qui e *educis nubes ab extremo terræ*, f tuiſque radiis *montes comburis*, mitte radios tuæ lucis ſuper fideles, quos ad hunc vocas ſtatum, vt exeuntes ex huius mundi periculis, conſcendant ad montem ſanctum religionis: in qua adeò excelſam ducant vitam, vt de eorum obedientia glorieris, & æternùm propter eam glorificeris.

e Pſ. 134. 7. f Pſal. 82. 15.

CAPVT XI.

QVOD PVRA INTENTIO IN OMNIBVS NOSTRIS actionibus excellens ſit fructus Orationis & Contemplationis, mortificatis intentionibus contrariis. Inſinuantur omnes gradus & modi bonæ intentionis, vſque ad ſupremam.



VM Obedientia, de qua hactenus, valdè familiariter coniungitur excellentiſsimus alius Orationis & Contemplationis fructus, PVRITAS ſcilicet INTENTIONIS, tum in ipſa Contemplatione, tum in cæteris actiuæ & Contemplatiuæ vitæ actionibus, à qua intentione earum excellentia dependet. Quò enim finis à nobis intentus erit excellentior, eò & ipſæ actiones erunt eo nomine excellentiores. & quamuis optimæ & præſtantiſsimæ exterius appareant, ſi intentionis finis eſt malus, erunt & illæ in oculis Dei vanæ, inanes, ac bonitatis vacuæ, & abſque vera ſpirituali vita, tanquam corpus ſine anima, & inſtar fructus alicuius, externa quidem ſpecie pulchri, ſed interius omninò corrupti. Bona enim intentio eſt ipſum Eſſe, vita & ſpiritus bonorum operum: ſine qua nec Ieiunium, nec Oratio, nec Eleemoſyna Deo placent: nec ipſum Martyrium, (quemadmodum S. Hieronymus ait) vllam adferret vtilitatem: & de eiſdem operibus licet dicere, quod Chriſtus D.N. cuidam Epiſcopo dixit, qui hoc modo ea

In Id Gal. 5. Ne efficiamur inanis gloriæ cupidi.

exer-

exercebat, a *nomen habes, quod viuas, & mortuus es: non enim inuenio opera tua plena coram Deo meo.* Ieiunium & Oratio in finem malum nomen habent virtutis, ſed ſunt vitia: videntur opera viua, ſed ſunt mortua: iudicabunt homines eſſe plena, ſed coram Deo erunt vacua, & iis exuta, quæ, vt bona eſſent, omninò erant neceſſaria. Quamobrem ipſe Dominus dixit: b *Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit.* Cùm enim oculus intentionis moueat dirigatque operationes, ſi ille obliquo fine obſcuretur, omnes illæ manent obſcuræ, deformes, Deoque deteſtabiles: cuius oculi puriſsimi non delectantur munditie & ſplendore externo ipſius operis: ſi deſit mundicies & ſplendor in eius ſpiritu, videlicet in intentione. Quapropter dicet vobis, quod dixit Phariſæis: c *Væ vobis, Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia mundatis, quod deforis eſt calicis & paropſidis: intus autem pleni eſtis rapina & immunditia. Phariſæe cæce munda prius quod intus eſt calicis & paropſidis, vt fiat id, quod deforis eſt, mundum.* Iuſtiſsimè eos appellat cæcos, niſi enim cæcus ſis, quomodo perſuadere tibi poteris, vt cyathum aut poculum, ex quo bibere velis, aut paropſidem, ex qua comedere, exterius tantum mundari velis, neglecto eo, quod intus eſt. Nam interior hæc immunditia contingit, inficitque potum, & eſcam multò magis, quàm exterior. Cæcus itaque es: ſi deprauatum habeas oculum intentionis: multoque magis es cæcus, ſi magnam curam adhibeas, vt opus exterius appareat mundum; cor interim mala intentione fœdatum relinquas. Hoc enim eſt, velle tegere malum, ne remedium ei adhibeatur: & virtutem afficere ignominia, cum applicatur tanquam pallium & operculum, quod occultat inimicum proprium, ſcilicet peccatum: eſt item, monſtrum quoddam horrendum conficere: quemadmodum ſi beſtiæ alicuius caput hominis corpori annecteres, talis enim eſt beſtialis intentio, appoſita operi de ſe bono. Hoc denique eſt Deum prouocare, vt opera tua reiiciat, ac deteſtetur. Si enim non auderes ipſe comedere aut bibere ex ſcutella aut poculo, quæ intus eſſent immunditiis plena, etiamſi exterius lota valdè eſſent, ac munda: quomodo tu vis, vt comedat bibatque, & acceptet Deus opera, quæ tu facis, oblata in corde adeò impuro: quamuis exterius mundum appareat: *O Cæce*, inquit Saluator, *munda prius, quod intus eſt calicis, & paropſidis: & tunc fiet, quod deforis eſt, mundum.* Si enim intentio eſt pura, & ſancta, ex ea proueniet, vt opera ipſa externa de ſe alioqui bona, ſint quoque pura & ſancta, d *ſi enim oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit.* e *Et, ſicut lucerna fulgoris illuminabit te.* Nam f *à corde vita procedit.* & g *omnis gloria* exterior *filiæ Regis ab intus eſt*, & procedit ab ſplendore clariſsimæ eius intentionis: quæ quò purior eſt, & ſimplicior in oculis Patris cœleſtis, eò eſt pulchrior, eiuſque opera ſplendent magis: ſicut è contra, quò hæc obſcurior fœdiorq;

a *Apoc.* 3. 5.
b *Mat.* 6. 23 *Luc.* 11. 34.
c *Mat.* 23. 2[illegible]
c *Luc.* 11. 39
d *Mat* 6. 13
e *Luc.* 11. 36
f *Prou.* 4. 2[illegible]
g *Pſ.* 44 14

fuerit,

fuerit, eò maior erit deformitas & tenebræ eius vitæ, quod apparebit discurrentibus per varios intentionis gradus.

§. I.

De tribus prauis intentionibus, & iis, quæ illis immiscentur.

PROCVIVS declaratione est præmittendum, hoc præcipuè interesse inter malam & bonam intentionem, quod (vt ait S. Gregorius) illa quærit æterna bona: hæc verò temporalia, in quibus vltimum finem suum collocat. Et quoniam hæc bona triplicia sunt, ita sunt tria genera malarum intentionum. quædam respicit lucrum & commodum, alia sensualitatem, tertia inanem gloriam: quibus aut diuitias quærimus, aut sensuum delicias, aut vanas excellentias. Hæ intentiones sunt causa spiritualis idololatriæ, quæ inuenitur in omnibus peccatis lethalibus: quia in eis tribuitur re ipsa creaturæ ratio vltimi finis, quæ propria est Creatoris. Vt enim Apostolus ait, inanis intentio tanquam Deum erigit a *gloriam* humanam: *sensualis ventrem:* b *auara pecuniam:* & omnes tres adorationem suam faciunt valdè occultè: quia id totum transigitur in templo & ara cordis. Quemadmodum tres illi miserrimi cumuli siue sodalitia idololatrarum, quę vidit in spiritu Ezechiel, clausa in abscondito templi Ierusalem: quorum alij Solem, alij Venerem cum suo Adonide, alij verò varias terrestrium bestiarum figuras adorabant. qui, quod non viderentur ab hominibus, existimabant infelices, quod neque à Deo viderentur: ideoque dicebant: c *non videt nos Dominus.* adeò enim præsentiæ diuinę obliuiscebantur, atque si in mundo non esset Deus, qui illos videret. O cęcitas intolerabilis! ô detestanda idololatria? parum tibi proderit abditus & occultus locus: verbum enim diuinum oculis suis Lynceis penetrat omnes muros & angulos, vbi te abdis: estque d *discretor cogitationum, & intentionum cordis:* nec deerit foramen aliquod in pariete, per quod homines ingredi, & videre eas posśint. Semper enim erumpunt aliqua signa externa quę eas probant.

[Margin: ib. 28. Moral. c. 7. — Phili 3. 19. Col. 3. 5. — Ezech. 8. 2. — Heb. 4. 12.]

SED, quoniam qui assequendę perfectioni attendunt, remoti sunt à peruersis adeò intentionibus, quę nunquam auctores suos latent: aperiamus nunc alias quasdā similes, quę penetrāt secreta cordis, ipsis non agnoscentibus, eò quod miscentur & coniunguntur intentionibus rerum bonarum.

1. QVOTIES igitur euenit tibi, vt bona fortunę contractibus licitis quaras eo fine, vt tu quidem existimas, vt familiam tuam posśis sustentare: cui tamen fini etiam auaritiæ finem admisces? & quoties comedis ac bibis, cōiungens intentioni ac fini necesśitatis, etiā finem sensualitatis? proprioque vino te inebrias, satis esse existimans, quod id non facias ex alieno? & quam

frequen-

frequenter desideras, quærisque dignitatem, facisque bonum opus, admiscens fini virtutis, finem quoque proprij honoris? nunquam tamen aliqua rima deest, qua mala illa mixtura appareat: tuque ipse posis eam deprehendere. Indicium enim est, aliquem locum habere in tua intentione desiderium horum bonorum temporalium, si anxiè nimis ea quæras: si cum timore & pauore ea possideas: si nimium tristeris cum tibi desunt: si irascaris & vlciscaris de ijs, qui ea tibi auferunt; si succumbis tentationi alicuius culpæ, quò possis illa adipisci: aut ne illa amittas: si facias bona opera in publico, vbi videris ab hominibus: non verò in occulto, vbi te nemo videt: si intumescis, quando alij tua facta laudant: animum verò deijcis, eaque intermittis, quando contemnuntur. Hæc inquam omnia indicant te non ita purè animo placendi Deo hęc bona quærere, sed etiam, vt tibi ipsi placeas, & ob vtilitatem quam in eis reperis: licebitq; tibi dicere: e *rugæ meæ testimonium dicunt contra me.* Nam quemadmodum rugæ frontis sunt pellis duplicatio, quæ indicant infirmitatem, aut Senectutem eas habentis: Ita hæ rationes agendi cum ea duplicitate, nunc videlicet hoc modo, nunc alio agendo, indicia sunt duplicatarum intentionum, in interiori animæ parte latentium: cuius causa de ea dicitur, quod habeat f *duplex cor, terramque ingrediatur duabus vijs*, quia bono fini in suis actionibus aliquid admiscet mali. Denique exitus acta probant, siue statim, siue pòst: nullum enim ædificium bonorum operum, etiamsi altissimè ascendat & gloriosum esse videatur, firmum erit, si huiusmodi intentionibus innitatur: & occasione occurrente, facilè corruet. Quemadmodum g *statua* illa Nabuchodonosoris, etsi *grandis esset & statura sublimis, cuius caput esset ex auro optimo: pectus & brachia ex argento: venter & femora ex ære: tibiæ autem ferreæ; pedum quædam pars ferrea, quædam fictilis*, quæ non erat apta commixtio. *abscissus* tamen *de monte lapis sine manibus, percutiens statuam in pedibus ferreis & fictilibus, comminuit eos: & tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum, & aurum: totaque statua redacta quasi in fauillam æstiuæ areæ, quæ rapta sunt vento.* In hūc ergo modum, licet aurum virtutum habeas, & argentum scientiarum diuinarum, æs verò humanarum, ferrumque operum robustorum, etiam cū desiderio rerum æternarum: si tamen id totum innitatur prædictis permixtis intentionibus, quærendo scilicet bona æterna, & simul temporalia ob tuam delectationem aut lucrum, quæcunque tentatio contra te exsurgens, si testam terrenæ tuæ intētionis pulset, facilè vincet, & in peccatum aliquod te deijciet: quò totum ædificium corruat. Ne decipiaris, sed certò statue: quemadmodum *ferrum misceri non potest testæ*: sic non posse conuenire intētionem bonorum stabilium & æternorum, cum intentione temporalium & periturorum: quin potius verendum, ne præualeat terrena, quæ semper rodit robur cœlestis. Quare amplectere Christi D.N. consilium, monentis,

e *Iob. 16. 9.*

S. *Tho. Lect. 8 in 5 ad Ephes.*

f *Eccl. 2. 14.*

g *Dani. 2. 31.*

S Gregor. supra. Intentio est basis.

Luc.11. 35. h *vide, ne lumen, quod in te est, tenebræ sint*: quasi diceret, examina diligenter intentionem, quæ tibi videtur sancta & splendens; ne fortè sit mala, & obscura tenebris ignorantiæ, & aliquod peccatum admixtum habeat. attende item, num habeat, *aliquam partem tenebrarum* simul cum luce: nam si habeat, hoc sufficiet, vt *totum corpus tuum tenebrosum* censeatur: & omnia tua opera sint omnino praua. O lux æterna, illumina tenebras meas, vt occultas meas intentiones agnoscam, separemq; lucem à tenebris, pretiosum à vili, & bonum à malo: quærens semper, quod tibi placet absq; admixtione alicuius rei, quæ tibi displiceat. O anima mea, attentissimè vigila circa tuas intentiones, ne tibi dicat Deus: i *argentum tuum versum est in scoriam: & vinũ tuum mixtum est aqua*. & quando aliquid es facturus, da operam, vt k *nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua*, attendendo, ne qua sinistra intentio rectæ bonæque misceatur.

i Isa. 1. 22. Ezec. 22. 18.

k Mat. 6. 3.

§. 2.

De intentione bonorum æternorum, non admixto fine temporalium.

EX dictis facilè intelligitur primum gradum bonæ intentionis, quæ appellatur oculus simplex & purus, esse, quando ita bona æterna quæruntur, vt non respiciantur temporalia tanquã finis principalis. Hanc ait S. Bonauent. esse primum iter ad æternitatem, securũ & certum; & quod oportet nos sequi: a *non contemplantibus nobis* (vt ait Apost.) *quæ videntur, sed quæ non videntur: quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt*. conijciendo scilicet oculos intentionis, non in diuitias perituras, sed in æternum duraturas; non in delicias quæ finiuntur: sed in eas, quæ nunquam deficiunt: non in honores, qui euanescunt tanquam fumus; sed in eos, qui sicut Sol permanent. Anima enim nostra æterna est, & post hanc temporariam vitam superest illi alia æterna. ac proinde indiget bonis ita proportionatis vitæ suæ, vt æquè durent atq; illa, alioquin miserrima esset vita, quæ illi superesset, vtpotè quæ omni genere bonorum careret. Nam nec temporalia secum accipit, nec cõparauit sibi æterna. Quemadmodum esset miser ille homo, qui victurus octoginta annos, non haberet facultates temporales, quæ vltra tres annos durarent. Est itaq; insignis cæcitas, seruire Deo præcipuè, vt tibi det bona tẽporalia, nihil curãs æterna. Nam quando hanc tui seruitij mercedem acceperis, æternam amittes, erisque æternùm miser. stultum eum hominem iudicares, qui censum aliquem ad vitam propria pecunia compararet: si eadem posset censum perpetuũ acquirere: Essetq; manifestior stultitia, si perpetuus census esset mille ducatorum; ad vitam verò mille nũmorum. Quid autem sunt omnia temporalia bona, nisi census quidam ad vitam, cum qua finiuntur. b *Nec timueris* (ait Dauid) *cum diues factus fuerit homo: quoniam, cùm interierit, non sumet omnia, neque*

Opusc. de 7. itiner. æternit. itin. 1.

a 2. Cor. 4. 18.

b Ps. 48. 18.

descendet cum eo gloria eius: imò sæpe, antequam vitam finiat, census amittitur, quia amittitur honor & bona fortunæ, eò quod essent malè fundata. At bona cœlestia sunt census perpetui, qui deficere non possunt, eò quod fundentur in æterna bonitate ipsius Dei, excellantque temporalia in magnitudine, plusquam mare totum, aquæ guttam excellat. Quæ itaque erit stultitia, quod, cum possis bonis tuis operibus æternos hos census comparare, si tuam ad illos dirigas intentionem: satis tamen tibi esse velis, si census habeas ad vitam, propter quos solos Deo seruias? Adde, quod quærendo hac inordinatione bona temporalia, amittas æterna: quærendo autem, riteque optando æterna, non amittes ipsa temporalia, sed potius reddas tibi securiora: est enim infallibile supremæ veritatis verbum, dicentis: c *Quærite primùm Regnum Dei, & iustitiam eius: & cætera adijcientur vobis.* quasi diceret: quærite imprimis & ante omnia, summoque conatu Regnum æternum, & rationes ac titulos, quibus illud obtinetur, ad id præcipuè intentionem vestram dirigendo: & certò vobis persuadete, diuinam prouidentiam de temporalibus bonis vobis prospecturam, etiamsi obliqua intentione ea non quæratis. Rationi itaque est consentaneum, vt non quæras à Deo talia bona, nisi eo modo, quo ea ille dat. Ille non dat ea tanquam principale præmium bonorum operum, sed tanquam aliquid accessorium. Si erga ea velis quærere & procurare, id eodem modo meritò facies & non aliter, alioqui dicet tibi Christus D. N. quod ijs dixit, quos pauerat in deserto: d *quæritis me, quia manducastis ex panibus, & saturati estis: operamini, non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* nam huic similem cibum cupio vobis copiosè dare: ad hoc enim veni in mundum, vt illum vobis darem.

c *Mat. 6. 33.*

d *Ioan 6 27*

Sed, vt scias discrimen non solum inter malum & bonum, sed etiam inter perfectum & imperfectum, operæ pretium est aduertere, duobus modis te posse intentionem tuam dirigere ad bona æterna: & sperare à Deo etiam temporalia. *Primus* est, quærendo æterna primo loco: simul verò quærendo temporalia secundo loco, & tanquam præmium minus principale: ad eum modum, quo boni Sacerdotes non faciunt sacrum Missæ, aut officijs diuinis assistunt principaliter propter portionem, aut distributiones, sed propter Dei honorem: minus principaliter tamen quærunt etiam portionem suam & distributionem: qua exstimulantur ad id præstandum, quod sine ea fecissent valdè repugnanter: Ita tu bonis tuis operibus quærere potes à Deo D.N. vt aliquam portionem, aut distributionem temporalem sanitatis, fortunarum, & honoris, prout expedit, tibi largiatur. Quæ intentio, etiamsi bona sit, non est tamen perfectissima: quod ex eo apparet, quod Christus Dominus noster, cùm dixisset vt quæreremus primum regnum Dei, & iustitiam eius, non dixit, vt secundo loco

quæreremus reliqua: sed adijcientur, inquit, vobis. Hoc modo insinuans, esse aliam secundam rationem multò perfectiorem, ac generosiorem quærendi regnum Dei: non quæsitis, etiam minus principaliter, temporalibus bonis: sed omninò liberaliter & gratis, quod ad hoc attinet: relinquentes diuinæ prouidentiæ hanc curam eadem nobis dandi tanquam additamenta, pro vt nobis magis expediet. Quemadmodum aliqui Sacerdotes & Religiosi non volunt sacrum facere pro aliqua pitantia; neque diuinis officijs & sacris mysterijs assistere pro aliqua distributione: vt hæc ipsa puriori intentione gloriæ Dei præstent; absque vlla rei temporalis admixtione. Etsi enim ita sit, quod prima intentio sit bona, negari tamen non potest, quin aliquod inuoluat periculum, respiciendi accessorium tanquam principale: & quæratur, quod temporale est tanta cura & anxietate, vt perturbet intentionem, & desiderium æterni boni: & ita simul & æqualiter ista quærantur: vt Deus conqueratur de nobis, quemadmodum de ministris legis veteris, quibus dixit: *Quis est in vobis, qui claudat ostia. & incendat altare meum gratuitò*, & non ob commodum & lucrum decimarum, & contributionum. *Non est mihi* (inquit) *voluntas in vobis*; non mihi placet hæc ratio obsequiorum, quia omnia ea respiciunt mercedem. si scires (ait sanctus Augustinus) quod tua coniux te amet, tibique ministret propterea præcipuè, vt res aliquas pretiosas illi dones: aut quia prius dedisti, aut nunc das: erubesceres procul dubio, imò timeres, si redigereris ad paupertatem, illam non seruaturam tibi fidelitatem. Si itaque tu vis, vxorem tuam, & filios tibi gratis, & ex amore seruire, non mirum est, quod velit Deus, vt ita illi seruias, non quærendo ab eo alia lucra, vel commoda, quæ quò minus quæsiueris, projciens te totum in ipsius manus, eò obtinebis copiosiora. Profusiores enim solent esse Principes erga seruientes ipsis gratis, quàm erga eos, qui salarium suum petunt & stipendium. O Princeps cœlestis: æquum omninò est, vt purissima tibi seruiam intentione, qua desideras tibi seruiri: Regnum tuum & Iustitia tua erit totus meæ intentionis scopus. neque enim poterit deesse mihi tua prouidentia in temporalibus, si purè attendam tuo seruitio propter æterna.

Mal. 1. 10. *Psal 53.* *luntariè* *rificabo* *i.*

NON tamen propterea negatur, quin possis petere, à Deo hæc bona temporalia, quemadmodum in ipsa precatione Dominica petuntur, vt supra est declaratum: nec prohiberis facere conuenientem diligentiam, ad ea quærenda: quia ipsa diuina prouidentia eam à te requirit tanquam medium ad suas dispositiones exequendas. Hos igitur dicimus, vt si vis esse perfectus, in operibus bonis, quæ feceris, intendas purè seruire DEO: quia ipse dignus est: &, vt eius Regnum atque iustitiam, qua illud obtinetur, consequaris: non verò, vt tibi det bona temporalia tanquam

ract c. 12. *rag. 1.*

tuorum

tuorum operum præmium: quamuis si etiam hanc mercedem desideraueris, non propterea opera illa desinent esse bona, licet non adeò perfecta.

§. 3.

De pura intentione in virtutum propter seipsas acquisitione: non respiciendo ad alia bona, quæ eisdem sunt annexa.

EX IIS, quæ hactenus diximus, facilè intelligetur modus intentionis, qua sunt procurandæ virtutes, quas Christus D.N. a *Iustitiam* vocat *Regni Dei*, in qua re valdè attentos esse oportet eos, qui in Orationem & Contemplationem incumbunt. Supponenda est autem proportio quædam & similitudo inter spiritualia & temporalia bona: in his enim duo sunt genera: *Alia* quæ appellantur bona stabilia & permanentia, in quibus solent fundari primogenituræ, & quædam opera, quæ debent esse perpetua: quia tale pactum annexum habent, vt neque vendi, neque aliter alienari possint: *Alia* sunt bona mobilia, quæ facilè consumuntur, qualia sunt fructus bonorum stabilium: aut pecunia, quæ alia via est comparata: & hæc ad triplicem finem diriguntur, ad sustentandam videlicet commodè vitam, ad colenda & conseruanda bona stabilia, & ad donandum ac distribuendum in alios. Eodem ergo modo in bonis spiritualibus huius vitæ, sunt etiam duo genera. stabilia enim bona & perpetua sunt veræ solidæque virtutes, quibus Deus cognoscitur, diligitur, ac colitur: quæ ita firmiter animæ nostræ inhærent, vt nobis inuitis, nulla creatura eis nos possit spoliare; nec ipse Deus illa nobis auferet, nisi aliquâ culpâ nostrâ. Super has virtutes fundatur ius primogenituræ ad cœlum: suntque nobis tituli & causæ ad Regnum illud æternum iure quodam obtinendum.

a *Matt.* 6. 33.

PRAETER hæc sunt alia bona tanquam mobilia, quæ mutantur; accedunt & recedunt; augentur & minuuntur frequenter. Et horum quædam sunt fructus ipsarum virtutum: qualis est pax & lętitia, Conscientiæ delectatio, quæ oritur ex Oratione, & ex bono opere; & honor ac reuerentia virtuti debita. alia sunt tanquam præmia, quæ Deus Iustis in hac vita largitur, præter sanitatem, diuitias, & alia bona corporis. Huius generis sunt Consolationes Spiritus sancti, eius illustrationes, visitationes, iubili & alio gratiæ gratis datæ, de quibus omnibus intelligitur, quod dicit Apostolus: b *Charitas nunquam excidit, siue prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt; siue scientia destruetur.* Charitas enim cum cæteris virtutibus, animæ nostræ sunt infixæ, licetque illis vti semper pro nostro libitu: cæteræ autem gratiæ, nec omnibus dantur, nec semper: & absque nostra culpa nobis auferuntur, vt sic appareat, ea non esse præmia principalia virtutis, sed accessoria & mobilia, quæ dantur propter aliquem ex tribus finibus, sicut mobilia tēporalia. *Primus* est, vt Iu-

Prou. 3. 2.

b 1. *Cor.* 13. 8

sti vi-

sti vitam suam spiritualem ducant cum aliquo solatio, & spirituali consolatione, cuius etiam sit particeps corpus, tanquam spiritus instrumentum: ne in diuino obsequio deficiant. *Secundus* finis est, vt cum suauitate & efficacitate attendant culturæ & conseruationi bonorum stabilium, scilicet virtutum; & vt in eis crescant. cum enim Deus huiusmodi studijs & fauoribus c *cor nostrum dilatat, viam mandatorum eius* velociter *currimus*: suntque suauissimæ nobis omnes mortificationes. *Tertius* finis est, vt alijs benefaciant, Eleemosynam largiendo corporalem, aut spiritualem, illos animando in via cœlesti: sic enim Apostolus dixit: d *siue consolamur, siue exhortamur* à Deo, id est, *pro vestra exhortatione & consolatione.*

c Psa. 118. 32
d 2. Cor. 1. 6.

Ex quo fit, vt intentio nostra debeat præcipuè dirigi ad virtutes, propter seipsas quærendas, propter bonitatem scilicet, quam in se habent: quia sunt conformes rationi, legique ac voluntati Dei: & quia valdè illi placent. Et licèt possimus nostris operibus quęrere minus principaliter cōsolationes spirituales, aliaq; Dei in nos studia, quæ ordinariè solet iustis communicare: (Nō loquor hic de extraordinarijs & miraculosis) dirigētes ea ad tres prædictos fines, & vtilitates: procul dubio tamen nobilior ac generosior est intentio, quæ virtutes quærit sine horum commodorum admixtione: quæ etsi spiritualia sint, ex ea tamen parte, qua placent ac delectant, solent amorem proprium nutrire: & qui propter talia Deo seruit, mercenarius censetur, & quærere suum commodum. quare solet, qui huiusmodi est, multis imperfectionibus esse subiectus, cum inani quadam complacentiâ, quando ea habet; & cum animi abiectione, quando desunt: imò etiam conqueri audet, quando non dantur, aut quando subtrahuntur. Et ordinariè proficit parum in eo, quod quærit. Exiguâ enim sui resignatione, indignum se reddit eorum. At qui Deum propter seipsum quærit committendo eius prouidentię cum integra resignatione huiusmodi consolationes & fauores, efficitur illis dignior: ideoque solet abundantiores recipere. Nam vt sanctus Bernardus ait: *Non diligitur Deus sine præmio, quamuis diligendus nō sit propter præmium.* vera enim charitas non potest esse vacua, etiamsi mercenaria non sit. e *non enim quærit quæ sua sunt,* sed quæ sunt Dei. Nam charitas non est contractus aliquis, sed affectus; nec proficit incundo pactum cum Deo, vt assignet illi mercedem: sed plurimum eum amando, eiusque liberalitati relinquendo, vt det quod voluerit. Et quoniam Deus est liberalissimus, eò profusiorem se ostendit in nobis remunerandis, quò nos liberaliores sumus in præstandis obsequijs, non respicientes ad præmia, etiam spiritualia. est enim Dei ingenium, vt f *cum Sancto sit Sanctus, & cum electo electus*; cum parco verò etiam parcus, in pœnam eius parcitatis. O gloria Angelorum, benefactor liberalissime: quod aliud præmium meorum operum ego volo, quam vt ea faciam cum omni perfectione, eò quòd tibi ita placeant? satis multa

[Tr]act. de di[li]gendo Deo
e 1. Cor 13. 5
f [P]sa. 17. 27

benefi-

beneficia in me contulisti, & plurima bona mihi dedisti, vt propter illa meritò tibi, & fideliter seruiam: quamuis alia non sperem, amor tuus sit præmium meum; obedientia tua, remuneratio mea; & hoc ipsum, quod tibi seruiam, sit merces obsequij mei, tibi enim seruire erit in æternum regnare.

§. 4.

De intentione, quæ Deum respicit propter seipsum; & quo modo supplicia & præmia respiciat.

EX PRAEDICTIS incipit vtcumque apparere suprema intentio, quæ respicit DEVM propter seipsum & bonitatem, charitatem, & misericordiam, aliasque infinitas perfectiones, quas in se habet, & omnes sunt ipsemet Deus: quem licet imaginari, quod in hunc modum se tanquam scopum constituat nostræ intentionis, vt ad manum sinistram horrendas habeat pœnas æternas, quas, ipsum offendentibus, minatur: quibus minis impellit homines, vt ipsum timeant, & ex eo saltem timore, illi seruiant: ad dexteram verò habeat æterna præmia, quæ ipsi seruientibus pollicetur: quibus promissis homines impellit, vt ipsum diligant, eique obediant, saltem ob spem tanti præmij: In medio autem collocat suam bonitatem & charitatem æternam cum infinitis suis excellentijs: ex quibus fluunt misericordiarum & beneficiorum flumina, quibus præuenit, indulgetque hominibus: & hac bonitate trahit homines ad ipsum, propter ipsummet amandum, pureque seruiendum ex amore immensæ huius bonitatis eius tum in seipsa: tum quæ fons est omnium bonorum, quæ ab illo procedunt.

IVXTA hæc distinguũtur tres bonæ intentiones in operibus obsequij diuini, vna ob timorem inferni, altera ob spem gloriæ, tertia ob purum ipsius Dei amorem: & hæc est optima, quæ quod in alijs duabus est optimũ, etiam complectitur: quibus miro quodam modo vtitur absque aliqua imperfectione, id quod hac similitudine commodè explicatur. Si sagittarius quispiam sub deposita pecunia certans iaculetur in scopum latitudinis vnius palmi, satis illi erit ad victoriam obtinendam, & depositum capiendum si sagitta tetigerit scopum, quamuis inclinet ad alterutrum latus: ad honorem tamen ex iaculatione reportandum, & vt remotior sit ab errore iaculationis, oculum conijcit ad medium, & cor ipsius scopi, vt eo sagittam dirigat. Si.n. oculum conijcereret ad latus, fortè à toto ipso scopo sagitta aberraret. Sic igitur, ad Regni cælestis depositum obtinendum, sufficit Iusto, si dirigat suas actiones ad Deũ quãuis declinet ad latus timoris rationabilis pœnarũ æternarum; aut ad latus spei præmiorum æternorum: sed ad idem depositum eminentius & præstantius obtinendum; & vt ab errore & periculo decidendi sit remotior, præstat omninò intentionis oculum ad mediũ ipsum scopũ,

qui

qui eſt ipſemet Deus, ob ſuam infinitam bonitatem & charitatem dirigere, non declinando, nec ad minas, nec ad promiſſa. Verum quidem eſt, quod ſagitta habeat duas alulas plumaceas, quę ad vtrumque latus reſpiciunt, ipſamque iuuant in volatu, & vt ſcopi ipſius medium attingat, quò ipſum ferrum, ſeu cuſpis reſpicit. etſi enim perfectiſsima intentio Deum ſolùm reſpiciat; vt tamen volare poſsit, & ipſum Deum attingere, opus habet duabus alis, timore ſcilicet & ſpe, quæ aſpiciunt ea, quæ Deus ad vtrumque latus collocata habet: quia alioquin vix poſſet ad Deum volare: non tamen omnes ita ſunt periti, vt earum vſum attingant, eiſque perfectè, &, vt oportet, vtantur.

1. Pro huius ergo rei declaratione eſt aduertendum, duobus modis te poſſe Deo ſeruire, ob timorem pœnarum æternarum: aut deſiderando eas euadere, quà cedunt in tuum detrimentum, propriumque cruciatum; aut eaſdem deteſtando, quatenus te ſeparant in æternum ab æterna Dei bonitate, eiuſque amore; & ſimul aliquam eiuſdem Dei offenſionem inuoluunt. *Primus* modus eſt bonus, ſed imperfectus, & aliquo modo ſeruili timori ſimilis, eò quòd admiſceatur aliquid amoris proprij, reſpicientis potius ſenſibilem ignis cruciatum, quàm iniuriam Deo illatam; eſſeque ſeparatum ab eius amabili vnitione. At ſi non tantum reſpiciat proprium cruciatum: ſed multò magis ipſum moueat, quod ſic excludetur ab amicitia Dei, & propterea illum cruciatum timet: iam timor eſt perfectus, filialis, & caſtus: eſtque ſemper charitatis comes indiuiduus, & tanquam vna eius ala ad volandum, & vniendum ſe cum ſuo Creatore. Hoc itaque timore vtuntur filij Dei, & animæ, eius ſponſæ, aſpicientes his oculis infernum; eumque propterea præcipuè timentes, quòd ſit locus, in quo Deus odio habetur: quamuis malum non ſit, etiam illum aſpicere ac timere priori illo modo, ſiquidem ipſemet Chriſtus Dominus dixit: a *timete eum, qui poteſt & animam, & corpus perdere in Gehennam.* (Mat. 10 28)

2. Hoc idem dicendum eſt de præmijs æternis, quæ poteſt oculus intentionis reſpicere, quatenus ſunt noſtrum proprium bonum, & quidem magni emolumenti ac delectationis corporis & animæ: Sed quamuis id non ſit malum, purior tamen mundiorque ab amore proprio eſt oculus, qui eadem bona reſpicit, quatenus coniungunt nos cũ ſumma Dei bonitate per vnitionem amoris perpetui, & abſque vllo periculo eum amittendi, aut offendendi. Et hac ratione ſpes horum præmiorum eſt altera ala perfectæ charitatis, qua volet ad ſummum bonum, finemque puriſsimæ intentionis. Et eâ alâ vtebatur Dauid cùm dicebat: b *inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum, propter retributionem:* & ipſe Chriſtus D. N. excellentiſsima præmia proponit in ſuo Euangelio, quibus excitemur ad exercendos heroicos actus virtutum, quas iubet & conſulit. Certum eſt autem, cum ipſe intenderet, per ea promiſſa incitare nos ad altiſsimam perfectionem, non (Pſa. 118 112; Mat. 5. 3. 10.)

fore

fore eadem nobis impedimento ad eam impetrandam, si prædictis oculis ea inspiciamus: præcipuè, cùm iam decreuerimus Deo seruire propter seipsum. tunc enim non nocet interrogare, sicut S. Petrus, c *Quid erit nobis?* Hæc enim interrogatio eò tendit, vt amor in sua actione magis excitetur: & vniuersim, nullus est tam Sanctus, & cogitationum adeò sublimium, qui non opus habeat interdum fieri paruulus, & in re aliqua ad Tyronum statum respicere; & in suum vsum conuertere (vt ait S. Bernardus) timorem inferni, & spem regni cœlestis: eò quòd interdum sese subtrahat lux deuotionis, & ignis feruoris: tentatio verò aliunde fortiter premat; vt propterea sit opus omne genus armorum arripere, vt nos defendamus, & exstimulemus. timor enim ex vsu est omnibus, vt tanquam freno à malo retrahantur; & spes, vt tanquam calcari ad bonum impellantur. *Serm 6. in Cant.*

3. Ex his sequitur, quod ad intentionem adeò præstantem, & excellentem ordinariè sit per gradus quosdam perueniendum. Nam intentiones imperfectæ viam aperiunt ad perfectas: nec nocet, si incipias seruire Deo, etiam ex timore pœnali; progredique mox in seruitio ob spem præmiorum, tam spiritualium huius vitæ, quam æternorum alterius; & tum ob amorem & pulchritudinem ipsarum virtutum; ac demum ob supremam Creatoris, rerumque omnium istarum largitoris bonitatem: mortificatis imperfectis amoris & cupiditatis affectibus, vt amor maneat purus & simplex cū solo ipso Deo: ad eum modum, quo aurei fili tractores, aut traiectores, cùm volunt subtilissimū facere, non statim trahunt per angustissimū foramen; sed prius per aliquod latius, & post per aliquāto angustius; donec per angustissimum trahāt. Sic enim subtilissimum efficitur, nec frangitur; tale est aurum charitatis, quæ non statim initio adeò potest extenuari, nec tantam simplicitatem & puritatem assequi, vt omninò exuerit omnes affectus timoris, & spei, proprijque emolumenti. Quare primum necesse est intrare per angustam portam mortificationis, quæ timores remouet malorum temporalium; & desideria præmiorum, quæ pereunt: postea stringitur magis ad cupiditates mortificandas commodorum huius vitæ: vt non iam velint seruire Deo propter illa. Ac denique ad eam subtilitatem peruenit, vt etiam exuat affectum proprij commodi, ex bonis æternis, eo modo, quo iam diximus: donec vnita & contenta maneat cum solo Deo.

§. 5.

De præstantia purissimæ huius intentionis.

1. VT nos ad hanc intentionem adeò puram assequendam exstimulemus, eius excellentiam fructusque explicabimus, initio facto ab ea compellatione, qua Christus D. eam compellauit. a SIMPLEX videlicet, quod significat rem non compositam ex alijs, nec aliam admixtam habens. *a Mat. 6.23. Luc. 11.34.*

Quemadmodum Theologi Deum appellant substantiã simplicissimã, quæ caret omni cõpositione & rei alterius mixtione: quia nihil omninò in ipso est, quod non sit Deus. talis itaq; est intentio, quæ per excellentiã SIMPLEX appellatur, eò quòd nec vlla culpa, nec amor proprius, aut timor, aut spes imperfecta illi coniungatur: quia tota illa est vna, & pura ad solum Deum directa, in quo totum suum amorem collocat, eoque solo, quòd illum amet, est contenta. Illa (inquit S. Bern.) appellatur verè simplicitas, quæ voluntatem conuersam habet perfectè, ad solum Deum; & quemadmodum Dauid, b *vnam* rem tantum *petit à Domino, & eam requirit*, absque distractione ad varia, quæ illam retrahant à re, quam petit. Hæc vna, est finis vitæ contemplatiuæ, eiusque operationum, de quibus hactenus egimus; & cum hac (teste Cassiano) percipiuntur in hac vita aliquæ arrhæ & pignora eorum quæ Sancti possident in altera, quod est (vt ait Apostolus) c *esse illis Deum omnia in omnibus*, dicentibus cum Dauide, d *quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram?* Tu Deus es vita mea, salus mea, honor, solatium meum, diuitiæ, & omne bonum meum: tu mihi sufficis absque cæteris omnibus: quæ tamen, sine te, mihi non sufficiunt. Si te habeo, in te & per te omnia habebo, quæ mihi ad rem erunt, vt te diligam, seruiamque, sicut debeo.

Ad fratres de Monte Dei.
b *Psa. 26. 4.*
Colla. 7. c. 6 & collat. 10 cap 7.
c *1. Cor. 15. 28*
d *Ps. 72. 26.*

2. HAEC est intentio generosa, quæ sponte & gratis Deo seruit: de qua gloriabatur Dauid, cùm diceret: e *voluntarie sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum est.* Quis est (ait S. Aug.) qui possit cognoscere: quid sit, Deo gratis sacrificare, quamuis alius ei dicat, nisi ipsemet hoc delibet, & experiatur? Dicam illud nihilominus: intelligat, qui poterit; credat verò, qui non intellexerit; oretq; etiam Deum, vt intelligat. Quid est gratis & voluntariè illum laudare, quoniam bonus est, nisi laudare illum, illique seruire propter seipsum, & non propter aliquid aliud? in hoc exultans, quod illum laudem: eiusq; laudes accipiens pro pleno meo gaudio: adimplens voluntatẽ eius in terra, ea, purissima intẽtione & lætitia, qua impletur in cęlo.

e *Psal. 53. 8.*

3. HOC est amare Deũ, sicut ipsemet Deus me amat. quomodo aũt amat me Deus? ipse dicit per suam Prophetam: f *diligam eos spontaneè*, merè scilicet gratis. O dilecte mi, diligam ego te, quemadmodum tu diligis me; imitando quantum possibile erit, purum tuum amorem. Nam quemadmodum tu amas me non coactè, sed voluntariè, non quod emolumentum aliquod à me expectes, sed quod bonus sis, meq; amando delecteris ob tuam solùm bonitatem: ita ego te amem, non ob timorem, aut cupiditatẽ: sed summa mea oblectatione: eò quòd tu sis bonus, & dignissimus, qui ameris: etiãsi aliud præmium à te non exspectarẽ. Purus amor (ait S. Bern.) nõ est mercenarius, non corroboratur spe, nec sentit damna diffidentiæ: ipse sibi sufficit, ipse per se placet, ipse meritum est & præmium; extra se nec aliam quærit causam, nec alium fructum: fructus eius est eius vsus: amo enim, quæ amo, amoque, vt

f *Oseæ 14. 5.*
Serm. 83 in Cant. & lib. de diligendo Deo parag felix.

amplius amem. Quod si ita est, voluntariè & gratis amat, qui vnicum præmium reputat ipsummet amorem; & cum g *Deus sit* ipsamet *charitas:* quid est pro præmio habere amorem, nisi pro præmio habere ipsummet Deum, & in eius amore omnem inuenire quietem? Quod si præclarum est, Deum amare, sicut ille me amat: non minus erit omnia facere, sicut ipse facit. Ille h *vniuersa propter semetipsum operatus est*, & propter gloriam suam: par ergo est, vt creatura imitetur & sequatur suum Creatorem, faciatque omnes suas actiones purè propter eundem Deum; ita vt neque se, neque res suas velit, aut opera sua faciat, nisi ob ipsum solum, dicens cum Sponsa: i *omnia poma noua & vetera, dilecte mi, seruaui tibi.* fructus noui sunt opera supernaturalia, quæ oriuntur à charitate, iuxta nouam legem, quæ est gratiæ: qualia sunt credere, orare, sacrum Missæ audire, ieiunare, & reliqua opera facere, in quibus & caro mortificatur, & vetus homo noster crucifigitur, vt nouo conformetur. Fructus veteres, sunt opera naturæ, quæ antiquior est gratia: quemadmodum comedere, dormire, videre, loqui, & reliqua, quæ naturali nostræ inclinationi sunt conformia: vtraque autem sunt offerenda dilecto tuo, & separatum ferculum ex ijs conficiendum; faciendo scilicet hæc opera, eò quòd is delectetur eis, & vt illi placeas; ita vt hæc opera non tibi fiant, sed illi; non tuo palato, sed illius. Et quamuis hoc adeò difficile non sit in primis, quæ sunt carni contrariæ: non est tamen facile in secundis, quas oppidò libenter natura habet, ob dulcedinem, quam in eis experitur: ac proinde sibi ipsi palatoque proprio illas vellet. Tu verò hunc appetitum & gustum mortificando, facies ea opera, non quod tuo desiderio arrideant; sed purè propterea, quod placeat Deo, vt ea facias. Propterea enim Apostolus expressam eorum fecit mentionem, cùm dixit: k *siue manducatis, siue bibitis, siue aliquid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite.* omnia dico, nihil excludendo. *omnia* enim *poma*, nullo relicto, *seruanda sunt dilecto.* Quid autem magnum est, si omnia poma, fructusque omnes ipsi seruentur, & gloriæ eius: siquidem omnia sunt illius: Ipsius enim est hortus, ipsius sunt arbores, virtus qua illæ fructus producunt: ideoque fructus ipsius sunt. sit itaque etiam eius gloria, omniaque opera naturæ & gratiæ: & in omnibus viuam ego non mihi, sed illi: iuxta illud Dauidis: & l *anima mea illi viuet.* tibi viuet Deus meus, tibi loquetur, studebit, & laborabit tibi. nam si te seriò amo; nolo esse meus, sed tuus; si seruus tuus sum, non volo mihi laborare, sed tibi Domino meo, cuius sum, & cuius est, quicquid ego habeo. Hoc Apostolus desiderabit, cùm oraret Deum, vt m *omnes probaremus*, quæ essent *potiora, & essemus synceri, & sine offensa repleti fructu Iustitiæ, in gloriam & laudem Dei.* Quid est esse synceros? (ait Sanctus Basilius) nisi, quod liberi simus ab omni mixtione inepta, dirigentes omnia nostra ad solam vnam sanctitatem, idque ita efficaciter, vt in omni tempore, & cum omni cura exequamur

g 1. Ioa. 4. 16
h Prou. 16. 4
i Cant. 7. 13.
k 1. Cor. 10. 31.
l Psal. 21 31.
m Phil. 1. 9.
Reg. l 264. ex breuiori.

non ſolum, quod bonum eſt, ſed quod melius. nec quærentes ſolùm gloriam Dei, ſed maiorem etiam gloriam & honorem eius.

§. 6.

Quomodo in praxin deducenda ſit hæc Intentio, in omnibus noſtris Actionibus.

S. Bonauent. in itin 1. æ tern. d. 2.

VT in praxin, quæ dicta ſunt, deducamus, operæ pretium eſt aduertere, tres modos Intentionis diſtingui à Theologis in noſtris actionibus.

1. Alia eſt *habitualis*, habitus ſcilicet ipſe gratiæ & charitatis, quæ ſtatim atque ingreditur in animam, quæ iuſtificatur, eam dirigit ad Deum, tanquam ad vltimum ſuum finem: eſtque adeò ingenua & efficax, vt omnia bona opera etiam infirma, quæ abſque ea æs, aut cuprum fuiſſent, illa accedente, fiant aurum, adeò vt iuxta aliquorum Doctorum ſententiam, promereantur vitam æternam. Sed hæc intentio, ſola nudaque, indicium eſſet magnæ tepiditatis: valdè enim tepidus eſt, qui habens in anima ſua potentiſsimum charitatis habitum, non exercet interdum proprios eius actus, ſed ſepultam quaſi, vinctamque habet hanc virtutum Reginam; ita vt nihil actu imperet, aut actus ſuos dirigat ad ſuum vltimum & ſupremum finem.

2. ALIA intentio appellatur VIRTVALIS, quando ſcilicet præceſsit actus aliquis charitatis, qui ſimul, & quaſi in cumulo dirigit omnes actiones ad proprium ſuum finem: cuius actus virtute, cenſentur illæ ordinatæ & directæ, etiamſi poſtea dum exercentur, non refricetur hæc memoria. Ac proinde eſt ſalubre conſilium, vt ſingulis diebus mane, dum ſurgimus ex lecto, tanquam diei primitias, excitemus charitatem, quæ quaſi obdormiuerat, & cum ea offeramus Deo D. N. omnia illius diei opera; non ſolum ita in confuſo, ſed etiam particulariter ea, quę probabiliter occurrent. v. g. orationem, & negotia tractanda: imò Chriſtus D. N. dixit S. Gertrudi, vt diſtinctius, magiſque minutim opera ſua illi offerret; qualia eſſent characteres, quos formaturus es, quando ſcribes; bolos, quos comedes; verba, quæ proferes, quando loqueris, & paſſus, quando ambulabis: imò & ipſas reſpirationes, quas habebis, dum dormis. Et quoniam opera tua per ſe parum valent, tuaq; intentio remiſſa eſt, tepenſque; coniunge illa cum Chriſti operibus, & puriſsima eius intentione, qua illa peregit; vt ita plauſibilius ab æterno Patre acceptentur. Hoc enim eſt, a *veſtibus Eſau* fragrantibus *induere Iacob*, ad impetrandam Patris æterni *benedictionem*: qui plurimum delectatur, cùm videt, opera noſtra veſtibus adeò pretioſis induta; imitatione ſcilicet, & incorporatione operum dilectiſsimi ſui filij.

a. Gen. 27. 15

ET QVAMVIS *actualis* hæc matutina intentiò ſufficiat, vt omnia opera totius diei ſint meritoria: ſine vlla tamen comparatione vtilior multò eſt, nobiliorque modus operandi, cùm intentio renouatur ad ſingula opera

insigniora

insigniora præcipuè, dicendo in eorum initio, hæc aut similia verba, non tam ore quàm accenso cordis affectu: Deus meus, hoc opus aggredior, vt tibi placeam: quia gratum tibi est, vt illud faciam. & quia intelligo, hanc tuam esse voluntatem, ad maiorem tuam gloriam: vt per illud in me & per me glorificeris, & ab omnibus tuis creaturis. O Pater cælestis, b *sanctificetur nomen tuum* in me & in omnibus, propter opus hoc, quod facio, & propter omnia, quæ adhuc faciam: & quandoquidem iubes, hanc esse meam primam petitionem, da mihi quod peto, vt tibi placeam iuxta votum meum. Hic modus operandi ipsa opera extollit, vt valdè sint meritoria. si enim quis (ait S. Bernardus) totum diem expenderet edendo actus odij Dei, quo sua opera comitaretur: in fine diei promeritus esset horrendum infernum. Si igitur contrà, diem totum expendat in actibus amoris Dei, quò omnia sua opera comitetur: quàm immensum cœlum promeruerit! magis enim propendet Deus ad remunerandum, quàm ad puniendum. Et quomodo id erit possibile, vt prætermittat Deus, magnos fauores in die exhibere tibi, qui totum diem consumis, studendo placere illi? & quomodo non faciet ipse voluntatem tuam, qui ita ipsum diligis? & quomodo non crescet charitas, quæ ita frequenter exercetur? Et quam sanctitatis celsitudinem non assequetur, qui talia facit opera? talis (inquit S. Augustinus) es, qualis tuus est amor. si terram amas, terra es; si amas Deum, quid dicam nisi quod sis Deus. siquidem dicit Dauid: b *ego dixi: Dij estis vos, & filij excelsi omnes*. Et quid de tuis operibus dicam? si ea facias cum amore & intentione terrena, sunt terrena; si cum intentione cœlesti, sunt cœlestia: si cum amore Dei, sunt diuina; dilige, & quod vis, fac. si loqueris, loquere cum amore; si taces, etiam cum amore tace. c *Omnia vestra* (inquit Apostolus) *in charitate fiant*, in charitate scilicet actuali Dei: Nam tunc tota vita tua erit diuina, & tota quasi deificata: & plus vno die promereberis, quàm alias in mille: quia ita in terra agis, sicut Beati operantur in cœlo. O Redemptor dulcissime, cuius opera semper fuerunt opera Dei, opera altissima, ac diuina tua persona dignissima: concede mihi, vt ita ego operer, sicut tu es operatus; & ita amem, sicut tu me amasti: peragens opera amoris ea intentione & feruore spiritus, vt non iam mihi, sed tibi totus viuam in æternum.

AMEN.


b Matt. 6. 9

Tract. 2 in Epist. 1. S. Io ad finem.

b Psal. 81. 6

Tract. 7.

c. Cor. 16. 14.



CAPVT XII.

ORATIONIS ET CONTEMPLATIONIS PRO-prium esse, feruentia & efficacia desideria producere crescendi in omnibus virtutibus; quas proprietates hac desideria habere debeant; quodque medium in eis seruandum.



YSTERIVM magnum (vt initio huius Tractatus diximus) in eo latet, quòd primus filius Rachel, quæ vitam Contemplatiuam significat, vocaretur a *Ioseph*: quòd interpretatur *Accrescens*, vt significaretur nobis, esse proprium fructum Orationis, & Contemplationis, producere viua & efficacia desideria proficiendi in omnibus virtutibus. Nam etiam quando Iacob eius parens illi benedixit in fine vitæ suæ, bis illum ea nominis significatione compellauit: b *filius* (inquit) *accrescens Ioseph, filius accrescens*: sic innuens, quòd incrementa eius sint in operibus vtriusq; vitæ, Actiuæ & Contemplatiuæ, vt in vtraque emineat cum tanta animæ suæ pulchritudine, vt pulcherrimæ cælestes Creaturæ super muros cœli, ad eam Contemplandam discurrant, vehemẽterq; admirentur, vt mox videbimus. Hic filius est, qui veram suæ matris pulchritudinem manifestat: tunc enim vita Contemplatiua pulchra erit, sicut Rachel, quando genuerit Ioseph accensissimo desiderio, & efficacissimo proposito crescendi & progrediendi in diuino obsequio: id quod est summi momenti: quia periculosissimum est, in hoc cœlesti itinere sistere velle, & non semper progredi. vt plurimum enim, (ait S. Bernardus) qui crescendi desiderium amittit, mox decrescit: ad instar vmbræ, quæ aut crescit, aut decrescit. Et ibi (ait Sanctus Leo Papa) *periculum incipit deficiẽdi, vbi deest desiderium proficiendi.* & Sanctus Augustinus: *vbi quis dixerit, sufficit, ibi hæsitauit:* & furiosus impetus tuarum propensionum coget te retrocedere ab ijs, quæ inceperas. Stude itaque esse, sicut c *quatuor illa sancta animalia, quæ vbi erat impetus Spiritus, illuc gradiebantur: nec reuertebantur cum ambularent.* Attende quòd exemplaria quæ cupis imitari, sint perfectionis infinitæ: ac propterea etiam plurimum festinans in eis imitandis, semper tamen retro valdè sis mansurus. Charitas quoque impellit ad crescendum sine limite, eò quòd Deus, quem diligit, dignus sit, qui amore infinito, si id esset possibile, diligeretur. Adimple itaque hoc eius desiderium: crescens enim in ea, in omnibus quoque virtutibus cresces, iuxta illud Apostoli: d *facite veritatem in charitate, vt crescatis in Christo per omnia.* Præterea

a Gen. 30. 24.

b Gen. 49. 22.

Decorus aspectu: filiæ discurrerunt super murũ.

Epist. 259. ad frat. de Monte Dei: Nolle proficere est deficere. Ser. 2 de Quadrag. in Psalm. 69. ad finem

c Ezec. 1. 12. S. Tho. 2. 2. q. 24. a. 7.

d Eph. 4. 15.

tempus

tempus crescendi est breue; & quando ad cœlum peruenitur, ibi sistit. festina ergo crescere, vt posis postea plus amare, & frui. Si enim beati essent tristitiæ capaces, ex nulla re tantam haurirent, excepta culpa, atque ex eo, quod non amplius in amore profecerint, vt præmium esset maius: non ob emolumentum proprium, sed quò plus amarent eum, qui dignus est infinito amore. Amplectere itaq; consilium Ecclesiastici dicentis, e *ne verearis vsque ad mortem iustificari: quoniam merces Dei manet in æternum.* atque si diceret: quotidie nouum laborem temporalem adiunge, vt in Iustitia crescas: Præmium enim ingens erit & æternum. Et ipse Christus D. N. concludit suam Apocalypsin dicens: f *qui iustus est, iustificetur adhuc: & sanctus sanctificetur adhuc. ecce venio citò, & merces mea mecum est, reddere vnicuiq; secundum opera sua.* & siquidem ignoras, quando ille sit venturus, festina crescere, magisque sanctificari, vt veniens det tibi maius præmium. O diuinum verbum incarnatum, quod quia Spiritu diuino absque mensura plenum eras, non poteras in teipso crescere: & nihilominus eo modo, quo crescere poteras, cum g *proficeres in ætate,* etiam crescebas, & *proficiebas in Sapientia & gratia apud Deum & homines,* infunde mihi tuum Sanctum Spiritum, qui faciat me in omnibus virtutibus crescere, donec ad earum supremum fastigium perueniam, Amen.

e Eccl. 18. 22

f Apoc 22. 11.

g Luc. 2. 52

§. I.

Quomodo Tyrones, & Perfecti crescere, ac proficere debeant.

NEC mysterio caret, quod Christus D. N. non solum dixerit: *qui iustus est, iustificetur adhuc*; sed adiecerit: *qui sanctus est, sanctificetur adhuc*, voluit enim nos docere, quod omnes electi in quocunq; statu & gradu virtutis sint, debeant contendere, vt crescant, & perficiantur in proprii sui status operibus: quod mirificè in libro Canticorum nobis adumbratur in tribus gradibus iustorum, qui sunt in terra.

I. PRIMVM enim, si Tyro es & nouitius in virtute, versarisque in exercitijs viæ *purgatiuæ*, quotidiè in eisdem proficiendum tibi est: studendo magis magisque à peccatis purificari; longiùs à vitijs prauisque consuetudinibus discedere; à radice passiones mortificare; & in moralibus virtutibus, quæ illas refrenant; & in Mortificatione & Oratione, quæ totum hoc opus adiuuant, crescere. Quod augmentum adeò feruens esse debet, vt vel ipsis Angelis admirationē afferat: qui præ stupore de anima tua dicāt: a *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatib. myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmētarij?* Atq; si dixissent: Quæ ista est anima, quæ in deserto huius mūdi habitans, seq; in exercitijs pœnitētiæ occupās, ascēdit, crescitq; in eis sicut virgula fumi. *virgula*; quia cū humilitate cordisq; paruitate ascēdit; fumi

a Cant. 3. 6.

verò

verò fragrantis, quia non aſcendit cum ſplendore lætitiæ, ſed cum planctu & lacrymis ex oculis fluentibus, fragrantibus, & ingentem adferentibus ſuauitatem? Verum vnde prouenit iſte fumus? à myrrha mortificationis carnis eius, & à thure Orationis, quæ illam comitatur; & ab vniuerſo puluere pigmentario, qui ſunt actus cæterarum virtutum moralium, contritarum mortificatione & prudentia, vt ſimul coniungantur & connectantur inter ſe, iuuantes ſe mutuò inſtar ſororum. ſed neque hoc ſufficit, vt fumus efflet, niſi omnes in prunis charitatis imponantur, quæ prunæ ſunt in thuribulo contriti cordis, cuius ignis vi aſcendunt, creſcuntque in omni perfectione. O felix illa anima, quæ ad conſpectum diuinæ Maieſtatis odore adeò pretioſo ſuffita aſcendit! O beatus aſcenſus, qui homines ædificat, Angelos rapit in admirationem, ipſumque Deum recreat! O Deus æterne, quaſcunq; expenſas ad hunc aſcenſum neceſſarias ſubibo: modò in his virtutibus ita ego creſcam, vt tibi placeam.

2. QVOD ſi iam Tyronis terminos exceſsiſti, & ingreſſus es gradum *proficientium*, in via *illuminatiua*, ipſummet proficiendi verbum te monet, progrediendum tibi eſſe diligentiori cura maiorique ſpiritus feruore in virtutibus excellentioribus, & maioris ſplendoris. Progrediendum itaque tibi eſt in viuacitate fidei, in ſpei certitudine, in ardore charitatis, in puritate intentionis, in feruore orationis & meditationis, & in alijs ſimilibus, adeò feſtinans in tuo progreſſu, vt Angeli cœleſtes dicant de te: b *quæ eſt iſta, quæ progreditur, quaſi Aurora conſurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata*? quæ eſt iſta anima, quæ feruore magno tenebras euaſit, & frigiditates noctis; creſcitque continuè in ſplendore virtutum? c *quaſi lux ſplendens, quæ procedit & creſcit vſque ad perfectam diem*? quæ eſt iſta adeò plena luce, vt pulchra ſit ſicut Luna, ob caſtitatis puritatem; luceatque de nocte in medio aduerſitatum huius vitæ, ferens eas patienter, nihil propterea de ſuo ſplendore amittens? Quæ eſt iſta electa vt Sol, firma & conſtans in bonis ſuis exercitijs? procurans eſſe in illis eminens, quia illa ordinat tanquam caſtrorum aciem, qua dæmonibus, omnibusque ſuis hoſtibus efficitur terribilis? Quæ eſt iſta, quæ inſtar Solis & Lunæ continuè mouetur, nec vnquam à ſuo profectu & progreſsione deſiſtit, pergens nocte ac die à terra eleuata, ita vt terrena illi non adhæreant; ſpiritum ſuum & conuerſationem collocans in cœlo? O Angeli ſancti, iure optimo admiramini, quod anima mortali carne veſtita progredi poſsit, ſicut ſtellæ cœleſtes, quæ cùm ſit vna, adeoque debilis à natura, habeat tamen intra ſe talem caſtrorum, virtutum ſcilicet, aciem adeò fortem, & ex diuina gratia potentem! Orate ſupplices earum Auctorem, vt ita me etiam deducat, vt vita mea vos rapiat in admirationem, ipſumque glorificetis propter eam.

Cant. 6.9.

Prou. 4.18.

Postqvam ad gradum *Perfectorum* in via *vnitiua* perueneris, intellige multum adhuc tibi supereſſe peragendum. Nam Sanctus Apoſtolus, qui ſe d *perfectum* appellauit, quo ad ſtatum, & profeſsionem perfectionis, idem dixit: *non quod iam perfectus ſim; ſed quæ retro ſunt,* in meo profectu, *obliuiſcens, ad ea, quæ ſunt priora,* & ante me, *extendo meipſum:* vt nouum, maioremque profectum acquiram. in hoc enim perfectio conſiſtit viatorum, qui ad vltimum ſuæ peregrinationis terminum necdum peruenerunt. Quod ſi fueris aliquis ex his, dare debes operam, vt quotidie creſcas magis in amore, & vnitione cum Deo; in Contemplatione magnalium eius; in gratitudine ob accepta beneficia; in zelo gloriæ ipſius, & in ſimilibus alijs virtutibus, quæ tuum ſpiritum cum diuino coniungant; tantaque dulcedine repleant, vt Spiritus cæleſtes de te dicant: e *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto delicijs affluens, innixa ſuper dilectum ſuum:* Quæ eſt iſta anima, quæ ſemper aſcendit, & nunquam hæret, deſerens omnes creaturas huius terræ, vt conuerſationem ſuam habeat in cælo? Quæ eſt iſta, quæ aſcendit, creſcens in abundantia gaudiorum cæleſtium, non ſuper ſe, ſed in ſuum dilectum innixa, illi vnita, & in eius amorem adeò arctè transformata, vt ipſe delectetur, eidem ſemper tanquam ſocius aſsiſtere? O altitudo vitæ Chriſtianæ, quæ ad tantam familiaritatem aſcendis per augmentum omnium virtutum! O quanta erit deliciarum abundantia, quæ ipſis Angelis affert admirationem! O quàm erit ineffabile ſpectaculum, quo ſponſa innititur ſuper dilectum ſuum, ſiquidem ipſos Seraphinos trahit in admirationem! creſcat Deus meus, anima mea in continuo virtutum omnium exercitio, vt tibi poſsit vniri, taleſque fauores à te impetrare, Amen.

3.

d *Phil. 3. 15. 12.*

e *Cant. 8. 5. Vide S. Ber. Ser. 59 & 60 paruorū, vbi explicat tria hæc loca Canticorum*

§. 2.

Quas Conditiones habere debeat proficiendi deſiderium.

Praedictorvm omnium hæc ſit concluſio: vt feruenti deſiderio contendas in omnibus virtutibus ſtatus tui proprijs proficere: quod deſiderium omnes actiones tuas comitetur, ſitque perfectus ſtimulus & excitator, qui te ad eas perfectè faciendas impellat. Quale hoc deſiderium eſſe debeat, quaſque conditiones habere, pulchrè declarauit S. Baſilius dicens: eſſe deſiderium quoddam placendi Deo *vehemens, inſatiabile, & conſtans:* tres itaque conditiones habere debet.

Reg. 157 ex breuioribus.

1\. Prima conditio eſt, vt ſit Vehemens deſiderium: non quale eſt pigrorum, qui dicunt, vellem; ſed virorum ſtrenuorum, qui maturè deliberantes, ſtatuunt, dicuntque efficaciter: volo. Quare non debet eſſe deſiderium remiſſum, aut tepidum; ſed cum omni conatu, & intenſione poſsibili: ad eum modum, quo Deus iubet, vt ipſum amemus a *ex toto corde, &*

In Introd. ad 6 p. Medita. hoc eſt explicatum

a *Deut. 6. 5*

de, & ex omnibus viribus: eas omnes ad opera amoris applicantes, instar illius, qui ad lapidem iaciendum, omnem, quem potest, conatum & impetum adhibet.

2. SED quoniam, quicquid nos possumus, modicum est: oportet, hoc desiderium esse adeò INSATIABILE, vt non modo multo plus facere desideremus ad magis seruiendum Deo: sed etiam cupiamus, ipsum desiderium multò esse maius, quàm sit: vt totum in diuino obsequio expenderetur. ita vt (quemadmodum Sanctus Gregorius dicit) reipsa placeamus & seruiamus Deo iuxta vires: interno verò desiderio cupiamus illi seruire vltra vires: optantes scilicet, multò plura præstare, quam reipsa præstemus, aut præstare possimus: eo quod dignus sit Deus infinitis obsequijs: quemadmodum supra etiam dicebamus, vt postquam nos constrinxerimus, quantum possumus; desideremus adhuc amplius nos stringere, si possemus.

Homil. 5. in Euangel.

4. parag. 4.

3. DENIQVE desiderium hoc debet esse CONSTANS, Deo semper placendi, ita vt neque b *aquæ multæ* laborum illud *extinguere, nec flumina* persecutionum illud *obruere* possint, ideoque mortificanda sunt omnia, quæ hanc constantiam, & augmentum impediunt. neque enim absque mysterio dixit Ecclesiast. c *ne impediaris orare semper, & ne verearis vsque ad mortem iustificari*. ea sententia insinuans, non defutura multa impedimenta.

b Cant. 8. 7.

c Eccl. 18. 22.

HIC affectus est, quem Apostolus d *spiritus feruorem* appellat. Nam, quemadmodum aqua, cũ bullit, ob magnum calorem, quem recipit ab igne, ita ebullit, vt exeat, saliatque supra seipsam, valdeque extenuetur, ac emittat ex se vapores, qui ascendunt in altum: Ita anima, quæ fornacem Meditationis & Contemplationis ingreditur, cuius fructus, (teste Sancto Basilio) est feruens hoc desiderium, igne amoris Dei feruet intra seipsam, varijs desiderijs ei placendi: seipsam erigens, ad desiderandum, & procurandum multò plus, quam sua natura possit; semperque extenuatur & spiritualior fit, vtpotè desiderans exuere, quicquid carnale & terrenum est, induere verò, quod est spirituale ac diuinum. Et quamuis feruor essentialiter consistat in hisce desiderijs internis: efficacitas tamen eius manifestatur, cùm executioni mandantur: e *neque enim potest homo abscondere ignem in sinu suo, vt vestimenta eius non ardeant*: & qui verè f *esurit, sititque Iustitiam*, comedit quantum potest, vt saturetur. Nec tamen existimare debes, verum feruorem consistere in exequendo, quicquid cor desiderat: nisi sit (secundum Sancti Gregorij regulam) iuxta vires scilicet corporis, g *custodiendo* (vt ait Dauid) *fortitudinem tuam ad Deum*: cui ex omni fortitudine, & ex omnibus viribus tuis deseruias: deficiente enim corpore, consueuit etiam deficere spiritus, vt supra est dictum. Debes quoque spi-

d Rom. 12. 11.

Vbi supra.

e Prou. 6. 27.

f Matt. 5. 6.

g Psa. 58. 10.

ritus tui viribus te accommodare, nil supra eius facultatem temerè aggrediens. Et toto hoc perfecto, caue deficias, cogitans, nihil te pro Deo tuo agere: eo quod non facias, quod desideras. Nam, quò plus desideras, eo minus tibi videtur, quod facis: non attendens, (vt idem Sanctus Gregorius aduertit) aliam regulam esse adhibendam circa desiderium, quàm circa executionem. Nec vllus sanctus assecutus est tantam virtutem, quantam assequi desiderauit. semper enim desideria eorum superarunt vires: estque valdè tepidus, qui habet, quicquid desiderat. Hoc enim est signum, parum desiderantis, & non esurientis: vt qui tam citò saturetur: cum sapientia diuina dixerit: h *qui edunt me, adhuc esurient; & qui bibunt me, adhuc sitient.* Adhæc: quoniam Deus vult, non esse humiles, sæpè feruentia dat desideria vincendi aliquam tentationem, & vitium; aliundè verò vult, nos viuere in continua pugna contra illud: quemadmodum S. Apostolus pugnabat, non vt animum abijciamus; sed vt nos humiliemus, & humilitate multò securius in virtutibus crescamus. Dat præterea ipsum desiderium, vt generosa illa voluntate meritum acquiramus; executionem autem denegat, eo quod æterna sua sapientia vnicuique designauerit viam, per quam ipsum sequi & imitari debeat, vt saluus sit; & ad quem terminum sit peruenturus. Multis enim Sanctis desiderium dedit Martyrium subeundi: nec tamen voluit, eos esse Martyres: alijs quoque desideria dat status Religiosi, aut perpetuæ castitatis seruandæ, impedimenta interim apponens, ne illa exequantur. Reuerere itaque, frater, occulta Dei iudicia, & summam felicitatem reputa, quod eius voluntatem exequaris in omnibus, prout ipse voluerit; & eo modo desidera in virtutibus crescere: vt non abijcias animum, etiamsi non obtinueris. Nec propterea cesses ab excitando in te maximo desiderio, quod poteris: in oculis enim Dei efficax desiderium, sicut ipsum opus remuneratur. vt enim ait Apostolus, i *voluntas prompta, secundum id quod habet, accepta est; non secundum id quod non habet:* quando scilicet executionis defectus non à voluntate prouenit, sed à virium imbecillitate.

Lib 12. mor. c. 2. & l. 29. c. 5.

h *Eccl. 24. 29.*

2. Cor. 12. 9.

i *2. Cor. 8. 12.*

Haec omnia pericula mirificè interciduntur prudenti illo responso Iacob ad fratrem suum Esau, à quo inducebatur, vt simul pergerent, cui Iacob respondit: k *præcedat Dominus meus ante seruum suum, & ego sequar paulatim vestigia eius, sicut videro paruulos meos posse: donec veniam ad Dominum meum in Seir.* Quid hoc aliud est, nisi dici nobis, quod quamuis Iacob, qui est spiritus, sit promptus & cupidus sequendi fratrem suum maiorem, Christum scilicet Dominum Nostrum, vt propè ipsum pergat; eodemque passu, si esset possibile: cùm tamen aduertit, se ducere secum carnem infirmam, multosque paruulos, potentias scilicet, sensusque tenerrimos: necessarium existimat, illis se accommodare,


k *Gen. 33. 14.*

& illorum greſsibus : qui humani ſunt, non Angelici : ne in medio itinere deficiant. Progrediens enim hoc modo, & ita ſequens veſtigia ſui ducis, vt ſemper in eum oculos coniectos habeat : pedemque ſuum figat, vbi illum animaduertit ſuum fixiſſe, perueniet tandem ad excelſum perfectionis montem, in quo Ducem, ac Dominum ſuum aſſequetur, dulcique eius ſocietate fruetur, à quo partem etiam eius gloriæ accipiet. Et quemadmodum non ſolùm ipſe Iacob, qui fortis erat, ac robuſtus; ſed filioli quoque, qui & parui erant, & debiles, aſcenderunt illum montem, eo quod ad menſuram virium ſuarum ſunt progreſsi : ita qui feruentia habent deſideria, perfectè ſequendi Chriſtum : ſi prudenter & confidenter faciant, quod iuxta ſuam imbecillitatem poſſunt, non defraudabuntur à conſequendo eo, quod deſiderant. dicant ei potius cum ſponſa : l *trahe me poſt te curremus in odorem vnguentorum tuorum.* O Magiſter dulciſsime, non poſſum ſolus poſt te currere : mecum enim neceſſe eſt, & carnem, & potentias meas currere. trahe igitur me vehementi inſpiratione, quæ meum ſpiritum corroboret : & tunc omnes curremus, ſequentes odorem admirabilium tuorum exemplorum. Sed quoniam ad hoc iter conficiendum, & ad eius culmen perueniendum multa documēta ſunt neceſſaria, eorum ſummam colligemus in proximo capite.

l Cant. 1. 3.

CAPVT XIII.

ADMIRANDA QVAEDAM SPIRITVS Sancti documenta, ad excellenter creſcendum in virtutibus, cuiuſq; ſtatui accommodatis : in omni loco & tempore, proſpero, & aduerſo.



VONIAM Spiritus Sanctus, præcipuus eſt huius ſcientiæ myſticæ Magiſter, aliqua nobis dedit inſignia documenta, vt Sanctam ipſius inſpirationem ſequentes, in ea ſcientia proficiamus, quæ per os Dauidis nobis propoſuit dulciſsimis his verbis : a *Beatus vir, cuius eſt auxilium abs te : aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, in valle lachrymarum, in loco, in quo erat poſitus. etenim benedictionem dabit legiſlator : ibunt de virtute in virtutem : donec videatur* DEVS DEORVM *in Sion.* Satis apparet, cuius hæc ſint verba. vnumquodque enim docet ſuauiſsima conſilia, & quis ea non libenter audiat ? ſiquidem & principium, & finis eorum eſt beatitudo ? beatus eris in hac vita, ſi ea cum bono ſpiritu audiens, ſollicitè exequeris ; incipiens hinc delibare benedictiones dulcedinis,

a Pſa. 83. 6.

quas

quas legislator supremus largitur custodientibus eius legem. Neque est parua gratia, & beneficium, quòd in valle lachrymarũ inuenias deliciarum paradisum, si crescas (vt hic tibi dicitur) in virtutibus. Quamuis, postquam hic creueris, obtenturus sis secundam beatitudinem pleniorem, in clara scilicet visione Dei Deorum, quæ desideria satiat eorum, qui cum hac charitate eum vident. Qui autem sunt hi Dij, quorum ipse Deus appellatur, nisi Sancti, qui eminenter profecerunt in virtutibus; & hac via eò peruenerunt, vt essent Dij, non natura, sed gratia excellentissima, & participatione excellentiarum ipsiusmet Dei, per heroicam similitudinem? iuxta illud S. Ioannis b *cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est.* b 1. *Ioan* 3. 2

§. I.

Ratio ascensiones nostras & profectum cum diuino auxilio disponendi.

SI Scire velis, quomodo eas beatitudines consequi valeas: ad duo velut capita S. ipse Propheta eos modos reduxit: ad bonam scilicet delineationem ac dispositionem profectus nostri in virtute, & ad eius executionem. Quemadmodum enim architectus, volens aliquod palatium ędificare, primùm in mente sua fabricat ac disponit eius partes & habitationes, & ita statuit exequi, sicut cogitauit: sensim postea accedens ad executionem: Ita etiam in initio diei disponere debes in corde tuo, & ex eo toto, quę illa die, & quo modo sis facturus: vt crescere, multumque proficere valeas in illa die, statuens firmissimè, exequi quod decreuisti: in ipso verò diei decursu perges de virtute in virtutem, pro vt occasiones exercendi singulas occurrent. quæ executio ex eo maximè dependet, quòd ipsa resolutio matutina virilis fuerit, & efficax; quemadmodum in secundo Tractatu est explicatum.

1. Documentum. Ascensiones in corde suo, id est, ex toto corde disposuit. Ibunt de virtute in virtutem. *cap. 1. parag. 3 &c.*

Qvò verò id totum, firmius sit ac solidius, necesse est dispositionem illam, & constitutionem inniti auxilio Dei, ipsamque executionem benedictioni legislatoris. Si enim solis tuis viribus innitatur, irritum erit totum & inane: nec ad exitum perducetur. a *Nisi* enim *Dominus ædificauerit domum, in vanum laborant qui ædificant eam,* & qui proponunt, aut incipiunt eam ædificare: b *nec sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis: sed omnis sufficientia nostra ex Deo est.* Benè fundatus in hac veritate duo effugies extrema, quæ profectum impediunt: alterum præsumptionis vanæ, ac temerariæ, quæ boni propositi stabilitatem labefactat: alterum pusillanimitatis, quæ animum à proponendo deterret, multoq; magis ab executione. Quod si vtrumque faciendum est, innitendo viribus Omnipotentis, non est, cur timidior sis, ad magnas ascensiones, & augmenta proponenda, eademque

2. Documentum. Cuius est auxilium abs te: a *Psal.* 126. 1. b 2. *Cor.* 3. 5.

c Cant.8.1. aggredienda. & si c *innitaris dilecto tuo,* sicut sponsa, non cades: quia eius brachium est omnipotens, ipse te amat, cupitque, vt non cadas.

HINC prouenit, quod nulla tibi sit excusatio, si non crescas & proficias multum in virtute, quasi desit tibi facultas, aut vires, siue corporis, siue spiritus. *benedictionem* enim *dabit legislator*, qui est ipse Deus: qui dubio procul etiam copiosissimam dabit ad suam legem implendā cuicunq; volenti eam accipere; multoq; magis nunc in lege noua, quæ appellatur lex gratiæ, & imprimit in cordibus gratiam & fortitudinem sufficientē ad eam implendam, d Ioan.1.17. iuxta illud Ioannis: d *lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum.* Hic legislator dat tibi charitatem, & dilectionem, quæ fortis est, vt mors, ad destruendum quicquid impedierit obseruationem legis; teq; præuenit in benedictionibus dulcedinis, vt eo modo labores, quo possis coronam adipisci. Quod si tibi desunt vires corporis, ne tamen abijcias animum. Nam hoc augmentum, & profectus hic non fit viribus corporis, sed spiritus; quæ, cum illæ desunt, possunt crescere. ita enim Apostol. dixit: e *cum in-* e 2.Cor.12. 10. *firmor, tunc potens sum.* tunc enim ait Deus: *sufficit tibi gratia mea. Nam virtus* Cass. lib. 5. *in infirmitate perficitur.* Quod si desunt tibi eruditio, & scientiæ humanæ, ne c.7. propterea deficias. nam sine his potest disponi & obtineri profectus. Sicut f Ps.70.16. Dauid dicebat de se: f *quoniam non cognoui litteraturam, introibo in potentias Domini. Domine memorabor Iustitiæ tuæ solius.* confugias ad Omnipotentiam Domini, quæ potest, soletque efficere, vt, sine humana litteratura, obtineatur diuina. Ipse enim legislator scientiam tibi dabit, qua opus habebis, vt memor sis eius Iustitiæ, & Sanctitatis, vt in ea crescas.

OMNES itaque Ecclesiæ filij, viri & fœminæ, eruditi & idiotæ, sani & infirmi, fortes ac debiles, possunt, debentque disponere ascensionem & profectum in virtute: quem obtinebunt, si vt oportet, confidant, in auxilio & benedictione cęlestis legislatoris. Et quamuis hic Dauid solum nominet virum, cùm dicit: *beatus vir,* id tamen fecit, vt nos moneret, quod qui opus hoc aggredi velit, debeat esse animo virili & forti, qui etiam in tenero ac in- Serm.de ab- firmo corpore potest inueniri, ac propterea S. Basil. dicere consueuerat, in- dic. rerum. cipienti Deo seruire: *prabeto te virum,* & incipe robusto pectore innitendo potentiæ tui Creatoris, qui semper est promptus, etiam præuenire tuam industriam, auxilio suæ gratiæ. *O beatum virum, cuius est auxilium à te Domine!* beatum, quia est vir; habetque pectus, vt tam præclara facinora aggredi audeat. Sed beatiorem, quia tu eum præuenis tuis auxilijs, ad ea aggredienda. Præueniant me, Domine, tuæ inspirationes tem- g Psal.78.8 pestiuè; & g *citò anticipent nos misericordia tua,* sine quibus nihil, cum eis autem omnia potero.

§. 2. Per

§. 2.

Per quos gradus aſcenſiones fieri debeant in corde.

Generoso hoc corde diſpones *aſcenſiones* non vnam, ſed multas. *Aſcenſio* enim & profectus non debet eſſe in vnica tantum virtute; ſed in omnibus & in ſingulis, idque non ſolum per primum tantum aut ſecundum gradum, ſed per omnes gradus: neque id inordinatè & confusè, ſed ordinatè & aptè. a *res* enim, *quæ ſunt à Deo*, ait Apoſtolus, *ordinata ſunt*. & b *omnia noſtra*, ait idem Apoſtolus, *honeſtè & ſecundum ordinē fieri debent*. Non eſt aptus ordo, quòd Nouitij & Tyrones aſcēſiones diſponant, quę ſunt propriæ Perfectorum; nec ſæculares, Religioſorum; ſed quiſq; eas, quæ apto ordine ipſum cōcernunt: creſcendo primùm in mortificatione & virtutibus Nouitiorum: & poſtea in Perfectorum; primùm in vitæ Actiuæ virtutibus, & poſtea in Contemplatiuæ, *aſcendendo de virtute in virtutem*, & à minori ad maiorem; & à gradu minus perfecto ad perfectionem. Hunc enim ordinem ſeruat ipſa benedictio legiſlatoris; quæ eſt diuina eius inſpiratio, quæ nos iuuat in creſcendo: de qua dixit Chriſtus D. N. quod ſit ſicut c *ſementis, quam homo iacit in terram, & increſcit dum neſcit ille, vltro primùm herbam, deinde ſpicam, deinde plenum frumentum in ſpica* producens. Diuina enim inſpiratio, quæ in corde noſtro recipitur, ſemper nos impellit ad creſcendum, etiam nobis neſcientibus: ita vt, licèt creſcamus, non tamen id aduertamus, nec expedit, vt id videamus: ne inani gloria euaneſcamus. Nec tamen ſtatim producit plenum frumentum, & ſanctitatem perfectam, vt S. Gregor. aduertit; ſed primum herbam producit affectuum, teneraſque virtutes, proprias incipientium; adiuuans eos aſcendere & creſcere in eis, ſicut etiam in ipſis radicibus, vt profunda iaciantur fundamenta perfectionis.

1. Documentum. Aſcenſiones diſpoſuit. — a *Rom. 13. 1.* — b *1. Cor. 14. 40.* — c *Marc. 4. 26* — *Lib. 22. Moral. c. 14 & Homil. 15. in Ezech.*

Post herbam, producit ſpicam, ſiue culmum cum ſuis nodis & cuſpidibus ſurſum verſus, quia efficit opera præſtantiora, & cum intentione ſublimiori, nodiſq; maioris fortitudinis, & cuſpidibus maioris reſiſtentiæ contra infernales aues, quæ ſupra eas inſidere vellent. Vltimò producit frumentum in ipſa ſpica, impellens ad opera plena, integra, & perfecta cum ea abundantia & perfectione, quàm cuiuſque ſtatus requirit. Et in his omnibus pergit per gradus ſuos creſcendo, ipſumq; frumentum quotidie magis perficitur. Hoc itaq; ordine ac diſpoſitione aſcenſio & profectus eſt ſecurior: qui ſine eo eſſet valde periculoſus. Nolo (ait S. Bern.) repentè & ſtatim valde altè aſcendere, pedetentim volo proficere: magnus eſt ſaltus ac difficilis ab oſculo pedum Chriſti, ad quos me proijcio cum Magdalena, vt mea defleam peccata, ſtatim aſcendere ad oſculū oris, quod eſt propriū ſponſæ dilectiſſimæ ipſius Domini, non prius pertranſiens per oſculū manuum, imitationē, ſcil. eius operum & virtutum. Nolo ab vno ad alterum extremū tranſire, ne

Serm. 7. in Cant.

mihi eueniat, vt volens saltare plus quàm possum, & debeo; locum amittam, quem habebam; nec obtineam, quem intendebam, & ita priuer vtroque. O dilecte cordis mei, iacias in illud sementem tuæ diuinæ inspirationis, quæ ascendat & crescat per gradus, quo tu præscribis: ita tamen festinans per primos, vt citò perueniam ad vltimos.

4. Documentum. Ascensiones in corde suo. HVIC documento adiungendum est quartum, vt ascensiones disponãtur præcipuè in ipso tuo corde. Si enim opera tua facias, vt placeas hominibus, sicut hypocritæ, aut inanis gloriæ cupidi, non cresces per illa in corde tuo, sed ad summũ in alieno: in hominum scil. opinione & æstimatione. cor autẽ tuum manebit vacuũ omni profectu & augmento spirituali. Et quẽadmodum stultũ esset fortunas tuas exponere ædificando domũ in alieno fundo, cũ posses in proprio; esset enim labor inutilis: quia fundi Dominus posset ædificium deiicere: ita maior erit stultitia, cùm possis opera tua ædificare, & ita crescere in proprio corde, eo neglecto, attendere solùm vt in corde crescas & opinione aliorum, qui pro suo libitu hanc opinionem & amorem, quem propter illã erga te habent, mutare facilè possunt. ne multum cures, quid alij de te sentiant, modò tu facias, quod debes, quò crescas apud Deum: dicens cum S. Augustino: *senti de Augustino quicquid libet, sola me in oculis Dei conscientia non accuset.* quamuis non prohibemus, quin procures etiam crescere apud homines, quemadmodum de ipso Christo D. N. dictum est, quod *cresceret apud Deum & homines*: modò id proueniat ex profectu, quem intus feceris in corde tuo.

Lib contra Secundinum Manichæ. 1 tom 6.
Luc. 2, 52.

2. ET quoniam hic progressus fieri potest in duplici genere operum, interiorum scilicet, & exteriorum; & vtraq; sunt necessaria: præcipuè tamẽ studendum est, vt in interioribus crescas, quæ intra ipsum cor cuduntur, & oẽs possunt ea exercere semper, & vbique, & cum omni feruore & augmento, quod voluerint, iuxta gratiæ facultatem quam in se habent.

EXTERNA autem, neque omnia conueniunt omnibus; neque omnes possunt semper in eis crescere: vt quæ certam habeant mẽsuram ac limitem, quem transgredi non possint. modus enim & mensura seruanda est in pœnitentijs, ieiunijs, eleemosynis, orationibus vocalibus, & alijs externis operibus: ita ea cum discretione constituendo in singulos dies, vt in Aduentu & Quadragesima (vt ait Sanctus Leo Papa) liceat eisdem aliquid adiungere. Quamuis autem in his rebus, quò ad earum substantiam non crescas; potes tamen ac verè debes quotidiè crescere quò ad modum ea peragendi: dando operam, vt ille perfectior sit & eminentior: sic enim pluris fit à Deo Domino nostro: qui (vt ait Sanctus Gregorius) non tam munus respicit, quod offertur; quàm cordis affectum, cum quo id fit. Et quemadmodum fieri potest, vt imago aut effigies argentea nullam habeat proportionem, & sit deformis, lignea verò, aut in tela picta ad viuum referat exemplar: Ita in

Serm. 2 de Quadragesima.
Homil. 5 in Euangel.

oculis

oculis Dei, ſæpè opera, quæ quoad ſubſtantiam ſunt excellentia, adeò ſunt craſſa & deformia, vt ea nec acceptet, nec remuneret; contrà verò quæ ex natura & obiecto ſuo ſunt vilia, ex modo tamen quo fiunt, Deo ſunt gratiſſima: quemadmodum plus illi placuit c *vidua pauper, quæ duo æra minuta* c Luc. 21.3
miſit in gazophilacium: quàm Phariſæi, & alij diuites, qui ampliora munera offerebant, & poteſt eſſe, vt iuſtus quiſpiam plus apud Deum mereatur, terram fodiendo, quàm aliquis concionando: ſi ille intentiori amore, puriorique intentione id faciat. Quamobrem Deus iubet, vt f *iuſtè quod iuſtum* f Deut.16. 20.
eſt, perſequamur, modo videlicet iuſto valdeque perfecto. opus enim externum accipit ſuum valorem ab interno, quod eſt in corde.

Eodem tendit Sapientis admonitio, qua iubet nos ſcribere viuam Dei legem, charitatem ſcil. & obedientiam, g *in tabulis cordis noſtri*, memoria ſcilicet, intellectu, & voluntate: procurando, vt ipſa ſcriptura quotidie magis perficiatur, iuxta præcepta & conſilia eiuſdem legis, quæ ſunt in Sacris libris ſcripta. nec tamen gratis dicitur, vt eã ſcribamus; ſed vt intelligamus, quod quemadmodum, qui ſcribere diſcit, non omnes characteres ſimul format: hoc enim eſt proprium Typographorum; ſed ſingulos per ſe: & prius perfici ſolet in vno delineando, quàm in altero: ita licèt Deus Dominus noſter ſpeciali priuilegio imprimere ſolet vno actu virtutes præſtantiſſimas, ſicut impreſſit S. Ioanni Baptiſtæ in ventre matris eius, & Apoſtolis in die Pentecoſtes, & Saulo in ſua conuerſione: vt plurimum tamen iſtæ aſcenſiones obtinentur per partes, exercendo actus virtutum perfectè, hos poſt illos. 3. g Prou 3.3. Ierem.c.7.3.

Deniqve diligenter attende, ne te decipiat inſatiabilis diſcendi appetitus, qui oẽs ſuas aſcẽſiones, profectusq́; diſponit, nõ in toto corde, ſed in ſolo intellectu; deſiderans, creſcere in ſcientijs, & ratiocinationibus, ab vna in alterã, ſine vlla interruptione aſcendendo. Quamuis .n. non improbetur creſcere in cognitione, parum tamen illa valet, niſi creſcat etiã affectus. Ideò dixit S. Auguſt. quantò plus amaueris, tantò plus aſcendes; ac proinde, etſi plus ſcias, ſi tamen minus ames, minus aſcendes: *ſcientia* enim (ait Apoſtol.) *inflat, charitas verò ædificat*: quaſi diceret: ſolius ſcientiæ incrementum eſt tanquam hominis tumentis; charitatis verò, eſt ſolidum. Attende (inquit S. Bernard.) omnibus ineſſe magnum appetitum aſcendendi; ſed tu non audeas ſolum aſcendere ad montem ſcientiæ, vel ad montẽ poteſtatis: quia hi ſunt montes frigidi & ſicci, in quos non deſcendit ros cæli, neq; legiſlatoris benedictio: Aſcende itaque præcipuè in montem Sanctitatis, progrediendo non dico à ſcientia in ſcientiam, quod faciunt curioſi; nec à poteſtate in poteſtatẽ, quod faciũt ambitioſi; ſed *à virtute in virtutem*, quod faciunt Sancti. in huius enim montis cacumine videtur Devs Deorvm, cum in iſtorum aliorum montium cacumine, ipſius viſio potius amittatur. Nam deſiderantes inani- 4. In Pſal. 83. h 1.Cor.8.1. Serm 4. de aſcenſion.

ter esse sicut Dij in scientia aut potestate negligunt esse tales in sanctitate. At ego, Deus meus, quamuis ascendere cupiam in hac vita: non tamen alium
i Cant. 4. 6. i *montem* cogito, quàm *myrrhæ, & collem thuris*. tecum volo in montem Caluarium ascendere, & crescere quotidie in myrrha mortificationis; donec myrrham obtineam fragrantissimam & omnium selectissimam. Volo quoque in montem Thabor ascendere, qui est mons Orationis, & perfectionis:
k 2. Cor. 3. 18 ascendẽdo, quemadmodum Apostolus, k *à claritate in claritatem*, & à virtute in virtutem, donec transformer, & transfigurer in tuam diuinam imaginem, per imitationem perfectam.

§. 3.

De profectu in hac valle lachrymarum & laborum.

5 Documentum. MONERIS quoque, has ascensiones fieri debere *in valle lacrymarum*, qui locus est à Deo Domino nostro designatus omnib. mortalibus, vt in eo crescant in virtutibus, festinanter progredientes, quamdiu durat
a Ioan 9. 4. Eccl. 9. 10. lux huius vitæ, antequam veniat a *nox, in qua nemo potest operari*, nec mereri; nec inueniet, quod in terra sibi non comparauerit: quam terram appellat vallem lacrymarum; vt intelligas, verum profectum in virtutibus non fieri in valle voluptatum & deliciarum, sed in valle laborum & afflictionum,
b Iob. 28. 13. multisque effusis lacrymis ac gemitibus, b *Sapientia* diuina (ait Iob) *non inuenitur in terra suauiter viuentium*, seque in sensuum voluptatibus oblectantium, sed in terra eorum, qui seipsos mortificant, & cordis amaritudine abnegant, lacrymisque obtinent à Deo vires, quibus in altum ascendant. Non fuisset mirum, quòd Adamus creuisset in virtutibus, cùm viueret in paradiso voluptatis; nec mirum erit, si tu crescas, Deo te præueniente cum abundantia consolationum spiritualium: sed illud erit mirum, tibiq; est procurãdum, vt crescas etiam in valle lacrymarũ ac desolationum; & cùm videris, te quasi exulem & desertum à Deo, quo ad consolationem ac deuotionem sensibilem. Non est solida illa virtus, quæ solùm crescit irrigatione consolationum; vt autem fortis sit, crescere debet absque tali irrigatione, etiam in ariditate. sementis enim diuinæ inspirationis impellit nos (vt ait Salua-
c Marc. 4. 26 tor) ascendere, & c *crescere die ac nocte*: in prosperitate & aduersitate; in luce & in tenebris, cum consolatione & desolatione. Quod si decreueris etiam in tali desertione progredi & crescere, ascendens per desertum internæ huius solitudinis, innixus super misericordiam tui dilecti: adeò ille amore flagrat, vt suo tempore adfuturus sit cum magna cœlestium deliciarum copia, ita, vt progredi possis *delicijs affluens*. *Primum* quidem ascendes sicut virgula fumi igne laborum vltus, postea solatijs & consolationibus innixus. licet hæc duo tempora frequenter misceantur, sibique mutuo

succe-

succedant, sicut dies & noctes: vt in his crescas in radice humilitatis; in illis ascendas per stipites & ramos aliarum virtutum, iuxta illud Isaiæ: & d *mittet, quod saluatum fuerit radicem deorsum, & faciet fructum sursum.* d *Isai.* 37.31

QVOD si Deus te collocat in valle lacrymarum, quæ est vallis Achor, turbationis & afflictionis, id non est vt imminuaris, sed (vt ipse per Oseam dixit) vt renoueris, & redeas ad primos e *dies iuuentutis tuæ*; crescasque sicut in illis crescebas. Quomodo creuisset Ioseph, quod nomen significat *Accrescens*, nisi transiisset per multas afflictiones? Hæ illum promouerunt, vt esset tanquam Rex AEgypti, & à suis fratribus adoraretur, & ab ipsomet patre suo. Non ergo doleas, quod te videas in valle lacrymarum, in qua te Deus collocauit: id enim est signum, quod te destinauerit ad præclarissima merita, quæ hac dispositione ille exequitur. Ex quo fit, vt quando electis suis communicat donum Contemplationis, eos rapiendo quemadmodum S. Paulum ad tertium cælum; & ad paradisum, in quo experiantur diuinam suauitatem, mox tamen ostendit illis per experientiam, sicut eidem Apostolo, quàm multa oporteat eos pro nomine eius pati, permittens eos tribulari morbis, infamia, calumnijs, & varijs alijs persecutionibus, vt fructum colligant suæ Contemplationis, crescentes in omnibus gradibus patientiæ, donec gaudium in ipsis laboribus inueniant; & paradisum existiment deliciarum, quod ex voluntate Dei multa patiantur in hac valle lacrymarum, crescentibus etiam & ardentibus flammis amoris in medio aquarum multarum ac fluminum tribulationis, sicut suo loco est dictum. e *Oseæ* 2.15.

§. 4.

De progressu siue profectu in loco & statu, in quo Deus nos collocauit.

SED quoniam vallis hæc lacrymarum multa loca complectitur, profectus tuus esse debet *in loco, quem posuit*, & quem Deus tibi constituit; aut tu ex eius gratia elegisti. Loca huius vallis, sunt varij status Ecclesiæ, in quibus Deo seruiunt Sæculares, aut Coniugati: Ecclesiastici, aut Religiosi; variaque Cœnobia, & Domus Religiosæ; varia officia & ministeria in varijs mundi partibus, alij in vno loco, alij in alio. Tria itaque tibi hic commendantur, eaque magni momenti, ad finem, quem intendis. *Primum* est, si cupis ascendere & proficere, vt attendas, ne tuo arbitratu, propriaque voluntate locum eligas: sed vt ipsemet Deus sancta sua vocatione vocet te, & collocet in eo: quod si tu elegeris, ne id facias tuo solo consilio, & iuxta id quod appetitus tuus dictat: sed, præmissa matura cōsultatione, ac deliberatione: vt intelligas, eum locū, quem eligis, esse magis conformem Dei

6. Documentum.

1.

voluntati. Nam tunc non tu censeberis te in eo loco ponere, sed Deus, qui cùm sit supremus legislator, si te in isto loco, statu, & officio collocet, ipsemet dabit benedictionem suam, vt obligationes tuas impleas; ascendasq́; de virtute in virtutem, cum magnis progressionibus. quod si tu ipse te in isto loco constituas contra Dei voluntatem, non tenebitur ipse, vt ita loquamur, auxilium tibi præbere, quod desideras: vt in eo loco crescas, in quo ille te non posuit; nec ad ferenda onera, quæ ille non disposuit, aut ordinauit. potius tibi competet, quod ait Sapientia, a *Spuria vitulamina*, siue plan-
a Sap. 4. 3. tæ, quæ non sunt in proprio loco, *non dabunt radices altas, nec stabile firmamentum collocabunt: &, si in ramis in tempore germinauerint, infirmiter posita, à vento commouebuntur*: quia deest illis irrigatio propria: & ideò nec pacem, nec quietem inuenient in loco, quem elegerunt: quia non est legitimus, sed tanquam spurius, & ab eo procul, quem Deus illis decreuerat.

2. Quare, cùm Deus te in proprio loco collocauerit, operam dare debes, vt in eo crescas, iuxta leges & conditionem tui status. si sæcularis es, aut coniugatus, cresces in virtutibus, quæ sint coniugatis conformes: si es Religiosus, cresces in exercitijs illius status, tuæque Religionis proprijs: non te distrahendo ad ea, quæ sunt aliarum propria. Nam quemadmodum corpus hoc naturale habet multa membra cum varijs officijs in bonum totius corporis; & vnumquodq́; proprium suum locum habet, in quo crescat, augea-
1. Cor. 12. 12. tur, ac perficiatur: ita (ait Apostolus) corpus Mysticum Ecclesiæ, & proportione quadam etiam quælibet Respublica Christiana, ciuilis, Ecclesiastica, aut Religiosa diuersos habet status & officia, ad quæ Deus diuersos homines vocat, cuique tribuens statum & officium, quod magis illi conuenit: & in eo vult, illos crescere ac perfici, donec suæ vocationis finem consequantur: pergente vnoquoque per propria sui status exercitia: in quibus dabit illis pacem & quietem, suamque benedictionem, vt proficiant: extra quem locum, non quietem habebunt, sed cruciatum & dolorem, tanquam membrum luxatum, & à suo proprio loco amotum: quod neque sustentatur, neque crescit, aut proficit; sed affligit, & cruciat. Quod si ad aliquam vocationem veniens, volueris aliarum professionem procurare, amittes quam habes, & illas non obtinebis. Nam volens nimium com-
b Ephe. 4. 7. plecti, parum comprimes. nam, vt ait Apostolus, b *diuersæ sunt mensuræ*
1. Cor. 15. 41. *gratiæ*, quas Christus Dominus noster distribuit. nec dat omnes vni; vt quisque sua vtens, crescat in eius diuino conspectu. Quamobrem (vt monet
Colla. 14. c. 5. Cassianus) etsi admirari liceat præstantia & heroica facinora, quæ faciunt omnes Sancti, dum quisque suam professionem sequitur; non debes præsumere omnia externa imitari, quæ illi præstant: sed tuam curare perfectionem in loco, quem tibi Deus constituit. Quamuis autem omnia externa sanctorum imitari non liceat; satis tibi sit, internos affectus imitari, quos

habuerunt in externis: ex quibus ea tantum accipies quæ tuo statui sunt cōmoda.

Ne verò animum abijcias, si te Deus in loco inferiori collocauit; nec euanescas, si in altiori: attende, quod maior aut minor profectus non tam dependeat ex superiori aut inferiori loco, quàm ex maiori nostra diligentia, præuenta à maiori gratia, & copiosiori benedictione supremi legislatoris. Quare si in loco sis, statu, aut officio excellenti, sis verò tepidus, parum proficies: si autem sis in loco, statu, aut officio infimo, sis verò feruens ascendere potes, ac proficere plurimum. Quemadmodum Sapiens dixit: quod c *stellio manibus nitatur, & moretur in ædibus regijs*, & earum tecta conscendat. Sæpè (ait S. Gregorius) euenit, vt aues, quæ alas habent vt possint in cælum volare, circumuolent prope terram: suumque nidum in ea collocent: lacerta verò siue stellio alis destitutus solis manibus repens, ascendat ad locum altũ, ad quem aues illæ non ascenderunt. Sic etiam euenit sæpè, vt magni ingenij viri, magnæque eruditionis, in excelsis dignitatibus & officijs constituti, cũ eis donis ornati essent, vt ascendentes & crescentes in virtutibus, ad earum fastigium possent peruenire, ipsi repant super terram: permittentes, se à terrenis suis affectionibus trahi; non mortificantes erecta desideria & cogitationes: nec vel ad vnum gressum progredientes in sanctis suæ professionis exercitijs. contra verò alij cum paucis donis naturalibus, & qui statum & officium vile aliquod habent, innitentes non alis subtiliorum discursuum, sed manibus sanctarum operationum, ad excellentem ascendant perfectionem, & ad fastigium cœlestium palatiorum: charique euadant Regi ipsi cœlesti, & conuersationem suam habeant cum Angelis eius: defectum enim naturalium donorum, & status sui, supplent ipsi magna sua diligentia, continua mortificatione, atque obedientia, benignè à diuina gratia adiuta. Ne animum abijcias, eo quod vermem te & lacertum esse conspicias: d *quoniam pusillum & magnum Deus fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus*: & interdum abiectiores eligit, maioribusque fauoribus eos prosequitur, vt suæ misericordiæ magnitudinem clarius ostendat: humanaque fragilitas remotior sit à tribuendo sibi huiusmodi gratiam. Ora ergo supplex diuinum Spiritum, vt efficaci suæ inspirationis impulsu te moueat: nam eâ æquè citò & expeditè currit imbecillis, atque robustus: rudis, atque doctus, & qui parua habet talenta, atque qui habet magna: non enim sine causa *currum gloriæ* Dei trahebant quatuor animalia, quæ habebant quatuor facies, *hominis, aquilæ, leonis, & vituli*: & æquè bos ibi currebat, atque leo; & leo, atque aquila; & homo, atq; reliqua tria: quia omnia quatuor e *sequebantur impetum* vnius eiusdemque spiritus, qui vi magna ea impellebat. O spiritus diuine, à quo omnis Iustorum profectus dependet: visita me illustratione diuina, vt ita meas disponam ascensiones, sicut tu desideras. Impelle me diuinæ tuæ inspirationis

3.

c Prou. 30. 28. li. 6. mor. c. 5.

d Sap. 6. 8.

Eccl 49. 10

e Ezech. 1. 12

impetu, vt ita eas exequar, ficut tu iubes. tu fupple debiles naturæ meæ vires, cum benedictionibus dulcedinis, quæ à te procedunt: vt crefcens de virtute in virtutem, videam te clarè in fancta Sion.

§. 5.

Semper esse quærendum, quod sit perfectißimum.

7. Documentum. De virtute in virtutē. a 1. Cor. 12. 31. CONCLVDAMVS hæc monita præclaro hoc documento, vt oculos femper intendamus in id quod eft in vnaquaque virtute perfectifsimum; & quidem maiori conatu in eis, quæ funt excellentifsimæ: hoc enim eft *ire de virtute in virtutem*, vt venemur altifsimam: fequentes Apoftoli confilium dicentis, a *æmulamini charifmata meliora*, optimas fcilicet gratias, & excellentifsimas virtutes. Et quoniam omnium præftantifsima eft charitas, in qua reliquæ continentur, illa effe debet principalis fcopus noftræ intentionis, ad duo præcipuè attendendo.

1. PRIMVM, quòd vno eodemque opere pofsis crefcere fimul in multis virtutibus, fi illud induas affectibus earum. potes enim Eleemofynam facere cum proprio motiuo mifericordiæ; addere verò etiam motiua charitatis, obedientiæ, propriæ mortificationis, liberalitatis, fatisfactionis pro tuis peccatis, impetrationis diuinorum beneficiorum, & gratitudinis pro b Pfa. 44. 14 acceptis: exprimendo has intentiones quando Eleemofynam largiris. b *veftis* enim *filiæ Regis circumdata eft varietatibus*, non folùm propter operum, quæ præftat, fed propter admirandam affectuum varietatem, quos in fingu- c. 4. parag. 3. lis exercet. Ac propterea non folùm veftes Sacerdotales contextæ erant quatuor illis adeò illuftribus coloribus, quos fupra retulimus, hyacintho nimirum, purpura, cocco, & byffo: verum etiam campanulæ, & granata quæ pendebant ex fimbrijs eius, erant etiam ex eadem tela, cum admiranda hac varietate. Vnumquodque enim opus effe poteft inftar mali granati, præclarifsimis granis & affectibus pleni; cum cæleftibus motiuis in materijs omnium virtutum. quoniam diuinus Spiritus, à quo illa procedunt, c c Sap. 7. 22. *vnicus eft & multiplex*, qui in vno opere multa infpirat, quæ illud exornent, d Cant. 3 6 valdeque perficiant, & admirabile reddant, ita vt in fingulis d *afcendat in altum ficut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuerfi pulueris pigmentarij*. Vnico enim opere obedientiæ potes fimul crefcere in myrrha mortificationis, abnegando tuam voluntatem; & in thure Orationis, dirigendo illud, vt Deus te exaudiat; & in pulueribus pigmentarijs humilitatis, patientiæ, prudentiæ, & aliarum virtutum, quæ tanquam pulueres aliæ cum alijs commifcentur. Et hoc eft aptifsimum quoddam compendium, ad crefcendum, & proficiendum breui in omnibus virtutibus: impleturque mirificè, quòd ipfe Deus Dominus Nofter iubet, cùm di-

cit, vt dilectionis opus comitetur, corde, anima, spiritu,& omnibus viribus nostris. Deut.6 5.

Ex hoc oritur alterum, quod est attendendum: vt summa cura studeas implere consilium Ecclesiastici dicentis: e *in omnibus operibus tuis præcellens esto*: vt omnes scilicet sancta quadam æmulatione præcedere studeas; imò & teipsum, ita vt vnum opus aliud præcedat, sitque illo excellentius, quò f *teipsum eleues supra te*, & supra id, quod antea habebas; ita vt reipsa profeceris. Denique opera manuum tuarum sint, sicut diuini sponsi, cuius g *manus sunt tornatiles*, ob velocitatem & plenitudinem perfectionis; *aurea*, ob splendorem charitatis: *plena hyacinthis*, qui sunt pretiosi lapides, coloris cælestis, ob multitudinem motiuorum, & affectuum cælestium, qui illa comitantur, vt capite vndecimo est dictum. seligendo semper pretiosiores, iuxta Apostolum suadentem, vt h *probetis potiora*: ita vt non sis contentus bonis tantum aut mediocribus, sed ad potiora contendas, in quibus Deus magis glorificetur. siquidem ipse in tui gratiam non fuit contentus quibuscunque operibus, sed excellentissima adhibuit, quæ infinita eius sapientia potuit inuenire, immensa bonitas eligere, & omnipotentia exequi: quale fuit opus Incarnationis, & Redemptionis, & quod peragit quotidie in Sanctissimo Altaris Sacramento, quò tu crescas, & proficias in virtute. O Deus Omnipotens, præueniat me Omnipotentia tua, vt omnes vires meas ego exeram in singulis meis operibus, ita vt per ea crescam in sanctitate, multò verò magis crescat tua gloria inter homines, & Angelos in æternum, Amen.

2. c Eccl.33.23. f Thre.3.28 g Cant.5.14 h Phil.1.10.

CAPVT XIV.

CORDIS CVSTODIAM NECESSARIAM esse ad opera vitæ Contemplatiuæ: quæ etiam illud custodiunt prudentia & zelo puritatis: & quàm sit excellens hic fructus.



EX DOCVMENTIS in proximo capite positis, & ex alijs hactenus dictis de operibus vitæ Contemplatiuæ, eiusque fructibus, apparet satis, custodiam cordis esse veluti summam omnium dispositionum, quæ præcedunt & comitantur Orationem, & Contemplationem: cuius etiam est fructus præcipuus. Cùm enim omnes præcipuè exerceantur intra ipsum cor, vehementer propendent, ad illud custodiendũ, ne intus ingrediátur quatuor maxima impedimenta, quæ ipsum destruunt, culpæ sc. mordentes, affectiones inordinatę, turbationes molestæ, & Tract.1.c.3.

cogita-

cogitationes, siue imaginationes dissipatæ. quare meritò dixit Spiritus Sanctus. a *omni custodia serua cor tuum: quoniam ex ipso vita procedit.* insinuans, quod quemadmodum cor carnis principium est vitæ naturalis, qua viuim⁹: & propterea collocatum est à natura in medio ipsius corporis humani, vt ex omni parte maioribus custodijs, quàm reliqua corporis membra custodiretur: Ita etiam cor animæ, quod est eius intellectus, & liberum arbitrium, principium est vitæ spiritualis, quatenus ipsum consentit, & cooperatur cum Deo ad illam recipiendam, & augendam; & ab ipso procedunt omnia opera vtriusque vitæ, actiuæ scilicet, & Contemplatiuæ, & reliqua viuentia opera, quæ à reliquis exercentur potentijs. Quamobrem necesse est summa illud cura & vigilantia custodire, adhibendo ad eam custodiam omnes possibiles custodes, ad portas scilicet sensuum, & linguæ, per quas ingredi, aut exire aliquid potest, quód illud interimat. Si enim vel ad vnam solam portam custodiam adhibere negligas, fieri potest, vt Mors per illam ingrediatur. Considera, quàm sis sollicitus de custodiendis tuis fortunis, honore, salute, & vita corporis, & reliquis rebus, quæ ad te spectant, propterea quod tuæ sint. Totam ergo illam curam adhibere debes, & multò adhuc maiorem, circa custodiam cordis tui, quod magis est tuum, quàm reliqua omnia; magisq; pretiosum, tibique necessarium, quam quicquid est in vniuerso mundo. parum enim tibi prodesset, si totum mundum lucrareris, cor verò amitteres. Cor est repositorium, in quo reponit Deus inæstimabiles gratiæ, & charitatis suæ thesauros, donaq; pretiosissima Spiritus Sancti; & ineffabiles diuitias, quas Iesus Christus suo sanguine comparauit: & ipsemet Deus in illo tanquam in templo suo assistit. Quomodo ergo non erit æquum, vt idem repositorium summa cura custodias, ac vigiles in eius templi defensione. Attende autem, quod etsi tantæ sint in illo diuitiæ, illudque sit tot bonorum initium: sit tamen res tenuissima, & quæ facillimè frangatur omnium rerum quæ sunt in terra: eo quod voluerit Deus, vt ait Apostolus, tantum hunc b *thesaurum in vasis fictilibus ponere, vt sublimitas sit virtutis Dei*, magisque emineat magnitudo eius misericordiæ. Est tamen necessarium, vt crescat tua diligentia, in eius custodia, ne frangatur. si recollegisses (ait Sanctus Bernardus) guttas aliquot sanguinis, quem Christus Dominus noster in cruce effudit, quas in vasculo aliquo vitreo tecum gestares: cùm necesse esset, ad varia loca illud portare, quanta sollicitudine illud custodires, ne frangeretur? Quid autem est cor tuum, nisi quoddam Reliquiarium sanguinis IESV CHRISTI: in quo depositum est, quod ipse suo sanguine comparauit? quod cùm adeò sit vitreum, vt singulæ reculæ illud findant, frangant, & comminuant, necesse est omnem ei adhibere custodiam.

[Margin: a Prou. 4. 23. — 1. — 2. — 3. — 4. — b 2. Cor. 4. 7. — Serm. 3. de Aduen.]

ACCEDIT, quod innumeri hostes illud persequantur: alij inuisibiles, alij visibiles: alij domestici, qui intra proprias portas manent, quales sunt passiones appetituum & imaginationes sensuum internorum: alij externi, res scilicet huius vitæ iucundæ, quæ per externorum sensuum portas ingrediuntur, qui hostes omnes illud simul inuadunt, vt perturbent, & confringant, thesaurosque eius deprædentur. Præ omnibus autem hostes inuisibiles adeò sunt astuti, vt mille fraudibus se amicos mentiantur, quò liberiùs perniciem afferant: vt propterea omninò oporteat, omni custodia illud custodire; alioqui, vt dixit Oseas Propheta, c *fur ingressus spolians latrunculus foris:* interni scilicet externique hostes simul conuenient, vt omnia deprædentur, quæcunque habet, mortemque inferant infelicem. 5. c Ose. 7.1.

§. I.

Quos custodes Deus cordi adhibeat.

NE tamen existimes, propterea quod Deus iusserit te cor tuum custodire, te posse id propriis tantum tuis viribus præstare: ea enim esset arrogantia inanis: dignaque propter quam Deus te desereret: qui solus Omnipotenti sua virtute à tot hostibus potest illud ita custodire, vt nec furiæ internarum tentationum, nec fluctus externarum, illud summergant, aut corrumpant: sic enim ipse gloriatur apud Sanctum Iob, dicens: a *quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat quasi de vulua procedens: cùm ponerem nubem vestimentum eius, & caligine illud quasi pannis infantia obuoluerem? circumdedi illud terminis meis, & posui vectem, & ostia; & dixi: vsque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Quodnam est hoc mare, (ait Sanctus Gregorius) nisi cor nostrum furore turbatum, irâ amarum, superbiâ tumens, & obscurum fraude? quàm sit furiosum hoc mare, nullus intelligit, nisi qui experitur occultas tentationes, quas in corde patitur: siue quas ipsum mare naturâ suâ habet ob vicinitatem effrenium appetitionum; siue quas venti excitant, quos mittunt Dæmones Principes harum tenebrarum. Huic ergo mari Deus omnipotentiâ suâ & nullus alius ostia ponit: fluctus cogitationum ac desideriorum dissipatorum tanto imperio reprimens, vt statim atque illi dicit b *tace, obmutesce*, taceat & obmutescat, *cessent venti, & fiat tranquillitas magna*: ita vt præ admiratione dicamus: *quis est iste, quia ventus & mare obediunt ei.* Iste est noster Deus, cuius Sapientia nouit furentes inclinationes, in quibus hoc mare fuit conceptum in vtero suæ matris: quas inde exire volentes, reprimit omnipotentia sua, ne c *parturiat iniustitiam*, per consensum; nec *pariat iniquitatem* in executione. Iste DEVS est, qui illud induit nube ac nebula, tanquam pannis infantem inuoluit, dans illi fidei cognitionem, obscuram quidem, sed certam;

a Iob 38.8. Lib. 28. Mor. c 9. b Mar. 4 39 c Psal. 7 15

qua illud inuoluit,& intra terminos manere cogit: ne in errores dilabatur, aut sua sequatur deliria. Magnus hic Deus terminos, & limites suos ponit omnibus eius euentibus, prosperis,& aduersis; ne superbiâ insolescat, aut se pusillanimitate præcipitet. Hic denique Dominus ostia illi ponit, illud muniendo virtutibus, quæ passiones ac sensus reprimant,& moderentur: quibus ostiis vectem apponit charitatis, quæ vinculum est perfectionis; qua omnes virtutes sint securiores; ipsumque mare magis tranquillum,& tanquã in lecto quiescens, ob lac cœlestium consolationum. O magnitudo virtutis Dei! ô gratiæ diuinæ efficacitas admiranda! quis nisi tu Deus meus hanc feram intra limites posset continere, cùm sint eius prauæ inclinationes adeò antiquæ, earumque instigatores adeò assidui & potentes.

QVID verò dicam de custodia, quam huic adhibes cordi, postquam illud in tuum accepisti? respondeat dilecta tua sponsa, quæ experta,& admirata tuam prouidentiam, dicebat: d *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt, ex fortissimis Israel: omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi: vnusquisque ensis super femur suum, propter timores nocturnos*, O diuine Salomon, Rex verè pacifice, quàm ex animo cordis quietem, pacemque desideras, in quo cubas,& requiescis tanquam in proprio lecto: non es contentus curâ illâ illud custodiendi, quam per teipsum adhibes; sed vis quoque, vt illud circumstent, ac propugnent exercitus Angelorum, eius custodes, electi inter fortissimos cœli, qui diuinam tuam faciem vident: vigilantes semper, & parati, ad illud defendendum acutis gladiis, fortium suarum inspirationum; illudque præmunientes contra pericula, & aduersitates imminentes: imò vis, vt illud ambiant viri fortes, Ecclesiæ tuæ Sancti Patres, qui nos præcesserunt;& qui tuo nomine nunc gubernant: qui tum exemplis, tum verbis illud custodiant, animumque addant, vt tranquillitatem, & integritatem suam, absque aliqua turbatione, ac diuisione conseruet: etiam illud ambiunt,& custodiunt sexaginta fortes domus tuæ, heroicæ scilicet virtutes, ac dona, quæ ad eius defensionem, & securitatem illi communicasti: quia vnusquisque gladium suum habet, quo iugulat hostem: qui ipsum audeat molestare. Quid est perfecta castitas, nisi aliquis ex his fortibus, qui custodiunt cor, ne cogitationes, aut affectiones inhonestæ ad illud ingrediantur? statim enim atque apparere incipit appetitus aliquis sensualium delectationum, gladium arripit, quo est præcincta, illumque appetitum mortificat, negansque illi voluptates, quas appetit, illum prosternit: & quid est humilitas, & paupertas spiritus, nisi fortes domus tuæ, qui tuum lectum custodiunt, à vanis cupiditatibus, honoribus,& diuitiis, ensibusque suis caput illis amputant, prius quàm animam turbent? Et quæ sunt septem Spiritus Sancti dona, nisi septem fortes custodes, qui tanquam instrumenta Spiritus diuini, inspirationibus eius cor defendunt ab insultibus nostrorum

d Cant. 3. 7.
Greg. ibi.

hostiū? Quas gratias tibi reddā e *O supreme custos hominum*, ob tot custodias, quas adhibes cordi nostro, quod adeò illis opus habet? O Princeps pacis, omnes cœlestes hierarchiæ te benedicant, ob tot custodes constitutos, ad conseruandam pacem cordis, in quo tu habitas! O Rex pacifice, pacifica cor meum, vt digna sit habitatio tua: custodi illud paternâ tuâ prouidentiâ. f *nisi* enim *tu custodieris ciuitatem, frustra vigilant, qui custodiunt eam.* e *Iob. 7.20.* f *Psal. 126. 1*

§. 2.

Quod prudentia custodiat cor.

ETIAMSI Deus D.N. tot adhibuerit cordi nostro custodes, iubet tamen, vt omni custodia illud custodiamus: eius enim prouidentia nostram industriam ac diligentiam, non excludit: potiùs eâ vult ad eandem custodiam vti: ita vt neque tu possis illud custodire, nisi Deus sua prouidentia illud custodiat: neque Deus custodiet, nisi tu facias quod poteris ad illud diligenter custodiendum. Tuum est, orationibus ad Deum recurrere, vt illud custodiat; & ad Angelos custodes, vt solicitè munus suum præstent; & ad alios Dei ministros, vt suo quique officio in vigilando, te adiuuent. Tu quoque apponere debes cor tuum ad omnium virtutum exercitum, vt fideles sint custodes, singulæ ad eam partem, quæ illis est assignata: vt in promptu sint tibi, & ad vsum, quando te inuadent *timores nocturni*, & pericula peccatorum. duos verò præcipuè adhibebis custodes, in quibus reliqui continentur.

PRIMVS custos siue virtus est PRVDENTIA, cuius actus est consideratio practica, quæ vt supra diximus, omnia bona opera comitatur, cui ex officio incumbit, vigilare super cor, ne hostes ingrediantur, & spolient illud; & tanquam fidelis, ac solicitus vigil circumire: & mox atque hostis incipit apparere, signum dare: vt milites virtutum se accingant ad resistendū, ac repellendum illum; ne verò inter ipsos milites ordo turbetur, ipsa quoque illos dirigit, & tanqām fidelis dux gubernat, strenui Ducis munere fungens. Quamobrem magnus Antonius (vt refert Cassianus) hanc cęteris moralibus virtutibus præferebat, eam appellans *solem illuminantem, gubernatricem, dirigentem, & custodem defendentem.* illa, inquit, est oculus ille, de quo Saluator dixit: a *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.* Si enim prudentia officio suo benè fungatur, cor replebitur diuina claritate. & quamuis appelletur oculus, non tamen vnus est, sed plures, ob plures partes, quas habet; quæ illi vsui sunt, ad peruidenda præterita, præsentia, & futura: occulta, & publica; interna, & externa, vt omnium

Colla. 2. c. 2. & cap. 3. Omnium Virtutum generatrix, Custos, moderatrixq; discretio est. a *Matt. 6.22*

prouidentiam & circumspectionem habeat. & de quatuor Sanctis animalibus dicitur, quod b *plena essent oculis, antè, & retrò; & in circuitu, & intus*, vt prudenter omnes hostes obseruarent, qui antè aggrediuntur apertè; & eos, qui proditoriè retrò inuadunt, fingentes se amicos, ob speciem virtutis, quam præferunt: ad videndum quoque hostes, qui intus latent, vt ab omnibus cor tueatur ac defendat. Oculos habent retrò, ad aspicienda ea, quæ retrò reliquerunt, peccata scilicet vitæ præteritæ, vt ea detestentur, & fugiant: & pericula, in quibus fuerunt, vt cautiores euadant: & exempla Sanctorum, qui præcesserunt, vt ea in suum vsum conuertant. Habent etiam oculos antè ad præuidenda futura, virtutes scilicet, quæ sibi desunt, & quas curare debent, vt assequantur: gressus, per quos incedere debeant, absque offendiculo; exempla feruentium, qui in eodem itinere ipsos præcedunt: præmia quoque cœlestia, quæ sperant. Oculos etiam habent intus, vt cordis intentiones, affectusque examinent; & qui in parte animæ inferiori exurgunt, vt bonos à prauis discernant: & illis vtantur, hos verò reijciant. Hi oculi clarificantur in Oratione & Contemplatione; in eis enim impetratur lux, qua omnia ista cernant: & quamdiu hi oculi clari sunt, & vigiles, cor est benè custoditum; at, si illi infirmentur, aut claudantur, ac dormitent, omnia opera sunt obfuscata, & ipsum cor periculo expositum, ne spolietur ac destruatur. Euenit enim illi, quod Isboseth, Saulis filio: c *qui dormiebat super stratum suum meridie, & ostiaria domus purgans triticum obdormiuit, ingressi sunt autem duo eius hostes domum latenter assumentes spicas tritici, & percusserunt eum in inguine, & interfecerunt eum.* quæ est ista ostiaria, quæ triticum purgat (ait Sanct. Gregorius) nisi prudentia? cuius officium est cordis portas custodire, aperiendo eas ad bonum acceptandum: claudendo verò ad malum omne repellendum. Quamobrem semper intendit purgando tritico, separando illud à palea, & lolio; rectumque iudicium ferendo inter virtutem & vitium; recipiendo virtutem, tanquam granum colligens: vitium verò abijciens, tanquam paleam & lolium inutile. Quòd si hæc ostiaria defatigata, in executione sui officij obdormiat; Dæmones, qui non dormiunt, cor aggrediuntur, spicas auferunt, bona scilicet opera, & bonarum cogitationum fructus, & percutientes eum in inguine, impellentesque ad consensum carnalis alicuius voluptatis, vitam illi auferunt, diuinaque gratia spoliant. Sed accepit ille, quod meritus erat, eò quod ad custodiam domus fœminam adhibuerit, cùm virum potuisset. nam ad ostia cordis non est adhibenda custodia effœminata, & remissa: sed virilis, ac fortis, quæ nec præ ignauia dormiat: nec decipiatur præ ignorantia. Attende itaque quam adhibeas cordis tui custodiam, nisi velis aptari tibi nomen, & euentum infelicem Isboseth, qui filium cõfusionis significat.

b *Apocal.* 4. 6. 8.
S. Greg. Homil. 1. in Ezech.
c 2. Reg. 4. 5
Lib. 1. Mor. cap. 18.

Si enim

Si enim tibi desit prudentia, omni dubio procul à tuis hostibus confunderis, irrisus, & superatus. Memento, Christum D. suis discipulis dixisse: d *estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ*: sed attendite, ne sitis tanquam e *Ephraim columba seducta non habens cor*: eò quod inimici eius eam deceperint, & robur abstulerint. Coniungite itaq; huic simplicitati prudentiam serpentum, vt & cor custodire, & à deceptionibus immunes esse posſitis: Vtinam haberes prudentiam serpentum, qua visum clarificant, quando obfuscatur: adhibentes adhoc (vt ait S. Ambrosius) fænicu-lum, quo oculos fricant, vt reparentur: frica & tu, inungeq; f *oculos* prudentia, & *collyrio illo*, quod Christus D. N. tibi consulit, meditando scilicet sanctam eius legem; ruminando quæ iubet; & acceptando monita, quæ consulit, vt semper videas, quæ agenda tibi sunt, & nunquam obdormias. Esto etiam tam prudens in tuam vtilitatem, atq; sunt serpentes infernales in tuam perniciem: illi semper vigilant, cur tu dormis? illi te conantur decipere, vt cor ipsum deprædentur: cur tu sinis te decipi, sicut columba seducta? nec spiritum habes, vt cautior sis, fraudibusq; resistas?

d *Mat.* 10. 16.
e *Ose.* 7 11.
Lib. 6. *Exa-mer. c.* 4.
f *Apoc.* 3. 18.
S *Greg* 1 *p. Pastor. c.* 11.

§. 3.

Quod zelus puritatis custodiat cor.

NEc prudentia per se sola sufficiet ad cor plenè defendendum, nisi addas feruentem zelum puritatis, quæ res est pretiosiſsima, quam tuo spiritui posſis desiderare. illa enim est (vt ait Apostolus) a *finis præcepti*, illi CHRISTVS promittit b *visionem Dei*, quæ est sanctorum beatitudo in cœlo, & cuius etiam in hac terra participes esse possunt. Propter eam Christus Seruator noster mortuus est, c *vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam aut aliquid huiusmodi*. Illa (ait Casſianus) est scopus nostrorum omnium exercitiorum, cuius causa ieiunamus, oramus, nosq; ipsos mortificamus. Ex quo prouenit, vt inter filios charitatis, ad quam hæc puritas pertinet, strenuiſsimus sit Zelus: qui est affectus vehemens remouendi ac repellendi quicquid cordis puritati, perfectæq; cum Deo amicitiæ, & eius maiori gloriæ aduersatur. Hic Zelus animum addit sexaginta illis fortibus lectum ambientibus Salomonis, vt gladios suos arripiant, pugnentq; contra eius hostes, donec illos destruant. hic contemnit timores nocturnos, perq; omnes eos penetrans, eos fugat, qui causa eorum erant. hic robur addit castitati, reliquasq; virtutes exacuit, vt viriliter affectiones, & cogitationes mortificent, quæ ipsas à proprijs suis actibus retrahunt. Hic non patitur, vt vel ad momentum prudentia languescat, aut dormitet: sed magno feruore eam excitat, & exstimulat, vt, quid expediat, attendat: nec patiatur se ab honore, fortunis, sanitate, aut ipsa vita retardari. quò enim cordis puritatem conseruet, hæc

a 1. *Tim* 1. 5.
b *Matt.* 5. 8.
c *Ephes.* 5. 27.
Coll. 1. *c.* 5. & 7.
S. *Thom.* 1. 2. *q.* 28. *a.* 4.

prouidentiam & circumspectionem habeat. & de quatuor Sanctis animalibus dicitur, quod b *plena essent oculis, antè, & retrò; & in circuitu, & intus,* vt prudenter omnes hostes obseruarent, qui antè aggrediuntur apertè; & eos, qui proditoriè retrò inuadunt, fingentes se amicos, ob speciem virtutis, quam præferunt: ad videndum quoque hostes, qui intus latent, vt ab omnibus cor tueatur ac defendat. Oculos habent retrò, ad aspicienda ea, quæ retrò reliquerunt, peccata scilicet vitæ præteritæ, vt ea detestentur, & fugiant: & pericula, in quibus fuerunt, vt cautiores euadant: & exempla Sanctorum, qui præcesserunt, vt ea in suum vsum conuertant. Habent etiam oculos antè ad præuidenda futura, virtutes scilicet, quæ sibi desunt, & quas curare debent, vt assequantur: gressus, per quos incedere debeant, absque offendiculo; exempla feruentium, qui in eodem itinere ipsos præcedunt: præmia quoque cœlestia, quæ sperant. Oculos etiam habent intus, vt cordis intentiones, affectusque examinent; & qui in parte animæ inferiori exurgunt, vt bonos à prauis discernant: & illis vtantur, hos verò reijciant. Hi oculi clarificantur in Oratione & Contemplatione; in eis enim impetratur lux, qua omnia ista cernant: & quamdiu hi oculi clari sunt, & vigiles, cor est benè custoditum; at, si illi infirmentur, aut claudantur, ac dormitent, omnia opera sunt obfuscata, & ipsum cor periculo expositum, ne spolietur ac destruatur. Euenit enim illi, quod Isboseth, Saulis filio: c *qui dormiebat super stratum suum meridie, & ostiaria domus purgans triticum obdormiuit, ingressi sunt autem duo eius hostes domum latenter assumentes spicas tritici, & percusserunt eum in inguine, & interfecerunt eum.* quæ est ista ostiaria, quæ triticum purgat (ait Sanct. Gregorius) nisi prudentia? cuius officium est cordis portas custodire, aperiendo eas ad bonum acceptandum: claudendo verò ad malum omne repellendum. Quamobrem semper intendit purgando tritico, separando illud à palea, & lolio; rectumque iudicium ferendo inter virtutem & vitium; recipiendo virtutem, tanquam granum colligens: vitium verò abijciens, tanquam paleam & lolium inutile. Quòd si hæc ostiaria defatigata, in executione sui officij obdormiat; Dæmones, qui non dormiunt, cor aggrediuntur, spicas auferunt, bona scilicet opera, & bonarum cogitationum fructus, & percutientes eum in inguine, impellentesque ad consensum carnalis alicuius voluptatis, vitam illi auferunt, diuinaque gratia spoliant. Sed accepit ille, quod meritus erat, eò quod ad custodiam domus fœminam adhibuerit, cùm virum potuisset. nam ad ostia cordis non est adhibenda custodia effœminata, & remissa: sed virilis, ac fortis, quæ nec præ ignauia dormiat: nec decipiatur præ ignorantia. Attende itaque quam adhibeas cordis tui custodiam, nisi velis aptari tibi nomen, & euentum infelicem Isboseth, qui filium cōfusionis significat.

b Apocal. 4. 8. Greg. homil. 1. in Ezech.

c 2. Reg. 4. 5

Lib. 1. Mor. c. 18.

Si enim

Si enim tibi desit prudentia, omni dubio procul à tuis hostibus confunderis, irrisus, & superatus. Memento, Christum D. suis discipulis dixisse: d *estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ*: sed attendite, ne sitis tanquam e *Ephraim columba seducta non habens cor*: eò quod inimici eius eam deceperint, & robur abstulerint. Coniungite itaq; huic simplicitati prudentiam serpentum, vt & cor custodire, & à deceptionibus immunes esse posisitis: Vtinam haberes prudentiam serpentum, qua visum clarificant, quando obfuscatur: adhibentes adhoc (vt ait S. Ambrosius) fænicu-lum, quo oculos fricant, vt reparentur: frica & tu, inungeq; f *oculos* prudentia, & *collyrio illo*, quod Christus D. N. tibi consulit, meditando scilicet sanctam eius legem; ruminando quæ iubet; & acceptando monita, quæ consulit, vt semper videas, quæ agenda tibi sunt, & nunquam obdormias. Esto etiam tam prudens in tuam vtilitatem, atq; sunt serpentes infernales in tuam perniciem: illi semper vigilant, cur tu dormis? illi te conantur decipere, vt cor ipsum deprædentur: cur tu sinis te decipi, sicut columba seducta? nec spiritum habes, vt cautior sis, fraudibusq; resistas?

d Mat. 10. 16.
e Ose. 7 11.
Lib. 6. Examer. c. 4.
f Apoc. 3. 18.
S Greg. 1 p. Pastor. c. 11.

§. 3.

Quod zelus puritatis custodiat cor.

NEc prudentia per se sola sufficiet ad cor plenè defendendum, nisi addas feruentem zelum puritatis, quæ res est pretiosissima, quam tuo spiritui posis desiderare. illa enim est (vt ait Apostolus) a *finis præcepti*, illi CHRISTVS promittit b *visionem Dei*, quæ est sanctorum beatitudo in cœlo, & cuius etiam in hac terra participes esse possunt. Propter eam Christus Seruator noster mortuus est, c *vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam aut aliquid huiusmodi*. Illa (ait Cassianus) est scopus nostrorum omnium exercitiorum, cuius causa ieiunamus, oramus, nosq; ipsos mortificamus. Ex quo prouenit, vt inter filios charitatis, ad quam hæc puritas pertinet, strenuissimus sit Zelus: qui est affectus vehemens remouendi ac repellendi quicquid cordis puritati, perfectæq; cum Deo amicitiæ, & eius maiori gloriæ aduersatur. Hic Zelus animum addit sexaginta illis fortibus lectum ambientibus Salomonis, vt gladios suos arripiant, pugnentq; contra eius hostes, donec illos destruant. hic contemnit timores nocturnos, perq; omnes eos penetrans, eos fugat, qui causa eorum erant. hic robur addit castitati, reliquasq; virtutes exacuit, vt viriliter affectiones, & cogitationes mortificent, quæ ipsas à proprijs suis actibus retrahunt. Hic non patitur, vt vel ad momentum prudentia languescat, aut dormitet: sed magno feruore eam excitat, & extimulat, vt, quid expediat, attendat: nec patiatur se ab honore, fortunis, sanitate, aut ipsa vita retardari. quò enim cordis puritatem conseruet, hæc

a 1. Tim 1. 5.
b Matt. 5. 8.
c Ephes. 5. 27.
Coll. 1. c. 5. & 7.
S. Thom. 1. 2. q. 28. a. 4.

omnia conculcat. Estq; tantus eius feruor: vt,nisi eiusdem prudentiæ directioni adhæreret, limites excederet intolerabiliter. Vterq; tamen coniunctus (vt ait S.Bern.) summâ vigilantiâ cor nostrum custodiunt. Prudentia enim sine Zelo debilis esset ac remissa: Zelus sine prudentia esset valdè furiosus: cum verò sunt simul, prudentia moderatur Zelum: Zelus verò exstimulat Prudentiam. Hæc prodit hostem, docetq; rationem pugnandi, ac vincendi: Zelus eundem persequitur, & vsq; ad internecionem infestat. Non absq; causa Deus Dominus Noster ad custodiendum paradisum, & arborem vitæ,quæ in eo erat,constituit d *Cherubin*, quod significat scientiæ plenitudinem, & *flammeum gladium, atq; versatilem.* Sic nobis insinuans,ad custodiendum paradisum cordis nostri, à quo vita procedit, & in quo sapientia cœlestis consistit,quæ est e *lignum vitæ, ijs qui illam habent,* necessariam esse prudentiam per Cherubim significatam: & Zelum,per flammeum gladium. Nam neq; Cherubim absq; gladio sufficienter illum custodiret: neq; flammeus gladius adeò leuis, & versatilis, securus esset, nisi in manu Cherubin: sed vterq; simul mactè, & citò hostes prosternit, & mortificat cogitationes, & affectiones inordinatas perfecta mortificatione charitatis, quam supra extulimus. Neq; enim aliud est *flammeus gladius*, nisi Spiritus mortificationis, accensus igne amoris, & Zeli, ad vrendum, & consumendum,quicquid ipsi amori, vitæq; spirituali, quæ ab eo oritur, aduersatur. Et quemadmodum ignis clarificat, purificat, & mundat aurum: ita (ait S. Gregor. Nazianzenus) Zelus amoris clarificat prudentiam, vt videat,quid sit mortificandum: quod ipsum statim efficaciter ac suauiter mortificat: relinquens cor purum, tanquam aurum, quod fuit in catillo.

Serm. 23. & 49. in Cant. — *d Gen. 3.24* — *e Prou. 3.18.* — *Refert Climacus c. 28.*

2. NEC sine causa flammeus hic gladius dicitur *versatilis*, quod significat leuissimum & facillimum, vt agitetur: vt intelligas, nihil esse maioris momenti ad cordis custodiam,quàm velocitatem,& festinationem in resistendo statim hostibus, vt iugulentur, vrantur, ac mortificentur cogitationes, & affectiones inordinatæ, quæ exurgunt in anima: & eius sunt ingenij, vt, nisi mox intercidantur,crescãt,maioresq; spiritus sumant contra nos ipsos. nam licèt interdum sint de rebus paruis, nunquam tamen detrimentum est paruum, quod afferunt. Quamobrem S. Ioannes Climacus, vtens quadam comparatione humili, sed ad rem valdè acuta, ait. quod quemadmodum felis,magna attentione obseruat foramen,per quod est mus exiturus, & statim atq; exierit, magna festinatione illum inuadit, arripit, ac dentibus comminuit ob naturale odium,quo in eum fertur: In hunc modum, si cupias esse vir spiritualis,continuè tibi est vigilandum, vt oculis prudentiæ obserues malas phantasias, & pasiones, quæ prodeunt ex antris imaginationis, & sensualitatis:& quamprimum eas videris comparere, Sancto Zelo eas mortifica, & comminue, tanquam hostes tanti boni. Si enim id statim facere

Gradu 17.

dis-

dissimules, repente ascendent in cor, & murium instar rodent virtutes eius: idq; interdum, te non aduertente: iuxta illud Oseæ prophetæ, f *comederunt alieni robur eius, & ipse nescivit*, quod etiam Spiritus S. similitudine alia magis propria significauit, dicens: g *capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas.* Quæ sunt hæ vulpes paruæ, nisi imaginationes, & affectiones inordinatæ, quæ arte, & astutia cor inuadunt, roduntq; propagines virtutum, quæ in eo sunt plantatæ? Hæ autem difficilè capiuntur, eò quod paruæ sint, & astutè lateant: ingrediuntur enim tectæ laruâ, & pallio virtutis: idq; pedetentim, magnaq; dissimulatione. Sed quandoquidem Deus iubet eas capi, etiamsi minimæ sint, par est semper in promptu esse vtrumque venatorem, prudentiam scilicet & zelum. prudentiâ exacue tuum visum, vt eas cognoscas: Zelo verò festinanter accede, vt capias. Ne detineas te, colludendo cum musculo, aut vulpecula, oblectando te aspectu fœdæ imaginationis, aut passionis, & affectionis inordinatæ. Nam dum tu illam aspicis, illa rodit cor tuum: & quando decreueris capere, iam illa stragem ediderit. Quare, h *Beatus* (ait Dauid) *qui tenebit & allidet paruulos tuos ad petram.* Sunt enim fructus Babylonici, qui æternam nobis afferunt confusionem: nisi eorum capita ad petram, qui Christus est, efficacitate eius gratiæ allidamus.

f Oseæ 7. 9.

3.

g Cant. 2. 15. Origines ibidem. S. Bernardus Homil. 64.

h Ps. 136. 9.

4.

Sed quid est, quod Spiritus S. dixit: capite vulpeculas NOBIS, nunquid aliquod commodum Deo accedit ex hac captura? aut nobis aliqua vtilitas alia, quàm nostrum detrimentum euitare? O immensa cœlestis nostri Patris bonitas, qui suum reputat, quod est nostrum emolumentum! magna Deo accedit gloria ex hac venatione: quia non est nostrum opus, sed ipsius. Ille præcipuus est venator, ille prudentiæ nostræ oculos illuminat, vt vulpeculas nouerit: ipse Zelum dat, ad eas persequendas, & industriam auxiliumq; ad capiendas, priusquam animabus nostris noceant. Est verò adeò infinita eius bonitas, vt nunquam esset permissura, eas vulpeculas contra nos exurgere, nisi statuisset magna bona ex earum captura nobis largiri: pugnando enim contra eas, magis radicantur virtutes: ex earum astu augetur nostra prudentia: earum sagacitate, nostra cautela: earum importunitate nostra multiplicatur Oratio: earum molestia augetur patientia: & ex victoria de eis reportata confirmatur Spes, Charitas accenditur, & puritas magis elucet. Benedicta sit, Pater supreme, amabilis & dulcissima tua prouidentia, per quam ex hostibus adeo paruis, tanta elicis commoda. ne ergo fructum eius ego amittam, assiste mihi in custodia cordis mei: tantamq; puritatem in eo pone, vt me dignum faciat felici tuo aspectu. AMEN.

§. 4.

De alijs duobus cordis custodibus.

Serm. 29. paruor. PRAEDICTIS custodibus adiungere poteris duos alios comites ianitores, alterum appellat S. Bernardus *memoriam tuæ professionis*, Christianæ, Ecclesiasticæ, aut Religiosæ. qui ianitor statim atq; viderit vanitatem & malitiam cogitationis, zelosa quadam seueritate admoneat, ac reprehendat te dicens: Quid? talia ne tu Christianus cogitas? tu Sacerdos? tu Religiosus? non audis Isaiam Prophetam dicentem, a *princeps, quæ digna sunt principe, cogitabit*. Ergo & Christianus cogitare debet ea, quæ sunt Christiano digna: Sacerdos, & Religiosus ea, quæ sunt digna tali statu. quod si erubesceres talia cogitare apud homines, quomodo non erubescis eadem in tua conscientia gerere, quæ mille testibus præstet, teq; accusabit propter illa, coram ipso Deo? Sed præ omnibus efficacissimus ianitor est *memoria præsentiæ Dei*, quæ Orationem & Contemplationem comitatur, sicut prædictum est. Quemadmodum enim Angeli sunt fidelissimi nostri custodes: quia b *in cœlis semper vident faciem Patris* cœlestis: ita virtutes, quæ cum beneuola hac diuinæ præsentiæ visione coniunguntur, fidelissimè custodiunt cor nostrum: præcipuè verò prudentia plurimum clarescit lumine prodeunte ex vultu Dei, quem vt præsentem intuetur. Quemadmodum enim Sol lucidis suis radijs facit apparere minutissimas aeris atomos, quæ prius non deprehendebantur; ita prudentia, diuina hac luce illustrata, notat & aduertit omnes defectus, & imperfectiones, quæ cor nostrum lædere possunt: studetq; illud ab eis expedire, iuxta illud Dauidis de Iustis: c *Domine, in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die: & in iustitia tua exaltabuntur: quoniam gloria, & virtus eorum tu es, & in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum.* O fœlix progrediendi ratio, ex qua tot bona procedunt! Quod est lumen vultus Dei, nisi prudentia? non humana, sed diuina: quæ oritur ex familiaritate cum ipsomet Deo: & ex eo, quod ambulemus semper in eius præsentia. Quid autem hinc prouenit, nisi quod omnes res nostræ habeant suum esse, & splendorem in ipsomet Deo? in Deo est lætitia nostra, nostra Iustitia, gloria, & fortitudo nostra: in eius virtute zelus fit zelus Dei: eius enim præsentia animatus, gladium flammeum in manu arripiens mortificat, vritq; quicquid est Deo contrarium, & custodit cor mundum: vt digna sit solius Dei habitatio. O beatum cor, quod tales habes custodes! quid de te dicam, & cui te comparabo? videris mihi d *mons* ille Thabor *excelsus*, & separatus: in quo Christus gloriosus apparet in medio *Moysis & Eliæ*. in te enim est dulcis memoria præsentiæ Dei tui, simul cum prudentia Legislatoris Moysis, & Zelo feruentis Eliæ, cum quibus socijs in magna versaris quiete, & securitate. O Iesu dilecte,

a *Isa 32.8.*

1. b *Matt. 18. 10.*

c *Psal. 88. 16.*

d *Matt. 17 3.*

lecte, veni in cor meum cum Moyse & Elia, & fac in illo tria tabernacula: vt cum eo ex instituto habites. & omnes montem hunc custodiant, & vineam defendant: quietumq; & pacatum seruent hoc templum, ad Sancti tui nominis gloriam. Amen.

CAPVT XV.

CVSTODIAM QVINQVE SENSVVM, PERFECTAMQ; EORUM MORTIFICATIONEM ESSE NECESSARIAM AD CUSTODIAM CORDIS, BENEQ; HABENDAM ORATIONEM: EANDEM QUOQ; CUSTODIAM, ORATIONIS ESSE FRUCTUM AD SUAM PROPRIAM CONSERUATIONEM: PRÆCIPUÈ VERÒ EOSDEM SENSUS CUSTODIRE CASTITATEM, TEMPERANTIAM, & MODESTIAM.



MAXIMA damnorum pars, quæ cor nostrum patitur, intrare solet per portas quinq; sensuum externorum: de quib. dixit Ieremias, (quemadmodum S. Gregorius declarat) quod a *mors* culpæ volans *ascendat*, & per eos tanquam *per fenestras, ingressa domus nostras*, auferat vitam gratiæ cordi nostro: spolietq; virtutibus, quas habebat. cuius rei habemus testimonium magnum in prima nostra parente, quæ temerè aperuit hasce fenestras, infelix scilicet Eua, quæ cùm in statu innocentiæ benè clausas illas haberet virtute Iustitiæ originalis; abutens tamen libero suo arbitrio, aperuit sensim omnes quinq;. *Aures* enim aperuit, vt demulcentia verba serpentis audiret: *Oculos*, ad videndum prohibiti fructus pulchritudinem: *Manus*, ad eum contrectandum: *Odoratum*, ad eius odorem percipiendum: & *gustatum* deniq;, ad gustandum: & per hanc viam ingressa est mors in eius animam, quam originali iustitia, cæterisq; donis & gratijs, quæ illam comitabantur, spoliauit. & eisdem gressibus lapsus quoq; est ipse Adam: à quibus nos originalem culpam contrahimus: & peruersam inclinationem, ad portas sensuum nostrorum patentes habendas, per quas, actualis culpæ morte ingrediente, facimus iacturam gratiæ, & charitatis, cæterarumq; virtutum, quæ illam sequuntur: serpente interim infernali triumphum agente de filiis, sicut egerat de parentibus. Neq; enim aliud est anima absq; custodia sensuum, quàm ciuitas absq; muro: domus absq; ostio: hortus absq; aggere, aut sepe, quam facilè hostes transiliunt, fures deprædantur, & conculcatur à feris. Et quoniam dæmones sunt hostes crudelissimi, feri latrones, & bestiæ furentes: statim atq; aditum in pauperem animam inueniunt, eam destruunt, spoliant, & confringunt, quicquid in ea pretio-

a Iere 9. 21.
Lib. 21. Mor c. 2.
S. Ieron. ibi. 1.
Gen 3. 2.

ſum eſt. Ad quod perficiendum magno auxilio ſunt illis res oẽs huius mundi ſpectabiles, q̃ cõtinuè ſagittarũ inſtar, iaciũt ex ſe ſpecies, imagines, aut figuras ſuas & ſtatim atq; ſenſuũ portas patere aduertunt, nullo reſiſtente, per eas ingrediuntur. Ad quarũ ingreſſum, tota animæ domus ꝑturbatur, & quies cordis tollitur. Nã ſtatim appetitus, vehementes ſuas paſsiones proferunt: imaginandi potentia ſuas incompoſitas imaginationes: memoria ipſa varijs repletur cogitationibus: voluntas innumerabilibus affectionibus, ita vt miſera anima non ſit in ſeipſa, ſed in rebus illis, quarum figuras accepit, quæ tanquam latrones, vehementi quadam dulcedine rapiunt ad ſe attentionem ſpiritus cordiſq; affectionem, vt de eis cogitet, & oblectetur. Quamobrem
Thren. 3. dixit Ierem. b *oculus meus deprædatus eſt animam meam:* quam poſuit in re illa delectabili, quam viderat. & eodem modo licet dicere, quod auris, odoratus, guſtatus & tactus deprædantur animam, transferentes eam cogitatione & amore inordinato in res, quæ ſenſum ipſum recreant. Ex quo oritur, vt ipſam etiam orationem, deuotionem, reliquoſq; pios vitæ contemplatiuæ affectus, nobis auferant: qui obtineri non poſſunt, niſi anima ſit in ſeipſa, habitetq; in corde ſuo: neq; enim poterit ſe leuare ſupra ſe, qui eſt extra ſe.
Iſa. 33 15. Quamobrem dixit Iſa. c *qui obturat aures ſuas ne audiat ſanguinem* ſiue iniuſtitiam, *& claudit oculos ſuos, ne videat malum, iſte in excelſis habitabit, & Regẽ in decore ſuo videbunt oculi eius:* id tibi ſignificans, ſi clauſeris oculos, aureſq; corporis, rebus terrenis, Deum aperturum tibi oculos, & aures animæ, vt percipias res cœleſtes: & ſi mortifices externos ſenſus, eleuaberis ad altitudinem contemplationis per ſenſus internos. Contra verò, ſi habenas laxes ſenſibus carnis, magnam iacturam facies in ſenſibus ſpiritus: non habitabis in excelſis cœli, ſed in profundis terræ; non videbis Regem in decore ſuo, ſed in ira ſua: quando ſedebit in throno iuſtitiæ ſuæ ad puniendam libertatem ſenſuum, qui præcepta diuina conculcarunt.

3. SED quomodo aſcendes ad excelſa perfectionis, etiamſi multum labores
Agg. 1. 6. in conquirendis ſpiritualibus diuitijs, ſi (vt Aggæus propheta dixit) eas d *mittas in ſacculum pertuſum?* Quid enim eſt cor abſq; ſenſuum cuſtodia, niſi ſacculus per quinq; partes pertuſus: per quas, quicquid acquirit, emittit? Non poteris conſeruare liquorem deuotionis, ſi vaſculum non habeat operculum, aut ſit foraminibus plenum. & quoniam Deus pretioſum hunc liquorem magni facit, non vult illum in huiuſmodi vas infundere, nec cordi adeò perforato communicare, ne liquor pereat. ad hoc enim ſignificandũ
Num. 19. e *immundum* reputabat vſui in templo ſuo *vas, quod non haberet operculum, nec ligaturam deſuper:* eò quod neceſſe eſſet, multas immunditias aut pulueres recipere, qui liquorem inficerent: aut ipſum liquorem amittere ſuum odorem, ſi vas non eſſet coopertum: multò ergo minus volet Deus vti corde

tuo,

tuo, nisi des operam, vt sensus tuos occludas per quos aut magnæ immundiciæ grauium peccatorum, aut multi pulueres leuium, ingredientur: & spiritus ipse euaporabit, & euanescet propter illa.

DENIQVE f *sensus & cogitatio humani cordis* (vt ait Scriptura) *in malum prona sunt ab adolescentia sua*, grauiterq; ferunt, delicijs suis carere: intra ipsum enim hominem habitant inimici domestici, passiones scilicet. Et quoniam istæ feræ non possunt pati, se adeò, artè inclusas contineri, semper cor solicitant, vt eas spatiatum dimittat, ad res huius vitæ delectabiles; & ita quasi per vim illud è domo expellunt, coguntq; exire, ad videndas res pulchras, & sonos audiendos iucundos, ad suaues odores percipiendos, sapores dulces degustandos, molliaq; contrectanda: non curans, quod illa sint lege prohibita. illæ enim nullam aliam legem agnoscere volunt, quàm solius carnis. & quoniam canina fame, & insatiabili siti deliciarum laborant, g *non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur*; nec odoratus, gustatus, aut tactus delicijs saturantur. quod si ad aliquod breue tempus fortè saturentur: redit iterum earundem deliciarum fames, & sitis: cum maiori impetu & anxietate. Quamobrem ait S. Basilius, voluptatem sensualem esse instar fontis cuiusdam copiosissimi, ex carne nostra fluentis: qui per quinq; epistomia valdè latè diffunditur, per quinq; scilicet sensus: effundens se ad res huius vitæ delectabiles, quæ sunt eius obiectum. Et quemadmodum torrens, quando valdè exundat, rapit secum quicquid occurrit, admixtum sordibus & luto, quæ accedunt: ita furens appetitus voluptatis rapit rem quamcunque delectabilem occurrentem; eademq; furia redit eò vnde exiuerat, trahens illam secum ad cor; simulq; multum nutrimenti culparum: quia delectatur cogitando de ea, eam amando, secumq; iuxta carnis appetitum coniungendo.

4. f Gen. 8. 21.

g Eccl. 1. 8

Lib. de vera Virginit.

§. I.

De sensuum mortificatione.

EX quo fit, vt nullum supersit remedium tot mala euadendi, nisi fontem ipsum exsiccando, & epistomia occludendo: mortificando videl. magno animi conatu appetitum voluptatum, portasq; sensuum obserando: & negando illis, quod appetunt: eorum enim impetus non retunditur, si eis condescendas: nec eorum fames & sitis extinguitur, si concedas quod petunt: potius, ita crescet & insolescet. quare si vincendi & subijciendi sunt sensus, id fiet, negando illis suos appetitus & desideria. Nam, vt præclarè idem S. voluptas sensuum similis est serpenti hydræ, de qua confingunt Poetæ, quod esset in lacu sordido cũ summa feritate, & haberet multa capita: quorum si vnum amputaretur, tria oriebantur. quòd si parti, ex qua fuit

In fine lib.

amputatum, cauterium ignis adhiberetur: illa manebat extincta. Talis est voluptas sensuum, bestia fera, & crudelis: habitans in carne sordida & lutosa, cum quinq; capitibus, quæ sunt appetitus deliciarum in quinq; sensibus siti. qui, etsi tantum sint quinq; in specie, innumera tamen capita ex eisdem nascuntur: quia sine numero sunt fames & cupiditates rerum delectabiliũ, quas quisq; eorum habet: quæ duobus modis iugulari possunt, & extingui: aut dando illis quicquid petunt, ac desiderant: sic enim videtur extingui fames, & satiari cupiditas, & satisfieri appetitui: sed hæc mors adeò breui tempore perdurat, vt mox reuiuiscant: & pro vna cupiditate reuiuiscunt tres: augeturq; fames & sitis recentium deliciarum. Quemadmodum ait Salomon de eo, qui multo vino se inebriauit, iuitq; dormitum, dicens: a *quando evigilabo, & rursus vina reperiam?* vt me videlicet iterum inebriem: b *ignis* enim cupiditatis *nunquam dicit, sufficit*; sed potius noua ligna requirit, quibus alatur. Quare, si vis, vt ista capita intereant, id alio mortis genere perficies: adurendo scilicet illas cauterio mortificationis & negando illis, quidquid appetunt. Quod si cauterium sit ignis, cum mortificatione amoris, magis radicitus extirpabuntur. c *dilectio* enim diuina *fortis est, vt mors*, adeoq; *dura* in eos, quos occidit, vt eos *sepeliat* ac dissoluat, quemadmodum cadauer consumitur in sepulchro, sicut supra est declaratum. Hic est gladius igneus, quem habet in manu sua zelus puritatis, qui (vt proximo capite est dictum) custos est cordis, & similiter sensuum: quo secat, crematq; quinq; horum capitum voluptates, ne ad cor vsq; penetrent. Si itaq; velis has portas optimè custoditas, adhibe hunc ianitorem, addendo illi sociam & ducem prudentiam: vt hæc doceat, quando portæ sint aperiendæ: siquidem clausæ semper esse non possunt; quando verò sint occludendæ: quia non decet semper esse apertas. Zelus verò puritatis fidelis erit executor, claudendo illas in tempore, & resistendo cuicunq; volenti eas aperire contra dictamen prudentiæ. Sed quoniam hic zelus est virtus valdè generalis, constituit diuina sapientia Speciales virtutes, quibus incumbat cura, sensum aliquem præcipuè custodiendi, obiter tamen reliquos: quatenus cum illo connexionem aliquam habent. Has itaque virtutes debes adhibere custodes, dando operam, vt eas perfectissimè consequaris.

a Prou. 23. 5.
b cap. 30. 6.
c Cant. 8. 6
Tract. 2. c. 4. parag. 3.

§. 2.

Castitatem custodire sensum tactus, & reliquos.

CASTITATIS imprimis officium est, custodire cor à voluptatibus, quæ afficiunt sensum tactus: qui copiosissima est & obscœnissima scaturigo omnium quinq; sensuum. eò quod per totum corpus sit sparsus, licet vehementius in vno loco, quàm in alio: cuius causa homo comparatur

ratur illi monstro, quod antiqui Hypocentaurum appellarunt. cuius medietas ad ventrem vsque erat hominis, altera verò equi: vt significarent, hominem esse compositum ex anima rationali, & carne bestiali; quæ magna furia ad bestiales voluptates impellat, a *hinniens* (vt ait Ieremias) *ad vxorem proximi sui.* Sensus hic Tactus (ait S. Basilius) est perniciosissimus omnium, blandus, & crudelis aliorum solicitator; vt noxias suas voluptates quisque quærat: quo ipse suis frui posit. Gustatus est maximus irritator, ignis luxuriæ: qui instigat ad vina delibanda, cibosque quærendos, rebus illis conditos, quæ eandem prouocent. Visus est præcursor & paranymphus huius coniugij, inter hoc vitium & carnem: vt plurimū enim ille præcedit, viamque aperit, vt illud ingrediatur. Quamobrem dixit Ecclesiasticus: b *ne circumspicias speciem mulieris: propter eam enim multi perierunt. ex hoc enim concupiscentia quasi ignis exardescit.* Quemadmodum exarsit in Dauide, quando aspexit Bethsabee: c *oculus* enim *eius deprædatus est animum illius.* Ideo dicebat quidam sapiens: primos globos & sagittas libidinis ingredi per oculos: secundas verò per aures, cum audiunt verba blanda & turpia. Sed primæ sunt vehementiores, quia libidinis voluptas quando oculis cernitur, maiori violentia cor ipsum rapit.

a *Ierem.* 5

b *Eccl.* 9. 9

c *Thre* 3. 5 *Ex S. Isidoi lib.* 2. *de sum. bon.* c 39.

Ad hos itaque effrenes voluptatum adeò fœdarum appetitus reprimendos, magnam vim habet virtus Castitatis, quæ vnus est d *ex fortib.* illis *Sexaginta, qui ambiunt lectum Salomonis, tenentes vnusquisque ensem super femur suum propter timores nocturnos.* hæc enim pugnatrix fortissima virili animo custodit cor, tanquam lectum, in quo Christus D. quiescit: illudque defendit ab omnibus cogitationibus, & affectibus inhonestis, vt thalamum illum sine vlla macula conseruet: ita vt in eo nulla admittatur immunditia, aut spirituale adulterium cum iniuria legitimi nostrarum animarum sponsi, cui se tradidit. Quamobrem habet semper *ensem super femur suum,* quo mortificet omnes sensuales tactus delectationes: faciatq; castum in omnibus suis tactibus: ita vt nihil tangat, ex quo detrimentum aliquod patiatur puritas corporis & animæ, satis conscia, quod ferro pulsante silicem, facilè exsiliant scintillæ, quæ fomentum accendunt, magnamque postea flammam excitēt: & in quacunque parte corpus serpentis tangatur, caput eius eò statim se cōuertit, vt mordeat tangentem. ac propterea cautissimè cauet alienam carnem tangere, ne propria vratur: & serpentina luxuria mordeat, venenoque suo inficiat. Nec satis sibi existimat esse, quòd blanda non tangat: sed affligit quoque suum tactum duris & asperis rebus: & ipsamet proprio gladio se cruciat, & affligit, vt à periculo sit remotior, ac securior. Quamobrem dixit S. Hier. castitatem benè custoditam habere suum martyrium: non quidem adeò crudele, atque est sanguinis; sed prolixius tamen, & interdum non minus difficile.

d *Cant.* 3. 7

Epist. ad Demetriad

In eum finem custodit etiam pudicitia reliquos sensus, eos refrenat, propriisque delectationibus priuat. *gustatum* & *odoratum* coercet, efficiendo, vt abstineant ab omnibus, quæ prouocant ad lasciuiam. seruat *visum*, quia e pepigit sicut Iob, *fœdus cum oculis suis*, ne videat *virginem*, vt nec de illa *cogitet*. Siquidem, S. Gregorio teste, non est tutum aspicere, quod non licet desiderare. Et, vt S. August. dixit, non se mutuo ferunt animus castus, & oculi lasciui. *Auditum* custodit claudens illum, ne quid audiat quod interius perturbet. verba enim lasciua generant in corde pugnas tentationum: quas etsi ratio repellat, & lingua reprehendat, magno tamen labore vincitur interius, quod exteriùs est auditum. Pauci enim sunt, qui sicut Loth viuant in Sodomis, f *cruciati in visu & auditu*, quin eius igne vrantur. Eodem modo custodit linguam, ita illam refrenans, vt non loquatur, quæ nollet audire: sed Apostoli consilium sequatur, dicentis: g *fornicatio & omnis immunditia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos*, quorum verba sunt sancta. In hunc modum castitas, sensus efficit castos: iuxta illud S. Basilij, virgo sit virginis auditus, & visus, & gustus, & tactus, motusque omnis: iugulando quicquid à verâ virginitate degenerat.

e *Iob* 31 1.
Lib. 21. *Moral. c.* 6.
in Reg c. 11. *& refertur.* 32. *q.* 5. *c. non solo.*
S. Greg. lib. 7. *c.* 6.
f 2. *Pet.* 2. 8
g *Ephes* 5. 3.
Lib. de vera virgin.

Nec vacat mysterio, quod cœlestis hæc bellatrix h *ensem habeat super femur suum*, manuque apprehensum, *propter timores nocturnos*: benè sibi conscia, quod non solum habeat hostes manifestos, sed etiam occultos, qui noctu dissimulanter ingrediuntur, ne agnoscantur: tectique pallio amoris spiritualis decipiunt, carnalem ingerentes. & præterea non solum in die, vigilansque oppugnatur: sed noctu etiam, ac dormiens: vt, quod hostes, ipsa dormiente, seminarunt, producat prauum suum fructum, cum fuerit excitata: i *alligantes Samsonem dormientem*, vt videant, num excitatus *rumpere possit vincula*. Castitas autem & pudicitia nunquam dormit, nec fidit sanctitati exterius & in cortice tantum apparenti, ideoque omnia præuenit, ensemque super femur suum habet, vt contra quemcunque hostem pugnet, quocunq; tempore fuerit inuasa. Quod si inuasor sit persona ipsi adeò necessaria, adeoque chara, sicut manus, aut oculus dexter, non dubitat Seruatoris nostri consilium sequens, gladio suo illum k *eruere, & abscindere & à se proÿcere*, vt suæ consulat puritati. O castitas fortissima, quæ tyrannam illam iugulas, quæ l *multos vulneratos deiecit, & à qua fortissimi quique* Ecclesiæ *interfecti sunt*, eò quod te custodem non adhibuerint; hostis illa tua triumphum de Samsone egit, Dauidem vicit, prostrauit Salomonem, quam tu fortitudine tua vincis, semper succincta ambiens thalamum tuum, ensemque vibrans diu noctuque: reliquos etiam milites custodes inuocans, qui sunt Angeli cœlestes: vt se tibi adiungant, quos ipsa in terra imitaris: ipseque Angelorũ Dominus tibi præsto est, ad custodiendum lectum cordis tui: quia in pulchritudine tua valde illi sibi complacet. O castarum animarum Sponse, cu-

h *Cant.* 3. 8.
i *Iudic.* 16 9
k *Matt.* 5. 29
l *Prou.* 7. 26.

ſtodi tu ſenſus meos, vt nihil per eos ingrediatur, quod meum cor maculet aut perturbet: claude tu illos tuæ protectionis claue, ne vel internæ paſsiones, vel res externæ eos aperiant, cum puritatis & Sanctitatis detrimento.

§. 3.

Quod Temperantia guſtatum, ſenſuſq; reliquos cuſtodiat.

VIRTVS Temperantiæ rectà cuſtodit ſenſum guſtatus: qui à ſuis voluptatibus irritatus effrenis eſſe ſolet, aut in quantitate ciborum, ſumẽs plus, quàm opus ſit: aut in qualitate, cõcupiſcendo delicatiores, quàm ipſa ratio exigat: aut in tempore, horam præueniendo: aut in numero, ſæpius ex guloſitate comedendo: aut in ipſo modo, effrenatè eos ſumendo. Ex quo prouenit, vt gula, teſte S. Ioanne Climaco, ſit inſtar fontis multorum canalium, cuius hoc eſt ingenium, vt ſi canalis vnus, aut epiſtomium obturetur, totam aquam per aliud dimittat. Nam, qui hac via conſequi non poteſt concupitas delicias, mox quærit multas alias, per quas illas obtineat: quas ſi aſſequatur, cedet in proprium ipſius detrimentum: voluptas enim gulæ, quemadmodum luxuriæ licet a *blandè ingrediatur, ſicut vinum* ſuauiſsimum, *in nouiſsimo tamen* (vt ait Sapiens) *mordebit vt coluber, & ſicut regulus venena diffundet*: b *cuius dulcedo* (vt ait S. Iob.) verè ſunt *vermes*: rodunt enim, mordent, & impiè dilacerant: fortunas conſumunt inſenſibiliter tanquam tinea: rodunt famam, & honorem, tanquam caries: ſanitatem lædunt & vires eneruant, tanquam eruca: ſed adhuc terribilior eſt vermis animæ, quam mordet, pungit, cruciatque anxietatibus conſcientiæque remorſibus: terroribus diuini iudicij, illiuſque c *vermis, qui* ſemper mordet, & *nunquam moritur*: illiuſque *ignis, qui*, cùm ſemper vrat, *nunquam* conſumit, aut *extinguitur*. quę omnia tolerat abſque vllâ verâ cœleſti conſolatione. Nam (vt S. Bernardus ait) deliciæ ſpiritus non miſcentur voluptatibus carnis: nec vult Deus pretioſum conſolationum cœleſtium liquorem infundere cordi culpis vitiato, quæ ex carnis voluptatibus proueniunt.

a *Prou.* 23. 31.
b *Iob.* 24. 20.
c *Mar.* 9. 47.
Serm. 3. *de aſcenſ.*

EX his intelliges excellentiam & neceſsitatem virtutis temperantiæ, cuius eſt hunc ſenſum cuſtodire, gulam mortificare, omniaque eius epiſtomia occludere, eius voluptatibus reſiſtere, adeoq; pernicioſorum vermium ſementem ſuffocare: ac proinde cor ipſum diſponere, vt capax ſit cœleſtium deliciarum. Cum enim cor (ait S. Gregorius) non poſsit eſſe abſque aliqua voluptate, ſi Dei amore renunciet terrenis deliciis, ab eo recipit cœleſtes, &, quoniam non delectatur in creaturis, delectationem inuenit in earum creatore: in meditatione ſcilicet magnalium eius. quemadmodum promiſit per Iſaiam prophetam, dicens: d *quem docebit Dominus ſcientiam? aut quem faciet intelligere auditum? ablactatos à lacte, auulſos ab vberibus*. quaſi diceret, qui ſeipſos a lacte terrenarum conſolationum ablactauerunt, obtinebunt

Lib. 18. *Mor. c.* 8. *In illud Iob.* aut poterit in omnipotenti delectari?
d *Iſa.* 28. 9.

dulciſ-

dulcissimam Dei scientiam, à qua cœlestes consolationes proueniunt: & qui ab vberibus creaturarum seipsos auulserunt, renuntiantes earum deliciis, percipient dulcedinem doctrinæ cœlestis ab vberibus ipsius Creatoris, cuius virtute strenua hæc fortisque bellatrix, quæ cor custodit, in quo Deus requiescit, accipit manu ensem ad illud defendendum. Sed vbi illum imponit? num ad cingulum appendit? ad hoc respondeat ipse Sapiens, ego enim id dicere non auderem e *quando* inquit *sederis, vt comedas cum principe, diligenter attende, quæ opposita sunt ante faciem tuam: & statue cultrum in gutture tuo: si tamen habes animam in potestate tua.* qua sententia quid aliud significauit, quam vt mensæ tibi accumbenti adsint prudentia, & zelus temperantiæ: vt illa attendat diligenter, quos cibos expediat accipere, iuxta omnes rationis regulas, & circumstantias: hic verò cultrum habeat mortificationis ita in promptu, vt statim atque quod sufficit, comederis, cultrum statuat in gutture tuo, ne comedere pergas, quamuis id gula requirat. quod si eadem cibos aliquos aut vina delicatiora, & suauiora, quàm tibi conueniant, concupiscat, iugula hoc cultro eam concupiscentiam, & statue re ipsa ad guttur, ne opere exequatur, quod desiderat. Quod si extra tempus, aut effreni appetitu comedere voluerit, eundem cultrum statue ad guttur, donec adueniat tempus: & mortifica appetitus impetum, vt ea moderatione, ac mora temporis id faciat, quam ratio præscribit.

e Prou 23. 1. Trac. 2. c. 17

ET quoniam gustatus alios quoque adhibet sensus, ad suos fines obtinendos: illos quoque temperantia refrenat, & intra certos limites continet. cohibet enim *visum* à curioso ciborum aspectu, sciens gulam Euæ ab eius effreni visu inchoasse: f *vidit* enim, *quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis aspectuq; delectabile.* Et sæpe ebrietas incipit ex eo, quod g *intuearis vinum, quando flauescit, & splendet in vitro color eius.* In eundem finem reprimit *odoratum.* Nam delicati cibi, & pretiosi vini odor incitant cupiditatem gustatus. Et quoniam lingua solet esse inter comedendum effrenis, statue tunc etiam cultrum in gutture tuo: ne quid carnale, aut in proximi detrimentum loquatur. Sed quis adeò animosus erit, tantumque habebit roboris, vt cultro hoc guttur transfigat, feratque eum dolorem quẽ adfert ipsa deliciarum renunciatio? Non enim sine causa Sapiens adiecit: *si habes in potestate animam tuam:* vt hoc scilicet facias. Neq; enim omnes tantam animi fortitudinem habent, nec adeò sunt suarum appetitionum Domini, vt eas possint iugulare. Si autem hũc animum recipere velis: cogita, cum ad comedendum accedis, te cultrum hunc iam habere ad guttur, breuique tibi moriendum: mox enim gulam superabis, dedignatus carni illi indulgere, quę sit mox in vermes conuertenda, cum periculo amittendi ęternam saturitatem, pro temporali quadam voluptate. O Saluator dulcissime, corrobora debile

f Gen. 3. 6.

g Prou. 23. 31

cor meum, vt potentem adeò virtutem amplectatur, crucifixa carne cum suis delicijs, quò Spiritus viuat cum tuis, Amen.

§. 4.

Quod modestia custodiat visum, corporisque motus componat.

VENIAMVS nunc ad explicandam specialem custodiam visui nostro adhibendam: refert enim plurimum ea custodia: eò quod opus suum visus in momento, & absque vllo labore peragat; & simul extendat se ad res plurimas, valdeque distantes. est instrumentum ad fruendum voluptatibus sensuum externorum; conducit verò plurimum, vt internæ potentiæ suas etiam oblectationes assequantur: dat intellectui & imaginationi materiam, qua suam alant curiositatem, omnemque varietatem cogitationum, & imaginationum, quibus delectantur: ac denique lux est, duxque corporis in omnibus eius actionibus, & motibus? Quamobrem ex huius sensus reformatione, magna ex parte dependet interioris & exterioris hominis reformatio, in actionibus hominis proprijs. Ideoque ad hanc custodiam confert nobilissima virtus *Modestia*, cuius sphæra latissimè quidem patet, quamuis singulari cura visum custodiat. Nam teste S. Thoma, duplex est modestia, altera *interior*, quam S. Petrus Apostolus a *quietum & modestum spiritum* appellat; altera *exterior*, quæ corpus exornat. Prima moderatur motus animæ, extollentiam præcipuè, & curiositatem: ac propterea reprimit quoque externam sensuum curiositatem: ne inordinatè actus suos exerceant, ob id scilicet solum, vt videant, audiantque res nouas: nouosq; odores, ac sapores experiantur; & nouis vestimentorum formis se exornét. At exterior modestia vniuersim modum adhibet, & moderationem omnibus corporis motibus, iuxta eos facientis qualitatem: & eorum conditionem, in quorum præsentia illi fiunt: habita etiam ratione locorum, temporum, & circumstantiarum ipsius actionis; nulla corporis parte prætermissa, quæ non componatur, gubernetur, & exornetur splendore huius virtutis: quemadmodum fusè prosequitur Sanctus Ambrosius in primo suo officiorum libro. Nam *primum* oculos regit, vt plurimum eos demissè continendo, nec leuiter eos ad fenestras, aut accedentes, & recedentes circa nos, conijciendo; nec inspiciendo rectà in faciem grauium, aut pulchrarũ, & comptarum personarum: multoque minus in res turpes, aut ab eius, qui aspicit, statu, & professione alienas. moderatur ipsum vultum, vt nec valdè sit seuerus, nec tristis, melancholicus, aut valdè morosus: nec sit hilaris nimium, & ridibundus, cum nimijs cachinnis: sed grauis, serenus, gratus, & verecundus. Moderatur linguam, ne aut nimio silentio, aut nimia loquacitate grauis sit ad ferendum; &, cum loquẽdum est, ita vocem moderatur,

a. 2. q. 160. a. 2.

a 1. Pet. 3. 4.

S. Thom. 2. 2 q. 163. a. 1.

Lib. 1. c. 18 & S. Bern. l. de ordin. vitæ

vt nec sit nimis alta, nec submissa nimis; nec nimis festinans, nec nimis tarda: non valdè aspera, nec etiam effœminata. Dirigit pedes ac manus, ipsumque caput, componens quemcunque motum parum grauem, contra debitam compositionem ac decentiam. Moderatur ipsam ambulationem, ne cum impetu fiat, nec properando nimium, nec segniter, nimisq; tardè incedẽdo, aut adhibito artificio, quod pompam sapiat, aut leuitatem redoleat: sed cum simplicitate, quiete, & grauitate. Modum etiam adhibet vestimentis, quia euitat excessum pretiosorum, aut curiosorum, aut mollium: inclinat verò ad ea, quæ sunt magis in vsu, & consuetudine recepta, cum ea munditia ac decentia, quæ conuenit eius statui. Imò & ipsis in lusibus & recreationibus medium adhibet, euitando extrema nimij leporis, nimiæq; rusticitatis; sed tantum ex eis accipiendo, quantum expedit ad vitam ducendam, & se accõmodandum alijs eiusdem secum qualitatis personis. Hos & similes alios effe- et.3.4. ctus complectitur modestia externa: quæ coniuncta internæ, facit b *spiritũ* quendam *incorruptum, quietum, & modestum, qui* (vt ait S. Pet.) *est in conspe-* supra. *ctu Dei locuples*. Magna, inquit S. Ambr. est modestia, quæ etsi nimium contracta videatur, est tamen diues in conspectu Dei: ante quem tamen nemo est diues. & quamuis de paruis rebus agat, magnas tamen sibi coniunctas habet virtutes. Diues est modestia: quia est quædam portio Dei, ab infinita eius bonitate fluens, eiusq; filiorum hæreditas in terra, in pignus eius, quam eisu.22.4 dem daturus est in cœlo, si incorruptè eam seruauerint: c *finis* enim *Modestiæ* (ait Sapiens) *est timor Domini, diuitiæ, & gloria, & vita*: tam temporalis glo- .168.a. ria & vita, quàm æterna.

3. NEMO tamen existimet, peruium cuiuis esse, talem modestiam consequi. Nam (vt ait S. Thomas) modestia, vt stationem & locum suum teneat, opus habet subsidio aliarum virtutum, quæ passiones moderantur; quæ cùm inordinatæ sunt, statim vel in ipsa facie apparent, fructusq; producunt immodestiæ: ad quos mortificandos, & reprimendos non sufficit huius virtutis ensis, nisi vtatur opera reliquorum fortium ad bella doctissimorũ, qui lectulum Salomonis ambiunt, gladijsq; suis internos impetus reprimũt: supra quò motus externi intra Modestiæ limites contineantur. Quamobrem, ait S. Ambrosius, ex modestia corporis externi, internam cordis virtutem co- l.19. gnoscimus: iuxta illud Ecclesiastici: d *ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus: amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis enunciant de illo.*

Ex quo etiam prouenit, vt modestia sit virtus valdè exemplaris, vt quæ multum ædificet proximos: tanquam internæ sanctitatis, à qua illa procedit, testimoniũ. ac propterea valdè illam fidelib. commendabant Apostoli, vt sic ædificantes infideles, eos allicerent ad Christi religionẽ, quæ talem modestiam præ se ferret, amplectendam. Et eadem fuit cura Institutorib. Religio-

num:

num: decet enim (ait S. Ambrosius) pulchram domum, pulchrā habere portam: & præclarum palatium, insigne frontispicium: templumq; præstans, præstantem quoq; faciem: vt aspicientes in admirationem rapiens, desideriū eis excitet ingrediendi, ad videndum, quod intus est. Quid. n. aliud est Modestia, nisi domus Dei vestibulum, palatij Regis cœlestis frontispicium, templiq; Spiritus S. propylæon? quod aspicientem impellit, ad laudandum eius Architectum: magniq; faciendum ipsum Iustum Modestia præditum: & ingrediendum in templum, siue religionem, in qua ea fuit ille exornatus: studeatque sibi comparare eam virtutem, ex qua tantus splendor procedit. Cum hac virtute ingressus est in mundum gloriosus noster Dux Iesus, eaq; rapiebat oculos ipsum intuentium, ac ad se sequendum alliciebat: lux enim & splendor eius vultus, diuinus potius erat, quàm humanus. & (quemadmodum S. Iob de seipso dicit) e *lux vultus eius non cadebat in terram*, ob aliquod scilicet facinus, ex quo erubesceret. O Rex gloriæ, qui modestia, f *specieq; tua, & pulchritudine* iter aggressus es, *prospereq;* progressus, in trahendis ad te animabus, in quib. *regnas*: da mihi tuum spiritum quietum & modestum, cuius tanta sit exterior compositio, vt ab omnib. propter eam glorificeris. Amen.

Lib. 2. de Virginibus.

e *Iob. 29. 24.*
f *Psal. 44. 5.*

Sed quoniam non quicquid splendet, est aurum: nec semper vera est modestia, quæ eius præfert speciem, est aduertendum, varia esse Modestiæ genera. Quædam enim est *naturalis*, à bona corporis constitutione ac dispositione proueniens: quæ etsi donum Dei sit censendum, solet tamen ea esse imperfecta, nisi suppleat industria, quod deest naturæ. alia est *ficta modestia*, qualis est hypocritarum, qui eā quærunt magnam apud homines sanctitatis opinionem. ideoq; non diu durat in secreto, sed in publico: cuius fictio vt manifestetur, solet permittere Deus (vt ait S. Bonauentura) vt idem interdum in publico non satis attendat, vt seruet suam fictionem, quæ ita deprehenditur. *Alia* est *politica*, quam mundus politiam, & bonos mores appellat: quæ discitur in omnibus rebuspubl. ad conseruandam authoritatem & grauitatem cuique statui conuenientem. quæ non esset mala, si tanquā finem respiceret timorē Dei: si autem humanum tantum timorem respicit, vt scilicet magni æstimetur, aliiq; reuerentiam propterea ipsis exhibeant, aut pœnæ metu alios timeat, ac reuereatur: ea nō est virtus, sed quædam eius larua, quæ, vt facilè apponitur, sic etiam facillimè deponitur. Quemadmodum faciunt pueri nobiles, qui eam modestiæ laruam induunt quando ingrediūtur vt suis dominis inseruiant: à quib. exeuntes mox illam deponunt: retinent verò propriam suam figuram, adeò inquietam & immodestam reipsa, atq; altera in ipsa specie & cortice, modesta videbatur. Alia deniq; est modestia *studiosa*, Christiana, & perfecta, quæ recta respicit reuerentialem timorem Dei D. N. cui solum desiderat placere. de qua dixit Apostolus g *modestia vestra nota sit omnibus hominibus: Dominus enim prope est.*

S. Tho. 2. 2. q. 168. a. 1. ad. 2.

In specul. discip. part. 2. cap. 1.

g *Phil. 4. 5.*
Cass. col. 12. cap. 8.

quia scilicet vbique præsens est: decet verò in eius conspectu omnes vos seruare modestiam, sicut filios coram parente suo, famulos aulicos coram suo Rege, ac discipulos coram suo Magistro: qui exemplar est totius perfectionis. & hæc modestia firma est, & constans in omni loco & tempore, coram multis, & coram paucis: imò & seorsim, & in occulto, eò quod semper sit præsens Rex, cuius causa illa seruatur: estque semper spiritui infixa virtus, à qua illa prouenit, est h *fructus Spiritus S.* & proprietas quædam i *sapientiæ, quæ de sursum est,* & requiescit in corde hominis modesti: quem suis thesauris ditat: vt sit coram Deo, imò & coram hominibus diues: vera enim modestia, dum honores non quærit, venerationi omnibus est: & per eam Deus glorificatur, & in æternum glorificabitur. Amen.

h Galat 5.23
i Iac.3. 7.

§. 5.

Quod oratio custodiat sensus.

SVPEREST nunc explicare, qua ratione quinque horum sensuum custodia, proprius sit fructus Orationis & Contemplationis: quæ illos suauissimè & efficacissimè in officio cõtinet. Nam, cùm tanta Dei bona intra seipsum videat, audiat, degustet, ac sentiat: non appetit videre, nec audire, aut gustare aliquid extra se. Et quoniam familiaritas cum Deo adeò est grauis, omnesq; internas potentias colligit: illæ post se trahunt exteriores. ac similiter, quoniam internæ deliciæ excellentiores sunt externis, quando illæ degustantur, has reijcimus fastidio quodam. Nam (vt sanctus Bernardus ait) degustata spiritus suauitate, desipit omnis dulcedo carnis: & sanctus Ioannes Climacus: non potest (inquit) perfectè vinci gula, donec interior animæ suauitas degustetur, ac delibetur. Et vniuersim nullus perfectè contemnet sensuum delicias, donec incipiat spirituales degustare: quæ in familiaritate interna cum Deo communicantur. Quemadmodum anima illa sentiebat, quæ suo dilecto dicebat: k *indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas* dilectas tuas oues, & *vbi cubes in meridie* mediante contemplatione: *ne vagari incipiam post greges* deliciarum sensualiũ, & bestialium: ad quas falsi pastores, & *sodales* illam inuitabant, quemadmodum Tractatu tertio est explicatum. Sed quamuis omnis modus contemplationis & orationis recollectæ hoc efficiat, multò tamen efficacius id efficit contemplatio Christi crucifixi, qui est viua effigies & exemplar mortificationis quinque sensuum, omniumque eorum voluptatum. Constitue ergo te coram hoc Domino, dicesque: ô pastor supreme, quem diligit anima mea, aspice hanc tuam ouem errantem, & quærentem pastum deliciarum sensuum: ostende quæso, mihi, vt eos reprimam, pastum & requiem, quam tuis ouibus in Caluario monte dedisti: in quo in meridie fuisti cruci affixus. qua-

Gradu. 1.
k Cant.1.7.

lis tuus fuit pastus in illa, nisi fel in cibum, acetum cum hyssopo in potum? quis tuus cibus, nisi panis cum lacrymis? & quis calix tuus, nisi lacrymæ absque mensura? somnus tuus fuit quemadmodum esse solet somnus Pastorum in campis, absque tegumento; lectus tuus, dura fuit crux; puluinar acutæ duræque spinæ: nec tamen iaces, sed extensus pendes, è durissimis clauis: oculi tui cruciantur irrisionibus tuorum hostium; aures eorundem blasphemijs; lingua tua prę siti adhęrescit palato. Quomodo ergo erit possibile, vt qui video tanto rigore tractare te sensus tuos, velim aliam requiem dare meis? Quomodo vagari incipiam, vt quæram delicias, videns te plenum tormentis? O Sol Iustitiæ, qui ad supremum patiendi fastigium ascendisti in hoc meridie, qui tuæ vitæ finem attulit, duc me in Spiritu in montem istum Caluarium, vbi videam & contempler tuos labores; vt spiritum resumam ad sensus meos pro tui amore mortificandos, quemadmodum tu mei amore tuos mortificasti.

CAPVT XVI.

DE CVSTODIA LINGVAE ET EIVS AD tacendum & loquendum, prout oportet, directione: & quod hic sit fructus Orationis, mediumq́, quo illa conseruatur, & omnes virtutes augentur.



Merito dixit Sapiens: a *Mors & vita in manu linguæ.* a Prou. 18. 21
quamuis enim sit verum hæc principaliter in corde esse sita, sicut est dictum: lingua tamen principale instrumentum est peccatorum, quæ animæ mortem afferunt: & virtutum, quæ efficiunt, ac perficiunt vitam gratiæ, si lingua est effrenis, occidit nos, & alios noxijs suis verbis; eadem verò compressa & mortificata, viuificat nos, aliosque permultos verbis bonis. Nisi magna cura custodiatur, cor euacuat ab Oratione & deuotione, omnibusque gratijs ac donis cœlestibus, quæ habuit. si autem custodiatur omnia hæc conseruat, adiuuatque, vt eadem proficiant ac perficiantur. Sed quò eius custodia magis est necessaria, eò est difficilior: quia omnia vitia & passiones carnis conueniunt, vt eius habenas laxent, accipientes eam tanquam instrumentum, vt suorum votorum compotes euadant, cum iactura & detrimento omnium virtutum. Quamobrem dixit Sanctus Iacobus Apostolus: b *omnis natura bestiarum & volucrum, & serpentium, & cæterorum domantur & domita sunt à natura humana: linguam autem nullus hominum domare potest.* causa autem huius est, quod quamuis tantum sit vna, feritatem tamen b Iacob. 3. 7.

omnium horum animalium habet, etiam ferociorem. in ea enim conueniunt vitia, quæ per illa animalia significantur, ad eam laxandam: ira scilicet ferarum, auium superbia, serpentium astutia, bestiarum carnalitas, cæcaque brutorum passio. Ira linguam soluit, vt verba proferat vindictæ cum iactura patientiæ; Superbia eandem incitat, vt verba proferat arrogantia, cum detrimento humilitatis: & in hunc modum reliqua vitia progrediuntur. Quãobrem iure optimo idem Apostolus, eandem appellauit *vniuersitatem iniquitatis*: vniuersalem scilicet prauitatem, quæ omnes iniquitates complectitur; & mundum abbreuiatum, in quo colliguntur omnia vitia; & cloacam quandam inferorum, in qua omnia peccata colliguntur. Quemadmodum enim flumen, cùm exundat, colligit in se sordes omnes, & cœnum: sic, ait Sanctus Ambrosius, lingua, cùm effundit se ad multum loquendum, colligit in se multitudinem culparum. &, quemadmodum ait Sanctus Bernardus, loquacitas octo minimùm habet filias, à quibus innumeræ aliæ generantur. est enim quædam locutio *stulta*, alia *inanis*, alia *mendax*, alia *otiosa*, alia *fallax*, alia *maledica*, alia *carnalis*; alia denique, quæ cæteras omnes *excusat* ac *defendit*. Quod si hæc omnia vitia in vnam linguam conueniant: quid aliud facient, quàm pauperem animam omnibus virtutibus spoliabunt, quas alias acquisiuerat? & *inflammabit* (vt ait idem Apostolus) *rotam natiuitatis nostræ*, destruens omnia opera, quæ in ea facimus? id quod facit *inflammata ipsa à Gehenna*: omnes enim dæmones accedunt, vt accendant, foueantque linguam: vt igne suo omnes virtutum arbores, quæ in anima sitæ sunt, dissipet ac comburat. Quis itaque tantum ignem exstinguere poterit, & hanc feram domare: quam nullus mortalium domare aut subijcere potuit? Sed, quod apud homines est impossibile, Deo Domino nostro est facillimum: cuius gratia adiuuabit nostram imbecillitatem, supplebitque industriæ nostræ defectum. Nam (vt ait Sanctus Augustinus) si ad feras domandas hominem aliquem quærimus; ad linguam domandam, quærendus nobis est Deus. Si enim, qui est imago Dei, feram domat; melius poterit Deus imaginem suam domare. quasi distinctiùs diceret: quemadmodum qui feras domat, non debet ipse esse bestia, sed homo, illis superior: qui non tàm vi, quàm industriâ & arte eas domet, & subijciat, vt faciant, quicquid ille velit: Ita etiam qui linguam hominis domat, non debet esse homo purus; sed Deus, qui omnibus hominibus est superior: qui in eis & per eos, cum ipsius fauore ac gratia, suauiter illam continet, subijcitque ei, quod ratio ipsa dictat, & lex ipsa diuina mandat. & quemadmodum *naues etiam cum magna sint, & à ventis validis minentur, circumferuntur tamen à modico gubernaculo, vbi impetus dirigentis voluerit*: Ita Deus accipit in manu sua linguæ gubernaculum, nauemque animæ nostræ ducit, quò voluerit: etiamsi à multis vitijs, grauibusque tentationibus minetur. Ideoque dixit Sapiens: c *hominis*

ffic. c. 3. ... lutum ... iget am- ... exũdans ... m 12. ... uor.

m. 1 de ... b. Dom.

3. 4

u. 16. 1.

nis esse, animam præparare; Domini autem esse, gubernare linguam. ipse enim est præcipuus eius gubernator, quamuis nostram industriam ad cooperandum requirat.

§. I.

De nostra ad bene loquendum & tacendum cooperatione.

EX Hoc intelligitur, primam nostram industriam circa linguæ custodiam debere esse exercitium Orationis, cuius hæc custodia est fructus: quatenus Oratione supremum Gubernatorem vrgemus, vt ipse eam custodiam in se recipiat, dicentes illi cum Dauide: a *pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labijs meis.* O Deus Omnipotens, ostende omnipotentiam tuam in domanda lingua mea: vt & os, & labia mea adeò apto ostio occludantur, vt ex omni parte benè munita sint, & custodita. Nec sine mysterio duo petit pro lingua, custodiam scilicet, & ostium. nam, si vinctum quempiam valde furentem, aut pretiosissimum thesaurum tutum, ac securum habere velimus; non solum ostia carceri aut penetrali in quo ille continetur adhibemus; sed etiam homines custodes ac vigiles, quò nec vinctus carceris fores confringere, ac fugere; nec fures noctu furtiuis clauis seras aperire, & thesauros auferre possint. In hunc modum, tum quòd lingua adeò sit ferox; adeoque impatienter ferat occlusam se teneri; tum, quòd intra ipsum cor virtutum thesaurus contineatur, qui possit à Dæmonibus facilè auferri; imò interdum ita occultè, vt non aduertatur: quia linguam incitant ad pessima aliqua verba, sub specie & pallio magni alicuius boni: necesse est, vt Devs Dominus noster ponat labijs nostris ostium circumstantiæ, fortissimum scilicet, quo ex omni parte labia claudantur: quod ostium est ipsa gratia & prudentia infusa: & insuper, particulari prudentiâ Sanctus eius Angelus, imò & ipsemet Dominus, ei custodiendæ adsit. Nisi enim Devs, huius ostij sit ianitor, nemo poterit illud defendere; & si ipsemet non illud obsignet signaculo suæ protectionis, & gratiæ, facillimè confringetur. & hanc ob causam Ecclesiasticus valdè anxius dicebat: b *quis dabit ori meo custodiam, & super labia mea signaculum certum, vt non cadam ab ipsis, & lingua mea non perdat me?* O Deus animæ meæ, pone in labijs meis ostium obsignatum signaculo tuæ diuinæ similitudinis: & excita in me efficacissimum desiderium, puritatem tuam imitandi; & assiste, instar soliciti ianitoris custodiæ linguæ meæ; ne inferni potestates contra eam præualeant; nec propter negligentiam meam thesauris tuæ gratiæ me spolient. Amen.

Margin: 1. — a *Psa.* 140. 3. — b *Eccl.* 22. 33.

Cvm hac ratione maior alia diligentia est coniungenda, vt Deo Domino nostro cooperemur in hoc opere; nam nobis etiam incumbit, custodiam adhibere ori nostro, & ostia labijs nostris: siquidem Dauid dicebat: c *posui ori*

Margin: 2. — c *Psal.* 38. 2.

meo

Ecc. 28 25 *meo custodiam, cùm consisteret peccator aduersum me.* Et idem Ecclesiasticus: d *ori tuo* (inquit) *facito ostia & seras.* & non dicit: ostium, sed ostia: vt significet, plura esse necessaria, vt os sit securum. Nam quemadmodum natura duo ostia adhibuit linguæ, alterum osseum, dentes videlicet; alterum carneum, ipsa labia: ita oportet duo alia à te adhiberi ad eius custodiã, alterum forte & horrendum ex meditatione scilicet ingentium malorum, quæ ab ea effreni procedunt: vt timor peccati, iudicij, pœnæque temporalis, & æternæ, benè illam occlusam teneant: alterum ostium debet esse molle & suaue, ex meditatione scilicet ingentium bonorum, quæ ex lingua benè custodita & gubernata proueniunt. propterea siquidem Christus ipse Dominus noster dixit: e *ex verbis tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* ex quo intelligitur, quod Oratio & Meditatio sint instar artificis, hæc ostia fabricantis ac fortificantis, vt sint benè firma & munita.

Mat. 12. 37

3. Sed quoniam ostium (vt ait Sanctus Gregorius) non fit, vt semper sit clausum: ad hoc enim, nõ f *ostium* petiuisset Dauid à Deo *labijs suis*; sed murum, quo illa omninò occluderet; opus erit strenuum adhibere ianitorem, qui suis temporibus illud claudat, & aperiat: quod officium optimè præstat *prudentia* cum *obedientia*: quæ attendit & examinat tempus proprium loquendi, & tacendi, iuxta Dei leges, & regulas sui status & officij: & tunc ostium aperit, aut claudit, claue boni dictaminis in cordis arca deposita. Nam, vt Ecclesiasticus dixit: g *in ore fatuorum cor illorum: & in corde sapientium os illorum.* ea sententia significans, fatuos, quicquid cogitant, proferre absque vlla examinatione: Sapientes verò prius cogitare, & intra cor suum loqui quod ore velint proferre. & vt idem Sapiens dixit: h *cor sapientis erudit os eius,* dictans scilicet illi, quid loqui debeat, tempusque ad id aptum, vt i *taceat* etiam *vsque ad tempus.*

[...]b. 7. Mor. 8. Psa. 140 3 [...]Patre. Pa[...] r Admo- 15 Turr[...] [...]. Trac. 39 Reg. S. [...]nedict. Eccl. 21 29 Pro. 16. 23 Eccl. 20. 7.

Sed quoniam prudentia nostra exigua valdè est ac breuis, orandus ipse Deus est, vt officium præstet ianitoris, clauem adhibens diuinæ suæ inspirationis, qua moueas linguam ad tacendum aut loquendum, quod oportet, & sicut oportet: dicendo eam orationem, qua vtitur Ecclesia: *Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.* ad te enim, Domine, spectat labia mea aperire, vt laudes tuas decantem. aperi ergo illa, Deus meus, inspiratione tua; eaque dirige tuâ gratiâ, vt quicquid loquentur, sit ad laudem & gloriam sanctissimi tui nominis.

[...] Psal 50. 17

4. In quod diximus, elegantissimè explicauit Ecclesiasticus iucundis alijs similitudinibus, dicens: k *aurum tuum & argentum tuum confla, verbis tuis facito stateram, & frenos rectos ori tuo.* quasi diceret: ad linguam tuam gubernandam *freno* & *statera* opus habes. Freno quidem ad tacendum, quando expedit: Staterâ verò ad verba ponderanda, quando tempus est loquendi. Ad quæ duo conflanda, congregandum est aurum omnium virtutum, quæ

Ecc 28. 29

volun-

voluntatem, & sensuum appetitiones perficiunt. componendo ordinatè affectiones cordis, quales sunt humilitas, patientia, & cæteræ morales virtutes. congregandum quoque simul argentum virtutum, quæ intellectum perficiunt circa notitiam veritatum, ad salutem tuam necessariarum, quales sunt fides, prudentia, donum sapientiæ, consilij, & aliæ huiusmodi: quæ omnes sunt conflandæ, vt frenum, & statera apta conficiantur. Si enim omnia vitia, vt dictum est, in vnum conueniunt, vt linguæ habenas laxent; necesse est virtutes etiam omnes conuenire, vt illa infrenetur, & cõtineatur. Quamobrem dixit S. Iacobus: l *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir*: signum est enim, tali viro nullam deesse virtutem. Nam, vel vnica deficiente, impingeret linguâ. Quamuis autem omnes virtutes ad hanc fabricam conuenire debeant, nominatim verò iuuant plurimum, aurum charitatis, & argentum Meditationis circa verba Dei. Nam (vt ait S. Ambrosius) verba Dei in sacris Scripturis reuelata argentum sunt præstantissimum, igneque purificatum: quæ, cum meditamur eo spiritu, quo oportet, lucem afferunt; & ostendunt, quid sit loquendum; & accendunt cor, vt loquatur sicut expedit, adiuuante charitate, cum vtroque suo amore, Dei scilicet, & proximi. conficiens ex eis (vt ait Diuinus Sponsus) m *vitam coccineam*, qua *labia* Sponsæ ita constringantur, vt *eloquium* eius breue sit, & *suaue*; verbaque eius inaurata sint, & deargentata: sancta atque prudentia; Deoque placentia, & hominibus iucunda; vtilia dicenti, & audienti. Quamobrem proprijssimè ea comparat Salomon n *Malis aureis in lectis argenteis*. verba enim Sapientum & Sanctorum clarissima sunt ab auro charitatis, & argento discretionis: habentque saporem malorum, quo spiritum recreant; quietemque lecti: quia quietè grauiterque proferuntur. Ideoque omnibus audientibus quietem afferunt, & leuamen. Talia erant verba Christi Seruatoris nostri, de cuius o *labijs* dicit Sponsa, quod essent *lilia distillantia myrrham primam*. Nam quemadmodum lilia habent folia alba instar argenti, in medio autem virgulas sicut aurum accensas: Ita Christi D. N. verba splendebant sapientiâ, & sanctitate; discretione, & puritate: & per ea distillabat myrrham primam, & selectissimam. non propterea solum, quod ad perfectam vitiorum mortificationẽ exhortarentur; sed quod in se ipsis perfectissimã eam haberent, quæ necessaria est ad custodiam, & perfectam linguæ gubernationem. O Magister supreme, aperi sanctissima labia tua, vt me doceas modum formamq; loquendi, quam tu adhibebas, & siquidem Discipuli esse debent, sicut Magistri eorum, imple labia mea myrrha hac perfectissima, vt verba mea tanquam lilia sint tuis similia, Amen.

l *Iacob.* 3. 2.

Lib. 1. *Offic.* *cap.* 3.

m *Can.* 4. 3.

n *Pro.* 25. 11.

o *Cant* 5. 13.

§. 2.

De silentio discreto.

EX omnibus prædictis deducitur, silentium virtuosum non aliud esse, quàm frenum quoddam ex auro & argento virtutum omnium confectum, ad continendam linguam circa res, tempora, & loca, in quibus sit tacendum. Et ipse sermo studiosus non aliud est, quàm statera ex eodem auro & argento virtutum omnium constructa, ad ponderanda verba, secundùm regulam rationis, quando sunt proferenda. Et quamuis vtriusque vsus certis temporibus sit necessarius: at perfectionis studiosi peculiarem quandam inclinationem & propensionem meritò habent ad frenum silentij, & ad tacendum: nisi vbi lex Dei, maiorque eius gloria ad loquendum impellunt. iuxta consilium S. Iacobi Apostoli dicentis: a *omnis homo sit velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum.* Nam (vt sanctus Basilius perpendit) non sine causa Deus Dominus noster duas nobis aures dedit, vnicam verò linguam: & aures quidem patentes, ita vt sæpè etiam nolentes audiamus; linguam verò adeo munitam, vt impossibile sit inuitos cogi ad loquendum. vt intelligamus, semper nos paratos esse debere, vt verbum Dei audiamus, ac doceamur; tardos verò, ac difficiles, vt loquamur: & quemadmodum ostia, quæ retrò habent aliquod magnum pondus, difficilè aperiuntur, & statim atque sibi relinquuntur, magno impetu clauduntur: Ita ostium, quod ori nostro adhibuerimus, habere debet tale pondus, & propensionem ad hoc, vt sit clausum: vt difficilè aperiatur; & ad id solum loquendum, quod obligatio exigit: cui cùm satisfactum fuerit, mox illud claudatur: amplectendo dilectum silentium, ob ingentia bona, quæ in illo continentur.

a Iacob. 1. 1
Lib de vera Virgin.

1\. PRIMVM enim, ea clausura à multis peccatis præseruat. Nam S. Ambrosius dixit: *complures vidi loquendo peccatum incidisse, vix quenquam, tacendo.* multò enim plus loquendo peccatur, quàm tacendo. Deinde conseruat, augetque virtutes in anima. quemadmodum enim auiculæ continent se in cauea occlusa: qua tamen aperta, mox temerè auolant, ac disparent: Ita (ait S. Ioannes Climacus) virtutes, quæ nostrum spiritum ad cœlum eleuant, conseruantur in corde, quamdiu os discretè manet occlusum; cum verò indiscretè aperitur, pereunt omnes, & effunduntur. Ideoque S. Iacobus Apostolus dixit: b *Si quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, huius vana est religio.* euanuerunt enim ex anima eius aues virtutum cœlestium: at si linguam refrenet, eius religio erit solida, plenaque virtutibus heroicis: quas sensim comparat, bonisq; actionibus auget. Spiritus enim noster (ait S. Gregorius) est instar aquæ, quæ collecta & angustata in aliquo vase angusto, crescit, ascenditque in altum: effusa verò, mox perit. Sic spiri-

Lib. 1 Offic. cap 2.
S Bernar de ordine vitæ.
Gradu vlti
b Iacob. 1. 26
Lib 7. Mor cap 25. & 3. p. Pastor. Admon. 15.

tus silentio arctatus, eleuat se in cœlum, crescitque in virtutibus. Quemadmodum iustus ille, de quo Ieremias: c *sedebit solitarius & tacebit:* ac propterea *leuauit super se,* ad colloquendum cum Deo suo: & ita proficiet in operibus obsequij eius. Ideoque dicit S. Ioann. Climacus, silentium esse matrem Orationis, munitionem contra distractiones, & fomentum ignis deuotionis, lacrymarum amicum, memoriæ mortis excitatorem, operarium meditationis, occultæque ascensionis ad Deum, cui appropinquat, & cuius conspectui assistit; ab eo accipiens insignem splendorem. Imò & Seneca, quamuis Gentilis, dixit cuidam amico suo: *tardiloquum te esse iubeo, & propè tibi erit Deus.* qui delectatur cum eis colloqui, qui ipsius amore libenter tacent: mortificantes eam delectationem, qua lingua afficitur, dum loquitur. Et ideò Sanctus Bernardus ait, silentium feliciter impetrare quæ intendit, loquendo cum solo Deo, quod confirmat Sanctus Gregorius exemplo Sancti Florentij, cui Devs citissimè concedebat, quod peteret. Sancti enim, inquit, quia os claudentes, ne otiosa loquantur, seipsos mortificant, statim exaudiuntur à Deo, quando illud aperiunt, ad petenda beneficia: d *ponentes fortitudinem suam in silentio & in spe,* qua à diuina misericordia impetrant, quicquid desiderant. O Devs æterne, Seruator eorũ qui in silentio sperant auxilium tuum, adhibe ori meo dulce hoc frenum: quo renuntians delectationi cum hominibus colloquendi, dignus sim qui tecum loquar, & cum Angelis tuis.

c *Thre. 3. 28.*
Gradu 11.
Refert. Turrecre. Tract. 9. in Reg. S. Benedict.
Lib de ordine vitæ.
Lib. 3 Dialog c 15.
d *Isa. 30. 15.*

2. Hinc deduci possunt causæ & motiua seruandi silentium, quò illud sit perfectum: quosdam enim cohibet spiritus obedientiæ à loquendo, eò quòd Devs ita præcipiat, aut consulat: alios spiritus humilitatis, iudicantes se indignos esse qui loquantur: alios spiritus puritatis, propriæque abnegationis, ad huius feræ impetus perdomandos: alios modestia & verecundia Christiana, cuius actum proprium, ait Sanctus Ambrosius, esse silentium, omnibus tamen præeminet spiritus deuotionis, quæ nos impellit ad tacendum, vt liceat, quietiùs loqui cum Deo. & hoc silentium est proprius Orationis & Contemplationis fructus de quo dixit Ieremias, quod e *Iustus tacebit.* cuius rationem reddit, *quia leuauit super se:* quasi diceret, quia ascendit ad conuersandum cum Deo, compescuit linguam suam in conuersando cum hominibus. Ex quo fit, vt silentium & oratio, mira quadam mutuaque familiaritate sese inuicem iuuent, quia silentium disponit ad orandum: & oratio nos allicit ad tacendum.

Lib. 1. Offic. cap. 14.
e *Thre. 3. 28.*

Sed quoniam aliquid nimium in hoc fieri potest, memor esto eius, quod Ecclesiasticus dixit, vt faceres f *frenos rectos ori tuo.* sicut enim vnum idemque frenum non est omnibus equis commodum: ita non conuenit omnibus hominibus eadem silentij forma: sed his strictior, illis latior esse debet. Plus enim adolescentibus competit silentium, quàm senibus;

f *Ecc. 28 29.*

dulcissimam Dei scientiam, à qua cœlestes consolationes proueniunt: & qui ab vberibus creaturarum seipsos auulserunt, renuntiantes earum deliciis, percipient dulcedinem doctrinæ cœlestis ab vberibus ipsius Creatoris, cuius virtute strenua hæc fortisque bellatrix, quæ cor custodit, in quo Deus requiescit, accipit manu ensem ad illud defendendum. Sed vbi illum imponit? num ad cingulum appendit? ad hoc respondeat ipse Sapiens, ego enim id dicere non auderem e *quando* inquit *sederis, vt comedas cum principe, diligenter attende, quæ opposita sunt ante faciem tuam: & statue cultrum in gutture tuo: si tamen habes animam in potestate tua.* qua sententia quid aliud significauit, quam vt mensæ tibi accumbenti adsint prudentia, & zelus temperantiæ: vt illa attendat diligenter, quos cibos expediat accipere, iuxta omnes rationis regulas, & circumstantias: hic verò cultrum habeat mortificationis ita in promptu, vt statim atque quod sufficit, comederis, cultrum statuat in gutture tuo, ne comedere pergas, quamuis id gula requirat. quod si eadem cibos aliquos aut vina delicatiora, & suauiora, quàm tibi conueniant, concupiscat, iugula hoc cultro eam concupiscentiam, & statue re ipsa ad guttur, ne opere exequatur, quod desiderat. Quod si extra tempus, aut effreni appetitu comedere voluerit, eundem cultrum statue ad guttur, donec adueniat tempus: & mortifica appetitus impetum, vt ea moderatione, ac mora temporis id faciat, quam ratio præscribit.

Prou. 23. 1. Eccl. 2. c. 17

ET quoniam gustatus alios quoque adhibet sensus, ad suos fines obtinendos: illos quoque temperantia refrenat, & intra certos limites continet, cohibet enim *visum* à curioso ciborum aspectu, sciens gulam Euæ ab eius effreni visu inchoasse: f *vidit* enim, *quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis aspectuq; delectabile.* Et sæpe ebrietas incipit ex eo, quod g *intuearis vinum, quando flauescit, & splendet in vitro color eius.* In eundem finem reprimit *odoratum.* Nam delicati cibi, & pretiosi vini odor incitant cupiditatem gustatus. Et quoniam lingua solet esse inter comedendum effrenis, statue tunc etiam cultrum in gutture tuo: ne quid carnale, aut in proximi detrimentum loquatur. Sed quis adeò animosus erit, tantumque habebit roboris, vt cultro hoc guttur transfigat, feratque eum dolorem quẽ adfert ipsa deliciarum renunciatio? Non enim sine causa Sapiens adiecit: *si habes in potestate animam tuam:* vt hoc scilicet facias. Neq; enim omnes tantam animi fortitudinem habent, nec adeò sunt suarum appetitionum Domini, vt eas possint iugulare. Si autem hũc animum recipere velis: cogita, cum ad comedendum accedis, te cultrum hunc iam habere ad guttur, breuique tibi moriendum: mox enim gulam superabis, dedignatus carni illi indulgere, quę sit mox in vermes conuertenda, cum periculo amittendi ęternam saturitatem, pro temporali quadam voluptate. O Saluator dulcissime, corrobora debile

Gen. 3. 6. Prou. 23. 31

cor meum, vt potentem adeò virtutem amplectatur, crucifixa carne cum suis delicijs, quò Spiritus viuat cum tuis, Amen.

§. 4.

Quod modestia custodiat visum, corporisque motus componat.

VENIAMVS nunc ad explicandam specialem custodiam visui nostro adhibendam: refert enim plurimum ea custodia: eò quod opus suum visus in momento, & absque vllo labore peragat; & simul extendat se ad res plurimas, valdeque distantes. est instrumentum ad fruendum voluptatibus sensuum externorum; conducit verò plurimum, vt internæ potentiæ suas etiam oblectationes assequantur: dat intellectui & imaginationi materiam, qua suam alant curiositatem, omnemque varietatem cogitationum, & imaginationum, quibus delectantur: ac denique lux est, duxque corporis in omnibus eius actionibus, & motibus? Quamobrem ex huius sensus reformatione, magna ex parte dependet interioris & exterioris hominis reformatio, in actionibus hominis proprijs. Ideoque ad hanc custodiam confert nobilissima virtus *Modestia*, cuius sphæra latissimè quidem patet, quamuis singulari cura visum custodiat. Nam teste S. Thoma, duplex est modestia, altera *interior*, quam S. Petrus Apostolus a *quietum & modestum spiritum* appellat; altera *exterior*, quæ corpus exornat. Prima moderatur motus animæ, extollentiam præcipuè, & curiositatem: ac propterea reprimit quoque externam sensuum curiositatem: ne inordinatè actus suos exerceant, ob id scilicet solum, vt videant, audiantque res nouas: nouosq; odores, ac sapores experiantur; & nouis vestimentorum formis se exornēt. At exterior modestia vniuersim modum adhibet, & moderationem omnibus corporis motibus, iuxta eos facientis qualitatem: & eorum conditionem, in quorum præsentia illi fiunt: habita etiam ratione locorum, temporum, & circumstantiarum ipsius actionis; nulla corporis parte prætermissa, quæ non componatur, gubernetur, & exornetur splendore huius virtutis: quemadmodum fusè prosequitur Sanctus Ambrosius in primo suo officiorum libro. Nam *primum* oculos regit, vt plurimum eos demissè continendo, nec leuiter eos ad fenestras, aut accedentes, & recedentes circa nos, conijciendo; nec inspiciendo rectà in faciem grauium, aut pulchrarū, & comptarum personarum: multoque minus in res turpes, aut ab eius, qui aspicit, statu, & professione alienas. moderatur ipsum vultum, vt nec valdè sit seuerus, nec tristis, melancholicus, aut valdè morosus: nec sit hilaris nimium, & ridibundus, cum nimijs cachinnis: sed grauis, serenus, gratus, & verecundus. Moderatur linguam, ne aut nimio silentio, aut nimia loquacitate grauis sit ad ferendum; &, cum loquēdum est, ita vocem moderatur,

a.2. q. 160. a.2.
a 1. Pet. 3. 4.
S. Thom. 2. 2 q. 163. a. 1.
Lib. 1. c. 18 & S. Bern. l. de ordin. vitæ

vt nec ſit nimis alta, nec ſubmiſſa nimis; nec nimis feſtinans, nec nimis tarda: non valdè aſpera, nec etiam effœminata. Dirigit pedes ac manus, ipſumque caput, componens quemcunque motum parum grauem, contra debitam compoſitionem ac decentiam. Moderatur ipſam ambulationem, ne cum impetu fiat, nec properando nimium, nec ſegniter, nimiſq; tardè incedẽdo, aut adhibito artificio, quod pompam ſapiat, aut leuitatem redoleat: ſed cum ſimplicitate, quiete, & grauitate. Modum etiam adhibet veſtimentis, quia euitat exceſſum pretioſorum, aut curioſorum, aut mollium: inclinat verò ad ea, quæ ſunt magis in vſu, & conſuetudine recepta, cum ea munditia ac decentia, quæ conuenit eius ſtatui. Imò & ipſis in luſibus & recreationibus medium adhibet, euitando extrema nimij leporis, nimiæq; ruſticitatis; ſed tantum ex eis accipiendo, quantum expedit ad vitam ducendam, & ſe accõmodandum alijs eiuſdem ſecum qualitatis perſonis. Hos & ſimiles alios effectus complectitur modeſtia externa: quæ coniuncta internæ, facit b *ſpiritũ* quendam *incorruptum, quietum, & modeſtum, qui* (vt ait S. Pet.) *eſt in conſpectu Dei locuples.* Magna, inquit S. Ambr. eſt modeſtia, quæ etſi nimium contracta videatur, eſt tamen diues in conſpectu Dei: ante quem tamen nemo eſt diues. & quamuis de paruis rebus agat, magnas tamen ſibi coniunctas habet virtutes. Diues eſt modeſtia: quia eſt quædam portio Dei, ab infinita eius bonitate fluens, eiusq; filiorum hæreditas in terra, in pignus eius, quam eiſdem daturus eſt in cœlo, ſi incorruptè eam ſeruauerint: c *finis* enim *Modeſtia* (ait Sapiens) *eſt timor Domini, diuitiæ, & gloria, & vita*: tam temporalis gloria & vita, quàm æterna.

b 1. Pet. 3. 4.

i ſupra.

c Prou. 22. 4

NEMO tamen exiſtimet, peruium cuiuis eſſe, talem modeſtiam conſequi. Nam (vt ait S. Thomas) modeſtia, vt ſtationem & locum ſuum teneat, opus habet ſubſidio aliarum virtutum, quæ paſsiones moderantur; quæ cùm inordinatæ ſunt, ſtatim vel in ipſa facie apparent, fructuſq; producunt immodeſtiæ: ad quos mortificandos, & reprimendos non ſufficit huius virtutis enſis, niſi vtatur opera reliquorum fortium ad bella doctiſsimorũ, qui lectulum Salomonis ambiunt, gladijsq; ſuis internos impetus reprimũt: quò motus externi intra Modeſtiæ limites contineantur. Quamobrem, ait S. Ambroſius, ex modeſtia corporis externi, internam cordis virtutem cognoſcimus: iuxta illud Eccleſiaſtici: d *ex viſu cognoſcitur vir, & ab occurſu faciei cognoſcitur ſenſatus: amictus corporis, & riſus dentium, & ingreſſus hominis enunciant de illo.*

q. 168. a. 3.

i ſupra

d Eccl. 19.

Ex quo etiam prouenit, vt modeſtia ſit virtus valdè exemplaris, vt quæ multum ædificet proximos: tanquam internæ ſanctitatis, à qua illa procedit, teſtimoniũ. ac propterea valdè illam fidelib. commendabant Apoſtoli, vt ſic ædificantes infideles, eos allicerent ad Chriſti religionẽ, quæ talem modeſtiam præ ſe ferret, amplectendam. Et eadem fuit cura Inſtitutorib. Religio-

num:

num: decet enim (ait S. Ambrosius) pulchram domum, pulchrā habere portam: & præclarum palatium, insigne frontispicium: templumq; præstans, præstantem quoq; faciem: vt aspicientes in admirationem rapiens, desideriū eis excitet ingrediendi, ad videndum, quod intus est. Quid. n. aliud est Modestia, nisi domus Dei vestibulum, palatij Regis cœlestis frontispicium, templiq; Spiritus S. propylæon? quod aspicientem impellit, ad laudandum eius Architectum: magniq; faciendum ipsum Iustum Modestia præditum: & ingrediendum in templum, siue religionem, in qua ea fuit ille exornatus: studeatque sibi comparare eam virtutem, ex qua tantus splendor procedit. Cum hac virtute ingressus est in mundum gloriosus noster Dux Iesus, eaq; rapiebat oculos ipsum intuentium, ac ad se sequendum alliciebat: lux enim & splendor eius vultus, diuinus potius erat, quàm humanus. & (quemadmodum S. Iob de seipso dicit) e *lux vultus eius non cadebat in terram*, ob aliquod scilicet facinus, ex quo erubesceret. O Rex gloriæ, qui modestia, f *specieq; tua, & pulchritudine* iter aggressus es, *prospereq;* progressus, in trahendis ad te animabus, in quib. *regnas*: da mihi tuum spiritum quietum & modestum, cuius tanta sit exterior compositio, vt ab omnib. propter eam glorificeris. Amen.

Lib. 2. de Virginibus.

e Iob. 29. 24.
f Psal. 44. 5.

SED quoniam non quicquid splendet, est aurum: nec semper vera est modestia, quæ eius præfert speciem, est aduertendum, varia esse Modestiæ genera. Quædam enim est *naturalis*, à bona corporis constitutione ac dispositione proueniens: quæ etsi donum Dei sit censendum, solet tamen ea esse imperfecta, nisi suppleat industria, quod deest naturæ. alia est *ficta modestia*, qualis est hypocritarum, qui eā quærunt magnam apud homines sanctitatis opinionem. ideoq; non diu durat in secreto, sed in publico: cuius fictio vt manifestetur, solet permittere Deus (vt ait S. Bonauentura) vt idem interdum in publico non satis attendat, vt seruet suam fictionem, quæ ita deprehenditur. *Alia* est *politica*, quam mundus politiam, & bonos mores appellat: quæ discitur in omnibus rebuspubl. ad conseruandam authoritatem & grauitatem cuique statui conuenientem. quæ non esset mala, si tanquā finem respiceret timorē Dei: si autem humanum tantum timorem respicit, vt scilicet magni æstimetur, alijq; reuerentiam propterea ipsis exhibeant, aut pœnæ metu alios timeat, ac reuereatur: ea nō est virtus, sed quædam eius larua, quæ, vt facilè apponitur, sic etiam facillimè deponitur. Quemadmodum faciunt pueri nobiles, qui eam modestiæ laruam induunt quando ingrediūtur vt suis dominis inseruiant: à quib. exeuntes mox illam deponunt: retinent verò propriam suam figuram, adeò inquietam & immodestam reipsa, atq; altera in ipsa specie & cortice, modesta videbatur. Alia deniq; est modestia *studiosa*, Christiana, & perfecta, quæ recta respicit reuerentialem timorem DEI D. N. cui solum desiderat placere. de qua dixit Apostolus g *modestia vestra nota sit omnibus hominibus: Dominus enim prope est.*

S. Tho. 2. 2. q. 168. a. 1. ad. 2.

In specul. discip. part. 2. cap. 1.

g Phil. 4. 5. Cass. col. 12. cap. 8.

quia scilicet vbique præsens est: decet verò in eius conspectu omnes vos seruare modestiam, sicut filios coram parente suo, famulos aulicos coram suo Rege, ac discipulos coram suo Magistro: qui exemplar est totius perfectionis. & hæc modestia firma est, & constans in omni loco & tempore, coram multis, & coram paucis: imò & seorsim, & in occulto, eò quod semper sit præsens Rex, cuius causa illa seruatur: estque semper spiritui infixa virtus, à qua illa prouenit, est h *fructus Spiritus S.* & proprietas quædam i *sapientia, quæ de sursum est,* & requiescit in corde hominis modesti: quem suis thesauris ditat: vt sit coram Deo, imò & coram hominibus diues: vera enim modestia, dum honores non quærit, venerationi omnibus est: & per eam Deus glorificatur, & in æternum glorificabitur. Amen.

Gal. 5. 23
Iac. 3. 7.

§. 5.

Quod oratio custodiat sensus.

SVPEREST nunc explicare, qua ratione quinque horum sensuum custodia, proprius sit fructus Orationis & Contemplationis: quæ illos suauissimè & efficacissimè in officio cōtinet. Nam, cùm tanta Dei bona intra seipsum videat, audiat, degustet, ac sentiat: non appetit videre, nec audire, aut gustare aliquid extra se. Et quoniam familiaritas cum Deo adeò est grauis, omnesq; internas potentias colligit: illæ post se trahunt exteriores. ac similiter, quoniam internæ deliciæ excellentiores sunt externis, quando illæ degustantur, has reijcimus fastidio quodam. Nam (vt sanctus Bernardus ait) degustata spiritus suauitate, desipit omnis dulcedo carnis: & sanctus Ioannes Climacus: non potest (inquit) perfectè vinci gula, donec interior animæ suauitas degustetur, ac delibetur. Et vniuersim nullus perfectè contemnet sensuum delicias, donec incipiat spirituales degustare: quæ in familiaritate interna cum Deo communicantur. Quemadmodum anima illa sentiebat, quæ suo dilecto dicebat: k *indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas* dilectas tuas oues, & *vbi cubes in meridie* mediante contemplatione: *ne vagari incipiam post greges* deliciarum sensualiū, & bestialium: ad quas falsi pastores, & *sodales* illam inuitabant, quemadmodum Tractatu tertio est explicatum. Sed quamuis omnis modus contemplationis & orationis recollectæ hoc efficiat, multò tamen efficacius id efficit contemplatio Christi crucifixi, qui est viua effigies & exemplar mortificationis quinque sensuum, omniumque eorum voluptatum. Constitue ergo te coram hoc Domino, dicesque: ô pastor supreme, quem diligit anima mea, aspice hanc tuam ouem errantem, & quærentem pastum deliciarum sensuum: ostende quæso, mihi, vt eos reprimam, pastum & requiem, quam tuis ouibus in Caluario monte dedisti: in quo in meridie fuisti cruci affixus. qua-

...1.
Cant. 1. 7.

lis tuus fuit pastus in illa, nisi fel in cibum, acetum cum hyssopo in potum? quis tuus cibus, nisi panis cum lacrymis? & quis calix tuus, nisi lacrymæ absque mensura? somnus tuus fuit quemadmodum esse solet somnus Pastorum in campis, absque tegumento; lectus tuus, dura fuit crux; puluinar acutæ duræque spinæ: nec tamen iaces, sed extensus pendes, è durissimis clauis: oculi tui cruciantur irrisionibus tuorum hostium; aures eorundem blasphemijs; lingua tua præ siti adhærescit palato. Quomodo ergo erit possibile, vt qui video tanto rigore tractare te sensus tuos, velim aliam requiem dare meis? Quomodo vagari incipiam, vt quæram delicias, videns te plenum tormentis? O Sol Iustitiæ, qui ad supremum patiendi fastigium ascendisti in hoc meridie, qui tuæ vitæ finem attulit, duc me in Spiritu in montem istum Caluarium, vbi videam & contempler tuos labores; vt spiritum resumam ad sensus meos pro tui amore mortificandos, quemadmodum tu mei amore tuos mortificasti.

CAPVT XVI.

DE CVSTODIA LINGVAE ET EIVS AD tacendum & loquendum, prout oportet, directione: & quod hic sit fructus Orationis, mediumq́; quo illa conseruatur, & omnes virtutes augentur.



Merito dixit Sapiens: a *Mors & vita in manu linguæ.* quamuis enim sit verum hæc principaliter in corde esse sita, sicut est dictum: lingua tamen principale instrumentum est peccatorum, quæ animæ mortem afferunt: & virtutum, quæ efficiunt, ac perficiunt vitam gratiæ, si lingua est effrenis, occidit nos, & alios noxijs suis verbis; eadem verò compressa & mortificata, viuificat nos, aliosque permultos verbis bonis. Nisi magna cura custodiatur, cor euacuat ab Oratione & deuotione, omnibusque gratijs ac donis cœlestibus, quæ habuit. si autem custodiatur omnia hæc conseruat, adiuuatque, vt eadem proficiant ac perficiantur. Sed quò eius custodia magis est necessaria, eò est difficilior: quia omnia vitia & passiones carnis conueniunt, vt eius habenas laxent, accipientes eam tanquam instrumentum, vt suorum votorum compotes euadant, cum iactura & detrimento omnium virtutum. Quamobrem dixit Sanctus Iacobus Apostolus: b *omnis natura bestiarum & volucrum, & serpentium, & cæterorum domantur & domita sunt à natura humana: linguam autem nullus hominum domare potest.* causa autem huius est, quod quamuis tantum sit vna, feritatem tamen

a Prou. 18. 21

b Iacob. 3. 7.

quia scilicet vbique præsens est: decet verò in eius conspectu omnes vos ser-
uare modestiam, sicut filios coram parente suo, famulos aulicos coram suo
Rege, ac discipulos coram suo Magistro: qui exemplar est totius perfectio-
nis. & hæc modestia firma est, & constans in omni loco & tempore, coram
multis, & coram paucis: imò & seorsim, & in occulto, eò quod semper sit
præsens Rex, cuius causa illa seruatur: estque semper spiritui infixa virtus,
5.23 à qua illa prouenit, est h *fructus Spiritus S.* & proprietas quædam i *sapientia,*
7. *quæ desursum est,* & requiescit in corde hominis modesti: quem suis thesau-
ris ditat: vt sit coram Deo, imò & coram hominibus diues: vera enim mo-
destia, dum honores non quærit, venerationi omnibus est: & per eam Deus
glorificatur, & in æternum glorificabitur. Amen.

§. 5.

Quod oratio custodiat sensus.

SVPEREST nunc explicare, qua ratione quinque horum sensuum cu-
stodia, proprius sit fructus Orationis & Contemplationis: quæ illos
suauissimè & efficacissimè in officio cõtinet. Nam, cùm tanta Dei bona intra
seipsum videat, audiat, degustet, ac sentiat: non appetit videre, nec audi-
re, aut gustare aliquid extra se. Et quoniam familiaritas cum Deo adeò est
grauis, omnesq; internas potentias colligit: illæ post se trahunt exteriores.
ac similiter, quoniam internæ deliciæ excellentiores sunt externis, quando
illæ degustantur, has reijcimus fastidio quodam. Nam (vt sanctus Bernar-
dus ait) degustata spiritus suauitate, desipit omnis dulcedo carnis: & sanctus
1. Ioannes Climacus: non potest (inquit) perfectè vinci gula, donec interior
animæ suauitas degustetur, ac delibetur. Et vniuersim nullus perfectè con-
temnet sensuum delicias, donec incipiat spirituales degustare: quæ in fami-
liaritate interna cum Deo communicantur. Quemadmodum anima illa
1.7. sentiebat, quæ suo dilecto dicebat: k *indica mihi, quem diligit anima mea, v-
bi pascas* dilectas tuas oues, & *vbi cubes in meridie* mediante contemplatione:
ne vagari incipiam post greges deliciarum sensualiũ, & bestialium: ad quas falsi
pastores, & *sodales* illam inuitabant, quemadmodum Tractatu tertio est ex-
plicatum. Sed quamuis omnis modus contemplationis & orationis recol-
lectæ hoc efficiat, multò tamen efficacius id efficit contemplatio Christi
crucifixi, qui est viua effigies & exemplar mortificationis quinque sen-
suum, omniumque eorum voluptatum. Constitue ergo te coram hoc Do-
mino, dicesque: ô pastor supreme, quem diligit anima mea, aspice hanc
tuam ouem errantem, & quærentem pastum deliciarum sensuum: ostende
quæso, mihi, vt eos reprimam, pastum & requiem, quam tuis ouibus in
Caluario monte dedisti: in quo in meridie fuisti cruci affixus. qua-

lis tuus fuit pastus in illa, nisi fel in cibum, acetum cum hyssopo in potum? quis tuus cibus, nisi panis cum lacrymis? & quis calix tuus, nisi lacrymæ absque mensura? somnus tuus fuit quemadmodum esse solet somnus Pastorum in campis, absque tegumento; lectus tuus, dura fuit crux; puluinar acutæ duræque spinæ: nec tamen iaces, sed extensus pendes, è durissimis clauis: oculi tui cruciantur irrisionibus tuorum hostium; aures eorundem blasphemijs; lingua tua prę siti adhęrescit palato. Quomodo ergo erit possibile, vt qui video tanto rigore tractare te sensus tuos, velim aliam requiem dare meis? Quomodo vagari incipiam, vt quæram delicias, videns te plenum tormentis? O Sol Iustitiæ, qui ad supremum patiendi fastigium ascendisti in hoc meridie, qui tuæ vitæ finem attulit, duc me in Spiritu in montem istum Caluarium, vbi videam & contempler tuos labores; vt spiritum resumam ad sensus meos pro tui amore mortificandos, quemadmodum tu mei amore tuos mortificasti.

CAPVT XVI.

DE CVSTODIA LINGVAE ET EIVS AD tacendum & loquendum, prout oportet, directione: & quod hic sit fructus Orationis, mediumq́; quo illa conseruatur, & omnes virtutes augentur.



Merito dixit Sapiens: a *Mors & vita in manu linguæ.* quamuis enim sit verum hæc principaliter in corde esse sita, sicut est dictum: lingua tamen principale instrumentum est peccatorum, quæ animæ mortem afferunt: & virtutum, quæ efficiunt, ac perficiunt vitam gratiæ, si lingua est effrenis, occidit nos, & alios noxijs suis verbis; eadem verò compressa & mortificata, viuificat nos, aliosque permultos verbis bonis. Nisi magna cura custodiatur, cor euacuat ab Oratione & deuotione, omnibusque gratijs ac donis cœlestibus, quæ habuit. si autem custodiatur omnia hæc conseruat, adiuuatque, vt eadem proficiant ac perficiantur. Sed quò eius custodia magis est necessaria, eò est difficilior: quia omnia vitia & passiones carnis conueniunt, vt eius habenas laxent, accipientes eam tanquam instrumentum, vt suorum votorum compotes euadant, cum iactura & detrimento omnium virtutum. Quamobrem dixit Sanctus Iacobus Apostolus: b *omnis natura bestiarum & volucrum, & serpentium, & cæterorum domantur & domita sunt à natura humana: linguam autem nullus hominum domare potest.* causa autem huius est, quod quamuis tantum sit vna, feritatem tamen

a Prou. 18. 21

b Iacob. 3. 7.

omnium horum animalium habet, etiam ferociorem. in ea enim conueniunt vitia, quæ per illa animalia significantur, ad eam laxandam: ira scilicet ferarum, auium superbia, serpentium astutia, bestiarum carnalitas, cæcaque brutorum passio. Ira linguam soluit, vt verba proferat vindictæ cum iactura patientiæ; Superbia eandem incitat, vt verba proferat arrogantia, cum detrimento humilitatis: & in hunc modum reliqua vitia progrediuntur. Quamobrem iure optimo idem Apostolus, eandem appellauit *vniuersitatem iniquitatis*: vniuersalem scilicet prauitatem, quæ omnes iniquitates complectitur; & mundum abbreuiatum, in quo colliguntur omnia vitia; & cloacam quandam inferorum, in qua omnia peccata colliguntur. Quemadmodum enim flumen, cùm exundat, colligit in se sordes omnes, & cœnum: sic, ait Sanctus Ambrosius, lingua, cùm effundit se ad multum loquendum, colligit in se multitudinem culparum. &, quemadmodum ait Sanctus Bernardus, loquacitas octo minimùm habet filias, à quibus innumeræ aliæ generantur. est enim quædam locutio *stulta*, alia *inanis*, alia *mendax*, alia *otiosa*, alia *fallax*, alia *maledica*, alia *carnalis*; alia denique, quæ cæteras omnes *excusat* ac *defendit*. Quod si hæc omnia vitia in vnam linguam conueniant: quid aliud facient, quàm pauperem animam omnibus virtutibus spoliabunt, quas alias acquisiuerat? & *inflammabit* (vt ait idem Apostolus) *rotam natiuitatis nostræ*, destruens omnia opera, quæ in ea facimus? id quod facit *inflammata ipsa à Gehenna*: omnes enim dæmones accedunt, vt accendant, foueantque linguam: vt igne suo omnes virtutum arbores, quæ in anima sitæ sunt, dissipet ac comburat. Quis itaque tantum ignem exstinguere poterit, & hanc feram domare: quam nullus mortalium domare aut subijcere potuit? Sed, quod apud homines est impossibile, Deo Domino nostro est facillimum: cuius gratia adiuuabit nostram imbecillitatem, supplebitque industriæ nostræ defectum. Nam (vt ait Sanctus Augustinus) si ad feras domandas hominem aliquem quærimus; ad linguam domandam, quærendus nobis est Deus. Si enim, qui est imago Dei, feram domat; melius poterit Deus imaginem suam domare. quasi distinctiùs diceret: quemadmodum qui feras domat, non debet ipse esse bestia, sed homo, illis superior: qui non tàm vi, quàm industriâ & arte eas domet, & subijciat, vt faciant, quicquid ille velit: Ita etiam qui linguam hominis domat, non debet esse homo purus; sed Deus, qui omnibus hominibus est superior: qui in eis & per eos, cum ipsius fauore ac gratia, suauiter illam continet, subijcitque ei, quod ratio ipsa dictat, & lex ipsa diuina mandat. & quemadmodum *naues etiam cum magnæ sint, & à ventis validis minentur, circumferuntur tamen à modico gubernaculo, vbi impetus dirigentis voluerit*: Ita Deus accipit in manu sua linguæ gubernaculum, nauemque animæ nostræ ducit, quò voluerit: etiamsi à multis vitijs, grauibusque tentationibus minetur. Ideoque dixit Sapiens: *hominis*

Offic. c. 3. ...to lutum ...liget am... s exūdans ...rm 12. ...ruor.

...rm. 1. de ...rb. Dom.

...3. 4

...ou. 16. 1.

nis esse, animam præparare; Domini autem esse, gubernare linguam. ipse enim est præcipuus eius gubernator, quamuis nostram industriam ad cooperandum requirat.

§. I.

De nostra ad bene loquendum & tacendum cooperatione.

EX Hoc intelligitur, primam nostram industriam circa linguæ custodiam debere esse exercitium Orationis, cuius hæc custodia est fructus: quatenus Oratione supremum Gubernatorem vrgemus, vt ipse eam custodiam in se recipiat, dicentes illi cum Dauide: a *pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labijs meis.* O Deus Omnipotens, ostende omnipotentiam tuam in domanda lingua mea: vt & os, & labia mea adeò apto ostio occludantur, vt ex omni parte benè munita sint, & custodita. Nec sine mysterio duo petit pro lingua, custodiam scilicet, & ostium. nam, si vinctum quempiam valde furentem, aut pretiosissimum thesaurum tutum, ac securum habere velimus; non solum ostia carceri aut penetrali in quo ille continetur adhibemus; sed etiam homines custodes ac vigiles, quò nec vinctus carceris fores confringere, ac fugere; nec fures noctu furtiuis clauis seras aperire, & thesauros auferre possint. In hunc modum, tum quòd lingua adeò sit ferox; adeoque impatienter ferat occlusam se teneri; tum, quòd intra ipsum cor virtutum thesaurus contineatur, qui possit à Dæmonibus facilè auferri; imò interdum ita occultè, vt non aduertatur: quia linguam incitant ad pessima aliqua verba, sub specie & pallio magni alicuius boni: necesse est, vt Devs Dominus noster ponat labijs nostris ostium circumstantiæ, fortissimum scilicet, quo ex omni parte labia claudantur: quod ostium est ipsa gratia & prudentia infusa: & insuper, particulari prudentiâ Sanctus eius Angelus, imò & ipsemet Dominus, ei custodiendæ adsit. Nisi enim Devs, huius ostij sit ianitor, nemo poterit illud defendere; & si ipsemet non illud obsignet signaculo suæ protectionis, & gratiæ, facillimè confringetur. & hanc ob causam Ecclesiasticus valdè anxius dicebat: b *quis dabit ori meo custodiam, & super labia mea signaculum certum, vt non cadam ab ipsis, & lingua mea non perdat me?* O Deus animæ meæ, pone in labijs meis ostium obsignatum signaculo tuæ diuinæ similitudinis: & excita in me efficacissimum desiderium, puritatem tuam imitandi; & assiste, instar soliciti ianitoris custodiæ linguæ meæ; ne inferni potestates contra eam præualeant; nec propter negligentiam meam thesauris tuæ gratiæ me spolient. Amen.

1.

a *Psal.* 140. 3.

b *Eccl.* 22. 3.

2. Cvm hac ratione maior alia diligentia est coniungenda, vt Deo Domino nostro cooperemur in hoc opere; nam nobis etiam incumbit, custodiam adhibere ori nostro, & ostia labijs nostris: siquidem Dauid dicebat: c *posui ori*

Psal. 38. 2.

[Ecc. 28 28] *meo custodiam, cùm consisteret peccator aduersum me*. Et idem Ecclesiasticus: d *ori tuo* (inquit) *facito ostia & seras*. & non dicit: ostium, sed ostia: vt significet, plura esse necessaria, vt os sit securum. Nam quemadmodum natura duo ostia adhibuit linguæ, alterum osseum, dentes videlicet; alterum carneum, ipsa labia: ita oportet duo alia à te adhiberi ad eius custodiã, alterum forte & horrendum ex meditatione scilicet ingentium malorum, quæ ab ea effreni procedunt: vt timor peccati, iudicij, pœnæque temporalis, & æternæ, benè illam occlusam teneant: alterum ostium debet esse molle & suaue, ex meditatione scilicet ingentium bonorum, quæ ex lingua benè custodita & gubernata proueniunt. propterea siquidem Christus ipse Dominus noster dixit: e [Mat. 12.37] *ex verbis tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis*. ex quo intelligitur, quod Oratio & Meditatio sint instar artificis, hæc ostia fabricantis ac fortificantis, vt sint benè firma & munita.

3. Sed quoniam ostium (vt ait Sanctus Gregorius) [Lib. 7. Mor. 18.] non fit, vt semper sit clausum: ad hoc enim, nõ f *ostium* petiuisset Dauid à Deo *labijs suis*; [Psa. 140 3] sed murum, quo illa omninò occluderet; opus erit strenuum adhibere ianitorem, qui suis temporibus illud claudat, & aperiat: [Patre. Pastor Admo. 15 Turre. Trac. 39 Reg. S. Benedict.] quod officium optimè præstat *prudentia* cum *obedientia*: quæ attendit & examinat tempus proprium loquendi, & tacendi, iuxta Dei leges, & regulas sui status & officij: & tunc ostium aperit, aut claudit, claue boni dictaminis in cordis arca deposita. Nam, vt Ecclesiasticus dixit: g *in ore fatuorum cor illorum: & in corde sapientium os illorum*. [Eccl. 21 29] ea sententia significans, fatuos, quicquid cogitant, proferre absque vlla examinatione: Sapientes verò prius cogitare, & intra cor suum loqui quod ore velint proferre. [Pro. 16.23] & vt idem Sapiens dixit: h *cor sapientis erudit os eius*, [Eccl. 20. 7.] dictans scilicet illi, quid loqui debeat, tempusque ad id aptum, vt i *taceat* etiam *vsque ad tempus*.

Sed quoniam prudentia nostra exigua valdè est ac breuis, orandus ipse Deus est, vt officium præstet ianitoris, clauem adhibens diuinæ suæ inspirationis, qua moueas linguam ad tacendum aut loquendum, quod oportet, & sicut oportet: [x Ps 50.17] dicendo eam orationem, qua vtitur Ecclesia: *Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam*. ad te enim, Domine, spectat labia mea aperire, vt laudes tuas decantem. aperi ergo illa, Deus meus, inspiratione tua; eaque dirige tuâ gratiâ, vt quicquid loquentur, sit ad laudem & gloriam sanctissimi tui nominis.

4. Id quod diximus, elegantissimè explicauit Ecclesiasticus iucundis alijs similitudinibus, dicens: [Ecc 28.29] k *aurum tuum & argentum tuum confla, verbis tuis facito stateram, & frenos rectos ori tuo*. quasi diceret: ad linguam tuam gubernandam *freno* & *statera* opus habes. Freno quidem ad tacendum, quando expedit: Staterâ verò ad verba ponderanda, quando tempus est loquendi. Ad quæ duo conflanda, congregandum est aurum omnium virtutum, quæ

volun-

voluntatem, & sensuum appetitiones perficiunt. componendo ordinatè affectiones cordis, quales sunt humilitas, patientia, & cæteræ morales virtutes. congregandum quoque simul argentum virtutum, quæ intellectum perficiunt circa notitiam veritatum, ad salutem tuam necessariarum, quales sunt fides, prudentia, donum sapientiæ, consilij, & aliæ huiusmodi: quæ omnes sunt conflandæ, vt frenum, & statera apta conficiantur. Si enim omnia vitia, vt dictum est, in vnum conueniunt, vt linguæ habenas laxent; necesse est virtutes etiam omnes conuenire, vt illa infrenetur, & cótineatur. Quamobrem dixit S. Iacobus: l *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir*: signum est enim, tali viro nullam deesse virtutem. Nam, vel vnica deficiente, impingeret linguâ. Quamuis autem omnes virtutes ad hanc fabricam conuenire debeant, nominatim verò iuuant plurimum, aurum charitatis, & argentum Meditationis circa verba Dei. Nam (vt ait S. Ambrosius) verba Dei in sacris Scripturis reuelata argentum sunt præstantissimum, igneque purificatum: quæ, cum meditamur eo spiritu, quo oportet, lucem afferunt; & ostendunt, quid sit loquendum; & accendunt cor, vt loquatur sicut expedit, adiuuante charitate, cum vtroque suo amore, Dei scilicet, & proximi. conficiens ex eis (vt ait Diuinus Sponsus) m *vitam coccineam*, qua *labia* Sponsæ ita constringantur, vt *eloquium* eius breue sit, & *suaue*; verbaque eius inaurata sint, & deargentata: sancta atque prudentia; Deoque placentia, & hominibus iucunda; vtilia dicenti, & audienti. Quamobrem proprijssimè ea comparat Salomon n *Malis aureis in lectis argenteis*. verba enim Sapientum & Sanctorum clarissima sunt ab auro charitatis, & argento discretionis: habentque saporem malorum, quo spiritum recreant; quietemque lecti: quia quietè grauiterque proferuntur. Ideoque omnibus audientibus quietem afferunt, & leuamen. Talia erant verba Christi Seruatoris nostri, de cuius o *labijs* dicit Sponsa, quod essent *lilia distillantia myrrham primam*. Nam quemadmodum lilia habent folia alba instar argenti, in medio autem virgulas sicut aurum accensas: Ita Christi D. N. verba splendebant sapientiâ, & sanctitate; discretione, & puritate: & per ea distillabat myrrham primam, & selectissimam. non propterea solum, quod ad perfectam vitiorum mortificationẽ exhortarentur; sed quod in se ipsis perfectissimã eam haberent, quæ necessaria est ad custodiam, & perfectam linguæ gubernationem. O Magister supreme, aperi sanctissima labia tua, vt me doceas modum formamq; loquendi, quam tu adhibebas, & siquidem Discipuli esse debent, sicut Magistri eorum, imple labia mea myrrha hac perfectissima, vt verba mea tanquam lilia sint tuis similia, Amen.

l *Iacob.* 3. 2
Lib. 1. *Offic. cap.* 3.
m *Can.* 4. 3.
n *Pro.* 25. 11.
o *Cant* 5. 13.

tus silentio arctatus, eleuat se in cœlum, crescitque in virtutibus. Quemadmodum iustus ille, de quo Ieremias: c *sedebit solitarius & tacebit*: ac propterea *leuauit super se*, ad colloquendum cum Deo suo: & ita proficiet in operibus obsequij eius. Ideoque dicit S. Ioann. Climacus, silentium esse matrem Orationis, munitionem contra distractiones, & fomentum ignis deuotionis, lacrymarum amicum, memoriæ mortis excitatorem, operarium meditationis, occultæque ascensionis ad Deum, cui appropinquat, & cuius conspectui assistit; ab eo accipiens insignem splendorem. Imò & Seneca, quamuis Gentilis, dixit cuidam amico suo: *tardiloquum te esse iubeo, & propè tibi erit Deus*. qui delectatur cum eis colloqui, qui ipsius amore libenter tacent: mortificantes eam delectationem, qua lingua afficitur, dum loquitur. Et ideò Sanctus Bernardus ait, silentium feliciter impetrare quæ intendit, loquendo cum solo Deo, quod confirmat Sanctus Gregorius exemplo Sancti Florentij, cui Devs citissimè concedebat, quod peteret. Sancti enim, inquit, quia os claudentes, ne otiosa loquantur, seipsos mortificant, statim exaudiuntur à Deo, quando illud aperiunt, ad petenda beneficia: d *ponentes fortitudinem suam in silentio & in spe*, qua à diuina misericordia impetrant, quicquid desiderant. O Devs æterne, Seruator eorũ qui in silentio sperant auxilium tuum, adhibe ori meo dulce hoc frenum: quo renuntians delectationi cum hominibus colloquendi, dignus sim qui tecum loquar, & cum Angelis tuis.

c Thre. 3. 25.
Gradu 11.
Refert. Turrecre. Tract. 9. in Reg. S. Benedict.
Lib de ordine vitæ.
Lib. 3 Dialog c 15.
d Isa. 30. 15.

Hinc deduci possunt causæ & motiua seruandi silentium, quò illud sit perfectum: quosdam enim cohibet spiritus obedientiæ à loquendo, eò quòd Devs ita præcipiat, aut consulat: alios spiritus humilitatis, iudicantes se indignos esse qui loquantur: alios spiritus puritatis, propriæque abnegationis, ad huius feræ impetus perdomandos: alios modestia & verecundia Christiana, cuius actum proprium, ait Sanctus Ambrosius, esse silentium, omnibus tamen præeminet spiritus deuotionis, quæ nos impellit ad tacendum, vt liceat, quietiùs loqui cum Deo. & hoc silentium est proprius Orationis & Contemplationis fructus de quo dixit Ieremias, quod e *Iustus tacebit*. cuius rationem reddit, *quia leuauit super se*: quasi diceret, quia ascendit ad conuersandum cum Deo, compescuit linguam suam in conuersando cum hominibus. Ex quo fit, vt silentium & oratio, mira quadam mutuaque familiaritate sese inuicem iuuent, quia silentium disponit ad orandum: & oratio nos allicit ad tacendum. 2.

Lib. 1. Offic. cap 14.
e Thre. 3. 28.

Sed quoniam aliquid nimium in hoc fieri potest, memor esto eius, quod Ecclesiasticus dixit, vt faceres f *frenos rectos ori tuo*. sicut enim vnum idemque frenum non est omnibus equis commodum: ita non conuenit omnibus hominibus eadem silentij forma: sed his strictior, illis latior esse debet. Plus enim adolescentibus competit silentium, quàm senibus;

f Ecc. 28 29.

Religiosis, quàm Secularibus; collectis & solitarijs, quàm conuersantibus cum proximis: omnibus tamen conuenit frenum accommodatum legibus sui status, & officij; & conditioni & qualitati suæ, iuxta prudentiæ dictamen. Ita vt non sit frenum adeò laxum, & linguam non domet: nec adeò arctum & strictum, vt eandē lædat: nec deflectat ad fines terrenos, qui saucient conscientiam. Nam, teste Sancto Ambrosio, libro 1. de Officijs, capit. 19. etiam aliquod silentium procedit à malo spiritu, & g *Dæmonio*, quod Euangelium vocat *mutum*: quale est, quod oritur ex ignorantia, & rusticitate quadam, aut hypocrisi, aut superbia in contemptum aliorum, quasi dedignetur cum eis loqui: aut propter spiritum tristitiæ, aut melancholiæ, aut propter nimiam pusillanimitatem & timiditatem, sicut h *canes muti non valentes latrare*: aut quia cogitur tacere, ob timorem pœnæ. quod silentium S. Bernardus appellat i *Onus Duma*, onus scilicet silentij, aut graue silentium, quale solent seruare Religiosi tepidi & imperfecti. Et hi omnes (ait S. Gregorius) quò magis tacent exteriùs, eò perniciosius loquūtur interius, & instar molæ, quæ ex aqua retenta vehemētiùs agitatur, effundūt se ad nimiā loquacitatē. Contra hæc ōia silentij genera adeò curua cōmendat nobis Sapiens, vt *rectos frenos* & iustos labijs nostris adhibeamus, ob sanctos fines superiùs positos: sequentes consiliū, quod Iob suis amicis dedit, dicēs: k *superponite digitū ori vestro*. quasi diceret (vt explicat S. Greg.) tacete cū discretione. Digitus. n. quem indicē appellamus, in quo est sensus tactus perfectissimè, est symbolum prudentiæ. ex quo mos ille processit, quo consueuimus alios monere, indice super os nostrum posito: tanquam illis, vt taceant, consulamus: quia ita prudentia dictat. Imò particularis quædam significatio est in modo ipsum indicem apponēdi, in modum scilicet crucis super labia, eius extremitate in altum directa, ad significandum, prudenti silentio coniunctam esse debere altam etiam rectamque intentionem, cum cruce mortificationis: licet ex ipso silentio damnum aliquod sit prouenturum quemadmodum Christus D.N. tacuit coram Herode & Pilato: licèt ex eius silentio aucti fuerint eius cruciatus. O mundi Saluator, cuius silentium tuis ipsis hostibus l *vehementem* attulit *admirationem*: tribue mihi diuinum tuum Spiritum, vt in hoc imiter tuum hoc excellentissimum exemplum.

Margin notes: 1. de Of[ficijs] [c]ap. 9. [L]uc. 11. 14 | [Is]ai. 56. 10 [...]m de 11 [...]rib. | [...] 21. 11. | [...] 7. Mor | 25. | [...] 3. Mor. | [...]o. | [I]ob. 21. 5 | [...] 15. Mar | 22. | [M]at 27. 14

§. 3.

De discretione in loquendo.

SVPEREST explicare, quomodo vtendum sit statera in loquendo: siquidem Ecclesiasticus dixit: a *verba prudentium statera ponderabuntur*. collocandæ enim sunt in vna bilance regulæ prudentiæ; & in altera, verba proferenda: & attendendum, num rectè sibi respondeant iuxta consilium S. Bernardi dicentis: *priusquam proferas verba, bis veniant ad limam, quàm semel*

Margin notes: [E]cc. 21. 28 | [In] speculo [m]onachor.

ad linguam. primùm itaque limandæ sunt res, quas dicere velis; deinde ipse modus, quo sunt dicendæ: quia in vtroq; defectus magnus contingere potest. Ad cuius explicationem est aduertendum, quod quemadmodum sunt Dæmonia muta: ita etiam sunt garrula, quæ linguam incitant ad loquendum, sicut ipsa suggerunt. Quæ Dæmonia S. Bernardus reducit ad tria, adumbrata in tribus illis spiritibus immundis, quos Sanctus Ioannes vidit prodire ex ore Draconis, tanquam ranas: eò quod sint spiritus Sathanæ lutosi, garruli, & loquaces. quorum proprietas est, intus loqui ad corda, verba detestanda, prauas scilicet cogitationes & affectus: moxque linguam concitare, vt ea verba proferat, iuxta illud quod Christus Dominus noster dixit Pharisæis: b *progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? ex abundantia enim cordis os loquitur.* quasi diceret: quod concepistis, id parturitis. quoniam verò serpentinas cogitationes concepistis: ideo verba serpentina profertis.

Ser. de 7 Spirit. & lib. de Conscientia ad Monach. Cister. Apoc. 16 13.

b Matt. 12. 34.

1\. PRIMVS Spiritus est Carnalis, qui incitat ad loquendum de rebus carnalibus, blandis, carnique iucundis: ac modo quodam effæminato & sensuali, sequens sensualitatis propensionem, quæ recreatur loquendo de rebus turpibus, comessationibus, ludis & alijs recreationibus. instigat etiam ad lepida quædam dicenda, iocosa, leuia, & curiosa, & ea, quæ Sanctus Iob appellat c *in ventum verba proferre,* & absque vtilitate; aliaque valde familiaria, & frequentia carnalibus, sibique indulgentibus. Nam, vt Sanctus Ioannes Baptista dixit: d *qui est de terra, de terra loquitur:* ac proinde, qui est carnalis, loquitur de carne, & cum affectu carnis.

c Iob. 6. 26.

d Ioan. 3. 31.

2\. SECVNDVS Spiritus est MVNDANVS, qui mouet linguam ad proferenda verba vana, & modo vano, superba videlicet, arrogantia, & quæ Iob appellat e *verba ventosa,* vento scilicet tumida. Et idem Spiritus est, qui linguam agitat, quam Dauid f *magniloquam* appellat: vt quæ delectetur loquendo de rebus magnis, diuitijs, dignitatibus; & nouis, quæ in aulis eueniunt: quibus filij huius sæculi occupantur, de quibus dixit S. Ioannes: g *ipsi de mundo sunt, ideo de mundo loquuntur, & mundus eos audit.* Aeque enim mundani censendi sunt, qui huiusmodi audiendis exhilarantur; atq; illi, qui oblectantur proferendis.

e Iob. 16. 3.

f Psal. 11. 4.

g 1. Io. 4. 5.

TERTIVS Spiritus est MALITIOSVS, qui incitat ad verba amara, & acerba, aspereque proferenda: falsa scilicet, mendacia, fraudes, periuria, maledicta, murmura, & alia verba vltionis, impatientiæ, & iniuriæ: quæ & propriam, & proximi conscientiam amaricant. hic Spiritus mouet eam linguam, quam Scriptura h *nequam, bilinguem, & tertiam* appellat, quæ *multos turbauit, pacem habentes, multos commouit & dispersit* dum susurris, & murmurationibus discordias seminat. Ab hoc Spiritu aguntur ij, de quibus Dauid: i *sepulchrum patens est guttur eorum*, exhalans horrendum

h Eccl. 28. 16.

i Psal. 13. 3.

m. 9.7 ex se fætorem: ***venenum aspidum sub labijs eorum***, i ***quorum os maledictione, &***
l 139.4 ***amaritudine, & dolo plenum est***: ***&*** k ***acuunt linguas suas, sicut serpentes***, vt no-
ceant innocentibus. &, si quando hi tres Spiritus inducunt ad aliquid boni
dicendum, modus tamen semper est malus, & intentio carnalis, aut munda-
na, aut versuta; quia aliquid ex proprijs admiscet. Qualis fuit superbus ille,
8. 1. de quo dixit Deus, l ***quis est iste inuoluens sententias sermonibus imperitis?***

4. CONTRARIO prorsus modo his prauis spiritibus procedit Spiritus
Dei: qui huiusmodi sermones detestans, inducit ad colloquendum de rebus
contrarijs, modoque contrario. Semper enim loquitur de rebus bonis, san-
ctis, veris, & vtilibus, intendens per hos sermones, non carnis delectationẽ,
sed animæ bonum; non gloriam mundanam, sed diuinam; non proprium
commodum cum proximi detrimento, sed necessarium commodum, desi-
derando etiam alienum: nec admittit mixturam aliquam contrariam. Nam
ob.3.11 quemadmodum m ***fons ex eodem foramine non emanat dulcem & amaram a-
quam:*** Ita ait S. Iacobus, os vnum non decet esse bonorum & malorũ ver-
borum instrumentum. Et quemadmodum dulcis aqua non dulcorat ama-
m ex ram, sed amara potius dulcem corrumpit: Ita ait S. Thomas, qui loquitur
a. verba sancta, & prophana: sanctis non rectificat prophana; sed potius san-
ctorum fructum amittit, ob admissam culpam in proferẽdis prophanis. De-
niq; Spiritus diuinus prius intra cor loquitur verba sancta, & pura; cogita-
tiones scilicet sanctas, & statim inducit ad easdem proferendas, quemadmo-
.2. 4. dum oportet, sicut de Apostolis dicitur, quod n ***cœperint loqui, prout Spiritus
3. 31. Sanctus dabat eloqui illis.*** Nam quemadmodum, ***qui de terra est, de terra lo-
quitur***, modoq; terreno, quia terrena concipit: Ita, qui de cœlo est, de cœlo
loquitur, modoq; cœlesti: quia cœlestia concipit: parturitq; quod concepit.
u 10. Et propterea dixit Sapiens: o ***os iusti parturiet Sapientiam***, non terrenam, sed
diuinam: quam in corde suo concepit.

5. QVARE, si desideras rectè loqui, accipienda sunt tibi ***statera*** & ***lima***, si-
cut dictum est, ad ponderanda, & limanda verba tua iuxta has regulas: eam
r.2.17 præcipuè seruando, quam præclarè Apost. designauit, cum dixit: p ***ex sin-
ceritate, sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur:*** loquimur inquit, synce-
rè, ex Dei motione, & coram ipso; & de ijs, quæ ad Christum D. spectant.
Primùm itaq; intentio tua est ponderanda: attendendo, vt ea sit ***ex sinceritate***,
ob sincerum scilicet, purumq; finem gloriæ Dei, & executionis eius volun-
tatis: non admixto fine aliquo ei contrario. ***Deinde***, ponderandus est spiritus,
qui inducit te, perpendendo, an sit ***ex Deo***: non præcipitanter ab spiritu pas-
sionis, aut propriæ voluntatis, aut alicuius ex tribus prædictis spiritibus: sed
ab spiritu rationis, legeq; Dei, ac dictamine prudentiæ, aut à diuina inspira-
. 12. tione. Quemadmodũ Christus D.N. dicebat: quia q ***ego ex meipso non sum lo-
cutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mãdatum dedit, quid dicam, & quid loquar.***

Tertiò,

Tertiò, res ipsæ sunt ponderandæ, de quib. tibi sit loquendum: dandaque opera, vt illæ sint *in Christo*, de Christo videlicet, & ijs tantum rebus, quas ille in sancta sua lege approbat: nullo verbo inserto eorum, quę ille prohibet, aut à Christiana grauitate degenerant. qualia sunt, quæ S. Apost. r *scurrilia* appellat, & quæ ad rem non pertinent, vt quæ sint aliena à fine professionis nostræ; & indicium animi negligentis periculi, in quo versatur: vt enim ibi perpendet S. Chrysostomus: circumit Diabolus tanquam leo rugiens, vt te deuoret: flammasq; ignis ex ore proijcit contra tuam salutem: & tu occuparis in iocis, & verbis, quæ ad rem non pertinent? Qui in acie sunt, imminente conflictu, lepida & iocosa omittunt: & tu, cui maximus est conflictus cum verbis, nihil operæ pones in eis moderandis? tuorum peccatorũ causa Christus fuit cruci affixus: & tu rides? Ille tui causa colaphis fuit cæsus, & irrisus; & tu ludis? Quod si dicas verba esse vrbanitatis, & indifferentia: dico tibi, opus esse Diaboli, vt indifferentia contemnentem in turpia te præcipitet. Ideò enim dixit Ecclesiasticus: s *ante grandinem praibit coruscatio*. Hæc S. Chrysost. Quod multi alij sancti confirmant, commendantes nobis pondus & grauitatem nostrorum verborum. Ad quod totum iuuerit multum, quod vltimo loco adiecit Apostol. vt loquamur *coram Deo*: cogitantes videlicet, ipsum tanquam rectissimum iudicem, nos audire; vt magno zelo verba praua puniat, remuneret verò bona. Esto memor admirandi consilij Ecclesiastæ, dicentis: t *ne temerè quid loquaris: neq; cor tuum sit velox ad proferendum sermonẽ coram Deo: Deus enim in cœlo, & tu super terram: Iccirco sint pauci sermones tui*. quasi diceret: attende, quomodo loquaris: cogitans, Deũ esse præsentem, qui te iudicabit; te verò in loco, in quo sunt occasiones tuæ ruinæ: quod meritò te impellet ad parcè loquendum: siquidem, vt Sapiens ait, u *in multiloquio non deerit peccatum*. ac proinde x *qui multis vtitur verbis, lædet animam suam*. & vt minimum, loqui multũ, etiam de reb. bonis, effundit cor: & euacuat bonas eius cogitationes, quemadmodum dixit S. Greg. ad finem librorum Moralium: & quidam alius Sapiens idem consuluit, dicens: *ad summam perfectionem, volo te esse breuiloquum, rariloquum, & submissa voce loquentem*. obseruatis etiam cæteris regulis prædictis, quæ discuntur in Oratione & Contẽplatione. Hæ enim prospiciũt cordi de rebus, quæ lingua proferat: exacuunt memoriam Dei, & prudentiam, vt ponderet limetq; solicitè verba omittendo superflua, magnaq; attentione proferendo necessaria. O y *Deus scientiarum*, doce me scientiam benè loquendi, vt recedant ex ore meo verba hominis veteris: assuescam verò sermonibus hominis noui.

Esto tu verborum meorum finis, & argumentum: loquar semper coram te, sequens tuam sanctam inspirationem; sic enim, *verba mea iustificabunt me* in tuo iudicio, vt me remuneres præmio æterno. *Amen*.

r *Eph*. 5. 4.
Hom. 17 *in eum locum*.
s *Eccl*. 32. 14.
S. Ambr. 1. *Offic*. c. 23.
S. Hier. in Epitaph. ad Eustoch.
S. Bern. 1. *de consid*. c. 11. & *Ser*. 31 *paruo*.
S. Thom. 2. 2. q. 99. a. 3. ad 3. *Sap*. 1. 11.
t *Eccl*. 5. 1.
u *Prou*. 10. 19.
x *Eccl*. 20. 8.
S. Diadocus lib. de perfect. spiritua li c. 10.
Refert Turrecre Tract. 39 *supra*.
y 1. *Reg*. 2. 3.
z *Matt*. 12. 37.

CAPVT XVII.

DE TENTATIONIBVS ACEDIAE, TEPIDITATIS, & pusillanimitatis, quæ orationem, & fructus eius oppugnant: & qua ratione illæ ab ea expugnentur; pugnando scilicet contra inanes timores laboris & difficultatis ipsius virtutis.



ADVERSVS Orationem feruentesque fructus ab ea ad propriam nostram profectionem procedentes, de quibus hactenus est dictum, crudele bellum gerit vitium Acediæ, quam alio nomine tepiditatem, aut pigritiam, siue pusillanimitatem spiritus appellamus. quæ tædium quoddam est in omnibus actionibus vitæ Spiritualis, tàm Actiuæ quàm Contemplatiuæ, ex quo prouenit, vt omni bonæ actioni sese opponat, & hominem ineptum ad eam reddens, lamentabilem edat stragem. Quamobrē comparare illam liceret quartæ illi bestiæ, quam vidit Daniel de mari ascendentem. a *aspiciebam,* inquit, *in visione noctis: & ecce bestia quarta terribilis & fortis nimis, dentes ferreos habebat magnos, comedens atque cōminuens, & reliqua pedibus suis conculcans: & habebat cornua decem.* nec sine causa S. Propheta hic repetit, quòd ea visio fuerit *noctis.* quidquid enim geritur in detestanda Acedia, totum est nox tristitiæ, timores, ac terrores. Nec proprium illi nomen imponit: quia est monstrum quoddam, ex multis feris compositum; quamuis illis dissimile. Cætera enim vitia oculos præcipuè conijciunt in procurandas periturorum bonorum delicias, etiam cum iactura spiritualium & æternorum. Hæc verò bestia tota est in tædio, siue fastidio bonorum spiritualium, & æternorum. vel ipsa enim eorundem cogitatione affligitur. Quo fastidio adeò est fortis & crudelis aduersus virtutes, & bona opera: vt accipiat dentes ferreos, ac terribiles; profundas scilicet cogitationes, & imaginationes, quæ suam iram irritent contra virtutes, vt eas dissoluat, proijciendo in terram, contemnendo, pedibusque execrandorum suorum affectuum conculcando: quas super caput suum ponere debuisset. Maximam verò feritatem habet in *decem cornibus*, quæ sunt decem præcipuè tentationes, aut vitia, quæ Sancti Acediæ filias appellant: *pigritiam* scilicet & *laxitatem* in explendis diuinis præceptis; *otiositatem* & *somnolentiam* in bonis actionibus, tam vitæ Actiuæ, quàm Contemplatiuæ; *timorem* laborum & difficultatum, quæ sunt in ipsis virtutibus: *pusillanimitatem* & *timiditatem* cordis ad res magnas, arduaque facinora aggredien-

a *Dan. 7. 7.*

S. Greg. l. 31. Mor. c. 31. Isidor li. 2. de sum. bono c. 37. S. Tho 2. 2. q. 35. a. 4.

gredienda; *Diffidentiam*, ac *desperationem* in procurandis rebus spiritualibus: *rancorem* & *amaritudinem* contra eos qui ipsi resistunt, resque spirituales, quæ tædio ipsam afficiant: *diuagationem*, ac *distractionem* spiritus ad res illicitas & inanes, in quibus sese oblectet: *curiositatem, sensuum*, & *linguæ* ad loquendum *laxitatem: corporis* talem *inquietudinem*, vt non posit homo in loco vno quietus consistere; sed vagus sit, & inconstans in bonis exercitiis, ab aliis ad alia transeundo, &, ex tepiditate, illa omittendo: Denique *inconstantiam*, aut perseuerantiæ defectus in bono inchoato. His armis fera hæc virtutes omnes labefactat, nisi eam strenuè mortificemus, vincendo eius tædia, frangendo eius dentes ferreos, abscindendo plumbeos pedes, & euellendo fortia capitis eius arma. Quod procul dubio est difficillimum. quis enim contra seipsum arma accipiat, vt se mortificet, vt vincat, quando est tristis, piger, somnolentus, timidus, pusillanimis, diffidens, effusus, inquietus, rancore & tædio plenus? Et quemadmodum pauci sunt, qui tantum habeant pectus, & animi robur: ita sunt innumeri, qui cornibus, dentibusque huius feræ pereant. Sed quoniam omnium ferocissimi sunt timores, pusillanimitates, ac diffidentiæ, congrediamur cum illis, & cum falsis apprehensionibus quibus eorum timiditates innituntur, dum existimant inaccessos esse virtutum labores.

§. I.

Quid differat Spiritus malus à bono.

CIRCA virtutis arduitatem, vt victoria de hostibus adeò crudelibus, & vehementibus eorum apprehensionibus obtineatur, expediet, earum radicem aperire: benè perpendendo, quid intersit inter Spiritum Dei, qui est Spiritus feruoris, & fortitudinis; & spiritum Dæmonis, quem dicere possumus, a *spiritum pusillanimitatis*: quia eius tentationem suggerit. cuius proprietas est nimium exaggerare difficultatem, & asperitatem vitæ studiosæ, & simul debilitatem virium hominis; non solum naturæ, sed etiam gratiæ. Spiritus verò Dei contra, facilem reddit viam virtutis, exaggerando laborem vitiorum, & extollendo virtutem & efficacitatem diuinæ gratiæ, ad illis resistendum & virtutum perfectionem obtinendam. Hoc discrimen mirificè est delineatum ac depictum in duodecim illis exploratoribus, missis ad explorandam terram promissionis, quorum decem timore & pauore pleni, dixerunt populo: b *Venimus in terram, ad quam misistis nos: quæ reuera fluit lacte, & melle: sed cultores fortissimos habet*, qui eam propugnent; *& vrbes grandes, atque munitas: & nequaquam ad hunc populum valemus ascendere: quia fortior nobis est. ibi vidimus monstra quædam de genere gyganteo, quibus comparati, quasi locustæ videbamur.* quibus

a *Psal.* 54. 9.

b *Num.* 13. 28.

labore in terram ingredieris promiſsionis æternæ. Quod ſi puſillanimes ſequaris, ſuperaberis à tuis hoſtibus; non tam ob illorum vires, quàm ob tuam timiditatem & diffidentiam: excluderiſque æternùm à terra promiſsionis æternæ. O Deus Omnipotens, tuum Spiritum ſequi volo. Nam per tuam omnipotentiam facilis mihi erit, iucunduſque ingreſſus in terram hanc adeò felicem.

§. 2.

Rationes aliqua contra puſillanimium apprehenſiones.

QVOD ſi clarius perſpicere velis terriculamenta puſillanimis huius Spiritus, vt ea contemnas: audi, quid magnus quidam Sapiens audiuerit à pigro quodam; ſecum ipſo loquente: a *Leo*, inquit, *eſt in via:* nolo è domo exire, quia *in medio platearum occidendus ſum:* nec volo ad campum exire, b *Leo eſt* enim *in via, & leana in itineribus:* quæ abſque dubio me lacerabit. Præſtat itaque *in lectulo* meo manere, & in eo *me vertere, ſicut oſtium vertitur in cardine ſuo.* quò potuit vlterius peruenire timidi pigri falſa imaginatio? quàm vt præ metu ſibi fingeret, in plateis & foris in viis & itineribus leones eſſe ac leænas, adeò feroces, vt vnguibus, dentibuſque ſuis ipſum eſſent laceraturi, perſuadens ſibi, ſe neque pedes habere, ad fugiendum; neque vires, ad reſiſtendum: nec poteſtatem eſſe in terra, quæ illum poſſet defendere: & quod in omnium conſpectu, & mediis plateis eſſet interimendus? Quis leo & leæna hi ſunt, qui pigrum ita deterrent, vt ad nulla ſtudioſa exercitia prodire velit, niſi quod de lecto ſuæ pigritiæ, ſenſualibuſque voluptatibus totum dedat? Hi ſine dubio ſunt labor, & aſperitas virtutis, crux vitæ Chriſtianæ, & anguſtiæ vitæ perfectæ! Arcta, inquit, eſt hæc via, & ſtrictiſsima ſemita: non eſt cor mihi, vt eam ingrediar: grauiſsima eſt crux CHRISTI: non ſufficiunt mihi humeri ad portandum. Dæmon, tanquam leo rugiens, circuit, quærens bonos, ad deuorandum; tentationes, tanquam leæna, eos cruciant, & fatigant: malo quietus eſſe in domo mea, quàm tanto me periculo exponere. Conſidera igitur miſer, quid dixeris: Nam tuis ipſis verbis conuincam te, quòd vehementer decipiaris.

a *Prou.* 23.13.
b *cap.* 26.13.

Primum itaque ſciendum eſt tibi, leonem non adeò eſſe ferocem, atque depingitur; nec vitæ Chriſtianæ atque perfectæ aſperitates, adeò eſſe terribiles, atque tua pigritia illas ſibi fingit. Nam, eſto tepidis ac puſillanimibus, qualis tu es, illæ ſint leones: at feruentibus & ſtrenuis, ſunt formicæ. Quamobrem (vt ait Sanctus Gregorius) Dæmon appellatur *myrmicaleo:* quod ſignificat formicam leonem: quia fortibus, qui animoſè illi reſiſtunt, eſt formica; timidis verò, & qui præ timore illi ſe tradunt, eſt leo.

Lib. 4. *Mor. c.* 17. *in id Iob.* 4.11. *tygris periit.*

quæ differtur, affligit animam: quod ſi expleantur, etiam te occident: quia tuam conſcientiam amaritudine replebunt, quæ, teſte S. Leone Papa, eſt ſibi ipſi continuus cruciatus, ſentit enim in ſe ipſa pœnam & ſupplicium, quod Deus ex bonitate ſua inferre differt. quare nullum aliud tibi ſupereſt remedium, quàm te occidentem iugulare: mortificare ſcilicet deſideria, quæ te cruciant, & timores conculcare, qui te terrent. Luctare cum iſtis vt tu appellas, leonibus, donec eos l *dilaceres*, ſicut Samſon. Nam in cadauere iſtius leonis, in mortificatione ſcilicet iſtius timoris, qui te terrebat, inuenies *fauum mellis*, & cœleſtem quandam dulcedinem, qua mirificè animaberis ad progrediendum in via tua. quam dulcedinem, etſi nunc non experiaris, ne tamen animum abiicito. Eſt enim ſtrenuorum militum, qualis fuit m *Banaias, percutere leonem in diebus niuis*, & quando quis frigore riget: & gratia diuina ſupplebit imbecillitatem tuam, vt victor euadas. & quò victoria erit illuſtrior, eò erit maior dulcedo & n *manna abſconditum* copioſius Deus tibi in ea victoria largietur.

Serm. S. Epiphan.

l *Iud. 14. 8.*

m *2. Reg. 23. 10.*

n *Apoc. 2. 17.*

VT autem miſeriam hanc tepidi, fœlicitatem verò feruentis agnoſcas, audi quæ S. Bernardus refert de vtroq;. Semper enim, & in quacunq; communitate, etiam religioſa ſolent aliqui ex vtroq; genere inueniri: aliqui, inquit ſunt puſillanimes, ac deſides, qui deficiunt ſub onere, & indigent virgâ & calcari: vt vel ad vnum paſſum progrediantur in virtutis itinere. lætitia eorum eſt exigua, triſtitia timida, compunctio rara, cogitatio bruta, conuerſatio tepida, obedientia indeuota, verba incircumſpecta, oratio ſine attentione, lectio ſine vtilitate: quos vix timor inferni terret, aut pudor continet, aut ratio cohibet, aut corrigit diſciplina. Nunquid non licet de horum vita dicere, quod ſit proxima, & ſimillima inferno? Quamobrem, fratres, qui his ſimiles ſumus, exſurgamus, & reficiamus animas noſtras: abijciamus à nobis pernicioſum torporem, ſi non eò, quod ſit periculoſus, Deumq; ſoleat prouocare *ad vomitum:* ſaltem propterea, quod ſit moleſtiſſimus, miſeria & dolore plenus, inferno vicinus, & vmbræ mortis. Sed alij ſunt, qui in omnibus vijs perfectionis non pergunt modò, ſed currunt, & volant, pleni conſolatione & gaudio: meditantur legem Dei die ac nocte, & frequenter oculos ſuos in cœlum infigunt, leuantes puras manus in Oratione: quibus diſciplina eſt amabilis, ieiunium dulce, vigiliæ breues, aſpera veſtimenta ſuauia, labor manuum delectabilis, & omnem aſperitatem reputant requiem. O felix feruor, qui tantum affers leuamen! Sed quomodo non erit leuamen, vbi eſt amor? Nam vbi amor eſt, ait idem Sanctus, non labor eſt, ſed delectatio. Et labor meus vix eſt vnius horæ: quod ſi diutius durat, præ amore eius, illum non ſentio: hic enim reddit iugum illud ſuaue, & onus leue.

Serm 6. de Aſcenſione.

Apoc. 3. 16.

Idem Serm. 3. de Aſcenſ.

Serm 65 in Cant.

§. 3.

Quòd timores vincantur aggrediendo illos: & quo pacto sint aggrediendi.

SVPERIST, vt modum explicemus, hos timores & pusillanimitates mortificandi. præmittendum est autem: huiusmodi tentationes & vitia (vt Cassianus ait) non fugiendo, sed ea aggrediendo esse vincenda. in quo (vt ait S. Tho.) differunt à tentationib. libidinis, quæ vincuntur fugâ internâ & externa: remouendo scil. cogitationes rerum delectabilium, quæ nos inuadunt: & corpus ipsum ac sensus eisdem rebus subtrahendo, vt ab eis remoti simus. Timores verò tædiaq; vincenda sunt, resistẽdo, & aggrediendo, tam interius, cogitationib. & affectibus spiritus; quàm exteriùs, exercitijs & actionibus corporis. interior aggressio fieri debet, ponẽdo in Oratione ante oculos animæ omnes hos leones, & leænas, quas perhorrescis: omnesq; difficultates & rigores, qui te terrent: vt cum eisdem congrediaris, adhibitis bonis considerationibus, & rationibus, fusisq; ad Deum precib. ac petitionibus, vt te adiuuet, teipsum offerendo bona voluntate, & efficaci desiderio frangendi oẽs difficultates, & acceptandi hos labores: quò tuam conscientiam liberes ab anxietatibus, & amaritudinibus, quas patitur: vt inferni supplicia euadas: vt præmia cœlestia consequaris: virtutis delicijs fruaris: pro tuis peccatis satisfacias, pro acceptis diuinis beneficijs gratum te exhibeas: vt Deo placeas, tuumq; Redemptorem imiteris, qui in horto Gethsemani cum his timorib. a *tædiis ac tristitiis* congressus est: & contra hos b *tauros* & *vnicornes*, qui agmine facto ipsum inuaserant, intus in anima decertauit, ac vicit.

Lib. 10. c. 5.

22. q. 35. a. 1. ad 4.

a Mat. 26. 37. Marc. 14. 33. Luc. 22. 43. b Psal. 21. 13. 22.

ET quoniam ad horum executionem, necessaria est fiducia de diuina Omnipotentia: quærendæ quoq; sunt rationes, quæ eandem fiduciam exacuant. Perpendes itaq; *imprimis*, non deesse Deo potentiam ad te adiuuandum, nec voluntatem: quia id tibi promisit. *Deinde* pugna hæc, ipsius potius est, quàm tua: & eius erit gloria victoriæ tuæ. *præterea* Christus D.N. suos timores vicit, vt fortitudinem tibi compararet, ad tuos vincendos. c *confidite*, inquit: *ego vici mundum*. ego vici timorem, tædium, & peccatum: & in virtute mea eosdem quoq; hostes vos vincetis; tanquam d *scuto* (ait) *circumdabit te veritas mea, non timebis à timore nocturno: super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem*. Nec itaq; timeas leonis feritatem: fortior enim est DEVS, qui pugnat in te, vincetque per te.

c Ioan. 16. 33.

d Psal. 90. 5. 13.

HIS itaq; benè animatus, exteriorem cum laborib. congressum aggredieris, incipiendo aliqua opera difficilia, & superando repugnantiam, quã senseris in progressu: procurando (vt dixit Sapiens) e *esse quasi Leo* fortis, & *con-*

e Prou. 28. 1.

fidens

fidens absq; terrore, & timiditate ad eũ modum, quo Christus D.N. f *processit*, vt hostib. suis occurreret: seq; obtulit, vt ab eis, *comprehenderetur*. Attende animi magnitudinem, qua Dauid processit aduersum Philisthæum Gigantem Goliath, dicens illi: g *Tu venis ad me cum gladio, & hasta, & clypeo:* his armis tuisq; virib. fidens: *ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminũ Israel, quib. tu exprobrasti hodie: & dabit te Dominus in manu mea, & percutiam te, & auferam caput tuum à te, & dabo cadauera castrorum Philisthiim hodie volatilib. cœli, & bestiis terræ: vt sciat omnis terra: quia est Deus in Israel: & nouerit vniuersa Ecclesia hæc: quia non in gladio, nec in hasta saluat Dominus*, sed sua omnipotentia. *ipsius enim est bellum*. O vir plusquam vir! O gigas gigantibus animosior, magisq; strenuus! meritò de eo dictum est, h *quod percußisset Dauid decem millia:* nam vel vnus vir feruens, Deoq; confidens præstat decem millibus tepidorum timidorum, qui hanc confidentiam non assequuntur. Timet Saul, tremunt eius Duces, præ timore fugiunt milites, ex solo aspectu Goliath, & auditis eius minis & iactantijs; cui tamen vnus pastorculus se opponit, & exprobrare audet: eò quòd nouit in Deo confidere, in cuius virtute certamen cum illo aggreditur: & prius victoriam iactat, quàm pugnam auspicetur: & non habens gladium, minatur se caput eius amputaturum: parumq; existimans esse, si solum vinceret gigantem, eiusq; corpus proijceret volatilibus cœli & bestijs terræ: minatur, se idem facturum omnibus castris Philisthinorum, eò quòd non suum, sed *Dei sit bellum*: in quo non est pugnandum armis præcipuè humanis, sed diuinis: neq; dirigitur ad gloriam hominum, sed Dei: vt mundus agnoscat eius omnipotentiam, quæ multò amplius resplendet, cum debilis quispiam & inermis superat fortes, & armatos, eosq; ponit sub pedibus suis. O diuina fortitudo, debili carne vestita! tu Dæmonem vincis, carnem subijcis, timorem destruis, & gigantes tanquam panem deuoras: leonum maxillas confringis, & vrsos discerpis: qui nos impediunt ab ingressu terræ promissionis, in quam tu nos inducis, ad degustandum lac, & mel cœleste. idq; non cum defatigatione, & labore, sed cum quiete & leuamine. i *qui* enim confidunt, & *sperant in Domino* (ait Isaias) *mutabunt fortitudinem* ab humana in diuinam; *assument pennas sicut Aquilæ, current, & non laborabunt: ambulabunt, & non deficient.* k *Dicite* ergò *pusillanimis: confortamini, & nolite timere: ecce Deus ipse veniet & saluabit vos.* Quid timetis? quid fugitis? Si Pharao vos persequetur, si vos impediri videbitis ab amaro mari multarum tribulationum, l *nolite timere: sed state & videte magnalia Domini*, quæ facturus est: *ipse diuidet mare*, planumque faciet vobis transitum: vt nihil vobis noceant istæ difficultates. si m *flumen* timetis tentationum, quod *exit ex ore serpentis*, confidite in Deo, qui vobis *dabit alas aquilæ, ad volandum* in locum securum. Si itineris prolixitas eiusque

f Ioan. 18. 12

g 1. Reg. 17. 45.

h 1. Reg. 18. 7.

i Isaiæ 40. 31.

k Isaiæ 35. 4.

l Exod. 14. 13.

m Apoc. 12. 15.

aspe-

asperitas terret, attendite quid ipse Dominus dixerit: quod curretis, & non laborabitis: ambulabitis, & non deficietis. Ne vobis deficiat fiducia: & certi estote, non defuturum vobis eius auxilium.

§. 4.

Aliqua documenta circa hunc conflictum spiritualem.

SI NOSSE vis peculiaria aliqua documenta, vt in hoc congressu victor euadas: ipsum Dauidis factum multa complectitur.

1. NAM primum viriliter restitit ijs, qui à sua cogitatione & conatu eum auertere volebant: Eliab scilicet frater eius natu maior, qui ei dixit: a *Ego*
a 1. Reg. 17. 28. *noui superbiam tuam, & nequitiam cordis tui*: & Saul, qui dicebat illi: *non vales resistere Philisthaeo isti, nec pugnare aduersus eum, quia puer es*, parumq; in bello exercitatus: hic *autem vir bellator est ab adolescentia sua*. Sic tu postquam decreueris, & statueris hoc certamen Spiritus auspicari, noli falsis fratribus fidem adhibere, nec nimium prudentibus. prudentia scilicet carnis, qui ab eo te volunt auertere, objiciendo arrogantiam in aggrediendo, & imbecillitatem ad inchoandum. Non enim superbia censenda est, sed potius magnanimitas, quæ nititur fiducia in Deum. Hæc enim supplet imbecillitatem nostram. Quod si nunquam certamen auspiceris, nunquam experieris victoriam. præcipuè cùm nunquam aliqua desit victoria, quæ antea præcesserit: cuius memoria animum nobis addat, quemadmodum euenit
34. ipsi Dauid, qui respondit Sauli: *pascebat seruus tuus patris sui gregem, & veniebat leo, vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis: & persequebar eos, & percutiebam, eruebamq; de ore eorum: & illi consurgebant aduersum me: & apprehendebam mentum eorum, & suffocabam, interficiebamq; eos. Nam & leonem & vrsum interfeci seruus tuus. erit igitur & Philisthaeus hic incircumcisus, quasi vnus ex eis: nunc vadam: quia Dominus, qui eripuit me de ore leonis, & de manu vrsi, ipse me liberabit de manu Philisthaei huius.* Memor itaq; esto frater, si fortè Deus ab aliquo te periculo liberauit, deditq; insignem victoriam periculosæ alicuius tentationis, & confide, quemadmodum dixit Apostolus,
b 2 Cor. 1. 10. quod b *qui de vno periculo te eripuit, adhuc eripiet* à multis alijs; & qui vnam dedit victoriam, addet adhuc multò plures: quod si necdum in te tale quid es expertus, recurre ad experientiam, quam alij habent: qui enim alios eripuit, te quoq; eripiet.

2. MOX verò accipe alterum eiusdem Dauidis documentum, qui non expectato Regis præcepto, quo, ad pugnandum cum gigante, obligaretur; ipsemet sponte sua, non coactus, neq; monitus, ad certamen se obtulit; vt Dei honorem, & sui populi ab angustijs, quibus premebatur, liberationem, propugnaret. & hac animi magnitudine perrexit ad locum certaminis, in

quo

quo erat Gigas;cui exijt obuiam,nullum timoris dans indicium; sed potius præ se ferens, quod parui illum faceret. Sic igitur tu, vt viriliter hunc hostem aggrediaris, non expectes vt iniungantur ac præcipiantur tibi res arduæ,ac difficiles diuini obsequij;sed confidens Deo, teipsum ad illas offer, ad maiorem perfectionem consequendam, siue ob maius proximi tui bonum;siue ob tui Creatoris maiorem gloriam. Quod si opus erit,etiam obuiam ito hostibus tuis;quemadmodum Dux tuus Iesvs suis hostibus obuiam iuit. Ne illos timeas, sed potius eis, cum Magno Antonio exprobra: quo enim plus tibiipsi diffidis,eo securius confidis Deo: terresq; Dœmones timentes diuinam potestatem, in homine iusto resplendentem, cum is indutus est virtute ex alto,quæ fortem illum reddit ac magnanimum ad quęuis aggredienda,quæ sint obsequij diuini.

Tertivm esto documentum, vt quemadmodum Dauid, primus est aggressus Gigantem, contrarij exercitus ducem; nec expectauit,vt propè ad se accederet;sed *cùm surrexisset, & veniret contra ipsum,Dauid festinauit ipse ad pugnam ex aduerso,tollensq; vnum lapidem,& funda circumducens*, nō dirigens ad pedes,aut brachia,aut pectus, sed ad caput, *percussit Philisthæum in fronte; & infixus est lapis in fronte eius: & cecidit in faciem suam super terram.* nec hoc contentus Dauid, *cucurrit & stetit super Philisthæum,& tulit gladium eius,& interfecit eum, præciditq; caput eius.* & in his omnibus Festinavit ac Cvcvrrit.festinanter inquam hæc omnia fecit, non hærendo,aut locum alijs relinquendo, qui possent hosti suppetias ferre. Ad eum itaq; modum in virtute Dei aggrediendus tibi est maximus, quem habes, hostis,& qui te maximè terret:mortificando eam passionem,quę maximè tibi nocet. Nec expectandum tibi est,vt tentatio multum tibi appropiet;sed mox,atq; se insinuat,iaciendus est in illam lapis resistentiæ; dirigendusq; in ipsum caput serpentis, vt statim confringatur, & in suis principijs comminuatur: dissoluendo scil.maledictas eius designationes, & fines,ita vt nec reuiuiscere possit,nec reuirescere, remouendo omnes occasiones. quib.illa fouetur, sicut faciebat Dauid,cùm diceret: c *persequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non conuertar, donec deficiant: confringam illos, nec poterunt stare: cadent subtus pedes meos.* nec amplius surgere poterunt. Hoc totum festinanter tibi est faciendum, non pedetentim, remissè, ac tepidè:sed diligenter,& in feruore spiritus. Nam vel vna feruens victoria solet hominem ab insigni aliqua miseria perpetuò liberare, & vnus actus virtutis intensus præstat multis remissis. 3.

c Psal. 17. 38.

Ad prædicta omnia magnum afferet compendium, vt quemadmodum Dauid non distulit prospicere sibi de lapidibus contra gigantem, ad illud tempus, quo sibi erat congrediendum: quia tunc fortè aut non ita in promptu, aut ad manum inuenisset, nec adeò aptos & accommodatos ad 4.

finem intentum: &,dum illos quæreret, tam propè Gigas accesſiſſet,vt ipſi
non liceret funda vti ad lapidem iaciendum: quare valdè prouidè prius eos
quæſiuit,& *elegit ſibi quinq; limpidiſsimos lapides de torrente, & miſit eos in pe-
ram paſtoralem,quam habebat ſecum, & fundam in altera manu, baculum autem
in altera tulit.* ad eum itaq; modum non debes reijcere ac differre, vt de
armis tibi proſpicias contra tuos hoſtes, in tempus conflictus: cum ſcilicet
iam tentatio contra te inſurrexerit. poſſet enim accidere tibi, vt tunc non
ita tibi in promptu eſſent remedia, ſicut opus eſſet: & interim aduerſarius
Dœmon,qui diligentiſsimus eſt, in ſuggerendis tentationibus, inuaderet,
occuparetq; cor tuum. Quare valdè tempeſtiuè colligendæ ſunt tibi ex
clariſsimo ſacrarum Scripturarum torrente, & meditatione diuinorum
myſteriorum,veritates,& rationes, luxq; variorum mediorum contra ina-
nes illos timores,& reliquas tentationes; quæ veritates in tua memoria ſunt
recondendæ,vt quando tentatio caput erexerit,ex vſu tibi eſſe poſsint. Ac-
cipe in vna manu baculum crucis Chriſti,eam amplectendo, Chriſtiq; cru-
cifixi virtuti innitendo:excita in te deſiderium in rebus omnibus eum imi-
tandi:in altera verò manu accipe fundam Fidei meditatione veritatum eius,
& obedientia præceptorum extimulatæ: & hac ratione adeò potenter ia-
cies lapides,vt valeant ipſas infernales poteſtates proſternere,iuxta promiſ-
d Zach. 9. 15. ſionem Zachar. prophetæ dicentis: d *Dominus exercituum proteget eos: &
deuorabunt, & ſubijcient* hoſtes ſuos *lapidibus fundæ: & bibent* eorum ſangui-
nem cum tanta voluptate & in tanta abundantia, vt *inebrientur, quaſi à vino.*
e Iob 17.3. O Deus exercituum,debilium protector,ac defenſor: e *pone me iuxta te,
& cuiuſuis manus pugnet contra me.* f *Si tu mecum es, non timebo.* &, ſi tu pu-
f Psal. 22.4. gnas pro me, quis me poterit ſuperare: in nomine tuo ad certamen prodi-
bo; armis tuis hoſtem aggrediar, à te victoriam ſpero, qua te glorificem:
g Apoc. 4. 10. omnes g *coronas meas ante thronum tuum*, & ad pedes tuos *mitto*: quia tua
virtute eas obtinui. inebria me fortiſsimo amoris tui vino, quo tantum
accipiam animi robur, & fortitudinem; vt neq; inferni poteſtates timeam:
neq; virtutis laborem ſentiam: donec eius præmium obtineam.

SVPEREST vltimum documentum pro eo tempore, quo ſpiritua-
le certamen eò deuenit, vt cum vltimo acediæ gradu ſit confligendum,
etiam ſine culpa; eò quod hinc verſeris inter fortes aduerſarios; inde
verò armis careas, & gratiæ auxilijs deſtitutus eſſe videaris: afflictus ve-
4. ro ariditatibus, deſolationibus, nebulis, tædijs, & internis deſertioni-
bus ita vt nullus tibi aditus pateat ad feruorem orationis & meditatio-
nis: quaſi inter cælum & terram ſuſpenſus tenereris: nihil habens, cui
poſſes inniti: aut quemadmodum cruci affixus, qui non poſsis manibus,
aut pedibus vti. In his itaque anguſtijs, non eſt tibi animus abijciendus,
& fiducia: ſed, quo modo poteris, eleuandi ſunt oculi, & aſpicienda

illa


illa desertio, quam Iesus, Dominus & Capitaneus tuus in certaminibus suæ passionis habuit: ad cuius imitationem duplicibus armis est vtendum.

PRIMA sunt patientiæ, & resignationis in voluntate Dei, offerens te ad hauriendum calicem, quem ipse tibi offert: dicens cum S. Iob. h *hæc mihi sit consolatio, vt affligens me dolore*, ita maneam, quemadmodum ipse vult, & quia ipse vult, & tam diu, quam diu ipse voluerit: vt non i *ponas tempus miserationis Domini, nec in tuum arbitrium diem constituas ei, vt mittat tibi adiutorium.* Quemadmodum fecerunt Ozias & presbyteri in Bethulia, quos arguit propterea Iudith. Sed sicut illa suasit, *dicas flens Domino: vt secundum voluntatem suam, sic faciat tecum misericordiam suam*: & omnino te subijcias suaui & beneuolæ eius prouidentiæ: Mox verò orationis arma corripias, quo modo licebit: saltem ore petendo auxilium ab eo qui te affligit, adhibitis titulis & causis superiùs positis. Præcipuè verò dicendo cum Dauide: k *iustificationes tuas custodiam, non me derelinquas vsquequaque*, quasi diceret: non peto, ne me deseras, quatenus opus est, vt prober: Sed ne ita me deseras, vt vincar, & succumbam. Quod, si cum humilitate & resignata confidentia, feceris: poteris certus esse, quod licet sensibile auxilium tibi desit, non deerit tamen auxilium forte, & efficax quo possis victoriam obtinere, donumq; perseuerantiæ. de quo in proximo iam capite dicetur.

h *Iob* 6. 10.
i *Iudith.* 8. 8. 10. 17.
Tract. 1. c. 14.
k *Psal.* 118. 8. *Cassian. coll.* 4. c. 6.

CAPVT XVIII.

QVA RATIONE VINCENDA SIT TENTATIO mutabilitatis, & inconstantiæ, quæ ex tepiditate, & acedia oriatur: & quam sit præstans virtus perseuerantiæ.



OMNES ferè tentationes Acediæ & Tepiditatis, eò tendunt, vt excelsam perseuerantiæ virtutem. cui est promissa corona, deijciant. Nam vt dixit Saluator: a *qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit*. Hæc perseuerantia varios habet gradus. *Primus* est, perseuerare in vnoquoque bono opere quod inchoamus, donec ad finem perducatur. Idq; valdè perfectè. *Secundus* est, perseuerare in eo vitæ statu ac modo, quem ex Dei voluntate suscepimus: non dimittendo illũ, nec ab eo retrocedendo pro nostro libitu. *Tertius* & supremus gradus est, perseuerare

a *Matth* 24. 13.
S. Tho. 2. 2 q. 137. a. 1. ad 2.

in decursu bonæ vitæ vsq; ad eius finem : &, si quando contigerit aliquis lapsus, statim reparetur, vt progressus semper fiat in virtute vsq; ad mortem.

[a] S. Tho. 2. 2. q.136 a 5 & q 137. ar. 1.

Vtraq; hæc perseuerantia duplicem habet difficultatem valdè molestam alteram ex parte impedimentorum occurrentium ob labores & asperitates, de quibus proximo capite dictum est: alteram ex parte diuturnitatis, quæ cum diu durat, hoc solo nomine fastidium affert, ac tædium. Vtraq; autem vtitur Dæmon ad nos crudeliter impugnandos. aggreditur enim nos (teste S Gregorio) suis tentationib. trib. temporibus: initio scilicet, medio, ac fine vitæ, & operum, quæ præstamus. & initio quidem maxima sua delectatione: eò quòd, si vincat, maius illi obueniat lucrum: quia totum impedit opus: in fine verò vehementiori accedit rabie b *habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habeat.* In medio autem vtrumq; coniungit. diuidens enim opus in duas partes æquales, triumphat de nobis ob inconstantiam nostram, & superest illi adhuc plus temporis ad pugnam prosequendam. hæc enim prima victoria animum illi addit ad secundam obtinendam: nobis verò aufert animum ad illi resistendum, redditq; timidiores ad prosequendum iter. propterea siquidem Christus D. N. dixit: c *Nemo mittens manum suam ad aratrum,* inchoans scil. feruenter exercitia mortificationis & imitationis eius, si defatigatus in medio itinere *respiciat retrò,* & libenter cogitet de voluptatibus, quas reliquit *aptus est regno Dei:* nec eius iustitiam, pacem & gaudium assequetur: nec alia bona, quæ perseuerantibus in suis laboribus promittuntur, in cœlo reddenda.

Lib. 1. Mor. c. 38.

b Apoc 12. 12.

c Luc. 9. 62.

SED quis recensere poterit artificia & machinas, quibus vtitur, ad perseuerantiam oppugnandam in medio itineris? ea tamen videbis depicta in lugendo quodam casu, qui euenit cuidam magno prophetæ, à Deo D. N. ad Regem Ieroboam misso, vt quædam in sermone Domini ei nunciaret: cui Prophetæ mandatum fuerat, *in sermone Domini, præcipientis: ne comederet panem, neq; biberet aquam in loco illo:* qui statuerat omninò sermoni DOMINI obedire: Dæmon verò tres valde efficaces adhibuit vias, vt virum DEI ab instituto reuocaret. *Prima* via fuit violentiæ, à qua Deus illum liberauit: quia *exaruit manus* Regis, qua illum apprehendere voluit: quamuis, *orante viro Dei faciem Domini, reuersa est manus Regis ad eum.* sed mox *pollicitationibus* magnis eundem est aggressus: *veni* inquit *mecum domum, vt prandeas, & dabo tibi munera:* cui etiam tentationi viriliter restitit, dicens: *si dederis mihi mediam partem domus tuæ, non veniam tecum.* Denique *rediens per aliam viam, quam venerat, sedit* defatigatus *subtus terebinthum,* & famelicus: vbi tertiò est illum aggressus *astutè & fraudulenter* per falsum quendam prophetam, qui dixit illi:

d 3. Reg. 13. 4.

& ego propheta sum similis tui: & angelus locutus est mihi in sermone Domini dicens: reduc eum tecum in domum tuam, vt comedat panem, & bibat aquam. & qui initio neque violentię, neque muneribus cessit, in medio tamen, hostis astutiâ, videntis illum in itinere hærentem, fuit superatus: accessit enim ad falsum Prophetam, & *comedit panem in domo eius, & bibit aquam.* Quamobrem cum, postquam comedisset, abiret *inuenit eum leo in via & occidit.* Quid autem hoc aliud est, nisi quod eo facto, Dæmonis astutia nobis manifestetur, quem Dauid appellat *Dæmonium meridianum*? qui aggreditur eos, qui à tempore matutino laborarunt, vt præ defatigatione sistant in medio itinere. & cum nec minis, nec pollicitationibus superare illos potuerit: efficit, vt sub prætextu alicuius corporalis leuaminis, relaxent spiritum sedeantque sub vmbra boni alicuius temporalis, quo oblectantur. Et cum postea ad iter suum prosequendum reuertuntur, idem, qui Draconis astuti instar eos decepit, iam tanquam Leo ferox eosdem occidit, ac conterit, spolians eos vitâ animæ, & extremâ perseuerentiâ per repentinam corporis mortem. Ne confidas in eo, quòd fueris Propheta, legatusque Dei, neque quod magna miracula edideris, neque quod insignes victorias reportaueris. Nam si curam & solicitudinem tui negligens, subsistere incipias in medio itinere, crudelis hic hostis spoliabit te primâ in bonis operibus perseuerantiâ, & postmodum etiam vltimâ in bona vita: qua ratione coronam amittes.

EVENIET quoque tibi, quod nunciis Dauid, quos ille c *miserat, vt consolaretur Regem Hanon super patris interitu; qui tamen rasit dimidiam partem barbæ eorum & præscidit vestes eorum medias vsque ad nates, & dimisit eos turpiter valde confusos.* Barba (inquit S. Hieronymus) indicium est cordis virilis: eius autem defectus, animi muliebris & effœminati. Quid itaque est, quod Hanon radat medias barbas nunciorum Dauid, nisi quod Dæmon auferat à seruis Christi fortitudinem, pectusque virile; quo cœperunt illi seruire: efficiens, vt in medio itinere, animo effœminato, valdeque timido intermittant bonum quod inch[o]auerant. quamuis non statim omnem auferat fortitudinem, sed eius partem. Nam etsi fortes maneant, constantesque in credendo: non sunt tamen tales ad operandum: sunt fortes, ad aliqua bona opera, ad alia verò debiles. Et hac ratione vestem eorum talarem, quæ ad pedes vsque descendit, mediam scindit: quæ vestis, teste S. Gregorio, figura est perseuerantiæ. cum enim primam vitæ suæ partem benè vixerint, pretiosisque virtutum vestimentis eam exornarint, eisdem illos exuit in vltima vitæ parte, occasiones offerendo, in quibus incidant in aliqua peccata fœda, cum ingenti suo pudore. Quamobrem sicut Dauid iussit seruos illos suos non venire ad suam aulam, donec barba illis cresceret: sed vt hærerent in Iericho, quæ ciuitas erat in regni confinibus prope Iordanem fluuium: Ita, qui miserè deficiunt in bonis inceptis non poterunt in cellam intrare, nec

c 2. Reg. 10. 2 4.

In Ezech. 5.

Lib. 1 Mor. c. vlt.

in Dei conspectu comparere, aut familiaritatem siue fauorem aliquem in eius præsentia inuenire, nisi prius damna reparent, quæ fecerunt: lauantes scilicet culpas suas in pœnitentiæ Iordane: & redeuntes ad pristina virtutũ exercitia: quo partem vestimenti recuperent, quam lacerauerant: iuxta documentum ipsius Christi D. N. cuidam Episcopo datum, qui f *charitatem primam reliquerat*, & feruorem, quo inceperat: *memor* (inquit) *esto vnde excideris: & age pœnitentiam, & prima opera fac. sin autem mouebo candelabrum tuum de loco suo*, permittamque vt in vltima perseuerantiâ deficias: amittasque locum, quem occupabas in Ecclesia mea, & quem in regno meo fuisses occupaturus. Quod si ad primum feruorem redieris, non amittes nec primum locum, nec coronam tuam: eo quod præteritam inconstantiam reparaueris.

f *Apoc.* 2. 4.

Sed quodnam mysterium latet, quod Dauid seruis suis dixerit, vt hærerent in Iericho, quod interpretantur Lunam? & (vt ait S. Gregorius) miserum hunc mundum significat, qui locus est mille mutationibus subiectus? fortè vult te monere, quòd, quamuis occuperis in exercitiis pœnitentiæ, agasque de reparando malo admisso, & licet contendas magno feruore perseuerare in virtute: debeas tamen meminisse, quod habites in Iericho, loco scilicet mutationis: ac proinde te non posse perseuerantiæ tuæ fidere. Si enim g *qui in cœlo ei seruiunt, non sunt stabiles*, vt dicitur in Iob: quanto minus tu eris stabilis, si, manens in terra Iericho, quæ ipsa est mutabilitas, tuis viribus relinquaris. Quod si hodie sis sapiens, crastina die eris h *stultus, & ita sicut luna mutaberis*, splendore amisso, quem receperas. Veruntamen sanctus hic timor conferet ad constantiam, & fortitudinem, licet habites in Iericho: si tamen adiunxeris fiduciam in Deum, vt proximo capite diximus. Siquidem eius Propheta dixit: i *Qui sperant in Domino* non solum *pennas assument sicut Aquila*, vt volent, nec solum *current, & non laborabunt*: sed etiam *ambulabunt & non deficient*. Quod ipsum multo maius studium est Dei erga eos. Nam semel feruenter currere etiam sine labore in stadio, non est adeò difficile, ad breue tempus: quod si perseuerantia ad finem vsque tibi desit, quam vtilitatem attulerit præteritus feruor? ingens itaque beneficium est, & vltimum, quod Deus confert, cum dat tibi bonum quendam gressum & durabilem in itinere virtutis, ita vt vsque ad viæ terminum non deficias: sed peruenias ad optatum gloriæ brauium.

S. Hieron de nominib. Hebraic.
Hom. 2 in Euangel.
g *Iob.* 4. 18.
h *Eccl.* 27. 12
i *Isai.* 40. 31

§. I.

Rationes, quæ ad perseuerandum impellunt.

SED quoniam cor hominis magnum recipit spiritum ex ratione & exemplo, si vis ad perseuerantiam excitari, conijce oculos in Cœlum: &
1. attende, quantopere diuina Maiestas de ea fuerit gloriata. Nam, cum opera

sua incipere voluit, vnumquodque illorum absoluit cum tota eius perfe-ctione, perseuerans, donec illud exornaret & finiret, ita vt postquam fecisset, dicere posset: quod esset bonum: nec cessauit, donec totum opus creationis huius vniuersi, omnes suas partes valde integras haberet ac perfectas, ita vt videns omnia simul, dixerit: & a *erant valde bona.* & ab eo tempore semper perseuerauit per aliquot millia annorum in conseruando & gubernando hoc vniuerso, & in multiplicandis Creaturis, quibus nunc frueris. Cur ergo tu non perseueres in eodem amando, ei obediendo, ac seruiendo: qui tam diu perseuerat in benè tibi faciendo? & cur non perseueres in perficiendo quocunque opere eius seruitij: siquidem ipse adeò perseuerat, faciendo, quę tibi sunt vtilia? O rerum omnium conditor; concede mihi vt in tuo seruitio perseuerem, sicut sol hic visibilis in conseruanda semper sua luce, meq; illuminando perseuerat: quia tu id ei præcipis. multò verò magis imiter constantiam, quam tu sol inuisibilis seruas in replendo me semper tuis bonis. Da mihi Domine excellsæ tuæ gratiæ lumen, tuæque diuinę charitatis ardorem ita firmum, vt nulla res creata ab ea me possit separare. a Gen. 1. 31

Forte dices: quid mirum, quod talem Deus habeat perseuerantiam? siquidem nullam in agendo habet difficultatem, aut laborem: nec est, qui illi resistat. nam cum b *dixit Deus: fiat lux, facta est lux*: & quæ c *ipse dixit, facta sunt, & quæ mandauit, creata sunt*: tibi autem magno labore constat, quodcunque opus bonum facias, magnamque inuenis resistentiam. Sed leua oculos ad eundem Deum factum hominem, vt admirandæ constantiæ exemplum tibi daret: perseuerauit enim in operibus molestissimis, & laboriosissimis tuæ redemptionis toto tempore triginta trium annorũ, sustinens grauissimos dolores, & contradictiones, quæ nunquam potuerunt eum ab incepto opere reuocare donec illud ad finem vsque perduxit: ita vt vltima nocte suæ vitæ, patri suo æterno dicere potuerit: d *opus consummaui, quod dedisti mihi, vt faciam*: & in cruce pendens, paulò antequam expiraret, dixit: e *consummatum est*: quod intelligitur tam generatim, quàm speciatim. eius enim Oratio fuit consummata & perfecta: paupertas, patientia, & obedientia, cæteraq; opera, quæ fecit, omnia fuerunt perfectissima: in quibus ad finẽ vsq; vitæ durauit f *seipsum humilians, factus obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis*: in qua pependit sustinens grauissimos dolores ac desolationes. Quò verò eius perseuerantia magis emineret, permisit accedere Sathanam ad ipsum tentandum, per os Scribarum & Sacerdotum dicentium? g *descendat nunc de cruce*, & omnes *credimus ei.* qui tamen descendere noluit, ne operi, quod inchoauerat, deesset: & vt credituri in eum hoc exemplar haberent perseuerantiæ, quo se in suis calamitatibus solarentur, iuxta illud Apostoli: h *per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio, sustinuit*

2.

b Gen. 1. 3.
c Ps. 148. 5
d Ioan 17. 4
e Ioa. 19. 30
f Philip. 2. 8
g Matt. 27. 42.
h Hebr. 12. 2

crucem,

crucem, confusione contempta. recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem: vt ne fatigemini, animis vestris deficientes. nondum enim vsque ad sanguinem restitistis, aduersus peccatum pugnantes. eleua itaque frater oculos ad exemplar hoc viuum inuictæ perseuerantiæ: confer tuas pugnas cum pugnis illius: tuos dolores, contemptusque cum ipsius: cõtradictiones, quas sustines, cum iis quas ipse sustinuit: gaudia quæ tu deseris, cum iis, quæ ipse abiecit: resistentiam, quam facis, ne cogaris sanguinẽ tuum fundere, cum ea promptitudine, qua ipse suum effudit. Et siquidem quod ipse fecit, tuique causa perpessus est, infinities excedit, & in eo vsq; ad mortem perseuerauit: iustum omnino est, vt & tu exciteris ad perseuerandum in eo, quod ipse iubet: donec vitam ipsam in eo finias. O Sol iustitię, qui tanquam imperterritus *Gigas exultasti ad currendam viam*, perseuerans semper in ea exactissimè ab Oriente tuæ natiuitatis, vsque ad mortis Occidentem; nihil in cursu hærens, nec retro conuersus, etiamsi via grauis tibi esset, ac permolesta: concede mihi, vt simili perseuerantia meam ego viam curram, & in tua obedientia permaneam, sicut Sol: magnoque animo mortificem quodcunque impedimentum mihi in eo cursu occurrens.

Psalm. 18. 6

3. QVOD si fortè efficacia adeò exempla non te sufficienter permouebunt, conijce etiam oculos in stabilitatem & perennitatem præmij quod in diuino seruitio perseuerantibus, promittitur; & in durationem supplicij, quod in incepto deficientibus Deus ipse minatur. Cogita (vt ait S. Bernard.) te esse in terra tanquam in loco probationis inter duo extrema, Infernum & Cœlum: quæ talia sunt, vt qui in ea ingreditur, semper ibidem maneat, & ita persistat, vt æternùm inde non exeat, nec cesset frui aut pati per totam æternitatem. Si itaque semel in cœlum ingrediaris, ibidem perseuerabis, Deo ipso fruens, quamdiu ipse erit Deus. quemadmodum promisit ipse Christus, dicens: k *qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius.* Nam quemadmodum ipsum templum æternum est, ita eius columnæ erunt æternæ. Ideoque æternùm fruentur præmio, quod sibi, dum essent firmæ columnæ in terra, compararunt. Si autem descendas in infernum, ibidem hæsitabis: sustinens immensos dolores in illis flammis: ex quibus nunquam exibis. nam quemadmodum l *ignis* ille *non extinguitur, & vermis non moritur:* Ita ligna, quibus fouentur, erunt ęterna: quia neque ignis illa consumet, nec vermis rodens corrumpet. Cogita itaque vter istorum locorum tibi magis arrideat. Si enim vis esse columna in cœlo, necesse est fuisse firmam columnam in terra, quæ firmiter restiterit tentationibus, & perseuerauerit in operibus virtutum: ita vt mors inuenerit te in eis occupatum. Nam, si in perseuerantia deficias, fies lignum ignis æterni, ardens & patiens absque vlla spe euadendi, quia mors te apprehendit in peccato. Considera attentè, quid Abraham responderit m *Diuiti* illi *Epuloni*, ad ipsum *cla-*

Serm. 31. ex paru.

k *Apoc. 3. 12*

l *Marc 9. 45*

m *Luc. 16. 24.*

manti,

manti, vt *mitteret* ad ſe *Lazarum, qui intingens extremum digiti ſui in aquam, refrigeraret linguam eius: quia cruciabatur in illa flamma.* cui cum negaret, quod petebat, rationem reddidit: *inter nos & vos Chaos magnum firmatum eſt: vt hi, qui volunt hinc tranſire ad vos, non poßint: neque inde huc tranſmeare.* & quod maiorem incutit metum, eſt, quod nec vna gutta aquæ conſolationis, quæ habetur in cœlo, deſcendet vnquam ad leuamen tormentorum alicuius, qui ſit in inferno: ſicut nec aliqua ſcintillula ignis inferni poterit vnquam aſcendere, vt pœna aliqua afficiat exiſtentem in cœlo. O felix perſeuerantia, quæ etſi breuis, impetras tamen nobis bona æterna: liberaſque nos ab æternis malis! O infeliciſsima inconſtantia, quæ, ne temporalia incommoda tolleres, in æterna nos præcipitas, immenſiſque gaudiis ſpolias? O puſillanimis homo, ſi rectè intelligeres temporis breuitatem, quod tibi deeſt, vt perſeuerantia tua ſit perfecta: fortè ab ea non deſiſteres! quid ſcis, an hæc ipſa dies ſit futura vltima vitæ tuæ? &, an opus, quod hac hora peregeris, vltimū ſit, ex quo æterna tua ſalus, aut damnatio dependeat? vtinam ita vitam tuam inſtitueres, tanquam quotidie moriturus! nam tunc facilè tibi eſſet perſeuerare! expecta quotidie mortem: & tunc conſtantiſsimè amplecteris mortificationem vitæ prauæ, ac tepidæ. Contende, vt vnumquodque tuorum operum benè fiat: Deuſque ſua miſericordia largietur magnum donum perſeuerantiæ. Nam perſeuerantia in gratia vſque ad finem vitæ, multum pendet ab ea, quæ in ſingulis operibus habetur: ſi contendatur, vt cum omni ea perfectione fiat, quam Deus præſcribit.

Qvod, vt diſtinctiùs cognoſcas, reuoca in memoriam deflendum Saulis euentum, cui Samuel præceperat, vt ipſum n *ſeptem diebus expectaret*, donec ad eum perueniret: quò ſimul offerrent *oblationem & immolarent victimas pacificas.* cum ergo Saul *expectaſſet ſeptem diebus iuxta placitum* Samuelis, nec tamen Samuel vſque ad veſperam diei ſeptimæ perueniſſet, *populus verò ab eo dilaberetur*, eſſetque in anguſtiis propter hoſtes appropinquantes, dixit: *afferte mihi holocauſtum & pacifica. & obtulit holocauſtum* contra Dei voluntatem, per Samuelem ipſi indicatam. *Cumq; compleſſet offerens holocauſtum, ecce Samuel veniebat, dixitq; illi: ſtultè egiſti, nec cuſtodiſti* integrè *mandata Domini Dei tui: quæ præcepit tibi. Quod ſi non feciſſes, iam nunc præparaſſet Dominus regnum tuum ſuper Iſrael in ſempiternum. Sed* quoniam defeciſti, *nequaquam regnum tuum vltra conſurget.* O miſerandum euentum! defectus perſeuerantię ad breue temporis ſpatium (ait S. Gregorius) ſufficiens fuit, vt propterea Deus regnum, quod alioqui futurum fuiſſet æternum, Sauli auferret. Expectauerat Saul per ſex dies, & vndecim horas ſeptimi: & defatigatus ob anguſtias, quibus premebatur, diffidit de aduentu Samuelis, defecitque in perſeuerantia ipſa vltima hora, qua debuit perſeuerare. Quod ſi perſeueraſſet, confirmatus fuiſſet in regno pro ſe, ſuiſque filiis: ſed quia defecit à per-

4. n 1. Reg. 10. 7. o 1. Reg. 13. 8. Lib. 5. in lib. Reg. c. 3.

seuerantia, amisit regnum temporale. ex quo tempore ita cadere cœpit, vt etiam æternum amiserit. Disce ergo ex alieno periculo constanter perseuerare toto tempore, quo Deus vult: adimplendo, quæ ipse præcipit. Perseuera in perfectionis statu, in quo te ipse constituit; in sanctis, quos habes, moribus; in bonis obedientiæ operibus, quæ aggrederis; in resistendo tentationibus molestis; in mortificatione grauium passionum; nec accipias hoc negotium quasi in cumulo & in genere, tanquam per multos annos duraturum; sed tanquam vna tantum hora, diesve vnus tibi deesset, ad integram plenamque perseuerantiam: dicens cordi tuo, adhuc hodie volo perseuerare; adhuc volo sperare hac hora: fortè enim ad eius finem aderit Deus, vt me

l. 11.22 visitet, & in suo seruitio corroboret. Scriptum siquidem est: p ***Confide in Deo, & mane in loco tuo. Facile est enim in oculis Dei subitò honestare pauperem.*** Si autem desistam à perseuerantia hac hora, fortè & regnum æternum amittam, & coronam, quemadmodum amisit Saul ob suam inconstantiam.

§. 2.

De feruenti modo perseuerandi.

EST quidem hic modus, quem insinuauimus, excitandi se ad perseuerandum per breuia spatia, primum scilicet ad vnum diem, deinde ad alterum, hominum debilium remedium, qui se meliore qua possunt ratione animant: & quidem benefaciunt. Sed, si feruens es, generoso quodam animo, cordeque imperterrito offeres te ad perseuerandum in seruitio diuino, non ad diem vnum, aut annum, sed ad annos mille, etiam innumeris laboribus ac molestiis plenos. Id enim totum est parum, si conferatur cum eo, quod infinita Dei maiestas, cui obsequia tua defers, promeretur, ipseque Redemptor, quem imitaris, & æterna præmia, quę impetrare intendis.

or 4.17 Quod enim in a ***præsenti*** vita ***tribulationem*** nobis affert, ***momentaneum, & leue est***, si conferatur cum ***æterna gloria***, quam speramus in futura. Quamobrem

l. 118. meritò dices cum Dauide b ***inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum:*** & ***in æternum non obliuiscar iustificationes tuas.*** & licet do-

3. lores contemptusue te premant, & hostes persequantur, dicens cum S. Iob.

27.2. c ***viuit Deus, qui abstulit iudicium meum: & omnipotens, qui ad amaritudinem adduxit animam meam,*** & proiecit in hoc sterquilinium: ***quia donec superest halitus in me,*** non faciam aliquid mali: ***donec deficiam, & moriar, non recedam ab innocentia mea: iustificationem meam, & virtutem, quam cœpi tenere, non deseram;***

n. 8.35 sed constans firmusque permanebo in cœptis bonis exercitiis. Et cum Apostolo: d ***quis me separabit à Charitate Iesu Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an persecutio? an gladius?*** confido autem de infinita eius charitate, quod nihil horum me ab ea separabit: sed quod totâ vitâ meâ, etiamsi

longis-

longiſsimâ, ſim in eius amore perſeueraturus: eumque in æternâ continuaturus: quia nec mori timeo, nec viuere recuſo: nec refugio pati, ſi illi placet, vt patiar. e *In nidulo meo,* ſicut ſtrenuus S. Iob, *moriar, & ſicut palma multiplicabo dies meos.* Nidus meus eſt Catholica Eccleſia in qua viuo: Religio, quam profiteor, Moduſque vitæ, quem ſeruo: & crux Chriſti Domini mei, quem imitor. In hoc nido viuam & moriar: à quo non me expellent tribulationes, aut tentationes. ibi multiplicabo dies meos integrè ſicut palma, donec obtineam victoriam: cuius mihi palma & corona detur. e *Iob. 29. 18*

Hvivsmodi propoſita te concipere par eſt: magno feruore, & in Deum fiducia, contendendo, vt ſis ſicut palma: quam S. Ambroſius ait, eſſe perſeuerantiæ ſymbolum, eò quod virorem ſuum, & folia ad multos annos conſeruet: feratque pondus quodcunque abſque flexione, & inclinatione. Quam S. Gregorius ait, differre ab aliis arboribus, quarum truncus craſsior eſt, & quò magis aſcendit, eò eſt ſubtilior: At palma, quò magis aſcendit, craſsior ac fortior eſt. In hunc ergo modum curandum tibi eſt f *inſtar palmæ floreſcere*: conſeruando per totam vitam, etiamſi valde diuturnam, feruorem ſpiritus, ita vt nullo labore minuatur. alteram præterea nobilis huius arboris imitaberis proprietatem: quæ nimirum eſt, vt ponderi non modo non cedat, ſed aduerſum illud potius ſurgat; ita & tu virtutis viam ingreſſus nullis eius difficultatibus, nullis oneribus ſuccumbes; quò tandem æternæ ſalutis palma, eò quod non ceſſeris, ſed pertinax in propoſito perſtiteris, in præmium tibi tradatur. Ne ſis ſicut ignaui, qui initio quidem fortes ſunt ac deuoti: ſed quò in ætate magis creſcunt, eò decreſcunt magis in fortitudine: adeoq; ſubtiles fiunt, vt frangantur, & à perſeuerantia recedant. potiùs itaque quotidie creſcere debes in ſpiritu, & in diuino ſeruitio corroborari, donec coniungaris beatorum ſocietati, qui g *palmas* geſtant *in manibus ſuis*, perpetuo fruentes præmio & fructu, quem in ſuis laboribus perſeuerantes promeruerunt. O Redemptor dulciſsime, qui h *aſcendiſti in palmam* crucis magna conſtantia *fructuſque eius* valdè copioſos *apprehendiſti*: ne permittas me ab ea vnquam ſeparari. In eius præclaris foraminibus habitare volo, meditando, quæ tu adeò perſeueranter es perpeſſus; eaque adeò feruenter imitando, vt me ibi mors inueniat. Nam, ſi moriar in nido tuæ crucis, inde deducar ad thronum tuæ gloriæ: vbi gaudens cum victoriæ meæ palma tecum regnem in æternum. Amen.

lib. 3. Exam. c. 17.
Lib. 19. Moral. c. 24. qui tamen aliter hac ſimilitudine vtitur.
f *Pſal. 91. 13.*
g *Apoc. 7. 11*
h *Cant. 7. 8*



CAPVT XIX.

QVOD VITA CONTEMPLATIVA PROFERAT VLtimos fructus amoris, & coniunctionis cùm proximis. Quàm hæc coniunctio sit præstans: quas res complectatur, quæ sint eius motiua.



VENIAMVS nunc ad vltimos fructus vitæ Contemplatiuæ, qui sunt valde proprij ipsius Charitatis, quæ, etsi tantum sit vnicus habitus, duplicem tamen generat amoris actum, Dei videlicet, ac proximi: de quibus sunt duo illa præcepta, a *in quibus vniuersa lex pendet & Prophetæ.* & postquam heroicos illos affectus vnitionis & amoris cum Deo protulit, quos in tertio Tractatu indicauimus: mox, si perfecta est, alios producit valdè feruentes vnitionis & amoris cum proximis. ad quod plurimum confert perfecta Contemplatio, supernaturali suo lumine: quo intelligens causas & motiua alterius vnitionis, assequitur quoque alterius motiua: quæ aut sunt eadem, aut certè valde illis connexa & affinia. Quamobrem dicere licebit cum Apostolo, quod b *reuelata facie gloriam Domini speculantes, transformamur à claritate in claritatem:* à claritate scilicet, qua Dei magnalia cognoscimus, quibus transformemur in amoris eius vnitionem: ad claritatem, qua cognoscimus, quanti ipse faciat homines, & quam grandes res erga eos præstiterit: vt hinc transformemur in vnitionem amoris cum proximis nostris. Hæc quodammodo est excellentissima illa claritas, de qua Christus Dominus noster loquens cum æterno suo patre in commendationem suorum discipulorum dixit: c *ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis: vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus. Ego in eis, & tu in me: vt sint consummati in vnum: & cognoscat mundus, quia tu me misisti.* O altitudo charitatis Dei! ô incomprehensibilis immensitas infinitæ eius bonitatis! ô si hanc claritatem agnosceres, quam nobis Christus Dominus noster dedit; & ipsam vnitionem, ad quam illam ordinauit; & quàm ipse voluerit excelsam esse, atque sublimem! Quæ autem est claritas, quam nobis dedit, nisi illa ipsa, quam ipse accepit à Patre? *Ego* inquit *claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis.* Dedi enim eis diuinitatem, & humanitatem meam, corpus meum, & sanguinem in Sacramento: Doctrinam meam, & Euangelium, & omnes veritates, quas à te audiui. Dedi etiam opulentissima merita mea, & satisfactiones: heroica exempla mea in omni genere virtutum, quarum eos participes feci: communicans illis gratiam & charitatem meam: & gratias gratis datas, gaudiaque

.22. r.3.18 17.22 I..

ſpiritualia: ac deniq; claritatem illis dedi cognitionis, dans illis dona ſapientiæ, & ſcientiæ, qua contemplarentur, certiſsimeq;, & abſq; inuolucris & figuris hæc omnia cognoſcerent: *vt ſint vnum* coniuncti inter ſe forti glutine amoris. O Dilecte cordis mei, neſcio quid magis admirer: an, quòd ipſammet claritatem tuam nobis dederis: an quòd eandem in eum finem direxeris, vt alij cum alijs coniuncti & vniti eſſemus! magnum quidem tuum eſt deſiderium, magniq; facis hanc vnitionem: ſiquidem adeò pretioſum donum nobis confers, vt illam aſſequamur. qua re fortiùs nos ad eam allicere potuiſſes, quàm dicendo, quod hæc amoris vnitio eſſet finis tuorum Sacramentorum, doctrinæ tuæ, præceptorum & conſiliorum tuorum, & prodigiorum, exemplorumq;, ac meritorum tuorum, omniumq; gratiarum, virtutum, ac donorum, quæ nobis contuliſti?

Sed vlterius adhuc infinita tua charitas eſt progreſſa: quia huius vnitionis conſeruationem, & perfectionem nulli alteri committere, aut fidere, quàm tibiipſi volueris. id enim adiecisti in illis verbis: *ego in eis, & tu in me: vt ſint conſummati in vnum.* quaſi diceres: ſicut tu es in me, ita ego ſum in illis: vt eorum vnitio conſummata ſit, ac perfecta: quia non ſolum claritatem donaq; mea eis do; ſed ſimul cum illis trado meipſum, & in corde ipſorum coniungor amore cum eorum ſpiritu: ſicut tu mecum es vnitus; & vterq; ſimul cum illis vnimur; vt hæc ipſa vnitio motiuum ſit, & cauſa, cur ipſi inter ſeipſos talem ineant vnitionem amoris perfectiſsimi. Quanta autem ea eſt perfectio? *ſicut & nos*, inquit, *vnum ſumus.* ita vt vnio noſtra diuina exemplar ſit vnitionis ipſorum: illaq; noſtræ ſit ſimillima eo modo, quo poteſt creatura per gratiam noſtram illam imitari. O amor ineffabilis? quas tibi gratias reddam, Deus meus, propter tria hæc adeò immenſa beneficia, quæ hanc vnitionem comitantur, quam tu tanti facis? Clarifica oculos meos, vt ipſa beneficia plenè cognoſcens, vnitionem ipſam, vt par eſt, magnifaciam, & habere contendam. 2. 3.

§. I.

De quatuor rebus, quas hæc vnitio complectitur.

Ex præclariſsimo hoc exemplari licebit cognoſcere, quas res complectatur hæc vnitio inter nos mutua: perpendentes quatuor res, quę ſunt in vnitione filij cum Patre: quia vterq; ſunt vnum in ſenſu & iudicio; in voluntate, amore & odio; in loquendo & conuerſando, & in omnibus externis operationibus, ita vt nulla prorſus ſit in eis diſcordia, nec diſſenſio. Quamobrem Christus D. N. de ſeipſo dixit: a *non poteſt filius à ſe facere quidquam, niſi quod viderit patrem facientem: quæcunq; enim ille fecerit, hæc & filius ſimiliter facit: ſicut eum audio ſic iudico: & iudicium meum iuſtum eſt: quia non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem eius, qui miſit me.* In hunc ergo a Ioan. 5. 19. 30.

modum perfecta iustorum inter se vnitio, quæ vnitioni cum Deo innititur, quatuor quædam alia complectitur, quæ Sanctus Apostolus omnibus valde desiderabat. Sunt enim VNVM: quia b *id ipsum sapiunt* & iudicant *in alterutrum, secundum Iesum Christum*: in omnibus enim Dei iudicium sequuntur, & sensum fidei: concordantes etiam in reliquis omnibus, quoad possibile est, vt pacem seruent & concordiam. sunt etiam VNVM: quia idem est eorum c VELLE & amare, cum mutuo seipsos diligunt, sicut eos Christus amauit; & in cæteris rebus habent vnum idemq; velle aut nolle, simile ei, quod Christus Seruator noster vult, aut non vult. Sunt vnum in LOQVENDO & conuersando: quia vno ore ad inuicem bene loquuntur, sibiq; communicant absq; inuidia bona sensa, quæ habent: vt ex eis mutuò proficiant. Deniq; VNVM sunt in OPERANDO, dum d *alter alterius onera portat*, seq; mutuo iuuant in rebus omnibus bonis: concurrentes cum magna conformitate ad omne, quod est diuini obsequij. Quemadmodum de primis Christianis dicitur, quod cum multi essent, e *multitudinis tamen credentium erat cor vnum, & anima vna.* ita enim inter se viuebant, atq; si anima vna in multis esset corporibus; & cor vnum in multis animabus: quia neq; in iudicijs, neq; in affectibus, aut verbis, & operibus, diuersitas aliqua admittebatur: quæ hanc cordis vnitionem dissoluerit: quæ adeò est sponso diuino grata, vt de ea quoq; intelligatur, quod ipse dixit sponsæ suæ Ecclesiæ: f *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum.* Oculos Ecclesiæ, ait S. Greg. esse viros perfectos, qui cum Deo vniti admirandam quoq; inter se habent vnitionem, insinuatam & expressam per eam, quæ est inter vtrumq; oculum corporis: quam non habent nec vterq; pes, neq; vtraq; hominis manus. Nam præter similitudinem in magnitudine, situ, colore, & figura: sunt quoq; valdè vnum in suis sensibus & motibus naturalibus. Nam vna magnaque conformitate aperiuntur, & clauduntur; respiciunt sursum, ac deorsum; ad vnum, ac alterum latus: vnà iudicant de eò, quòd vident, albumne sit an nigrum: vnà vigilant, ac dormiunt; quiescunt, ac laborant; flent, aut lætantur: nulla inter eos discordia permanente. Neque enim fieri potest, quod alter ad vnam partem, alter ad alteram aspiciat: quod vnus dormiat, alter vigilet, alter de re aliqua iudicet esse nigram, alter albam: nec sine difficultate aperitur alter, quin alter sequatur. In hunc itaque modum Iusti valde perfecti vnum sunt inter se: quia magnam habet conformitatem in suis iudicijs, affectibus, & operibus absque aliquo dissidio, ac detrimento charitatis. Et quemadmodum ait Apostolus: g *gaudent cum gaudentibus, & flent cum flentibus*: quia idem cum illis sentiunt. Quæ vnitio adeò placet sponso cœlesti, vt eius amore sentiat se vulnerari: bis enim ait se esse vulneratum. quamuis enim sit verum,

b Rom. 15.5.
2.
c Phil. 2. 11.
d Gal. 6. 2.
e Actuum 4. 32.
f Cant. 4. 9.
Ibid.
g Rom. 12. 15.

rum, quod vnusquisq; iustorum eum recreat, valdeq; ei placet: duorum tamen aut plurium in charitate conformium vnio multò amplius ipsum recreat, capitq;. quemadmodum duæ margaritæ omnino similes, quæ vniones appellantur, multò sunt maioris valoris, quam sint multæ dissimiles: licet singulæ suum seorsim habeant valorem ac pretium: Ita etiam quamuis quisq; Iustorum, qui ex parte sua procurat cum altero vnitionem, magni sit valoris in conspectu Dei: si tamen reipsa cum alijs adeò sibi similibus & conformibus vniantur, vt Vniones appellari possint, maioris multò sunt valoris ac pretij: eò quòd alij alios iuuent, vt in sanctitate crescant, exerceantque diuini obsequij opera suauiter, efficaciter, & perseueranter: quemadmodum euenit in Religionibus. Ac propterea dixit Ecclesiastes: h *melius est duos esse simul, quam vnum: habent enim emolumentum societatis suæ*, & vnitionis ac amicitiæ. *vnus enim ab altero fulcitur, mutuo fouentur; & si quispiam contra vnum præualeret, duo resistunt ei.* quod alter solus non potest, hoc cum altero præstat, & obtinet; & vterq; multum hac vnitione potest: vnusquisq; enim hoc potest, quod omnes; & omnes Deum ipsum lætificant, Angelos recreant, Ecclesiam ædificant, mundoq; sunt admirationi, ac testimonio, quis Christus sit. Resplendet enim in eis claritas, quam ille ab æterno suo Patre accepit; & assistentia, quam habet in medio eorum, ad pretiosam adeò vnitionem conseruandam. O Saluator dulcissime, vulnera omnium tuorum fidelium corda excellentissimæ huius vnitionis amore, vt per hoc vulnus tibi pateat aditus ad illam! O si omnes eam vnitionem ita diligerent, atque tu illam amas: vt eam quærerent, omnique studio procurarent! O anima, si i *quæris bonas margaritas*: hæc est vnica valdeque pretiosa. *vende* itaque *omnia, quæ habes, vt illam emas.* & quando k *dederis omnem substantiam domus tuæ*, nulla re tibi reseruata, persuadeas tibi certo, tantò pluris esse hanc vnitionem, *vt quasi nihil despicias*, quicquid pro illa dederis. O margarita pretiosissima, in qua continetur claritas illa, quam æternus pater dedit filio suo; vt tu in mundo splendesceres; tuoque splendore infinitam illam claritatem aperires, à qua tu procedis! O Pater æterne, per hanc vnitionem, quam habes cum tuo filio, supplico, vt mihi manifestes altissimæ huius vnitionis præstantiam, quæ ab ea procedit: quidq; mihi sit faciendum ad eam quærendam, inueniendam, & conseruandam.

h Eccl. 4.

i Matth. 13. 45.

k Cant. 8. 7

* *
*

§. 2.

De sex rebus, in quibus hæc vnitio fundatur.

AD OBTINENDAM sublimem hanc vnitionem multum conferet, ea considerare, quæ Christus D. N. fecit, ac disposuit, vt nos ad eam alliceret: quæ omnia sunt vel vnitates, vel Vniones. vnio enim esse debet, quod ad vnitionem impellat: quorum summã quandam collegit Apostolus, cùm dixit: a *soliciti estote seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. vnum corpus, & vnus spiritus: sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus, & pater omnium: qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis:* quibus verbis sex insinuantur tituli, in quibus diuina hæc vnitio fundatur.

Ephes. 4. 3

1. Vnum Corpus.

PRIMVS est, quòd omnes fideles sint VNVM CORPVS mysticum Christi, quod est vna Ecclesia ad similitudinem corporis naturalis, cuius partes necesse est esse inter se vnitas, quæ licèt diuersos habeant status, & officia: (vt supra dicebamus) hanc tamen seruant vnitionem, vt statim atq; aliqua ab alijs separatur, illa, quæ separata est, non posit vitam conseruare. Quid itaq; magis gloriosum, magisq; vtile esse potest, quam esse partem corporis adeò nobilis, cuius caput sit Christus, qui illud gubernat, in suaq; integritate ac vnitione conseruat? Cùm ergo partes corporis magno mutuoq; amore naturali se diligant, singulæq; suis officijs attendant, non solum in propriam vtilitatem, sed etiam reliquarum, & ita b *pro inuicem solicita sunt membra:* vt *si quid patitur vnum membrum, compatiantur omnia membra: siue gloriatur vnum membrum, congaudeant omnia membra:* Quanto igitur erit magis rationi consentaneum, vt tu diligas omnes tuos proximos amore charitatis; lubensq; videas, te cum illis vnitum, vt iuues eos, ac subleues ad gloriam capitis tui Iesu Christi; & vt diuinæ eius gratiæ excellentia manifestetur.

Tract. 2. c. 9. §. 3.

b 1. Cor. 12. 25.

Ephes. 4. 16.

2. Vnus Spiritus.

SED efficacior adhuc multò est titulus secundus, eo quod sit VNVS SPIRITVS, qui vitam det toti corpori, & eminenter sit spiritus amoris, ac vnitionis: eos enim, qui vnitione connectuntur in corpore, facit secum esse vnum eundemq; spiritum: dum illis diuinas suas proprietates communicat, eosq; facit viros spirituales, Spiritui diuino similes. c *Omnes* enim (inquit Apostolus) *vno spiritu potati sumus.* Omnes intimè illum animabus nostris coniunctum portamus: illeq; est aquæ instar viuæ illas recreans, refrigerans, nutriens, & ad æternam vsq; vitam extollens. Si itaq; anima tua, quæ tuum corpus naturaliter viuificat, tui quoq; proximi corpus viuificaret; impossibile fuisset, vt eum non amares, & non esses illi æquè coniunctus atq; tibiipsi. cur ergo non ames proximum tuum sicut teipsum? & non sis illi vnitus sicut es tibi? si consideres vnum eundemq;

c 1. Cor. 12. 13.

diuinum Spiritum esse, qui vtriq; det vitam, & vtriq; sit verissimè vnitus? Et quemadmodum anima, eò quod vnica sit in toto corpore, omnes eius partes ad mutuò se amandum, & vnitionem suam conseruandam impellit; nisi vitam amittere velint, quam ab ea accipiunt: Ita Spiritus Sanctus, eò, quod sit vnus & idem in omnibus iustis, omnibus inspirat, omnes impellit ac permouet, vt in mutua hac diuina vnitione se conseruare studeant: nisi vitæ spiritum, quem illis impertitur; & amoris vnitionem, quam cum illo habent, amittere velint.

ACCEDIT tertius titulus, eò quòd omnes habeamus VNAM SPEM VOCATIONIS nostræ, omnes vocati simus ab vno Deo, vt illi seruiamus, cum spe vnius eiusdemq; præmij, ad fruendum videlicet eius regno in paradiso, vbi erit omnium vnitio perfectissima, & exactissima, ita, vt nihil esse possit, quod illam dissoluat, aut imminuat. Consentaneum igitur est rationi, vt hinc vnitio illa initium habeat, & vt vnici huius præmij spes aliquid nunc efficiat eius, quod postea in possessione integra perficiat. vnus idemq; Deus clarè visus, erit omnium præmium, omnium hæreditas, & plenitudo, ac satietas omnium desideriorum. Cùm igitur tanti Deus illos fecerit, & ad tantam excellentiam extulerit, vt ipsemet eorum hæreditas & præmium esse voluerit: cur non diliges omnes, teq; omnibus coniunges, vt omnium gaudio fruaris? 3. Vna spes vocationis.

ET quemadmodum vnum est omnium præmium, ita etiam voluit eadem esse omnium media, ad illud, & vt esset VNA FIDES omnium: ac proinde vna doctrina, quam credere debeant; lex vna, quam seruare, religio vna, quam profiteri; eædem virtutes ac dona, quæ sint accepturi. Vna eademq; charitas cum exactissima similitudine, est in omnibus iustis, impellens singulos ad reliquos amandos; & omnes ad amandos singulos, ita, vt eandem cum omnibus habeant vnitionem, quam singuli habent secum. in omnibus est vna, eademq; obedientia, impellens eos ad obediendum eodem modo, & vnà implendam voluntatem diuinam, quæ est verè vna: d *seruiantq; ei*, (vt ait Propheta) ***humero vno***, quo portent onus legis, & iugum Euangelij, quod etiam est vnum. In omnibus quoq; sunt eadem Spiritus Sancti dona, qui assistit illis, vt incitet ad conformitatem in omnibus diuini obsequij rebus seruandam. 4. Vna fides. d *Sophon.* 3 9.

IN eundem finem ordinauit idem DOMINVS noster, vt omnes fideles eadem haberent Sacramenta: ita vt omnes eundem susciperent Baptismum, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & vt omnes per vnam eandemq; portam in Ecclesiam ingrederentur, nullo habito discrimine inter magnos & paruos: & similiter, vt omnes à suis morbis curarentur per idem medicamentum, Sacramentum scilicet confessionis. 5. Vnum Baptisma.

Et quod his omnibus vltimam manum imponit, eſt, quod voluerit omnes eadem eſca, & potu nutriri: nec ſolum vna eademq; ſimilitudine, quemadmodum Baptiſmus eſt vnus, & Confeſsio vna: ſed vnitate alia magis ineffabili. Nam idem ipſum corpus & ſanguis Ieſu Chriſti veri Dei & hominis, cùm non ſit niſi vnicum, ipſum eſt realiter ac verè, in vtraq; ſpecie Sacramentali Panis & Vini: quæ ſunt in Eccleſia ad alendos fideles, efficiendamq; in eis ſtupendam hanc vnitionem: quemadmodum ſupra eſt declaratum. & hoc idem eſt ſacrificium quoddam continuum, quod offerunt omnes pro omnibus, & in varios fines & commoda: ob quæ varia olim offerebantur ſacrificia. O abyſſus incomprehenſibilis charitatis Chriſti! quid vltra facere poteras, vt oſtenderes, quanti hanc faceres vnitionem, illudq; deſiderium, quod in tuo pectore ardebat ad eandem exſtimulandam! Siquidem autem tuam ipſam claritatem nobis dediſti, licèt velo Panis & Vini tectam, vt ſic in nos ipſos intrares, nobiſcumq; maneres, noſque tecum vnires: exple in nobis deſiderium tuum, efficiens eam vnitionem, ob quam illam nobis dediſti.

6. Vnus Dominus.

DENIQVE vltimus ad hanc vnitionem titulus, qui innumeros alios complectitur, eſt, quod omnes homines ***vnum*** habeant ***Dominum***, vnum Deum, vnumq; omnium patrem, qui eſt omnium cauſa, & manet in omnibus. Eſt vnus Dominus: quia nos omnes ex nihilo condidit: & ipſemet artifex eſſe voluit noſtri corporis in ipſo mundi exordio, nullis alijs artificibus ad id vtens; nec voluit multos homines ſimul creare, ſed vnum ſolum, à quo cæteri deſcenderent: vt attendentes, quod in terra habeant vnam radicem, & vnum in cælo conditorem: haberent & ipſi inter ſe hanc vnitionem; & inuicem ſe amarent, tanquam opera eiuſdem artificis, & creaturæ eiuſdem conditoris: qui e ***fecit ex vno omne genus hominum,*** ex vna ſcilicet eademq; radice. Omnes etiam habemus ***vnum Deum:*** quia idem Dominus eſt vnicus gubernator, & proſpector, & vltimus finis omnium. Qui quamuis tres habeat perſonas, omnes tamen in vno eodemq; Dei eſſe, & natura ſunt vnitæ cum vno eodemq; intellectu, & voluntate. Ideoq; ſunt vnum quiddam in gubernatione, vnum in prouidentia, & vnum tanquam vltimus finis omnium. Ne autem vlla ſequeretur diuiſio, cùm opus eſſet Mediatore in hac gubernatione, idem Deus factus eſt homo: non multi homines, ſed vnus tantum, de quo dixit Apoſtolus; f *Vnus Deus, vnus & Mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus Ieſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Ac proinde omnes habemus vnum Magiſtrum, vnum Medicum, Paſtorem, Aduocatum, Iudicem, Protectorem, Saluatorem vnum, & vnum Glorificatorem: in cuius perſona vtraq; natura eſt vnita, humana atq; diuina; vt nos ad vtramque vnitionem amoris magis obſtringat: alteram cum natura diuina, tribuſque eius diuinis perſonis; alteram cum hu-

e *Act.* 17. 26. VnusDeus.

f 1. *Tim.* 2. 5.


mana

mana in omnibus hominibus, qui eius sunt participes: eos videlicet amando, quemadmodum Christus eos amauit; offerendoque, si opus erit, vitam nostram pro eis, quemadmodum CHRISTVS suam obtulit.

DENIQVE omnes *vnum Patrem* habemus, qui est ipsemet Deus, & gloriatur de hoc nomine, vt agnoscamus, quicquid pro nobis facit, id facere cum amore paterno, desiderans correspondere sibi amore filiorum; & mutuò inter nos agere, & amare tanquam fratres, filios eiusdem Patris, & talis Patris: qui est super omnes, & in omnibus conseruans in eis spiritum filiorum Dei, & spiritum fratrum inter seipsos mutuum: ne talis vnitio deficiat. adeoq; his nos obligat, & obstringit; vt, si in eis deficiamus, de nobis conqueratur per suum Prophetam, dicens: g *Nunquid non vnus Pater omnium nostrum? nunquid non Deus vnus creauit nos? quare ergo despicit vnusquisque fratrem suum, violans pactum Patrum nostrorum*? Et quodnam hoc est pactum, nisi lex charitatis, & mandatum dilectionis, quo nos obstringimus, ad nos diligendos, tanquam fratres, filios vnius patris, & creaturas vnius eiusdemque Dei! *Dominus* (inquit idem Propheta) *disperdet virum qui fecerit hoc* (qui scilicet despexerit fratrem suum) *Magistrum, & Discipulum, &* Sacerdotem *offerentē munus Domino exercituum*: cui nullum donum est gratum absque hac vnitione. O Pater misericordiarum, quàm apertè serioq; ostendis te esse Patrem in hisce minis! siquidem ab eo desiderio tuo proficiscuntur, quo teneris, vt omnes eam vnitionem conseruemus, quam tu tanti facis! non magnopere huiusmodi minis opus mihi fuisset, ad meos proximos amandos, si claros haberem oculos ad videndum amorem, quo tu illos prosequeris. Da mihi verum spiritum filij erga te, quo erga eos verum habeam spiritum fratris. AMEN.

Vnus Pater omnium.

g Malach. 2.10.12.



CAPVT XX.

CONTEMPLATIONEM HABERE TRES CLASSES, in quibus docet, efficitq́; particularem vnitionem cum superioribus, æqualibus, & inferioribus; ac zelum salutis animarum, cum magno amoris excessu.



VONIAM Dei opera sunt perfecta: cùm ipse Contemplationi deditos docere vult scientiam Spiritus, vt se cum proximis suis coniungant: hoc ipsum efficit valdè exactè, docens vnumquemq;, quicquid ad ipsius statum, & conditionem erga reliquos homines pertinet. Et quoniam triplex est eorum classis & ordo: quia alij sunt inferiores, alij æquales, & alij superiores: ita (ait S. Bern.) tres habet Deus ordines siue distinctiones in cellarijs suis cælestibus, in quæ a *introduxit* dilectam suam sponsam. In prima distinctione siue classe (ait idem S.) *discis, inferior esse*, sub gubernatione scilicet Prælatorum, & Maiorum tuorum; *in sequenti parte*, vt scias quomodo cum tuis æqualibus te gerere debeas: *in posteriore, superior:* vt scias rectè gubernare tuos subditos: & in singulis his classibus b *ordinat charitatem*, affectusq́; amoris erga proximum, iuxta capacitatem discipuli, ad eas classes accedentis. Nam (vt ait S. Dionysius) amor hic hunc efficit excessum, vt amans à seipso exeat, reique amatæ coniungatur, *Amantes* (inquit) *sui iuris esse non sinit, sed amatorum.* non enim permittit, vt se tanquam liberos gerant; sed quasi totum suum ius, libertatemq́; in rem amatam transtulerint: non iam sibi, sed ei viuentes. Quemadmodum Apostolus non sibi, sed DEO viuebat. Hunc itaque excessum & alienationem à se amantis, efficit amor Dei in Inferioribus, AEqualibus, & Superioribus: transferens & coniungens alios cum alijs modo quodam cœlesti atq; diuino.

...ō 3. in ...t.
...ant. 1. 4.
...ant 2. 4.
... de di... Nomin.

§. I.

De vnitione cum superioribus.

PRIMVM: qui Subditi sunt, cum Deus illos in cellam siue recessum Orationis & Contemplationis status illorum propriæ introducit: ibi eis manifestat spiritum perfectorum Subditorum: qui in eo consistit, vt propter amoris perfectionem, non sint *sui iuris:* non existiment, se esse suos, nec velint seipsos gubernare: sed *diuiniore quadam conuersione, ad superiora contendunt*, seipsos videlicet cum superioribus coniungendo, transferentes proprium sentire, & velle, quemadmodum supra est dictum, in ipsum sentire

...Dionys. ...d. ...a versio ...et: In...ora di...æ cuidā ...uersio ...ad supe...ra se ...ouent.

& velle Dei, qui est Superiorum Supremus: ac porrò etiam in sentire & velle Prælatorum, & Magistrorum, qui Dei nomine ipsos gubernant. qua sancta alienatione & amoris seruitute, vehementer delectantur: quò se totos dedicent Deo, quem summè diligunt; & propter eum, eius etiam ministros: quibus magna resignatione, humilitate, ac reuerentia se subijciunt. eò quòd non tanquam homines puros, sed tanquam Deum in ipsis aspiciant, eo affectu, quem S. Dionysius *diuinam conuersionem* appellat. quæ certum est indicium veri amoris. Nam, si Deum non ames, mox te tanquam liberum geris; totumque conuertis ad teipsum, & ad proprium iudicium, voluntatemque sequendam: conculcando aliorum iudicium, & voluntatem: tuaque omnia dirigendo ac disponendo iuxta tuum palatum, commodumque temporale. Amor verò diuinus prauam hanc conditionem & conuersionem tibi aufert; extra te deducit, facitque Dei seruum, eiusque seruorum ac ministrorum: vt amplectaris, quod ille & illi volunt: iuxta leges amoris, regulasque superiùs positas, de mortificatione proprij iudicij, & voluntatis propriæ. *cap. 8 10. & 11.*

§. 2.

De vnitione inter æquales.

EX hac classe & cella transfert suos D.N. ad secundam; in qua docet eos spiritum, rationemque agendi cum amore rectaque vnitione inter æquales. qui amor (eodem S. Dionysio teste) in eo consistit, quod *AEqualia conuersationi mutuæ mancipare se soleant.* *Supra.* Non enim permittit is amor, sibiipsis, suisque commodis viuere, neglecto proximorum bono: sed impellit vehementer, vt eorum bonum procurent, vitam, salutem, honorem, facultates, leuamen, & quietem: ita his omnibus eorum rebus attendentes, atque si essent propriæ. eò quòd illos tanquam seipsos ament: & à seipsis exeuntes, in illos se transferant, seruantes leges & regulas, quas hac de re Apostolus tradidit cum dixit: a *per charitatem spiritus seruite inuicem,* tanquam serui scilicet aliorum. & : b *nemo quod suum est quærat, sed quod alterius sicut & ego* (inquit) *per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis.* Nemo sibiipsi, sed c *vnusquisque proximo suo placeat in bonum ad ædificationem. Etenim Christus non sibi placuit, sed improperia improperantium* Deo in se suscepit. Quid autem est hoc totum, nisi nobis significari, quod d *Charitas non quærat quæ sua sunt,* quasi sua propria, aliorum rebus conculcatis: sed vno eodemque spiritu amoris omnes respicere, ita vt aliæ aliis non noceant? Ita enim particulari suo bono attendit, vt multorum commune magis procuret: quod est diuinæ voluntati magis conforme: cui suam subijcit, & proximorum suorum voluntati in eò quòd bonum est: vt omnes tanquam eiusdem corporis membra, Totius conseruationi attendant; & alter alterius

a Gal. 5. 13.
b 1. Cor. 10. 24. 33.
c Rom. 15. 2.
d 1 Cor. 13 5.

bono,ad gloriam Dei & vtilitatem omnium. Et quoniam inter AEquales ſecundum naturam, & ſtatum ſolet magna eſſe inæqualitas in moribus, & corporis conſtitutionibus impellit charitas ad mortificandum,quicquid in hac inæqualitate prauum eſt,quò vnio cum cæteris conſeruetur.

HAEC illa ſunt decantata prodigia, quæ Deus ad Saluatoris Aduentum reſeruauit,dicens: *habitabit lupus cum agno: & pardus cum hædo accubabit: vitulus,& leo,& ouis ſimul morabuntur. Vitulus & vrſus paſcentur: ſimul requieſcent catuli eorum: & leo quaſi bos comedet paleas, & puer paruulus minabit eos.* Euidens eſt, (ait S.Hieronymus) non loqui Prophetam de his animantibus, vt litera in cortice ſonat; ſed de hominibus,qui eorum mores induerunt. Qui homines,etſi contrarias omninò habeant propenſiones, ita vt hoſtiliter alij alios perdere conentur:virtute tamen charitatis & amoris Dei,quem Chriſtus Dominus noſter nobis promeruit,ita permutabuntur, vt in vnitione, & conformitate viuant, abſque mutuo nocumento; & cum magna potius voluptate,& vtilitate. ITA vt,qui inſtar leonis, erat ſuperbus; & pardi inſtar,iracundus;carnalis & vorator ſicut lupus;& aſtutus ſicut vrſus,mutabitur mortificabitque hanc ſuam propenſionem, vt pacem habeat & vnitionem cum iuſtis, qui ſunt humiles & manſueti inſtar agnorum & ouium. HVIC miraculo aliud accedit, quod vitæ rationem, ipſumque nutrimentum,quo vtebantur,ſint mutaturi:quò ſe aliis accommodent. nam leo, qui conſueuerat carnes comedere,paleas comedet,ſicut bos; & vrſus,ſicut vituli: quia potius volunt in vnitione charitatis cibis craſsioribus veſci, quàm cum eius iactura delicatioribus. Attende (ait S.Hieronymus) non dixiſſe prophetam: quod bos comedet carnes; ſed quod leo comedet paleas. *Non enim bos mutabitur in rabiem; ſed leo in manſuetudinem:* vt vnitio conſeruetur,mutata praua naturali propenſione; bonâ verò integrâ permanente; & vitioſa conſuetudine permutata,ſine damno bonæ & vtilis. DENIQVE adeò erunt omnes docibiles,tantaque eorum vnitio, & charitas, vt puer paruulus eos minare poſsit:quia ipſi ſponte ſubijcient ſe cuiuis ſuperiori,à Deo ſibi conſtituto: etiamſi in facultatibus & naturæ talentis non adeò emineat, ſicut ipſi. Agnoſcent enim in eo præſentiam Dei, ipſos gubernantis. O ſublimitas gratiæ IESV CHRISTI! ô potentia Charitatis inuicta! ô charitas omnipotens,quæ in virtute Chriſti,ex lupis,agnos efficis;ex pardis hędos,ex leonibus oues, & ex vrſis vitulos! Quis vnquam gregem vidit animalium adeò inter ſe naturâ repugnantium; gratiâ verò adeò coniunctorũ? Quis potuit ea vnius pueri gubernationi ſubijcere, cum ſit potius opus gigantum:robore & fortitudine,ad ea cicuranda? Quid aliud erat Eccleſia Chriſti in ſuis initiis,niſi grex leonum & ouium, luporum & agnorum coniunctorum charitate:quorum paſtor erat pauper quidam piſcator? Hæc(inquit Caſsianus)ſunt ſtupenda illa prodigia diuinæ gratiæ: hæc miracula charita-

Isai. 11.6. & c.65. 25.
in eum locum.

Tria prodigia.

1.

2.

In Isai.65.

3.

tis,&

tis,& amoris triumphi: f *Venite* (ait Dauid) *& videte opera Domini, quæ poſuit* Collat. 12 c. 12.
prodigia ſuper terram: auferens bella vſque ad finem terræ: arcum contriuit, &
confregit arma: ſcuta combuſſit igni. Venite, venite, ad Contemplationem, vi- f Pſal. 45.
dete & aſpicite oculis (quos in ea Deus vobis dabit) eius mirabilia: Contemplamini efficacitatem ignis charitatis, quem filius eius tulit in terram: qui adeò exarſit, vt omnia conſumpſerit, quæ diuiſionem efficiebant: coniungens amore, quæ antea diſſidebant. O Saluator dulciſsime: renoua hunc in Eccleſia tua ignem, eiuſque flammas accende, noſtraque corda cum illis, vt hoc igne coniuncti & vniti, mutuo nos ad tuum diuinum obſequium excitemus.

§. 3.

De vnitione cum minoribus, & ſubditis.

SED veniamus ad tertiam claſſem ſiue cellam, in qua Deus Dominus noſter Spiritum docet Perfectorum Prælatorum, & Superiorum, ei ſimilem, quem ipſe habet. *Deus* enim (vt S. Dionyſius ait) *propter bonitatis a-* Supra.
matoriæ vehementiam, extra ſe prodit, dum prouidet omnibus creaturis, eaſque gubernat, *atque bonitate & amore quaſi mulcetur*, & oblectatur. Quemadmodum ipſe dixit per Prophetam a *lætabor ſuper eis, cum benè eis fecero.* Hic a Ier. 32. 41
amor eum impulit, vt à ſe exiens, formam ſerui acciperet: quò ſeruis benè ſaceret. In hunc ergo modum ob amorem diuinum *ſuperiora inferiorum prouidentiæ ſe dedunt*, vt eorum ſcilicet paternam & beneuolam curam gerant. Ita, vt nec ipſi *ſui* ſint *iuris*; nec ſe tanquam ſuos exiſtiment, ſed Subditorum; & tanquam eorum ſerui ſeſe addicant eorum ſeruitio, ita vt de omnibus, in bonum animarum eorum neceſſariis, illis proſpiciant. quemadmodum Apoſtolus dicebat: b *cum liber eſſem ex omnibus, omnium me ſeruum* b 1. Cor. 9. 1
feci, vt plures lucrifacerem. ſed quoniam ſunt ſerui ex amore, ſimul ſunt matres ac nutrices ſubditorum: cum quibus tanquam cum filiis agunt, indulgentes ipſis tanquã infantibus; eiſq; proſpicientes ea cura, quam gerit mater, & nutrix ſui infantuli; quem ſuis vberibus lactat: ita enim & ipſe Apoſt. dicebat: c *facti ſumus paruuli in medio veſtrum, tanquam ſi nutrix foueat filios ſuos.* c 1. Theſſ. 2 7.
Quemadmodum enim naturalis amor extrahit à ſe matrem, nutrientem filium, vt eius curam gerat, faciatq; ſe infantẽ cum infantulo, & eſcam ex ore ſuo illi det, ſomniq; iacturam, & quietis faciat, ſuaſq; commoditates negligat, vt infantulo ſuo attendat: cũ purgando, induendo, illi indulgẽdo, ſuoq; lacte nutriendo, & ab omnibus incommodis, ac periculis eum eripiendo: Ita diuinus amor facit, ſuperiorem ſanctum à ſeipſo exire, ſeq; ſubditorum curæ mancipare: & (vt Sanctus Bernardus ait) dat illi maternum ſpiritum Serm. 23 i. Cant.
erga ſubditos, ita vt paruus fiat cum paruis, triſtetur cum triſtibus, gaudeat cum gaudentibus: ſedulam nauans operam, vt bonæ doctrinæ lac, & ſpirituale virtutum nutrimentum illis præbeat, tum exemplis & conſiliis bonis,

tum protectione in tentationibus, & laboribus eorum; etiam cum iactura propriorum suorum commodorum. Quod si zelum habeat: est sicut zelus
xo. 34. 14 Dei, quem diuina scriptura d *zelotem* appellat, non quod sit vltor, sed (vt ait S. Dionysius) ob excessum amoris. Nam siue alicui indulgeat, siue castiget; siue sanitatem concedat, aut morbum; siue quietem, siue laborem largiatur: quicquid facit, id cum amore facit: Ita etiam Superiores sunt zelotæ boni suorum subditorum, non cum ira, sed cum amore in omnibus, quæ faciunt:
ist. 2. omnes enim eadem impellit charitas. De qua S. Bernardus: Ô quam est bona mater charitas: quę siue indulgeat infirmis, siue officia varia erga varias personas exerceat, omnes amat tanquam filios. Quando te reprehendit, est mitis; quando indulget, simplex est & syncera; crudelis est cum pietate; indulgens, sine duplicitate; nouit irasci, cum humilitate. eadem est mater hominũ & Angelorum, quæ pacificat, vnitque res omnes, quæ sunt in terra, & quę in cœlo. Et quoniam illa spiritum habet matris, statim atque ipsum cor ingreditur, hoc spiritu illud induit, cui & zelum, & quicquid facit, coniungit. O quam teneros affectus dulcis hæc mater profert in cordibus superiorum, qui propriam hanc suam cellam per Contemplationem sunt ingresfi. Nunc enim se offerunt, vt seruorum instar illis ministrent, nunc, vt instar matrũ, illorum curam gerant: & ipso, quietis suæ tempore pro eis orant; & ita eis inuigilant, vt si opus sit, & somnum, & ipsam Contemplationem deserant, vt ipsis adsint: ipsamet enim charitas eos excitat, atque ad id impellit. Et
Cant. 2. 7. propterea adeò illis fidit sponsus, cum ait: e *adiuro vos filiæ Ierusalem*, qui huiusmodi sunt subditi: *ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, quoad vsque ipsa velit*. Scit enim, sponsam intra se charitatem habere, quæ illam excitet, faciatque exire ex suo recessu, in bonum eorum, qui sunt ipsius curę cõmissi. Eadem ipsa Contemplatio, quæ illam in hac cella docet, quid facere debeat; eam inde suo tempore extrahit, efficitque, vt ipsum Deum suum
Cant. 7. 11. inuitet, vt ipsam comitetur, dicens: f *Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum: commoremur in villis, mane surgamus ad vineas, videamus, si flores fructus parturiunt*. In aliis cellis ipsemet Deus gerit se, vt mater, erga ipsos contemplantes: & præbens illis lac vberum suorum, tanquam infantes nutrit: ipsi verò lætantur, & exultant, spiritumque assumunt ad exequendum, quod ipsis incumbit. In hac verò cella Deus facit illos matres, datque illis lac, quo filios nutriant: suggerens illis desideria eos nutriendi, & educandi; vt glorificent patrem suum, qui est in cœlis. Ne verò existimes, propterea quod hanc appellemus cellam Prælatorum, & Superiorum, eos solos frui his pretio[sis] donis: sed persuadeas tibi potius, omnes, qui cum feruore ad perfecti[onem,] ad quam vocati sunt, perueniunt, accipere à Deo Domino nostr[o ...] lum hunc materni amoris spiritum erga proximos: siquidem [...]
g Mat. 12. 50 uator dixit; g *quicunque fecerit voluntatem patris mei, hic* [...]

meus, ſed etiam *mater* mea eſt: quia me ſcilicet ſpiritualiter generabit in animabus proximorum, erga quos ſpiritum habebit maternum. O Saluator dulciſsime, concede mihi triplicem illam gratiam, cuius hîc feciſti mentionem: quæ ex feruenti tua charitate procedit: ſpiritum ſcilicet filij obedientis erga ſuperiores; & ſpiritum fratris erga æquales: & ſpiritum matris erga inferiores: vt cum omnibus vnitus, etiam tecum perpetua amoris vnitione coniungar in æternum, Amen.

§. 4.

De zelo ſalutis animarum.

IN tribus his claſsibus ſiue cellis, hactenus indicatis, quamuis præcipuè in tertia, communicat Devs excellentem illum affectum, quem zelum gloriæ Dei, & ſalutis animarum appellamus; qui duos præcipuos fines, ſiue motiua reſpicit, amorem ſcilicet Dei, vt ipſius gloria per mundum vniuerſum, vt par eſt, diffundatur: & amorem proximorum, vt omnes ſalui fiant, conſequentes hic dona gratiæ Dei, & poſtea vitam æternam.

Motiva, quæ Deus luce ſua manifeſtat ad hunc zelum concipiendum, in præcedentibus capitibus ſunt poſita, quæ poſſumus ad hæc octo reuocare. ad infinitam ſcilicet Dei *bonitatem*, quæ propter ſeipſam & beneficia 1.
in nos collata, digna eſt, quæ ſummè ab omnibus hominibus diligatur; Magnum deinde *amorem*, quo Deus illos proſequitur, eò quòd ſint creaturæ 2.
ipſius, ad eius imaginem & ſimilitudinem conditæ; magnum item *pretium* 3.
& *valorem* animarum ipſarum, eò quòd redemptæ fuerint, & comparatæ 4.
ſanguine ipſius Ieſu Chriſti, qui venit ex cœlo, ſolum, vt illas repararet; Et quod *maximi faciat* etiam minimos eorum: cùm eos loco ſui ita conſtituit, 5.
vt dixerit: a *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*: quaſi diceret: ita ego accipio, atque ſi mihimet ipſi feciſſetis; ſeueriſsimum etiam mandatum, quo iubet, vt *eos amemus*, non ſolum b *ſicut nos ipſos*, ſed c *ſicut ipſe dilexit nos*: *Neceßitatem* etiam, qua indigent auxilio in ſuis periculis & laboribus: vt apparet ex ea, quam nos experimur, vt ſimili auxilio in noſtris periculis adiuuemur: 6.
Horrenda præterea *mala* tam *culpæ*, quàm *pœnæ*, temporalis & æter- 7.
næ: in qu[illegible] nt incidere: Denique excellentia & ineffabilia *bona gratiæ*, 8.
& glori[illegible] r[illegible] ſunt, ac poſsidere: eò quòd omnes omnium illo[illegible] nodum & nos ſumus. Has, & alias ſimiles verita[illegible] eleſtis in contemplatione, quibus impellit nos ad [illegible] ſubſequuntur.

[illegible] *us* quidam *dolor* ob peccata hominum, æternam- 1.
[illegible] facit enim hic zelus, valdè tenerè, magnaque

a Matt. 25. 40
b Matt 22. 39.
c Ioa 13. 34

tum protectione in tentationibus, & laboribus eorum; etiam cum iactura propriorum suorum commodorum. Quod si zelum habeat: est sicut zelus Dei, quem diuina scriptura d *zelotem* appellat, non quod sit vltor, sed (vt ait S. Dionysius) ob excessum amoris. Nam siue alicui indulgeat, siue castiget; siue sanitatem concedat, aut morbum; siue quietem, siue laborem largiatur: quicquid facit, id cum amore facit: Ita etiam Superiores sunt zelotæ boni suorum subditorum, non cum ira, sed cum amore in omnibus, quæ faciunt: omnes enim eadem impellit charitas. De qua S. Bernardus: ô quam est bona mater charitas: quę siue indulgeat infirmis, siue officia varia erga varias personas exerceat, omnes amat tanquam filios. Quando te reprehendit, est mitis; quando indulget, simplex est & syncera; crudelis est cum pietate; indulgens, sine duplicitate; nouit irasci, cum humilitate. eadem est mater hominũ & Angelorum, quæ pacificat, vnitque res omnes, quæ sunt in terra, & quę in cœlo. Et quoniam illa spiritum habet matris, statim atque ipsum cor ingreditur, hoc spiritu illud induit, cui & zelum, & quicquid facit, coniungit. O quam teneros affectus dulcis hæc mater profert in cordibus superiorum, qui propriam hanc suam cellam per Contemplationem sunt ingressi. Nunc enim se offerunt, vt seruorum instar illis ministrent, nunc, vt instar matrũ, illorum curam gerant: & ipso, quietis suæ tempore pro eis orant; & ita eis inuigilant, vt si opus sit, & somnum, & ipsam Contemplationem deserant, vt ipsis adsint: ipsamet enim charitas eos excitat, atque ad id impellit. Et propterea adeò illis fidit sponsus, cum ait: e *adiuro vos filiæ Ierusalem*, qui huiusmodi sunt subditi: *ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, quoad vsque ipsa velit*. Scit enim, sponsam intra se charitatem habere, quæ illam excitet, faciatque exire ex suo recessu, in bonum eorum, qui sunt ipsius curę cõmissi. Eadem ipsa Contemplatio, quæ illam in hac cella docet, quid facere debeat; eam inde suo tempore extrahit, efficitque, vt ipsum Deum suum inuitet, vt ipsam comitetur, dicens: f *Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum: commoremur in villis, mane surgamus ad vineas, videamus, si flores fructus parturiunt*. In aliis cellis ipsemet Deus gerit se, vt mater, erga ipsos contemplantes: & præbens illis lac vberum suorum, tanquam infantes nutrit: ipsi verò lætantur, & exultant, spiritumque assumunt ad exequendum, quod ipsis incumbit. In hac verò cella Deus facit illos matres, datque illis lac, quo filios nutriant: suggerens illis desideria eos nutriendi, & educandi; vt glorificent patrem suum, qui est in cœlis. Ne verò existimes, propterea quod hanc appellemus cellam Prælatorum, & Superiorum, eos solos frui his pretiosis donis: sed persuadeas tibi potius, omnes, qui cum feruore ad perfectionem, ad quam vocati sunt, perueniunt, accipere à Deo Domino nostro beneuolum hunc materni amoris spiritum erga proximos: siquidem ipsemet Saluator dixit; g *quicunque fecerit voluntatem patris mei, hic* non solum *frater*

d Exo. 34. 14.
... Epist. 2.
e Cant. 2. 7.
f Cant. 7. 11.
g Mat. 12. 50.

meus,

meus, ſed etiam *mater* mea eſt: quia me ſcilicet ſpiritualiter generabit in animabus proximorum, erga quos ſpiritum habebit maternum. O Saluator dulciſsime, concede mihi triplicem illam gratiam, cuius hîc feciſti mentionem: quæ ex feruenti tua charitate procedit: ſpiritum ſcilicet filij obedientis erga ſuperiores; & ſpiritum fratris erga æquales: & ſpiritum matris erga inferiores: vt cum omnibus vnitus, etiam tecum perpetua amoris vnitione coniungar in æternum, Amen.

§. 4.

De zelo ſalutis animarum.

IN tribus his claſsibus ſiue cellis, hactenus indicatis, quamuis præcipuè in tertia, communicat DEVS excellentem illum affectum, quem zelum gloriæ DEI, & ſalutis animarum appellamus; qui duos præcipuos fines, ſiue motiua reſpicit, amorem ſcilicet Dei, vt ipſius gloria per mundum vniuerſum, vt par eſt, diffundatur: & amorem proximorum, vt omnes ſalui fiant, conſequentes hic dona gratiæ Dei, & poſtea vitam æternam.

MOTIVA, quæ Deus luce ſua manifeſtat ad hunc zelum concipiendum, in præcedentibus capitibus ſunt poſita, quæ poſſumus ad hæc octo re-
uocare. ad infinitam ſcilicet Dei *bonitatem*, quæ propter ſeipſam & beneficia 1.
in nos collata, digna eſt, quæ ſummè ab omnibus hominibus diligatur; Ma-
gnum deinde *amorem*, quo Deus illos proſequitur, eò quòd ſint creaturæ 2.
ipſius, ad eius imaginem & ſimilitudinem conditæ; magnum item *pretium* 3.
& *valorem* animarum ipſarum, eò quòd redemptæ fuerint, & comparatæ 4.
ſanguine ipſius Ieſu Chriſti, qui venit ex cœlo, ſolum, vt illas repararet; Et
quod *maximi faciat* etiam minimos eorum: cùm eos loco ſui ita conſtituit, 5.
vt dixerit: a *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*: quaſi diceret: ita ego a Matt. 25. 40
accipio, atque ſi mihimet ipſi feciſſetis; ſeueriſsimum etiam mandatum,
quo iubet, vt *eos amemus*, non ſolum b *ſicut nos ipſos*, ſed c *ſicut ipſe dilexit nos*: b Matt 22. 39.
Neceßitatem etiam, qua indigent auxilio in ſuis periculis & laboribus: vt ap- c Ioa 13. 34.
paret ex ea, quam nos experimur, vt ſimili auxilio in noſtris periculis adiu- 6.
uemur: Horrenda præterea *mala* tam *culpæ*, quàm *pœnæ*, temporalis & æter- 7.
næ: in quæ poſſunt incidere: Denique excellentia & ineffabilia *bona gratiæ*, 8.
& gloriæ, quæ ſperare poſſunt, ac poſsidere: eò quòd omnes omnium illorum ſint capaces, quemadmodum & nos ſumus. Has, & alias ſimiles veritates manifeſtat nobis lux cœleſtis in contemplatione, quibus impellit nos ad actus internos zeli, qui iam ſubſequuntur.

PRIMVS actus eſt *intimus* quidam *dolor* ob peccata hominum, æternam- 1.
que eorum damnationem: facit enim hic zelus, valdè tenerè, magnaque

compassione hæc damna sentiri, magnisque gemitibus ea defleri: quemadmodum Apostolus dicebat: d *quoniam tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo, pro fratribus meis Israelitis.* e *Lugebat* quoque *multos ex iis*, qui, cum antea *peccauissent, non egerant pœnitentiam*, quemadmodum etiam f *Samuel lugebat Saulem, eò quòd Deus eum proiecisset, ne regnaret super Israel.* Ex hoc zelo processit affectus ille commiserationis, ob quem dicebat Apostolus. g *quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?* quasi diceret: quis infirmatur in anima sua, ob quam ego non infirmor ex commiseratione in spiritu meo? & quis aliquod scandalum patitur, aut impingit in via virtutis, & ego præ dolore & pœna, non vror igne charitatis? Hic ignis est, de quo dixit Dauid: h *tabescere me fecit zelus meus; quia obliti sunt verba tua inimici mei:* non enim tanti faciebat detrimentum, quod à suis inimicis accipiebat; quam, quod ipsimet sibi inferebant, dum obliuiscebantur custodire mandata Dei. Hic idem i *zelus* cruciabat, & *comedebat* ipsum Saluatorē, propter mala, quæ videbat fieri in templo, quod erat *domus* Patris sui. O durum zelum, fortemque, qui animam propriam torques, & crucias: vt vita detur alienæ! Liquefiam ego hoc igne, fluantq; mihi lacrymę ob multitudinem peccatorum & miseriarum, quas video. Hinc secundus oritur affectus zeli, *ardens* scilicet *desiderium*, vt Deus Dominus noster misericordia & omnipotentia sua, talia peccata impediat, peccatoribus ignoscat, Dæmonum furias reprimat, obseretque inferorum portas, ne animæ eò descendant: cui affectui feruens oratio coniungitur, cum gemitibus & lacrymis, quibus Deo supplicat, petitque horum malorum remedium, dicens, si opus est, Deo Domino nostro quod Moyses pro suo populo dixerat: k *aut dimitte eis hanc noxam: aut, si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* O amor zelantissime? ô zele amantissime, qui iustum, ab ipso met deducens, ita alienas, quasi non esset ipsi vtilis salus propria, videns iacturam alienæ! quid autem hoc significat, nisi excessum quendam amoris, quo dicit: aut omnes saluemur, aut pereamus omnes; aut dimitte omnibus, aut omnes castiga? charitas quidem nūquam vult propriam perniciem, sed fiducia quadam potius diuina, quàm humana, adeò zelat proximorum bonum, vt illud petat quasi esset propriū, dicens ipsi Deo: siquidem vis, vt ego saluer, saluetur quoque mecum hic populus: dimitte illis peccatum, vt mecum salutem obtineant. nollem solus ingredi cœlum, sed multos mecum eò deducere. salua itaque & hos omnes, vt saluemur omnes. Multa prodigia ait S. Chrysostomus fecisse Moysen, sed nullum adeò magnum, atque hanc orationem: in qua excessiuum suum amorem prodidit.

d Rom 9. 2.
e 2. Cor. 12.
f 1. Reg 15. & c 16 1
g 2. Cor. 11.
h Psal. 118.
i Psal. 68. 10 Ioan 2 13.
k Exo 32. 31
Hom 79 ad populum.

3. HINC quoque tertius procedit heroicus affectus, *feruentissimum* scilicet aliud *desiderium*, omnes labores & afflictiones totius mundi patiendi ob salutem animarum, quas vt à culpis liberet, offert sese, ad quasuis pœnas tole-

randas.

randas. Tale erat accensum illud Apostoli desiderium, quod exprimens dicebat: l *optabam ego ipse anathema esse, à Christo pro fratribus meis, qui sunt Israelitæ.* Quid est anathema esse, à Christo, nisi (quod Sanctus Chrysostomus ait) priuari ad tempus gloriosa eius visione ac beatitudine; ipsas inferni pœnas sustinere, modò esset absque sua culpa: ne animæ perirent. Quo potuit vlterius progredi amor Christi? si tamen amor dicendus est, & non potius affectus quidam amore nobilior. superat enim, quicquid amor desiderat: esse scilicet semper cum suo dilecto. quod tamen desiderium adeò superat, vt tanto hoc commodo priuare se velit, patique quemcunque cruciatum, quò alij eundem dilectum ament, eodemque æternùm fruantur. Plus illum aliorum peccata cruciabant, quam ipse infernus cruciasset: siquidem hoc eligebat, vt illud impediret. Sed cur hoc non efficiat amor proximorum propter ipsum Christum, cùm videamus, quid ipse Christus pro eisdem fecerit? Nam, cùm dixisset m *zelus domus tuæ comedit me,* statim adiecit: *opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.* sic insinuans, quod zelus ille in causa fuisset, cur ipse omnes pœnas subiret, quas nostræ culpæ merebantur: vt ab eis nos liberaret. O si dulcissimus hic Saluator cœlesti sua luce tibi ostenderet, quemadmodum Sanctæ Catharinæ Senensi, pulchritudinem, & valorem animæ pretioso ipsius sanguine redemptæ! procul dubio accendereris tanto zelo salutis omnium animarum; vt, sicut eadem sancta iudicares quemcunque laborem esse paruum, quo res adeò pretiosa compararetur.

l *Rom 9. 2.* *ibidem.* *Homil. 16. & 79. ad populum.*

Lib de dignit Sacr c. 4 & lib 3. de prouid. *Vide S. Tho. ibidem.* *Homil. 79. ad popul.* m *Ps. 68. 10* F Raimūdus refert in eius vita.

§. 5.

Quod hic zelus sit proprius perfectorum.

HI sunt præcipui affectus zeli, qui vt plurimum non inueniuntur, nisi in hominibus perfectis ac feruentibus. Imperfecti enim tantum negotij habent cum suis propriis peccatis, vt non recordentur alienorū: imò multi sunt feruentes, de propria salute adeò soliciti, vt non meminerint aliorum salutem zelare: nec eorum charitas eousq; peruenit, vt particularem hunc zelum ad salutem proximorum extendat. Et experimur (ait Richardus) multos esse pauperes spiritu, spe gaudentes, charitate feruentes, & in aliis affectibus, & operibus sanctitatis eminentes, valdè tamen tenidos, ac desides circa zelum animarum: vtroquoque suas excusationes afferente, vt mox videbimus. Sed esto, possint esse aliquæ excusationes, ne opera exteriora exerceant, quæ sunt aliàs ipsius zeli propria: sed quo minùs sentiantur interni huiusmodi affectus, nulla est ratio magis ad rem, quam nostra ipsa imperfectio, & charitas limitata. Nam, qui profecit aliquid in Oratione & Contemplatione, perpenditque rationes prædictas: eisdem exstimulat zelum. *Non* enim ipsa peccata respicit tanquam ali- I.


Lib. 1. de præparat. ad Contempl. cap. 4.

quod damnum proprium,sed tanquam iniurias ipsius Dei : & hoc efficit, vt
2. illa defleat,sentiatque in quocunq; illa esse videat. *nec* solum diligit Deum,
quia diligit : sed quia dignissimus est,qui ab omnibus diligatur. Ideoq; suam
3. charitatem ita extendit, vt optet eum ab omnibus diligi. *pluris* omninò facit,quod placet Deo,quam quòd sibi. cumque intelligat,Deum magnopere delectari, quod omnes ipsum ament, & salutem consequantur : hoc ipsum
4. zelus desiderat:& propterea suspirat. Anhelat ad perfectam Creatoris sui, Christique Redemptoris nostri imitationem, in quo zelus hic eminenter eluxit:nec requiem inuenit,donec illum obtineat; felicem se, diuitemque existimans,si obtinuerit. Nam (vt idem Richardus ait) hoc est vnum ex præstantioribus donis, quod Deus electis suis communicat : quos tanquam instrumenta accipit, non ad resuscitanda corpora iterum moritura : sed ad animas resuscitandas,æternùm victuras;& conuertendos filios Dęmonis,in filios Dei viui:eripiendo eos ab inferni pœnis, vt in cœli sedibus collocentur. Et propterea S.Greg.dixit:nullum sacrificium gratius Deo offerri posse, quam feruentem zelum salutis animarum , quo iustus holocaustum quoddam suiipsius offert,diuini amoris igne accensum : vt se tradat, si opus sit,ipsi martyrio:quò animas & à peccato,& ab inferno eripiat. O Saluator dulcissime , qui ad tuam transfigurationem in monte Thabor n *Moysen & Eliam* tibi adesse voluisti, eò quòd magni fuissent gloriæ tuæ, bonique & commodi tui populi zelatores: trahe me ad sanctum Contemplationis montem, in quo spiritus meus tanta vi amoris transfiguretur, vt non sim contentus,quod sim solus : sed tanto ardeam zelo,vt alios desiderem mecum deducere: qui etiam tecum transfigurentur, vt crescat gloria tua in æternum, Amen.

[margin: ...pra c. 44 — ...om. 12. in ...zech. — Mat 17. 3.]

CAPVT XXI.

DE VITA MIXTA, QVAE CONTEMPLATIVAE coniungit opera maximè heroica Actiuæ, in auxilium proximorum:& quibus hæc vita conueniat.



VONIAM perfectus amor, zelusque proximorum, qui à vita Contemplatiua proficiscitur,non est de solis verbis,sed maximè de operibus : affert secum excellentem illā vitæ rationem, quam Mixtam siue Compositam appellamus : eò quòd Actiuam & Contemplatiuam in optimis vtriusque actionibus complectatur : quam (vt Sanctus Thomas aduertit)elegit Christus Dominus sibi: eò quòd sit magis perfecta. ac propterea institutum illud religiosum quod vtramq;

[margin: ...2. q 79 a. ad 2 ... p. ...40 a. 1. ad ... & 3. 2. 2. ...188. a 6.]

com-

complectitur, est ex se multo perfectius. Ad cuius rei declarationem præmittendum est, esse valde proprium & familiare spiritui diuino, quemadmodum ad finem proximi capitis dicebamus, coniungere in viris perfectis duplicem zelum: proprij scilicet profectus, & aliorum: ita vt neuter alteri noceat. Neq; enim sine mysterio in Psal. 83. quem supra de profectu in virtutibus declarauimus, cum dixisset Dauid in singulari numero: a ***Beatus vir, cuius est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit:*** statim transit ad numerum multitudinis, dicens: ***benedictionem dabit legulator,*** IBVNT ***de virtute in virtutem.*** ita insinuans, eum, qui feruenter crescit in virtutibus, non ipsum solum crescere: sed alios simul cum illo, eius sequentes exemplum: quemadmodum sponsa dicebat: b ***trahe me: post te curremus in odorem vnguentorum tuorum.*** quasi diceret: si me traxeris, vt feruenter te sequar, non sola ibo: sed & alij mecum, exemplis & verbis meis permoti. Causa autem est: quia statim cælestis ***legulator*** copiosam suam ***benedictionem*** infundit: ac largitur desideria, vt alij etiam in virtutibus crescant: assistens illi, vt ipse alios incitet, ad crescendum, & proficiendum, quemadmodum ipse proficit: eosq; secum, gressibusq; suis accommodatos deducat: vt omnes de virtute in virtutem ascendant, donec cum eis perueniat ad ipsum Deum videndum. Tanta enim est vis feruentis eius charitatis, vt nec possit angustari, nec esse contentus proprio suo profectu, & emolumento spirituali. & quoniam parum sibi videtur esse, quod solus ad cœlum eat: vellet, multos secum deducere. & quoniam Deum plurimum amat: magno zelo ac desiderio tenetur, vt plurimi alij eidem seruiant. Et quoniam proximos etiam suos plurimum amat, similem habet zelum ac desiderium, vt in virtutibus omnes crescant: id quod fructus est perfectæ contemplationis. Et hinc est, quòd Rachel, postquam primum filium genuisset, quem Ioseph vocauit, quod augmentum significat, aperuerit causam, & motiuum, cur tale nomen ei imposuerit, dicens: c ***addat mihi Dominus filium alterum.*** & ita dedit illi Dominus Beniaminum, qui fuit vltimus. quem Moyses d ***amantissimum Domini*** appellauit: vt nobis significaret, quod, quando vita Contemplatiua copiosos fructus in augmento omnium virtutum fecerit, in proprium profectum: statim desideret nouos alios fructus edere operum virtutis, in bonum spirituale proximorum: qui fructus tum Deo sunt gratissimi: tum in eis charitatis præstantia manifestatur: quæ eisdem proficit, ac progreditur ad supremum, quem possit, gradum assequendum. Dum itaq; charitas in seipsa crescere desiderat, id assequitur, extendendo se ad amoris opera versus proximos: sic enim similior efficitur æternæ charitati, quæ occupatur in diligendo, & benefaciendo hominibus. Quamobrem dixit S. Dionysius: perfectionem supremam cuiusq; hominis iusti in suo gradu, & hierarchia esse ***in Dei imitationem ascendere: &***

a *Psal.* 83.6

b *Cant.* 1. 3.

c *Gen.* 30. 24.

d *Deut* 33. 12.

Lib. 3. *de Cælest. Hierar.*

quod est omnium diuinius Dei cooperatorem fieri, in conuersione scilicet animarum: *& ostendere in seipso diuinam actionem, secundum quod possibile est, relucentem*: quæ imitatio valde gloriosa est, & honorifica. relucet enim misericordia in commiseratione peccatorum, cum omnis opera datur, vt à maximis, quæ esse possunt, miserijs, liberentur, peccato scilicet, & inferno. Obedientia resplendet in executione diuinæ voluntatis, non solum in iis, quæ præcipit, sed in ijs etiam, quæ in aliorum commodum consulit. Eminet fames & sitis Iustitiæ, cum non existimans sibi sufficere propriam perfectionē, aliorum etiam perfectionē desiderat. fortitudo etiam, & patientia elucent: quia ad magnos labores, & pericula, & ipsam etiā mortem, si opus fuerit, sese offert: idq; non tam ob commodum proprium, quia id mirum non esset; sed ob commodum spirituale aliorum, quod ipse propriæ suæ vitæ præfert.
Gen. 35. 18 Nec mysterio vacat, quod Rachel vltimū filium suum vocauerit *Benoni, id est filium doloris sui*, eò quòd maximo eum dolore peperisset, ex quo partu etiam est mortua: *pater verò appellauit eum Beniamin, id est, filius dextræ*. huiusmodi enim actiones, & occupationes in lucrandis animabus immensos dolores, & labores, magnaq; spiritus martyria conflant: & interdum opus est, vt ipsum corpus moriatur, vt genitus filius superstit: id tamen totum magnam gloriam & coronam affert matri, quæ talibus actionibus plurimum in sanctitate proficit. Quamobrem Deus D. N. verus, & optimus operum æstimator hos labores, & partum filium dextræ appellat. in eo enim relucet valde omnipotentia Dei, tantam Iusto virtutem largientis: vt laborare velit, pati, ac etiam mori ob quietem, vtilitatem, & vitam sui proximi. O felices labores, feliciaq; opera, quæ filios nos efficiunt dextræ Dei: & IESV Christi fratres? O Saluator dulcissime, quàm multum hoc erit, si ego pro salute meorum proximorum moriar, pro quibus tu prior crudelem mortem sustinuisti? tu conscendisti crucem, vt nos redimeres, & ego tecum ascendam, vt in his actionibus sim tuus cooperator: tuaq; imitatione in omnibus virtutibus crescam. Tu in cœlum ascendisti, non solus, sed innumeris Iustis stipatus, quos tuis laboribus comparaueras: & ego tecum ascendere in cœlum cupio: non solus; sed cum multorum aliorum comitatu, qui meâ operâ cò ascendant, vt per me crescat tua gloria in æternum. AMEN.

§. I.

Qua ratione quisq; possit suum proximum iuuare.

AD prædictum desiderium ex parte nostra explendum, habet zelus quatuor vias, quarum tres, omnibus iustis possunt esse cōmunes. possunt enim (vt ait S. Bernardus) omnes iusti iuuare suos proximos, aut
Serm. 3. de Aduen. *feruentibus Orationibus* & petitionibus: aut excellentibus *virtutum exemplis*

(de

(de quorum efficacitate in hunc finem, actum est fusius in præcedentibus Tractatibus) aut deniq; priuatis *colloquiis*, cum sibi amicitiâ & familiaritate coniunctis, aut etiam cum aliis in particularibus occasionibus occurrentibus: colloquendo scilicet cum eis de Deo, & virtutibus: bona consilia suggerendo, & blandè interdum reprehendendo. huiusmodi enim verba ex corde amoris igne inflammato prouenientia, simul cum bono vitæ exemplo, plurimum momenti habent ad conuertendum peccatorem. ad excitandum tepidum, ad promouendum imperfectum, iustumq; expeditiorem in suo cursu faciendum. sic enim satisfit illi obligationi, de qua dixit Ecclesiasticus, quod a *vnicuiq; Deus mandauerit*, curam gerere *de proximo suo*, nullus (ait S. Gregorius) se excuset, dicens: se non scire concionari: aut sufficientem non esse ad alios docendos. quod potes, id à te, vt facias, petimus: siquidem non solum, qui quinq; talenta acceperat, & qui duo tantum, tenebantur cum eis negotiari: sed etiam, qui vnum tantum acceperat. Si ire velis ad balnea, occurrasq; noto alicui & familiari otioso, illum inuitas vt te comitetur. *Si ergo ad Deum tenditis, curate, ne ad eum soli veniatis. & in quantum vos profecisse pensatis, etiam vobiscum alios trahite: in via Domini, socios habere desiderate.* In hoc itaq; tuum profectum ostendere debes, vt procures, socios aliquos habere, qui te in via virtutis sequantur: vt sic impleas, quod iubetur in Apocalypsi: b *qui audit, dicat: veni.* si enim in tuo spiritu inspirationis cœlestis vocem accepisti: debes alios inuitare, vt eandem audiant: hortariq;, vt veniant ad implendum, quod Deus iubet. sicut S. Andreas, statim atq; Christum Dominum cognouit, cum inuenisset fratrem suum Simonem c *eum adduxit ad Iesum*, vt eum cognosceret. si occurrat tibi mendicus, tuq; habeas viscera misericordiæ, etiam non petenti eleemosynam largiris: cur ergo deneges spiritualem boni alicuius verbi eleemosynam, cùm vides proximum ea indigentem? *si Deum amatis* (ait S. Augustinus) *rapite omnes ad amorem Dei, qui vobis iunguntur: & omnes, qui in domo sunt vestra*, vt eodem fruantur, quo tu frueris: dicentes illis illud Dauidis, d *magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipsum.* Si ditissimas aliquas aurifodinas inuenisses, quæ sufficerent ad te, tuosq; amicos ditandos: non prætermitteres easdem illis manifestare: quo ditati, antiquam miseriam euaderent: si igitur Deus thesaurorum suorum cœlestium venam tibi aperuit, communica eam sine inuidia: manifesta tuis proximis, vt assumant animum ad eam procurandam, te illos adiuuante pro viribus: vt à misero statu exeant: sic enim & tu ipse ditior euades: charitas enim ditatur alienis diuitijs, dum gaudet de eis, atq; si essent proprię. Quãuis ipsa charitas, si perfecta sit, huiusmodi stimulis nõ indigeat. Nam ipsamet, teste Apostolo, stimulus est, & aculeus continuus, licet dulcis.

Tract. 2. c. 5 parag. 4.

a *Eccl. 17. 12.*

Hom. 6. in Euang.

b *Apoc. 22. 17.*

c *Ioh. 1. 42.*

Concio 3. in Psal. 33.

d *Psal. 33. 4.*

2 Cor. 5. 14. e *charitas*, inquit, *Christi vrget nos*, & impellit, vt, quo licet modo, sese communicet: vt multi dilectum suum Iesum diligant, socijq; sint ad sanctum eius nomen glorificandum.

§. 2.

De ministerijs, proprijsq; actionibus animas gubernantium.

VLTIMA via & ratio proximos iuuandi est propria Prælatorum, & Magistrorum Spiritus & operariorum Euangelij: qui ministerijs proprijsque suorum officiorum exercitijs magno amore, zeloque Dei gloriam, & animarum salutem procurant. Hi sunt fructus Orationis, & Contemplationis excellentissimi: licet vltimo ab eis proferantur. familiare enim est Deo D.N. primum exaltare seruos suos ad virtutum sublimitatem, quibus fiunt in seipsis perfecti: & postmodum eos vlterius extollere, vt opera præstent, quibus alios perfectos efficiant. Nam quod quis pater sit filiorum spiritualium, supponit, quod sit pater operum perfectissimorum. Et fortè ad hoc ipsum significandum, magnus ille Patriarcha Abraham, cui dixerat Deus a *ambula coram me, & esto perfectus*, prius vocabatur *Abram*, quod significat *pater excelsus*, vel rerum cœlestium: postea verò addidit idem Deus vnum characterem eidem nomini, vt vocaretur *Abraham: quia patrem*, inquit, *multarum gentium constitui te*, quæ sint cœlestes: *faciamq; te crescere vehementissimè.* vt nos doceret, quod Iustus prius debeat in sua propria perfectione crescere, esseq; pater rerum cœlestium: cogitationum videlicèt, & affectuum diuinorum, quales sunt perfectæ contemplationis, quibus sublimes fructus producat, circa proprium profectum: & postea addet illi Deus vltimum gradum magnitudinis spiritualis, constituendo eum, multorum spiritualium filiorum patrem, qui instar stellarum firmamenti in eadem sanctitate resplendeant. Quemadmodum autem mutatio nominis Abraham, non fuit facta subtractione characteris, sed additione: ita hæc vita actiua in suis operibus, non impedit contemplatiuam: nec curæ de proximis, altas rerum cœlestium cogitationes auferunt; sed illis adduntur, & coniunguntur. Quod si velis cognoscere, qua ratione id agatur, ascende spiritu in montem Thabor, vbi videbis Iesum Christum D.N. b *orantem* per magnam noctis partem, *transfiguratum esse ingenti splendore, tanquam Solis*: & accessisse duos viros *Moysen & Eliam cum illo colloquentes, de excessu eius, quem completurus erat in Ierusalem.* & quamuis Petrus captus tantæ gloriæ splendore, voluisset semper in eo monte permanere, diceretq;: *bonum est nos hic esse: nesciebat tamen, quid diceret*: quia necesse erat descendere inde in Ierusalem: vt opere compleretur excessus, de quo ibi fuerat actum. Quo toto quid aliud voluit, quàm significari

a Gen. 17. 1. 5.

b Luc 9. 29. Matth. 17. 2.

nobis,

nobis, quod feruens Oratio impetret perfectam contemplationem, in qua anima magna similitudine transfiguratur in Deum, quam tunc comitantur duo feruentes affectus, alter per Moysen legislatorem significatus, accensum scil. desiderium adimplendi legem Dei, sanctamq; eius voluntatem, in quo tota eius vita, propriaq; perfectio consistit: alter verò per Eliam zelantem indicatus, qui est, accensus zelus, salutis animarum, ad eius gloriam, qui illas condidit. Colloquia autem, quæ à sanctis his affectibus cum anima instituuntur, sunt feruentia, efficaciaq; animi decreta, de excessibus ab ea præstandis in agendo, & patiendo, quicquid opus erit, ad legem & voluntatem diuinam explendam, vt proximos iuuare posit, manifestando in vtroq; eximium & excessiuum amorem, quem habet in Deum. Et quidem Imperfecti cum horum aliquid degustant, vellent semper in hoc monte versari, oblectantes se dulcedine contemplationis, affectuumq;, & animi decretorum teneritate; sed non sciunt, quid dicant. necesse est enim ex hoc monte descendere, & collectam contemplationem relinquere, vt executioni demandent, quod in ea viderunt, desiderarunt, ac facere statuerunt: & tunc copiosos suos fructus colligunt, dum talia faciunt, ac patiuntur, quæ ipsorum vires excedunt; vt faciant, quod Deus vult: multosq; lucrentur, qui eidem seruiant. excessus enim amoris & zeli, vires illis addunt ad omnia. Quis fecit Christum D.N. ex monte illo, adeò glorioso descendere; & postea in Ierusalem ire, vbi res adeo prodigiosas, & fecit, & perpessus est, donec cruci affixus in Caluario monte moreretur? Moyses, & Elias sine dubio in causa fuerunt: desiderium inquam implendi legem & voluntatem æterni Patris: & zelus salutis hominum. Hi duo, qui in altero monte reipsa illi apparuerunt, eundem comitati spiritualiter sunt in omnib. eius gressibus, donec in altero exspiraret: vt ex hoc intelligas, quod affectus, quos in monte sancto Orationis conceperis, meritò debeant spiritualiter te comitari in omnib. quæ gesseris, aut patieris, in tuum cõmodum & fratrum tuorũ. & hac ratione vita Contemplatiua, comitatur Actiuam: vt tibi, & alijs vtilis esse posit. nec vita Actiua Contemplatiuam impediet, quando ad illam erit tibi redeundum. Nec mysterio caret, quod excessus, de quibus Moyses, & Elias cum Christo conferebant, explendi erant in Ierusalem, quæ visionem pacis significat: vt intelligas, quod, quemadmodum Christus D.N. oẽs hos amoris, zeliq; excessus impleuit, non amittens diuinæ contemplationis pacificam visionem, qua sanctissima eius anima fruebatur: Ita quoque Apostolici viri eundem imitantur, quoad vires & facultates eorum ferunt. quia actionibus, externisque laboribus suis coniungunt amabilem, & pacificam huius Domini sui visionem: attendentes, se in eius præsentia versari: & eum aspicientes, quem sciunt ipsos aspicere: ideoq; in omni loco, & tempore familiariter cum illo agunt: ita vt admirabili quadam ratione à diuina gratia

adiuti, in ipso alto monte Orationis meminerint eorum, quæ acturi sint, ac pe p fſuri extra illam, ad gloriam eius Domini: qui ſe ibi illis communicat, & quando inde exeunt, & laborant, & aliquid perpetiuntur, id faciunt intra Ieruſalem, conſeruantes ſcil. pacem & memoriam Dei in ſpiritu ſuo: quia meminerunt eorum, quæ viderunt in monte Thabor, reſeruantq; effectus, quos ibi conceperunt. Verum c *quis hic eſt, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita ſua.* Beatus vir, cui talis gratia conceſſa eſt. Non ſine cauſa S. Dionyſius dixit: neminem debere adeo eſſe audacem, vt animarum Dux, & Magiſter eſſe vellet, *qui non per omnia euaſiſſet ſimillimus Deo, vel factus eſſet Deiformiſsimus.* ita vt proprietates diuinas, altiſsima ſimilitudine, quæ in terra eſſe poſſet, induiſſet: & ſupremum contemplationis faſtigium cum ſupremo etiam actionis coniunxiſſet: exiſtens in ſe perfectiſsimus, danſq; omnem operam, vt alij ſint tales, abſq; vlla interim perfectionis propriæ iactura. Iure enim optimo, ait hic Sanctus, neminem debere excelſum adeò munus obire, niſi (vt alia verſio habet) *ab inſpiratione, iudicioq; diuino fuerit gubernator declaratus*: ſolus enim Deus, copioſam adeò ad id præſtandum facultatem largiri poteſt, ſolaq; diuina eius inſpiratio coniunctionem hanc, & vnitionem efficere poteſt, vt hominem eleuet, ad glorioſam adeo ſimilitudinem. Rara (inquit Caſsian.) eſt in terra adeo exacta, & abſoluta perfectio. Imò propterea, dixit Seruator noſter diſcipulis ſuis: d *meſsis quidem multa; operarij autem pauci: rogate ergo Dominum meſsis, vt mittat operarios in meſſem ſuam,* qui illam colligant. Qui verò ſunt hi operarij, niſi viri Apoſtolici, in vtriuſq; vitæ Actiuæ & contemplatiuæ operibus perfectiſsimi? quibus metunt, colliguntq; ſibi copioſam virtutum excellentium meſſem; Chriſto verò multarum animarum: vtramq; dirigentes ad gloriam illius Domini, cuius eſt vtraq; meſsis. Quoniam verò hi operarij ſunt rariſsimi, gaudet ipſe Dominus, cum noſtris Orationibus etiam importunè ab eo petimus, vt vocet, conducatq;, & exaltet plurimos ad hoc munus. O Saluator dulciſsime, fateor me adeo eſſe pauperem, vt non ſim dignus præcipuus eſſe meſſor huius meſsis animarum: eſſet verò magna felicitas mea, vel e *ſequi* huiuſmodi *meſſorum veſtigia, &* vel *aliquam ſpicam remanentem colligere,* aliquam ſcilicet particularem animam, quam tibi lucrarer. Sed quo potero tamen modo, eas iuuare ſtudebo: ſupplex interim orans, vt plures mittas operarios adeò perfectos, qui hanc meſſem animarum metentes, tot animas lucrifaciant, vt horrea impleant Eccleſiæ tuæ, & ipſius quoq; cœli poſtea per ſecula infinita. AMEN.

c Eccl. 31.9. 3 de Eccleſiaſtica Hierarch. ad finem.

Collat. 19. 9.

d Matth. 9. 37. Luc. 10. 2.

e Ruth. 2. 7.

* * *

§. 3.

Duo vitiosa extrema esse vitanda.

EX dictis licet colligere, quod omnes, qui Orationi & Contemplationi se dedunt, debeant duo extrema valde perniciosa euitare. *Alterũ* est eorum, qui zelo indiscreto alios iuuandi, volunt ante tempus Magistri fieri, & Concionatores: cùm necdum ipsi virtutem habeant satis solidam; nec ad id præstandum talenta; ac proinde etiam à Deo non sint vocati: qui ad huiusmodi ministeria non vocat, nisi eos, qui tales virtutes & talenta sunt cõsecuti. Quare illis euenit, vt, qua via progredi se posse existimabant, retrocedant potius, amittantq; profectum proprium, simul & alienum. Nam (vt præclarè S. Gregorius expendit) auicularum pulli, qui ante tempus ex nido suo exire, & volare tentant, cùm contendunt in altum ascendere, cadunt in terram; vt nec ad redeundum ad nidum suum alas & vires habeant: ideoq; pereunt absq; vllo remedio: & cum matres ante decretum tempus pariunt, non diu viuunt proles, nec huiusmodi, familias condunt, sed sepulchra: Ita qui indiscreto zelo, nec virtutem habentes, nec scientiam, nec facultatem spiritus, ex sua recollectione exeunt, ad docendum & exercendum erga ꝓximos ministeria, eò deueniunt, vt ipsi pereant: quia ad res externas effusi, præda fiunt hostium istorum. & quando ad antiquam suam quietem redire volunt, non sciunt quomodo id faciant. & filij, quos genuerunt, æquè sunt vani, atq; ipsi parentes. Si enim a *cæcus cæcum ducat, ambo in foueam cadunt.* Non absq; mysterio (ait S. Bonauentura) præcipiebat Deus filiis Israel, b *quando ingressi fueretis terram, & plantaueritis in ea ligna pomifera, per tres priores annos auferitis præputia eorum: poma, quæ germinant immunda erunt vobis, nec edetis ex eis.* tum, quòd nec ad maturitatem peruenirent; ideoq; vt comederentur, apta non erant: tum quod ipsis arboribus nocerent: quia earum virtutem sugerent, nec permitterent profundas in terra iacere radices. Num Deus adcò erat solicitus de illis arboribus, an potius de eo, quod significare volebat, in vtilitatem hominum? qui, quamdiu noui sunt in virtute, non debent quærere, vt eam ostendant in actionibus, quæ eorum statum & conditionem excedunt: sed mortificare & amputare desideria, quæ in hoc genere illis incident, etiamsi alioqui bona videantur. sugent enim virtutem spiritus, & impedient profundas iacere radices humilitatis: suntq; fructus præmaturi, insipidi Deo, proximisq;, noxij. quo tempore elapso, tempestiuum alium fructum proferent ad gloriam Dei, & commodum multorum: vt sit c *tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo:* non fructum alienum, sed suum proprium, statui scilicet suo conformem; nec intempestiuum, sed opportunum.

3. Part. Pastor. admon. 20. & lib. 3. Mor. c. 29.

a Matt. 15. 14. Luc 6. 39. De Informa Nouitior.

b Leuit. 19. 23.

c Psal. 1. 3.

AD hoc extremum inclinant, qui literis quidem valde sunt instructi, sed virtutib. vacui: quorum eruditio est in solis verbis, ideoq; exiguum afferunt animabus fructum. nisi fortè Deus, vt qui pius est, & misericors, etiam per tales fructum aliquem efficere velit, quibus illa competit Micheæ Prophetæ maledictio: d *tu calcabis oliuam, & non vngeris oleo: & mustum, & non bibes vinum.* exhortationibus enim suis, librisq; editis oleum eliciunt deuotionis, quo vnguntur simplices: vinumq; feruoris, quo ijdem inebriantur: ipsi tamen nec colligunt sibi fructum, quem in aliis efficiunt: nec colligent, donec eruditioni literariæ studium adiungant verarum virtutum.

d Mich. 6. 15.

ALTERUM extremum est eorum, qui in Oratione & interna cum Deo familiaritate exercitati, sufficientem habent facultatem ad proximos iuuandos. in eoq; sunt statu, & vocatione, habentq, inspirationem, quæ illos ad id impellunt: & nihilominus nolunt manum apponere, vt pretiosum hūc fructum proferant. Alij quidem prætextu humilitatis, quâ se indignos iudicant sublimib. adeò ministeriis, quo velut pallio tegunt suam pusillanimitatem: alij zelo maioris suæ puritatis, dicentes cum sponsa: e *exspoliaui me tunica mea,* curis scilicet aliorum, vt mihi soli vacarem: *quomodo* igitur *induar illa? laui pedes meos* affectuum scilicet, & *quomodo inquinabo illos,* exponens me tali occasioni? alij sub titulo discretionis, nolunt salutem, & perfectionem propriam periculo exponere, si alienæ curam suscipiant, ne sibi eueniat, quod dixit sponsa: f *posuerunt me custodem in vineis, & vineam meam non custodiui.* alij deniq;, quod suæ quieti nimium sint addicti, fugiunt labores, tædia, contradictiones, & pugnas, quas habet coniunctas animarum debellatio. Hos omnes monet S. Gregorius, vt meminerint, quàm feueram rationem exegerit ille paterfamilias, à g *seruo, cui vnum talentum dederat: ille verò abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam Domini sui,* eò prætextu, vt securè illam reseruaret Domino suo reuertenti. Quantò ergo seueriorem exegisset ille rationem ab eo, qui acceperat quinq; talenta: si omnia quinq; fodisset in terram? multò itaq; melius illa custodiuit, qui Deo fidens negotiationi exposuit, & quinq; alia superlucratus est, & qui mina vna negotiatus est decē, recepitq; præmium decuplum. Non est humilitas magnanimitati contraria. nec eius iacturam facies, eò quòd inspirationi Dei obedias: qui obedientes eripit à periculis, quibus se obediendi causâ exponunt. Ideoq; dixit Sapiens: h *vir obediens loquetur victoriam,* vniuersim eam referens ab omnibus suis hostibus. Quod si Sponsa vineam suam tunc non custodiuit: id propterea illi euenit, quòd sponsus eam curam illi non imposuisset, sed i *filij,* inquit, *matris meæ,* qui *pugnauerunt contra me, posuerunt me custodem in vineis.* Si autem tu ex inspiratione diuina, & non à carne & sanguine allectus accedas ad custodiam vinearum: illa te iuuerit ad vineam tuam custodiendam. si misericors in corporis eleemosyna nihil vnquam amittit, sed k *fœnera-*

e Cant. 5. 3.
S. Greg ibid.
f Cant. 1. 6.
Admon 26. citata.
g Matt. 25. 18.
Luc. 19. 22
h Prou. 21. 28.
i Cant. 1. 6.
k Prou. 19. 7. c 11. 25.


tur Domino, qui vicißitudinem suam reddet ei centuplum, quam dederit: quanto minus amittet misericors in eleemosyna spirituali? potius eò maius recipiet lucrum, quo fuerit ipsius opera & labor liberalior, si ad id ex charitate inducatur: propterea siquidem dixit Dominus: l *date & dabitur vobis: mensuram bonā, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum:* & Sapiēs dicit: m *qui inebriat, ipse quoque inebriabitur.* Si enim tu in feruore spiritus inebries tuos proximos vino diuini amoris: Deus te eodem, multò amplius inebriabit, quam prius. Nam quemadmodum Principes valde indulgent nutricibus filiorum, etiamsi infimæ sint sortis, quò bonum habeant lac, ad ipsorum filios nutriendos: ita Deus potioribus diuini sui spiritus donis te cumulabit, si cordi tibi sit, eius filios, quos tantopere diligit diligenter enutrire: iuxta illud Apostoli: n *consolamur & exhortamur, pro vestra exhortatione & salute.* vt scilicet vos consolemur, & exhortemur. Quod si Deus adeò est erga te liberalis, vt sua inspiratione te vocet, impellatque ad procurandam omnem perfectionem in sua integritate & plenitudine: cur sis tu adeò parcus contractusque, vt eius medietate velis esse contentus? bona est o *pars, quam elegit Maria:* at illa vnica tantum pars erat: coniunge ergo illi partem etiam Marthæ in optimis eius actionibus erga proximos: & tunc obtinebis TOTVM, quo euades multò perfectior. Angeli, qui Deum clarè vident, felicitati sibi ducunt cum ei obediunt, vt ait Apostolus, p *in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capient salutis:* & ipsi Seraphini diuinis aliàs laudibus intenti, attendunt quoque purificandis hominum q *labiis*, & quod amplius est, ipsum verbum æternum in solum hunc finem descendit de cœlo: qui totas noctes in oratione Dei expendens, dies totos occupabatur in prædicatione, vt animas conuerteret. & tu non summæ tribues felicitati, quod te Deus vocet, vt Angelos & Seraphinos, omniumque illorum Dominum imiteris? non dubites, vocātem sequi: ipse enim facultates dabit, facietque expensas omnes, vt sequi ipsum possis? Elige, quod est perfectissimum, tibique offertur: ipse enim iuuerit, vt partem vnam non amittas propter curam & operam, quam in quærendo TOTO posueris. Dic illi animosè, sicut Isaias: *ecce ego: mitte me* quocunque libuerit: te enim mittente, vbique securus ero. tu enim iuueris, vt impleam, quod præceperis.

l *Luc. 6. 38*
m *Prou. 11. 25.*
n *2. Cor. 1. 6*
o *Luc. 10. 4[2]*
p *Heb. 1. 14*
q *Isaiæ 6. 6.*



CAPVT XXII.

PONITVR QVODDAM COMPENDIVM, ET SVMma excellentiarum & commodorum eius status, qui propriæ perfectioni & proximorum attendit: & quænam auxilia & præsidia habeat ad superandas difficultates, & pugnas occurrentes.



VAMVIS ea, quæ hactenus dicta sunt, sufficerent ad cognoscendam præstantiam, & vtilitatem illius vitæ, quæ perfectißima Actiuæ & contemplatiuæ opera complectitur: simulq; attendit ad perfectionem propriam & proximorum: operæ pretium tamen erit ad consolationem eorum, qui illam sunt amplexi, & vt nouum concipiant animum, ad progrediendum in ea, quandam veluti summam, omniumque Epilogum hic facere deductum ex iucunda quadam similitudine, quam ipsemet Deus dilecto suo discipulo Ioanni reuelauit: a *signum* (inquit idem S. Ioan.) *magnum apparuit in cœlo: mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius: & in capite eius corona stellarum duodecim: & in vtero habens, clamabat parturiens, & cruciabatur, vt pareret, & peperit filium masculum* adeo felicem, vt *raptus fuerit ad Deum, & ad thronum eius.* Referebat hæc mulier cum infante suo masculo vniuersam Ecclesiam Catholicam: in qua duo sunt præcipui status: alter Prælatorum & Magistrorum, qui communi proximorum bono attendunt: alter reliquorum Iustorum, qui priorum doctrinam & directionem sequuntur. Primus significatur per matrem: secundus per filium. Et quamuis in Tractatu secundo propositæ fuerint aliquæ excellentiæ huius Matris, operæ pretium erit tamen in fine huius libri omnes eas explicare, eò quòd sint etiam veluti summa quædam omnium, quæ hactenus dicta sunt de vita Contemplatiua, fructibusque eius heroicis. In qua vita (vt ait Sanctus Gregorius) decet Prælatos Ducesque animarum valde eminere, collocantes mansionem & sedem siue thronum suum, quemadmodum hæc mystica mulier, in loco cœli altißimo, & conuersationem suam cum spiritu ibidem habentes, licet corpore in terra degant. ex quo fit, vt tota eorum vita sit cœlestis, in quatuor rebus etiam cœlestibus, potiusque diuinis quam humanis resplendens. *Quarum* præcipua est, quod *amicti sint Sole* Iustitiæ. quemadmodum enim corpus hoc suo vestimento coniungitur, quo tegitur, ornatur, calescit, ac defenditur: Ita ipsi spiritum suum habent cum Deo suo & Redemptore excellentißima gratiæ & chari-

a Apoc. 12.1.

9. parag. 2

n pastorali.

tatis

tatis cognitionis & amoris vnitione coniunctum: ex qua cognitione accipiunt admirandum veritatum lumen: inflammatum affectuum ardorem: clarissimum operum splendorem, magnamque in moribus similitudinem: ex quibus rebus iucundissimam acquirunt pulchritudinem, securitatem, pacemque cum protectione diuina: supremamque Hierarchiæ eius perfectionem: quæ (vt Sanctus Dionysius ait) in eo consistit, vt, quoad sit possibile, Deo fiat similis, & vnius spiritus cum spiritu eius. c 3. de cœlesti Hierarch

EX HIS duo insignes heroicique affectus in eisdem oriuntur, quibus perficiunt, tutamque reddunt hanc vnitionem & similitudinem. *Primus* est superioritas & magnanimitas quædam cordis ad collocanda sub pedibus suis omnia temporalia & mutabilia: quæ (teste Sanct. Gregorio) per lunam significantur, quatenus illa inconstans est. Nec solum res terrenas contemnunt: has enim nec pedibus quidem contingere vellent: adeò sunt ab eis remoti, & supra eas eleuati; sed vlterius progrediuntur: vt etiam cœlestia, quæ mutationi subiecta sunt, supergrediantur: gerunt enim animum quendam superiorem ad omnes prosperitates & aduersitates: ad consolationes ac desolationes: ad deuotionis teneritates, & ariditates spiritus. Itaque Deo non seruiunt ob has consolationes & spiritualia solatia, quæ facilè mutantur: sed quia ipse Deus, cui seruiunt, talis est. satis sibi esse existimantes ipsum solum, & amoris vnitionem, quam cum diuino eius spiritu habent. Ex quo alter emanat affectus, magnæ scilicet æstimationis, firmæque vnitionis cum rebus supernis, stabilibus, æternis, & immutabilibus, quæ per stellas fixas significantur, virtutes scilicet veræ ac solidæ, quibus Deo seruiunt, eumque diligunt, ac venerantur: quas & ponunt tanquam coronas super capita sua, honori sibi potius tribuentes, quòd illas habeant, quam reliquas omnes res creatas: quia illis honorem gloriamque suo Creatori deferunt, b *mittentes*, cùm opus est, easdem *coronas ante thronum*, diuinosque *eius* pedes, quemadmodum fecerunt viginti quatuor illi Seniores in Apocalypsi, confitentes, & protestantes, quod soli Deo danda sit *gloria, & honor, & virtus*, ob ipsorum victorias. Est autem *corona stellarum duodecim*: quia non satis sibi esse existimant, si in vna, aut altera virtute excellant: nisi id faciant in omnibus, proferentes duodecim c *fructus spiritus*, qua possunt maxima perfectione: asciscentes etiam protectionem sanctorum Angelorum, sacrorumque Apostolorum: quorum exempla imitantur, & eisdem sese coronant, ac tuentur.

Lib. 34 Moral. c. 7.

2.

3.

b Apoc. 4. 11.

c Gal. 5 22.

4. HINC verò oritur quarta eorum excellentia: quia desiderant spirituales filios procreare, qui Deo placeant, quemadmodum ipsi. Mulierem enim adeò pulchram & speciosam, quæ sit induta Sole, & superior Luna, habeat-

que

que coronam stellarum adeo insignem, non decebat esse sterilem: sed cum pulchritudine Rachelis, par erat Lyæ fœcunditatem coniungere: filiosque gignere sponso suo Christo, in quibus eius memoria, & similitudo conseruaretur. Adeoque vehemens erat eius desiderium, vt *clamaret parturiens, & cruciaretur, vt pareret.* Qui autem sunt hi clamores, nisi orationes, gemitus & suspiria, quæ prodeunt ex eius corde ob salutem animarum? & qui sunt dolores eius partus, nisi afflictiones, labores, ac defatigationes, quas sustinet, dum adhibet omnem conatum pro salute omnium? & quis hos clamores extorquet, nisi ipse amor? & quis ad huiusmodi dolores perferendos eam impellit, & vrget, nisi zelus? c *O fortis, vt mors dilectio! O dura sicut infernus æmulatio!* tu dulcem reddis mortem, vt vitam præstes iis, quos Deus in suos elegit filios: & amplecteris dolores sicut inferni, vt possis animas à Dæmone liberare. O quàm aptè competit vltimo filio Rachelis, quod appelletur d *filius doloris mei!* Siquidem tanto dolore prodit in lucem, educaturque, vt tendat in cœlum.

c *Cant.* 8. 6.

d *Gen.* 35. 18

SED videamus, qualis hic sit filius, & cur vnus appelletur? Vnus est, eò quòd multos referat, qui sunt vnum in charitate: habentque e *cor vnum, & animam vnam.* Suntque *filius masculus,* & non fœmina: zelus enim vehemensque desiderium huius matris est ad generandos filios perfectos, qui masculum virilemque gerant animum, vt in virtutibus *crescant* sicut *Ioseph,* & sint *filij dextræ* Dei, sicut *Beniamin:* de quibus dici possit illud psalmi: f *in Ecclesiis benedicite Deo Domino,* qui prodiistis *de fontibus Israel: ibi Beniamin adolescentulus* repertus est *in magno mentis excessu.* quî enim filius Contemplationis esse potest, nisi totus contemplationi deditus? amoris filius, quid aliud facere debet, quam ardenter amare: excessusque amoris habere, quemadmodum eius mater. parentes enim generant filios sibiipsis similes: & quando ipsi sunt in contemplatione & amore perfecti, dant operam, vt filij etiam tales sint fauente ad id gratia diuina. Et propterea dixit S. Ioannes: statim atque *mulier* illa *peperit filium masculum, raptum fuisse filium eius ad Deum, & ad thronum eius.* Nam etiam in hac vita eum rapit Deus ad se, & in suum accipit. Et interdum tanquam alter Saulus de tribu Beniamin, g *rapitur vsque ad tertium Cœlum, vt audiat arcana verba Dei:* & opportunè h *rapitur* in Paradisum, *ne malitia mutet intellectum eius,* aut furia Dæmonis illum peruertat. O felix mater, quæ filios generat, vt cœlos condat! O felices filij, quibus sorte contigit talis mater! ô felix raptus, in quo Ecclesiæ filij rapiuntur, vt suo Deo cõiungantur: tandemque ad eius gloriæ thronum deducantur! verum est quidem præcipuum huius boni auctorem esse misericordiæ Patrem, qui omnipotentiæ suæ dexterâ hos filios gignit, & ad tantam excellentiam in hac & in futura vita extollit: sed beneuola eius prouidentia, suis ministris ad id

e *Actu.* 4. 32

f *Psal.* 67 27

g 2. *Cor.* 12. 3

h *Sap.* 4. 11.

vti

vti voluit: faciens illos prius in ſe valde perfectos, vt per eos poſtea alios perficeret.

§. I.

De grauiſsimis ſtatus huius pugnis, & ratione eas vincendi.

SED num ſtrenuæ huic mulieri pugnæ deſunt, & conflictus, in quibus ſuam fortitudinem, conſtantiam, & in Deo confidentiam oſtendat? ſuamque perſeuerantiam, donec vltimam coronam aſſequatur? Certè, ſi hoc totum eſt neceſſarium, vt perfectionem propriam conſequaris, quemadmodum dictum eſt: idem proculdubio erit ad aliorum perfectionem etiam neceſſarium. quam perfectionem adeò odit Dæmon, vt nihil magis deſideret & conetur, quam eam impedire. audi itaque, quid idem S. Ioannes ſtatim ſibiungat: a *Viſum eſt*, inquit, *aliud ſignum in cœlo, & ecce Draco magnus rufus habens capita ſeptem, & cornua decem: & cauda eius trahebat tertiam partem ſtellarum cœli. & Draco ſtetit ante mulierem, quæ erat paritura: vt, cum peperiſſet, filium eius deuoraret.* Quod cùm facere non potuiſſet, eò quod Deus filium ad ſe rapuiſſet: conuertit totam ſuam rabiem in mulierem, vt eam *perſequeretur*: cui tamen *mulieri datæ ſunt alæ duæ aquilæ magnæ, vt volaret in deſertum, in locum ſuum, vbi alitur. Et miſit ſerpens ex ore ſuo poſt mulierem aquam, tanquam flumen, vt eam faceret trahi à flumine: ſed adiuuit terra mulierem: aperuit enim terra os ſuum & abſorbuit flumen, quod miſit Draco de ore ſuo.* Quibus omnibus, quaſi penicillo nobis depinguntur ingentes labores, & perſecutiones, quas viri Apoſtolici ſuſtinent, quibus curæ eſt ſalus animarum. quarum perſecutionum præcipuus auctor eſt Satanas, ſignificatus (vt ait S. Gregorius) per monſtruoſam hanc beſtiam. qui eſt Draco, ob aſtutiam & venenum: eſt magnus, ob ſuam ſuperbiam; rufus, ob crudelitatem: qui habet ſeptem capita, ob multitudinem Dæmonum, quos in ſuo habet comitatu; vt nos ad ſeptem mortalia peccata pertrahat. Habet etiam decem cornua, quæ ſignificant plurimos tyrannos, quorum operâ vtitur, ad iuſtos perſequendos. Cuius tanta fuit feritas, vt execranda ſua perſuaſione deiecerit ex cœlo Empyreo multitudinem Angelorum, qui ſtellarum inſtar ſplendebant. Quo ſpectaculo horrendo audet ad pugnam prouocare miniſtros Eccleſiæ, vt ſic contrahantur, pertimeſcant, ac deſiſtant à filiis Chriſto generandis: ne ab ipſo Dæmone deuorentur. qui tamen magna animi fortitudine in ſuo munere pergentes, nihil hanc ferã pertimeſcunt: quia amicti ſunt ſole, & induti virtute ex alto, quæ ipſos facit prævalere poteſtatibus inferni. armantur .n. prudentiâ aduerſus Draconis aſtutiam; humilitate, contra eius ſuperbiã: patientiâ, contra eius crudelitatem; ſeptem Spiritus S. donis, contra ſeptem eius capita, firma diuinorum præceptorum & conſiliorũ obſeruatione, con-

a *Apoc. 12 3. 13.*

Lib. 32. Mor. c. 12.

S. Tho. 1. p q. 63. a. 8.

tra decem eius cornua. & quamuis Draco tertiam partem ſtellarum caudâ ſuâ traxerit, confidunt ipſi in Deo, ſe fore fortiores illis: quia omnes illæ ſtellæ, quæ victrices manſerunt in cœlo Empyreo, ipſos coronant, & circumſtant: vt eos propugnent. Id quod multo amplius declarauit idem S.
Apoc. 12.7 Ioannes, cum ait, circa hunc ipſum partum b *factum eſſe prælium magnum in cœlo. Nam Michael & Angeli eius præliabantur cum Dracone: & Draco pugnabat, & Angeli eius, & proiectus eſt Draco* ille magnus, *& Angeli eius, ita vt non ſit locus inuentus eorum amplius in cœlo.* vt ex hoc intelligamus S. Michaelem Eccleſiæ Principem cum cæteris Angelis eius ſociis curam habere Dæmonum furiam reprimendi. qui, quod ſint plures numero, & virtute potentiores, facilè victores euadunt, hoſtemque ex ſua ſtatione deturbant. Quam Angelorum cuſtodiam oportunè expertus eſt quidam huius Domini miniſter Eliſæus Propheta, cum ab hoſtibus obſeſſus, valdè tamen ſecurum ſe eſſe
4. Reg. 6. iudicabat: vt autem miniſtro ſuo metum adimiret: c *noli*, inquit, *timere, plures enim nobiſcum ſunt, quàm cum illis: & aperuit Dominus oculos pueri,* orante propheta, *& vidit: & ecce mons plenus equorum & curruum igneorum in circuitu Eliſæi.* O ſi Deus oculos tibi aperiret, quibus ſuppetias videres, quas mittit in tuum ſubſidium, quando te Draco iſte perſequitur? creſceret procul dubio adeò tua fiducia, vt nihil timeres eius tremendam figuram.

QVID verò ſibi vult, quod *mulier* Draconem *fugiat, voletq; in deſertum & ſolitudinem*? fugere enim non ſtrenuorum, & robuſtorum eſt, ſed timidorum. &, ſi ea erat in cœlo, quorſum volat in deſertum? vbi enim ſecurior eſſe poterat, quam in ipſo cœlo? & vbi magis oppugnari, quam in ſolitudine? Sed ſi attentius res conſideretur, hæc fuga non timiditatis fuit, ſed pruden-
Pſal. 54.7 tiæ: quare non illi *datæ* ſunt d *pennæ columbæ* timidæ, quas Dauid deſiderabat; ſed *alæ aquilæ magnæ ac generoſæ*. Nam viri Apoſtolici interdum verſantur in publico, & in conſpectu totius mundi, vt ſuâ doctrinâ multas animas lucrentur, bonoque ſuo exemplo eas ædificent: interdum verò iidem fugiũt in ſolitudinem, & locum ſecretum: vt cum Deo conuerſantes, propriæ perfectioni attendant. Hæ, ait Richardus, ſunt *duæ alæ aquilæ magnæ,* quibus illi fugiunt: duo ſcilicet feruentia deſideria: alterum conuerſationis & familiaritatis cum Deo in vita contemplatiua; alterum propriæ puritatis & ſanctitatis cum actionibus vitæ Actiuæ, donec veniat tempus, in publicum prodeundi, ad animas denuo Chriſto lucrandas. Et in ea ſolitudine ſuum habent
Oſe. 2. 14 cœlum. quia ipſe Dominus e *eos ducit in ſolitudinem, vt lactet, & loquatur ad*
Thren. 3. *cor eorum.* hic f *eleuant ſupra ſeipſos,* & g *aſcendunt de hoc deſerto deliciis affluen-*
Canti. 8.5 *tes, innixi ſuper dilectum ſuum,* qui ſemper ipſos comitatur: vbi & illos paſcit,
Pſal. 77. ac nutrit. Nouit enim benè ille, poteſtque h *parare menſam in deſerto, & panem cœli, & Angelorum, ac cibaria in abundantia eis mittere*, qui habitant in ſolitudine. Quod ſi Draco miſerit ex ore ſuo flumen aliquod tribulationum,

ad eius

ad eius charitatem suffocandam, aut quietem turbandam: nihil eis nocebit. Nam oratio eorum potens est ad impetrandum à Deo quicquid ipsi petiuerint. & quemadmodum ipsi Creatori suo obediunt, ita reliquæ Creaturæ obediunt ipsis, etsi enim aliquæ earum instrumenta sint Dæmonis ad persecutiones excitandas: aliæ tamen sunt Dei, quæ illas alias intercludunt.

Qvis ergo non vehementer admiretur, & oblectetur beneuolâ adeò supremi nostri Patris prouidentiâ circa suam Ecclesiam, eiusque ministros, Prælatos, & Religiosos; tum, cùm in publico illi perfectioni proximorum attendunt; tum cùm in secreto, ipse propriam eorum perfectionem promouet? cur non magnos assument spiritus, ad propria ministeria obeũda, & exercenda; cum videant, quanta Deus ex parte sua offerat, facientibus ipsis, quod meritò debent ex sua? cur non hilares sint tanta experti studia, tales fautores, & præclaros adeò euentus? & quamuis sæpè prosperi huiusmodi euentus desint ob culpam & negligentiam eorum, qui gubernant; aut ipsorum, qui gubernantur: quia diuina prouidentia omnes relinquit integrè ipsorum libertati: recreat tamen plurimum, cum intelligimus, Deum ingentia adeò bona nobis offerre, quæ ipsius gratiâ obtinere possimus. O pater misericordiarum, quas tibi pro tot donis gratias agemus, quæ in creaturam adeò vilem & abiectam qualis est homo, confers: dum eum extollis, ad tot res, quę ipsius debilem naturam superant! Eleuas eum è terra in cœlum; collocásque pedibus super lunam, induis sole, stellis coronas; virtutem ei das, spirituales filios procreandi, de alis ei prospicis quibus auolare possit: ac de fortitudine, vt tanto Draconi possit resistere: In publico illum honoras: in secreto ei indulges, & in omni loco defendis: &, quod maiorem affert stuporem, est, quod in mediis præstantissimis donis ita illum contineas, vt stet in humilitate, ne cadat præ superbia. Hierarchiæ Angelorum te laudent, Domine, ob singularia adeò beneficia in homines collata. & siquidem bona adeò excelsa nobis offers, præueniat nos copiosa tua misericordia, ad ea ita procuranda, vt etiam obtineamus.

§. 2.

De prædictis pugnis, ac victoriis magis in particulari.

Imponamvs tandem ratiocinationi nostræ finem, ostendendo, Euangelicis operariis picturam quandam magis particularem omnium, quæ dicta sunt in eo, quod euenit Christo D.N. quando descendit ex monte Thabor, vbi positus in Oratione fuerat transfiguratus. Nam, cum ad turbam venisset, obuium habuit hominem à Dæmone obsessum, sæuissimum omnium, quorum in sacro Euangelio fit mentio. in eo enim omnia mala apparebant, quæcunq; maligni Spiritus peccatorib. afferre possunt: qui Dęmõ illum surdum, mutum, aridum & mente captum reddebat, vt ineptus esset

ad agendum & conuersandum cum cæteris hominibus: quem præterea persequebatur, maleque tractabat. Nam a *sæpè in ignem proijciebat, & crebrò in aquam, vt eum perderet*, aliàs *allidebat in terram*, interdum faciebat *lunaticum*, adeoque furentem, vt *spumaret, & strideret dentibus & arescerct*. & quod valde miserum erat, ab infantia hæc omnia illi accidebant, idque adeò importunè & pertinaciter, vt ipsi Christi Apostoli non potuerint eum eiicere, quamuis multos alios absque resistentia expulissent. Sed statim atque ipse Saluator accessit, *comminatus est spiritui immundo, dicens illi: surde & mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo: & amplius ne introeas in eum. & exiit ab eo Dæmonium, & curatus est puer ex illa hora.* monuit verò Apostolos ipse Iesus dicens: *hoc genus Dæmoniorum in nullo potest exire, nisi in Oratione & Ieiunio.* Quo facto nos docet, tum verbis tùm exemplo, eos, qui in monte per Ieiunium sunt mortificati, magisque spirituales effecti, & per Orationem transfigurati: magnas per hæc exercitia vires recipere contra Dæmones, qui animas occupant & possident: nec vllos esse Dæmones adeò fortes, qui huiusmodi armis non succumbant: eisdemque etiam vinci & expugnari omne genus peccatorum. Surdis enim auditum aperiunt, vt verba Dei audiant, dentque diuinis eius inspirationibus locum; Mutis dant linguam, quâ sua peccata confiteri, eorumque veniam deprecari possint: aridos emolliunt, vt suas culpas defleant, aduertantque miserias, & agant de earum remedio: stultos, & mente captos illustrant, vt ad se redeuntes suos errores agnoscant; eos, qui igne luxuriæ vruntur eripiunt ab hisce flammis, ne eis absumantur; submersos in profundo desperationis puteo in altum erigunt, vt respirent confidentes diuino subsidio; eos, qui terrenis affectionibus in terra implicantur, eleuant, vt cœlestes diuitias quærant; lunaticos & inconstantes instar lunæ, firmos faciunt, & constantes in virtute, instar solis; furentes, &, præ iracundia, fœda verba ore suo spumantes, & dentibus stridentes præ desiderio vindictę, freno quodam humilitatis & patientię cohibent, vt mites fiant, & aduersa sustineant; ac denique eos, qui ab infantia in vitiis fuerunt enutriti, stupenda efficacitate conuertunt, vt vitam mutent, nouosque mores induant. oranti enim, seque mortificanti, nihil est impossibile, cum diuina gratia. Quod si diuinę omnipotentię confidat tanta fide, quanta vis est in b *grano sinapis*, quę viua est & efficax, *dicet* (vt ait ipse Redemptor noster) *monti huic: transi hinc illuc, & transibit*: efficietque vt c *mutet AEthiops pellem suam, & pardus varietates suas.*

Ex quo fit, vt ministri Euangelici etiamsi alioqui debiles, hisce armis terreant fugentq; Dęmones etiam fortissimos: sine quibus tamen Dęmones nihili illos faciunt, etiamsi sint sicut Apostoli. Ideoque quemadmodum Gedeon eiusque milites vicerunt Madionitas, d *clangentes & conclamantes Domino, & Gedeoni; confringentes hydrias, in quibus lampades accensæ inclusæ*

teneban-


Mat 17.14 / Marc. 9. / 5. 28. / Luc. 9. 38. — Matt. 17. / & c. 21. — Ier. 31. 23. — Iud. 7. 18.

tenebantur: tubis personantes, clamantesq́, Gladius Domini & Gedeonis: Ita Christi milites, Dæmones vincunt, & conuertunt peccatores, mortificantes corpora sua, vt exemplaris animarum eorum vita eluceat: tubaq́; prædicationis verbi Dei clangentes, & clamoribus Orationum clamantes, & inuocantes fauorem Dei & Christi D.N. pugnantes in eius præsentia ferventi zelo diuinæ gloriæ per totum mundum dilatandæ, ad imitationem gloriosi sui Capitanei: de quo dixit Isaias propheta, quod *iugum oneris* grauissimi Dæmonis, *& sceptrum exactoris eius* crudelisq́; Tyranni superasset. *Isai 9. 4.* O Dux gloriosissime qui tanquam alter Gedeon exemplo tuo milites tuos animasti, permittens corpus tuum tormentis & cruciatibus confringi, quò tua miracula virtutesq́; magis splenderent; & hoc modo de Dæmonibus triumphasti, peccatores tibi subiecisti, & infernum spoliasti: suggere eam pugnandi rationem militibus quos in Ecclesia nunc habes, vt vestigia tua sequentes, obtineant in tuo nomine similes victorias: lucrantes multas animas ad tuam gloriam, quæ tecum regnent in cælis in æternum, Amen.

FINIS DVCIS SPIRITVALIS.







INDEX LOCORVM S. SCRIPTVRAE, QVI IN HOC opere explicantur.

GENESIS.

EXODVS.

LEVITICVS.

NVMERI.

DEVTERONOMIVM.

IOSVE.

IVDICVM.

PSALMI.

PROVERBIA.

CANTICA.

SAPIENTIA.

ECCLESIASTICVS.

ISAIAS.

HIEREMIAS.

LVCAS.

IOANNES.

ACTA APOSTOLORVM.

AD ROMANOS.

qua-

D.

quibus

L.

M.

N.

FINIS.

